Nab. 5.
8

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM JENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS QVINTVS

DENVO EDIDIT

VARIISQVE OBSERVATIONIBVS

ADAVXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.

TVBINGÆ
SVMTIBVS IO. GEORGII COTTAE
MDCCLXXVI.

KGEN.PR.FR.
UNIVERS.
ZV HALLE



PRÆFATIO EDITORIS.

Locus *de conjugio* a GERHARDO noſtro ſingulari diligentia elaboratus, & tam copioſe tractatus eſt, ut uno volumine, cæteris quidem æquali, comprehendi non poſſet. Fecimus igitur duas hujus tractationis partes, quarum primam in tomo hoc decimo quinto non minori, quam quæ in ſuperioribus tomis a nobis adhibita eſt, cura recuſam nunc exhibemus, alteram, quam primum fieri poteſt, ſecuturam pollicemur.

Vides, BENEVOLE LECTOR, (& ne graveris, petimus) tomum hunce notarum a nobis addi ſolitarum paucitate laborare. Enimvero quod non prorſus ἀσύμβολοι eum dimiſerimus, teſtantur obſervationes hinc inde adſperſæ, velut eæ, quæ *Jurisconſultorum de pœnali in ſponſalibus ſtipulatione* ſententiam declarant atque defendunt, item, quæ ad notitiam *auctorum* augendam pertinent, ut de *ſcriptoribus juris matrimonialis*, *proteſtantium* parti addictis, porro, quæ *Montaniſtarum*, *Novatianorum*, *Græcorum*, & ex *patribus Auguſtini* placita *de nuptiis ſecundis* illuſtrant, inprimis vero quæ *de polygamiæ ſimultaneæ defenſoribus*, OCHINO, LYSERO, BEGERO, WILLENBERGIO, aliisque, quædam notatu haud indigna commemorant. Nec deerat ſane nobis materia, multo plures, easque minime ſuperfluas animadverſiones

nes ad textum illuſtrandum, atque emendandum addendi; ſed ob ipſam illam addendorum copiam, tum quia verebamur, ne noſtris laboribus intervenientibus, editioni operis mora injiceretur, vel nos ipſi nimis anguſtis temporis limitibus coarctaremur, tum, quia interjecto aliquo intervallo plus otii & commoditatis ad ſcribendum nos nacturos eſſe ſperabamus; placuit, textum *Gerhardianum* ſerie continua typis exſcribendum curare, obſervationes vero noſtras reſervare in *ſupplementa*, parti ſecundæ, ſuo tempore ſubjungenda.

Hoc inſuper te ſcire volumus, B. L. nos in edendo hoc loco *Jurisperitorum* quoque rationem habuiſſe. Cum enim intelligeremus, GERHARDI operam, in explicanda materia de conjugio egregie collocatam non Theologorum modo, ſed & *Jureconſultorum* uſibus inſervire poſſe, horum autem plurimos ea carere, facile ſuſpicaremur, ſi quidem exſpectari non poſſit, ut quisquam unius loci cauſa integrum opus ſibi comparet; conſultum duximus, eorundem in gratiam certum exemplorum numerum ita adornare, ut tractatio GERHARDI *de conjugio*, noſtris aucta obſervationibus, tanquam opus ſingulare emi ac uſurpari poſſit. Hoc autem conſilium noſtrum, uti munitum eſt auctoritate *Juriſconſulti cujusdam celeberrimi*, qui jam dudum nobis ſuaſor fuit impulſorque editionis eo, quo diximus, modo repetendæ, ita tum eidem VIRO *illuſtri*, ſi nos ipſi paruiſſe cognoverit, tum multis aliis, qui aliquam inde utilitatem capere poſſunt, valde probatum iri confidimus.

Denique nec hoc, occaſione jam ſubnata, prætermittere poſſumus, *hiſtoriæ noſtræ eccleſiaſticæ*, cujus continuationi partim labores concatenati, partim valetudinis rationes obſtiterunt, novum, eumque *quartum* tomum brevi tempore, volente Deo, eſſe prodituruum.

Cæterum Deum O. M. precamur ſupplices, velit gratia ſua ſuſtentante porro nobis adeſſe, conatusque noſtros in nominis ſui gloriam, fructusque lectorum uberrimos benigne ſecundare.

Scripſimus Tubingæ Calendis Maji anno poſt reparatam ſalutem MDCCLXXVI.



LOCVS XXVI.

DE

CONIUGIO.

PROOEMIVM.

§. I.

Ratio ordinis.

Doctrinam de *magistratu politico* recto ordine excipit articulus de *statu oeconomico* ac *conjugio*, quod probatur 1.) *A communi genere*, quia status œconomicus *tertiam*, uti vocant, *hierarchiam* constituit, atque una cum ministerio ecclesiastico & magistratu politico tres illos in ecclesia divinitus constitutos ordines absolvit. 2.) *A communi fine*, quia status œconomicus, non minus quam ministerium & magistratus ob ecclesiæ collectionem & propagationem a Deo fuit institutus; siquidem in hoc statu per conjugium propagatur genus humanum, ex quo per verbum a ministris ecclesiæ prædicatum & sacramenta ab iisdem administrata Deo in his terris colligitur ecclesia. 3.) *A connexionis serie*, quia conjugium, sive ordo œconomicus, est seminarium ecclesiastici & politici status, ex illo enim ordine deliguntur, qui ecclesiastico ministerio & politico regimini præficiuntur. Societas domestica est principium & fundamentum civilis ac politicæ societatis, sicut societas politica est adminjculum politiæ ecclesiasticæ.

Vtque alios alii de religione docerent,
Contiguas pietas jussit habere domos;

quod est Stigelii. 4.) *A communi munere*, quod ministeer ecclesiæ est in templo, id pius paterfamilias est in domo, ille publico docendi munere fungitur, hic privatim suam instituit familiam, & ad pietatem ac honestatem domesticos suos format. Gen. XVIII. 19. *Scio, quod Abraham præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam.* 5.) *A communi efficiente*, bonitas Dei non minus elucet in beneficiis, quæ per statum œconomicum, quam quæ per magistratum politicum generi humano conferuntur. Oeconomicus enim ordo generis humani, & consequenter etiam ecclesiæ propagationi, politicus ejusdem defensioni inservit: utrumque beneficium grato pectore agnoscendum & dignis laudibus extollendum.

Regiminis politici & oeconomici convenientia.

§. II. *Convenientiam* etiam quamdam cum politico regimine obtinet œconomica illa administratio, cui paterfamilias præest. 1.) *In genere proximo.* Uterque enim status est *hierarchia & sanctum vitæ genus*, qua honorifica adpellatione b. Lutherus in c. XXI. Genes. utrumque ornat. 2.) *Causa efficiente principali.* Utrumque enim statum divina majestas instituit clementer, & contra machinationes diabolicas adhuc conservat potenter. 3.) *Subjecto remoto.* Uterque ordo constat certis hominibus, quibus certæ officii partes ac munia divinitus sunt præscripta. Quandoque etiam conveniunt hi ordines in uno eodemque subjecto proximo, cum una atque eadem persona diverso respectu ad utramque hierarchiam pertinere possit. 4.) *Causa finali generica.* Utrumque vitæ genus propter ecclesiæ salutem & nominis divini gloriam, ut primitus est institutum, ita adhuc hodie ob eosdem fines divinitus conservatur. 5.) *Quibusdam effectis*, quos status hujus præsides hominibus suæ fidei ac curæ commissis præstare debent, quorum intuitu magistratus dicuntur *patres*, & *bonus princeps nihil differre dicitur a bono parente*, ut in loco præcedente §. XI. dictum.

Utriusque differentia.

§. III. Interim tamen differunt hæ duæ functiones: 1.) *regiminis forma ac modo.* Magistratus politicus instructus est potestate legum ferendarum in republica, quarum violatores gladio punit, sed paterfamilias privatis legibus familiam suam regit, nec transgressores earum ultimo supplicio adficit. Magistratus politicus tributa a subditis exigit, & principatus ejus subditorum humeris incumbit, sed *patres familias liberis suis thesaurizant, non liberi parentibus;* 2 Cor. XII. 14. interim tamen ἀντιπελάργησιν ac θρεπτήρια jure naturæ liberi ipsis debent. 2.) *Subjecto proximo;* aliæ enim personæ sunt *privatæ*, viventes in statu œconomico; aliæ vero *publicæ*, fungentes magistratu politico, quamvis (uti dictum) fieri possit, ut quandoque una eademque persona in utroque vitæ statu degat. 3.) *Objecto;* magistratus cura occupatur in totius reipublicæ gubernatione, patrisfamilias officium in domesticarum rerum administratione. Magistratus cura versatur in judiciis publicis, patrisfamilias officium in παιδία ac νουθεσία privatis Ephes. VI 4. 4.) *Fine proximo;* status œconomicus inservit vitæ hujus sustentationi & generis humani propagationi, politicus ejusdem defensioni & honestæ gubernationi.

Επιγραφὴ hujus articuli.

§. IV. Quamvis vero perinde, ut in præcedente articulo, vulgatus illius titulus *de conjugio* videatur angustior, cum ad statum œconomicum pertineant non solum conjuges, sed etiam liberi ac servi, quibus non minus quam conjugibus in hoc statu viventibus sua in verbo Dei præscribuntur munia; noluimus tamen a recepta in ecclesia loquendi consuetudine recedere, sed usitatam potius adpellationem retinere, tum quia de liberorum ac servorum officiis in explicatione quarti præcepti jamdum fuit actum, tum quia conjugium, sive legitima unius maris & unius fœminæ conjunctio, est familiæ principium & œconomici status fundamentum. Quamvis enim in statu œconomico tres distinctæ societates animadvertantur 1.) conjugum, quæ vo-

voca-

catur γαμικὴ, *conjugalis:* 2.) parentum & liberorum, quæ est πατρικὴ, *patria:* 3.) dominorum ac servorum, quæ est δεσποτικὴ, *herilis;* conjugalis tamen societas inter eas prima est & reliquarum fundamentum, ἀρχὴ μὲν οἰκιᾶς περιβολῆς γάμος, inquit Musonius apud Stobæum serm. LXV. pag. 411. quod ipsum ibidem ex Hierocle, & apud Aristotelem lib. I. œcon. c. 3. pulcerrime demonstratur. Πρώτη καὶ στοιχειωδεστάτη τῶν κοινωνιῶν ἡ κατὰ γάμον, inquit Hierocles. *Prima & præcipua, ac velut elementaris societas est, quæ per nuptias initur. Nam civitates sine familiis esse non possunt, & familia innupti manca est, integra autem & perfecta illius, qui nuptus fuerit.* Τῶν περὶ τὰς ἀνθρώπους ἡ κατὰ γυναῖκα πρώτη ἐπιμέλεια. Κοινωνία γὰρ φύσει τῷ θήλει καὶ τῷ ἄρρενι μάλιστά ἐστιν, inquit philosophus. Societate patria inter parentes & liberos priorem esse conjugalem, facile adparet, cum liberi sint fructus conjugii; unde ipsi gentiles ex naturæ luce τὴν τῶν παίδων γένεσιν vocarunt τὸν θεῖον τῦ γάμυ καρπὸν: quod autem societate herili inter herum & servos itidem prior sit conjugalis, colligitur ex instinctu naturali. Adpetitus uxoris & generationis naturalior est quam servi, quia is omnibus animantibus inditus, hic vero a solo homine ratione magis, quam sola natura elicitur, ille ad ipsam naturam propagandam, hic ad familiam commodius administrandam dirigitur.

Doctrinae de conjugio commendatio.

§. V. Commendat hujus articuli doctrinam ejusdem 1.) *dignitas,* 2.) *utilitas,* 3.) *necessitas. Dignitas* ex ipsius materiæ, quam explicat, conjugii scilicet dignitate deducitur. Τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι, inquit apostolus Hebr. XIII. 4. Merito autem honorabile censeri debet matrimonium: 1.) propter *Dei instituentis auctoritatem.* Ps. CXI. 3. *Gloria & decor opus ejus,* id est, quidquid Deus ordinavit & instituit, illud honore dignum censeri debet. Jam vero conjugium est sancta Dei ordinatio, Genes. II. 24. Matth. XIX. 4. qua de re in cap. de caus. effic. plenius disseremus. 2.) Propter *institutionis antiquitatem.* Non heri nec nudiustertius, sed statim in prima mundi origine, cum homo in statu integritatis adhuc esset, conjugium fuit a Deo institutum, & ad hæc usque tempora contra diaboli furores conservatum. 3.) Propter *institutionis majestatem.* Præmissa enim gravi consultatione institutum fuit hoc vitæ genus, & quidem in paradiso, sanctissimo illo & purissimo primorum hominum domicilio, *dixit Deus,* id est, immensa sapientia & bonitate hoc decretum sanxit: Genes. II. 18. *Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium coram ipso.* 4.) Ob *honoris, quo Deus ipse hunc statum ornavit, varietatem.* In primo primorum parentum conjugio Deus ipse fuit paranymphus, qui Evam Adamo adduxit, Gen. II. 2. sacerdos, qui eosdem copulavit, interius castam amoris flammam cordibus ipsorum inspirando, & exterius ipsorum manus conjungendo, copulatis postea benedixit, & benedictione ornatis certas conjugii leges præscripsit, Genes. I. 28. II. 24. Matth. XIX. 5. ac parens, qui Evæ a se elocatæ dotem largissimam, universale scilicet omnium rerum dominium contulit. Hanc conjugii νομοθεσίαν & εὐλογίαν post tristem protoplastorum lapsum repetivit ac statum conjugalem confirmavit. Genes. III. 16. Psalm. CXXVIII. 3. Idem in decalogi promulgatione totam ferme secundam tabulam ad constituendum, defendendum & ornandum conjugium retulit (*quartum* enim præceptum mentionem facit patris ac matris, *quintum* munit vitam, *sextum* castitatem, *septimum* fortunas, *octavum* famam conjugum tuetur, reliqua duo internas cupiditates a violatione eorum cohibent, ex quo adparet, quod tota ferme secunda tabula sit septum ac munimentum conjugii, quo omnis violentia ac fraudulentia ab hoc sancto vitæ statu arcetur) & in constitutione politiæ mosaicæ peculiari immunitate onerum publicorum novos conjuges honoravit, Deut. XXIV. 5. quin & eos solum, qui ex honesto conjugio

Conjugii dignitas.

nati, ad publicorum officiorum administrationem adhiberi voluit, Deut. XXIII. 2. Idem in conciliandis piorum nuptiis specialis & gratiosæ suæ præsentiæ indicia minime dubia edidit, Genes. XXIV. 27. ac sanctorum angelorum præsidio hunc vitæ statum & ejus membra munivit. Genes. XXIV. 7. XXXII. 1. Tob. VIII. per tot. Job. I. 10. Matth. XVIII. 10. Idem adhuc hodie piorum conjugum corda vinculo amoris invicem connectit, Matth. XIX. 6. ut omnes, qui singulari continentiæ dono instructi non sunt, in hoc statu vivant, præcipit, 1 Cor. VII. 2. ac piis conjugibus largiter benedicit Psal. CXXVIII. 2. 3. Filius Dei non quidem *ex conjugio*, sive conjugali congressu, interim tamen ex virgine viro desponsata & nupta, ac proinde *in conjugio* nasci voluit, Luc. I. 27. & præsentia sua ac primo miraculo nuptias cohonestavit, Joh. II. 11. liberos, dulcissimos conjugii fructus, amplexatus est, eosque sibi adduci jussit, Marc. X. 14. regnum cœlorum convivio nuptiali comparavit, Matth. XXII 1. & amoris sui erga ecclesiam typum quemdam in conjugio propositum esse, per apostolum docuit, Eph. V. 32. Apoc. XIX. 7. XXI. 5. 2. 5.) Ob *multiplicem status hujus utilitatem.* Conjugium est veluti *elementum mundi*, & *seminarium generis humani.* Aristoteles lib. œconom. cap. 3. ἡ φύσις ἀναπληροῖ ταύτῃ (κοινωνίᾳ τοῦ ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικὸς) τὸ ἀεὶ εἶναι ἐπεὶ κατ' ἀριθμὸν οὐ δύναται, ἀλλα γε κατ' εἶδος; est fons reliquorum vitæ statuum, est schola multarum virtutum, &c. Conjugium suas præstat utilitates tum in *vita œconomica & civili*, ut victus commode paretur, paratus frugaliter conservetur, ut familia propagetur, ut adjutorium in omnibus negotiis hujus transitoriæ vitæ habeatur: tum in *vita spirituali*, ut flammæ libidinis evitentur, ut castis precibus Deus invocetur, ut conjuges in pietate sese mutuo ædificent, & in adversis consolatione mutua sese erigant, unde haud immerito Athenis puer in nuptiis præcinebat, ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. Commoditates illas conjugii breviter & nervose complexus est Leo imperator nov. XXVI. in principio: *Magnum sane excellensque donum a Deo creatore ad mortales promanavit matrimonium. Non modo enim naturæ mortis ingluviei obnoxiæ opem fert, humanoque generi perpetuitatem elargitur, id dum ab illa depascitur non deperire sinens, verum etiam per liberorum procreationem permagna alioquin hominum vitæ præstat. Nam quid ea, quæ ex liberis percipitur voluptate, ad oblectandos hominum animos suavius? aut vero quid in humanæ vitæ negotiis, cum aliis, tum quæ in senectute nobis se offerunt, utilius? Levari senectutis molestias liberorum ministerio videmus.* Cum quo consentit illud Justiniani imperatoris nov. XXII. in præfat. *Matrimonium sic est honestum, ut humano generi videatur immortalitatem artificiose introducere, & ex filiorum procreatione renovata genera manent.* Idem Justinianus novell. CXL. *Nihil in rebus mortalium proinde venerandum est, atque matrimonium, quippe ex quo liberi, omnisque deinceps sobolis series existat, quod regiones atque civitates frequentes reddat, unde denique optimæ reipublicæ coagmentatio fiat.* Pertinent etiam ad explicandam conjugii utilitatem suavissimi versus Nazianzeni:

Ρίζα τε καὶ βιότοιο μελίφρονος ἐσθλὸν ἔρεισμα
Συζυγίη διπλοῦν δὲ γάμος καὶ ἄναλκιν ἔθηκε
Αλλήλοις τε χέρες καὶ ὄυατα καὶ πόδες ἐσμέν.
Ξυναὶ καὶ μελεδῶναι ἐλαφρίζουσιν ἀνοίας,
Ξυναὶ δ' εὐφροσύναι γλυκερώτεραι ἀμφοτέροισιν,
Κληὶς δ' ἀμφοτέροισι σαοφροσύνης τε πόθωντε
Συζυγίη, καὶ σφραγὶς ἀναγκάιης φιλότητος
Συμφυέες σάρκεσσιν ὁμόφρονες. εὐσεβίης τε
Κέντρον ἐν ἀλλήλοισι πόθῳ θήγοντες ὅμοιον
Χρείῃ πλειοτέρῃ πλεῖον θεὸν ἀμφαγαπῶσι.

Conjugium radix & fulcrum nobile vitae,
Conjugium praestat, si sis sine robore vires.
Sic sumus inter nos auresque manusque pedesque.
Mutua sic duros emollit cura labores,
Mutua sic gemina dulcedine gaudia crescunt,
Quin desiderium concesso limite claudit
Conjugium, castosque aeternum obsignat amores,
Ut sunt carne simul juncti, sic mente cohaerent,
Inter seque piis miscent incendia flammis.

Et

Et quia praesidii est rerumque hic maior egestas, Foemina virque Deo majori pectore fiunt.

Quinimo ut conjugium est fons & scaturigo reliquorum vitæ statuum, ita iidem eo spectant, ut dignitatem & honorem conjugii adserant. Ecclesiasticus ordo divinam conjugii institutionem urget & commendat. Politicus legibus & armis ejus incolumitatem tuetur. 6.) Ob *eorum, qui in hoc statu vixerunt, dignitatem.* Patriarchæ, prophetæ, apostoli & alii sancti complures in eo vixerunt, & præclaro virtutum conjugalium exemplo aliis hominibus præluxerunt. Vide locum de minist. §.CCCXL. *Utilitas* hujus doctrinæ sub finem tractatus explicabitur, quando de usu hujus loci instituitur dissertatio. *Necessitatem* ejusdem demonstrat tum *mandatum divinum*, quo jubemur *scripturam*, & consequenter etiam illam scripturæ partem, quæ de institutione & legibus conjugii tractat, *scrutari*, Joh. V. 39. totum doctrinæ cœlestis systema, & consequenter etiam articulum de conjugio ex verbo Dei discere, ac τῇ ἀναγνώσει προσέχειν, 1 Tim. IV. 13. tum *ipsa praxis*, quæ testatur, absque adcurata hujus articuli cognitione in multis difficilibus & perplexis casibus non posse conscientiis hominum recte consuli.

Doctrinae hujus in ecclesia perfectio.

§. VI. Ceterum quamvis apud saniores *ethnicos* vel ex solo naturæ lumine, vel ex reliquiis quibusdam doctrinæ cœlestis conjugio etiam aliquis honor fuerit habitus, quo pertinent præclara conjugii encomia, quæ in ipsorum scriptis occurrunt, & honestæ constitutiones ac leges, quibus dignitatem hujus ordinis tueri voluerunt; tamen doctrina, quæ ex verbo Dei in ecclesia de conjugio traditur, multis modis est uberior, certior atque illustrior. Respectu 1.) *causæ efficientis.* Ethnici ex luce naturæ agnoverunt, legitimam maris & fœminæ conjunctionem non humanis ac positivis legibus esse ductam, sed jure naturali sive gentium niti, qua ratione causam ministerialem, sive organicam, principalis efficientis ac primarii auctoris loco nominant, interim ad aliquam efficientis causæ cognitionem semet adspirasse manifestum faciunt. Sed in ecclesia longe clarius de divina institutione conjugii immediate ab ipso Deo facta & promulgata ex Genesi Mosaica disseritur, simulque docetur conservationem hujus ordinis nec solum, nec præcipue niti humana sapientia & honestis legibus laude alioquin dignissimis, sed divina bonitate ac potentia. 2.) *Causæ formalis.* Apud ethnicos temeraria repudia ac divortia, polygamiæ & confusiones hujus ordinis sæpius invaluerunt; sed in ecclesia docetur, conjugium esse unius maris ac unius fœminæ legitimam ac indissolubilem societatem. Inde Sibylla libr. III. oraculorum de christianis dicit, οἱ ἕξοχα πάντων ἀνθρώπων ὁσίης εὐνῆς μεμνημένοι εἰσί. 3) *Causæ finalis.* Ethnici aliquos conjugii fines agnoverunt, mutuum scilicet adjutorium, conservationem & propagationem generis humani, vagæ libidinis & scortationis evitationem, &c. sed in ecclesia docetur, conjugium ideo potissimum divinitus esse institutum, ut ex genere humano per illud multiplicato, Deo colligatur ecclesia, a qua in hac & futura vita recte agnoscatur, colatur & celebretur. 4.) *Adjunctorum.* Ante lapsum conjugium fuisset sanctissima, purissima & prorsus immaculata duorum in una carne conjunctio; sed post lapsum accesserunt flammæ libidinis & ἀταξίαι cupiditatum, quæ non quidem ipsius ordinis dignitatem & sanctitatem labefactant, interim generationis opus in conjugibus commaculant. Hanc cupiditatum ἀταξίαν ethnici non agnoscunt esse peccatum, sed pro naturalibus inclinationibus habent; in sola vero ecclesia interior illa peccati labes & immundities peccati adcusatur. Pari ratione ethnici ex ipsa quotidiana praxi agnoscunt, vitam conjugalem multis ærumnis ac molestiis esse obnoxiam, sed veras illarum causas & solidas consolationes iis opponendas neutiquam adsequuntur; in sola vero ecclesia explicantur causæ illarum miseriarum, quod scilicet propter lapsum protoplastorum conjugibus illæ sint impositæ, Gen. III. 16. quod-

que pios conjuges *conformes* reddant *imagini Christi*, Rom. VIII. 29. & sint exercitia fidei, patientiæ, invocationis, humilitatis, &c. Traduntur etiam fundamenta veræ & solidæ consolationis, difficultatibus & ærumnis istis conjugalibus opponendæ, quod Deus piis conjugibus præsens adsit, ac ærumnas omnes velit mitigare, aquam tribulationis convertendo in vinum exsultationis, Joh. II. 9. &c. quo referri potest illud Clementis Alexand. lib. I. strom. ἡ πίστις κρίτις ἔυλογ☞; fides christiana de omnibus rebus recte judicat & sentit.

Ejusdem tradendae necessitas.

§. VII. Ipsa proinde *necessitas* requirit, ut cum aliis fidei christianæ articulis etiam doctrina de conjugio in ecclesia tractetur & explicetur, monstratis veris & solidis orthodoxæ sententiæ fundamentis, ac refutatis contrariarum opinionum & errorum somniis. Cumprimis vero non solum jurisconsultis & politicis, sed etiam theologis & ecclesiæ ministris incumbit, ut doctrinam istam sedula & operosa diligentia sibi notam faciant, ut ad causarum matrimonialium dijudicationem adhibiti in dubiis & controversis casibus vera fundamenta ex verbo Dei ostendere, & conscientiis recte consulere possint. Quamvis enim non possumus probare παποκαισαρίαν, hoc est, perversam illam pontificiorum opinionem ac praxin, qua in *excessu* hic peccant, quando *causas matrimoniales ad ecclesiæ, hoc est, pontificis & episcoporum judicium unice ac simpliciter, vel certe ad politicum magistratum non aliter, nisi cum subordinatione ad principem ecclesiasticum pertinere contendunt*, concilium Trident. sess. XXIV. can. 12. Bellarminus de matrim. cap. 32. quæ opinio nititur falsa illa hypothesi, quod conjugium sit sacramentum, quodque pontifici competat potestas ferendi leges universam ecclesiam obligantes, & dispensandi in gradibus divino jure prohibitis; tamen nec καισαροπαπίαν illam adprobare possumus, qua magistratus politicus excluso ministerio ecclesiastico causarum matrimonialium cognitionem & decisionem unice sibi vindicat. Quod enim ecclesiæ ministri ad causas matrimoniales dijudicandas etiam adhibendi sint, probamus 1.) Ex *conjugii natura*. Conjugium, quamvis non sit sacramentum proprie dictum, tamen est vitæ status divinitus ordinatus, ac proinde *res conscientiæ* ex divina institutione & legibus divinitus promulgatis pendens, quare ministri ecclesiæ, utpote quibus animarum ac conscientiarum cura est commissa, a causarum matrimonialium dijudicatione non possunt simpliciter removeri. 2.) Ex *scriptura, doctrinæ hujus norma*. Quæcunque in sacra scriptura docentur & proponuntur, eorum explicatio præcipue ad theologos & ecclesiæ ministros pertinet. Jam vero doctrina de institutione & legibus conjugii, de prohibitione graduum, divortiis, de polygamia, &c. in sacra scriptura proponitur. Ergo illius explicatio & ex ea dependens causarum matrimonialium dijudicatio præcipue ad theologos & ecclesiæ ministros pertinet. 3.) Ex *praxi christiana & apostolica*. Christus Matth. V. 31. & 32. doctrinam de causa divortii exposuit, & cum Matth. XIX. 3. pharisæi quæstionem matrimonialem ad eum deferrent, non rejecit eam a se ad magistratum, sicut de hæreditatis divisione consultus Luc. XII. 14. respondebat; *Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* sed solidam ejus explicationem ex verbis divinæ institutionis proposuit. Paulus 1 Cor. VII. 10. & seqq. quæstionem de matrimonio inter fidelem & infidelem pertractavit. In primitiva ecclesia pii episcopi in casibus matrimonialibus consulti suam ex verbo Dei interposuerunt sententiam, &c. Vide Ambrosium lib. VIII. epist. 66. Christianus ergo magistratus constituat ecclesiasticum consistorium, in quo & ecclesiasticæ & politicæ personæ præsideant, ut & conscientiæ per theologos, & quæstionibus civilibus per jurisconsultos satisfieri possit, qua de re in quæstione de causarum matrimonialium judice sub finem hujus tractatus plenius differemus. Hisce προλεγομένων loco præmissis ad ipsam articuli hujus ἐργασίαν pertractandam accessum facimus.

CA-

CAPUT I.

DE ONOMATOLOGIA CONJVGII.

§. VIII. Cum ex cognitione vocabulorum ad ipsius rei cognitionem provehamur, quo respectu ὀνόματα quasi τῶν ὄντων νοήματα dicta a quibusdam judicantur; ideo juxta consuetum nostrum ordinem ab ὀνοματολογία articuli hujus explicationem ordiemur, ad quam cum 1.) ἐτυμολογία, 2.) ὁμωνυμία, 3.) συνωνυμία pertineant, de singulis breviter disseremus. I.) Ἐτυμολογία. Conjugium hebræis dicitur חתונה desponsatio, nuptiæ, adfinitas. Cant III. 11. a radice חָתַן *desponsare*, *conjugio jungi*, *adfinitatem contrahere*; usurpatur tantum in quarta conjugatione. Gen. XXXIV. 9. התחתנו *connubia nobiscum jungite*, *adfinitatem nobiscum contrahite*, *date nobis filias vestras*, & *filias nostras accipite vobis*. Jos. XXIII. 12. *Si adhæseritis reliquis gentibus*, יתחתנתם, & *adfinitatem per conjugia cum illis contraxeritis*; ubi propria hujus verbi significatio pulcherrime explicatur: חתן enim dicitur *sponsus* respectu sponsæ, per septem nuptiarum dies, Esaj. LXII. 4. *gener* respectu parentum sponsæ post nuptias, Gen. XIX. 14. *adfinis* respectu cognatorum sponsæ. 2 Reg. VIII. 27. Ab hoc hebræo vocabulo videtur descendere germanicum *Gatten*, *Ehegatten*. Græcorum γάμος, Phavorino teste, a quibusdam deducitur ex verbo γεννᾶν, quia usus conjugii liberorum generationem respicit, quæ etymologia est remotior, ipse vero dici putat γάμος παρὰ τὸ δαμῶ καὶ δαμάζω, ὅταν καὶ τὰς παρθένους ὄμηρος ἀδαμάστες λέγει. Eustathius γάμον deducit παρὰ τὸ δεδμῆσθαι ἀλλήλοις τὰς συζύγες, quod sint indissolubili vinculo invicem devincti, qui matrimonium contrahunt, unde Græci γάμον definiunt hoc modo, quod sit συζυγία ἢ συνοίκησις ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς νομίμως πρὸς τὴν παιδοποιίαν. Alludit ad hanc etymologiam latinum *conjugium*, quod maritus & uxor communi quodam jugo inter se copulantur; *conjuges sunt quasi ejusdem jugi partes*, inquit s. Festus libr. IX. orig Quidam simpliciter a conjunctione deducunt. Sed prior etymologia præferenda, dicitur enim *conjugium*, non *connjugium*, quamvis veteres indifferenter scripserint *conjunx* & *conjux*, uti Priscianus meminit.

I.) Ἐτυμολογία. חתונה

Conjugium.

§. XI. II.) Ὁμωνυμία. Γάμος significat 1.) *conjugium ipsum* Heb. XIII. 4. unde γαμεῖσθαι, uxorem ducere, ἄγαμος, qui non duxit uxorem. 2.) *Convivium nuptiale*, solennitatem ac festivitatem, quæ institui consuevit, quando sponsa ad sponsum introducitur, quo modo accipitur Gen. XXIX. 22. Esth. II. 18. Tob. VIII. 1. Joh. II. 1. In scriptoribus ecclesiasticis quadruplices statuuntur nuptiæ: 1.) *corporales* inter maritum & uxorem, Gen. II. 24. quidam eas vocant *carnales*, ubi vox carnis non accipienda eo modo, quo Gal. V. 17. & Rom. VIII. 8. sed ratio adpellationis ducta est ex primæva institutione & legibus conjugii, Genes. II. 24. *erunt duo* לְבָשָׂר אֶחָד, *in carnem unam*, εἰς σάρκα μίαν, *vel una caro*, Matth. XIX. 4. 2.) *Sacramentales inter* Christum & ecclesiam, quæ sæpius adpellatur Christi sponsa: 2 Cor. XI. vers. 2. *Desponsi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Eph. V. 32. *Mysterium hoc magnum; dico autem in Christo & ecclesia*. 3.) *Spirituales* inter Deum & animam fidelem: 1 Cor. VI. 17. *Qui Domino adhæret, est unus spiritus*. Canonistæ spirituales illas nuptias per monastices professionem contrahi absurde censent, qua de re suo loco. 4.) *Personales* inter λόγον & adsumtam humanam naturam, quo referunt illud Cantic. III. 11. *Egredimini filiæ Sion & videte regem Salomonem in corona, qua coronavit eum mater ejus in die desponsationis suæ*,

II.) Ὁμωνυμία. Γάμος

Nuptiæ quadruplices.

ſuæ, & in die lætitiæ cordis ſui; ut & parabolam Matth. XXII. 2. *Simile factum eſt regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Huc pertinet illud Alberti Magni in c. XII. Luc. *Nuptiæ ſunt triplices, in natura, in gratia & in gloria.* Ut in nuptiis hujus ſeculi maritus & uxor fiunt una caro, ſic ex divina & humana natura in Chriſto conſtituitur una perſona. Ut conjugii vinculum inter maritum & uxorem eſt arctiſſimum, & in hac vita indiſſolubile: ſic divina & humana natura in Chriſto arctiſſime & ἀδιαλύτως ſunt unitæ, & quidem longe arctiori vinculo, quam eſt matrimoniale, cum nec ipſa mors illud potuerit disrumpere. Ut ſponſa honoris ac bonorum ſponſi fit particeps: ſic adſumta humana natura divinæ gloriæ ac divinorum idiomatum vere particeps eſt facta. Ut nuptiis quandoque fœdera firmantur, bella dirimuntur & inimici reconciliantur, ſic ob perſonales illas inter λόγον & adſumtam carnem reconciliatio fuit facta inter Deum & genus humanum. §.) Canoniſtæ addunt nuptias *eccleſiaſticas* inter epiſcopum & eccleſiam, quæ vocatur ipſius ſponſa, c. quanto c. licet. de translat. epiſcopi, quo adcommodant dictum apoſtolicum, 1 Tim. III. 2. *Epiſcopum oportet eſſe unius uxoris maritum*, id eſt, unius eccleſiæ epiſcopum, ſed nos a Johanne Baptiſta didicimus, ſolum Chriſtum eſſe eccleſiæ ſponſum Joh. III. 29. Ad homonymiam etiam referri poteſt diſtinctio inter *conjugium legitimum, ſive licitum*, & *illegitimum, ſive illicitum.* Conjugium legitimum ac licitum eſt, quod juxta leges matrimoniales juſte & legitime eſt initum. Conjugium illegitimum ac illicitum eſt, quod contra leges matrimoniales initum, quando contra materiam vel formam conjugii peccatur. Hoc loco de legitimo conjugio agitur, quia illegitimum ſolo nomine eſt conjugium. Pontificii diſtinguunt inter *matrimonium putativum*, *legitimum* & *ratificatum*, quod vocant ſacramentum, quod poſtremum ſubdividunt *in initiatum, contractum* & *conſummatum*, de quibus diviſionibus inferius ſuo loco tractabitur.

§. X. III.) Συνωνυμία. Cum Hæbræorum חתנות cognationem habet arabicum חטבה *deſponſatio*, *conjugium*, a radice חטב deſponſavit. Matth. I. 16. Rabbini conjugium vocant יחוד a radice chaldaico יחד *jugavit*, *matrimonio copulavit*, unde יחד Ζυγὸς, *jugum*, *junctura*, *par duarum rerum æqualium.* Verbum ipſum in tertia conjugatione poſitum occurrit in Targum, Pſ. XXXVII. 1. LXVIII. 7. & in ſyriaca paraphraſi Matth. XIX. 6 XXII. 30. 1 Cor. VII. 9. Uſitatum etiam rabbinis eſt verbum נָשָׂא, *uxorem duxit*, a nomine plurali נָשִׁים *mulieres*, ex LXX. verſione Gen. II. 24. & verbis Chriſti Matth. XIX. 5. Conjugium dici poteſt προσκόλλησις, *adglutinatio*, ſive conglutinatio maris ac fœminæ legitima in carnem unam. Latinis conjugium etiam vocatur 1) *matrimonium*, quod Vaconius lib. I. declar. 6. feſtive potius, quam vere dictum putat, quaſi *matrem omnium*; quidam referente Cypræo part. II. de jure connub. cap. 1. §. 1. num. 7. quaſi *matris onus*, quod mater plus oneris ſuſtineat in matrimonio, quam pater: alii ex eo, quod *mater* ſit certiſſima prolis *autor*, l. 5. ff. de in jus vocando. Gregorius in c. ult. x. de converſ. infid putat, *datum hoc eſſe laboribus, quos in partu mulieres ferunt, ut ab illis potius, quam a viris conjunctio eorum nomen accipiat.* Sed concinnior eſt Gellii etymologia libr. XVIII. cap. 6. a fine conjugii petita, a *matris* ſcilicet *nomine non adepto jam, ſed cum ſpe & omine adipiſcendi*, quam etiam probat Auguſtinus lib. XIX. contra Fauſtum cap. 26. poſt med. *Matrimonium*, inquit, *ex hoc adpellatum eſt, quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quam ut mater fiat.* Abſurdas ſcholaſticorum derivationes & expoſitiones vide apud Meiſnerum part. II. phil. ſobr ſect. 1. cap. 1. quæſt. 22. *Quidam* (inquit) *dictum putant matrimonium, quaſi materiam μόνα, quia vir & uxor ſunt una materia prolis, quidam quaſi ſit matris νόμος, vel lex, quidam a matre & monendo, quidam quaſi matris munium*

ſeu

seu officium, quam postremam etymologiam adprobat Petr. Faber II. semestr. 23. pag. 350. 2.) *Nuptiæ*. Quamvis enim Hotomannus de cast. nupt. part. IV. pag. 181. inter matrimonium & nuptias hanc constituat differentiam, quod *matrimonium sit conventio inter virum & uxorem de perpetua vitæ societate, nuptiæ vero celebratio matrimonii certo ritu pro variis cujusque civitatis legibus institutæ;* res ipsa tamen ostendit nuptiarum adpellationem ipsi matrimonio sæpius tribui, c. Nuptiarum 27. q. 1. l. Nuptiæ. 1. ff. de rit. nupt. quod ex vulgata illa regula constat: *Nuptias non concubitus, sed consensus facit*, unde etiam Hotomannus dicit, *nomina matrimonii & nuptiarum in legibus & jure civili promiscue usurpari.* Albertus Gentil. libr. II. de nupt. cap. III. tripliciter vocem accipi monet; *a* pro *conjunctione animorum*: *b*) pro *solennibus*: *c*) pro *conjunctione corporum.* Dicuntur nuptiæ a *nubendo*, seu *tegendo*, Varro libr. IV. de ling. lat p. 18. Ambrosius lib. I. de Abraham c. IX. circa fin. *Nuptiæ inde dictæ, quod pudoris gratia puellæ se obnuberent.* Ut enim nubes (a nubendo ob id dicta) cœlum obnubit & tegit, sic virgines sponsis adductæ pudoris gratia sese flammeo, quod erat lutei coloris, velabant, Genes. XXIV. 65. *Rebecca videns Isaacum, sponsum suum, accipit* הַצָּעִיף, *velamentum & operit se.* Confer Gen. XX. 16. Vide Barnabam Brissonium de rit. nuptiar. pag. 29. ac viris elocatæ capite nupto, sive velato incedebant in signum subjectionis erga maritum. Cor. XI. 10. *Mulier debet habere ἐξουσίαν*, potestatem *super caput*, hoc est, *velamen*, quo testatur, se esse sub viri potestate. Tertullianus lib. de vel. virg. *Etiam* (apud ethnicos) *velatæ ad virum ducuntur sponsæ.* c. Fœminæ. 30. q. 5. *Fœminæ dum maritantur, ideo velantur, ut se noverint semper maritis suis subditas esse & humiles*, c. Mulier. 33. q. 5. *Mulier debet velare caput, ut viro ostendatur subjecta.* Quidam addunt alias hujus etymologiæ rationes, quia honestas nuptiarum quasi nubes cooperiat turpitudinem corruptæ naturæ, & instar nubis ab ardore libidinis nos innoxios reddit. Cypræus libr. II. de jure connub. c. I. §. I. num. 2. hanc vulgatam etymologiam repudiat argumento eo, quod *non sit verisimile, ab his ceremoniis sponsæ, scilicet vestibus, rei tam late patenti nomen esse inditum;* existimat autem ex Hebræo נוּב *germinavit, fructificavit*, orginem esse quærendam, ut finis matrimonii præcipuus, liberorum scilicet procreatio indicetur. Esaj. XXVII. 6. *implebunt superficiem orbis* תְּנוּבָה, *germine sive fructu*, Targum בְּנֵי בְנַיָּא *filiis filiorum;* quæ allusiva etymologia, licet videatur remotior, si alicui probatur, poterit cum priore, quæ propinquior est, ita conjungi, ut nomen nuptiarum pro solennitate acceptum a nubendo, pro matrimonio ipso usurpatum, ab hebræa illa radice allusionis causa deducatur. Quidam nuptiarum nomen deducunt a *νύμφη*. Hotomannus de rit. nupt. c. XV. sed frustra quæritur e longinquo græca nominis latini etymologia, cum obvia sit latina. 3.) *Connubium* ex eo dictum, quod conjuges simul nubunt c. Connubia XXXII. q. 2. ac ob id una domo & toro, adeoque individua vitæ consuetudine, velut communi quodam velo obducti ætatem simul agunt. 4.) *Contubernium* dicitur proprie matrimonium servorum, de quo in l. cum ancillis cap. de incest. nupt. c. dixit Sara XXXII. q. 4. 5.) *Consortium* l. si donationum. cap. de nupt. Ut ergo a fine dicitur *matrimonium*, quia uxor spe adipiscendi nominis materni per prolis generationem nubit, a materia *conjugium*, quia mas & fœmina sub unum quasi jugum reducuntur, ab adjunctis *nuptiæ & connubium*, quia sponsa velo obnupta sponso adducitur; sic ab effectu dicitur *consortium*, quia scilicet divini ac humani juris communio & individua vitæ societas ex conjugio oritur. Germanicum *Eheſtand* quidam dictum volunt quasi *Ehrſtand*, honoris seu honorificus status: alii quasi *der erſte Stand*, primus status, alii quasi *Einſtand*, *Eenſtand*, cum sit duorum in unam carnem conjunctio: alii ab *achten*, quasi

ein Achtstand, quod sit vitæ genus magnifaciendum, unde forte illud veterum: *Echt und rechtgeboren.* Veteres Germani pacta & leges dixerunt *Ee*, inde vetus testamentum *die alte Ehe*, fortassis igitur propter mutuam pactionem hunc statum vocarunt *die Ehe.*

Periphrases & encomia. §. XI. Ad synonymiam referri possunt *periphrases* & *encomia* conjugii, quæ in ecclesiasticis & profanis scriptoribus occurrunt. Ignatius epist. VI. ad Philipp. pag. 35. edit. Ant. vocat *legitimam commixtionem*, ἐάν τις φθορὰν καὶ μολυσμὸν καλῇ τὴν νόμιμον μίξιν καὶ τὴν τῶν παίδων γένεσιν ὁ τοιοῦτος ἔνοικον ἔχει τὸν δρακόντα τὸν ἀποςάτην. Amphilochius in sermon de occurs. Dom. *Honorandum matrimonium superat omne donum terrenum, quippe cum sit arbor fructuosa, cum sit elegans planta, cum sit radix virginitatis, cum more agricolæ excolat ratione præditos ramos animatos, cum ejus benedictio mundi incrementum sit, cum genus consoletur, cum homines efficiat, cum divinam imaginem quasi pictor effingat, cum Dominum habeat, qui ei benedicat, cum totum mundum ferre valeat.* Conjugium est fons humanæ vitæ, unde Theophylactus in V. Ephes. *Vita nostra per conjugia continetur*, id quod Musonius apud Stobæum sic exprimit: *Quisquis homines nuptiis privat, is abolet familiam, civitatem, & totum genus humanum, quod absque generatione permanere non potest.* Stigelius:

Conjugium humanum divinæ academia vitæ est,
In qua nemo satis se didicisse putet.

Philosophus conjugium vocat *elementum reipublicæ.* Stobæus serm. LXV. ex veteribus has adducit sententias: Ταμεῖον ἀρετῆς ἐςι γενναῖα γυνὴ. Ἄειςον ἂν δεικτῆμα συμπαθὴς γυνὴ. Plato lib. VI. de legib. de fine & usu conjugii pulcerrime dicit: χρὴ τῆς ἀειγεννοῦς φύσεως ἀντέχεσθαι, καὶ παῖδας παίδων καταλείποντι ἀεὶ τῷ θεῷ ὑπηρέτας ἀνθ' αὐτοῦ παραδιδόναι. *Naturæ perpetuitatem promovere oportet & filios filiorum relinquendo semper Deo ministros pro seipso tradere.* Item: γεννῶντας καὶ ἐκτρέφοντας παῖδας καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντας ἄλλοις ἐξ ἄλλων. *Gignere debemus & educare liberos, vitam ceu lampadem aliis post alios tradendo.* Pythagoras matrimonium vocat *sacrum*, & apud Quintilianum nomina mariti & uxoris adpellantur *sacra.* Cælius Rhodiginius lib. XV. antiq. cap. XXIII. &c. Plura in hanc sententiam inferius adducemus, quando de fine conjugii instituetur dissertatio.

Capvt II.
AN SIT CONIVGIVM?

§. XII.

An sit conjugium? Esse Conjugium probat, 1.) *Divina institutio*, Genes. II. tradita & in nov. test. Matth. XIX. repetita. 2.) *Ordinis hujus conservatio* contra satanæ furores & inter vagas mundi libidines. 3.) *Legum matrimonialium promulgatio*, facta tum a Deo ipso immediate, Genes. II. Levit. XVIII. tum a magistratibus mediate, per quas dignitas hujus ordinis adseritur, & reverentia sanguinis custoditur. 4.) *Naturalis legis dictatio.* Omnium omnino hominum cordibus naturaliter insita est illa notitia, quod Deus vagas libidines detestetur ac puniat, unde etiam gentiles ex naturæ lumine quodammodo cognoverunt, per conjugium, sive individuam vitæ societatem, non per adulteria ac vagas libidines generis humani propagationem esse quærendam, quamvis multi ex illis ἀπηλγηκότες lucem illam insitam opprimentes, ac propriæ conscientiæ cogitationes adcusantes, nihil quidquam curantes, sed callo quasi obducto prorsus negligentes, *se ipsos tradi-*

tradiderint impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ. Eph. IV. 19.

An conjugium sit ineundum?

§. XIII. Ad hunc locum referri poſſet quæſtio: *An conjugium ſit ineundum?* In ſcriptis gentilium multæ occurrunt dehortationes a conjugio, petitæ ex moleſtiis & difficultatibus, quæ illud vitæ genus comitantur, ex moribus fœminarum, ex ſpecie ſervitutis, in quam maritus ſe coniiciat, &c. Bias apud Gellium dicit lib. V. cap. XI. εἰ καλὴν, ἕξεις κοινὴν, εἰ δὲ αἰσχρὰν, ἕξεις ποινὴν. *Si pulcram duxeris, habebis communem; ſi deformem, habebis pœnam.* B. Lutherus in libr. de cauſis matrimon. tom. II Jenenſ. german. p. 157. recitat dicterium ethnicorum: *Si ſapientia ipſa eſſet fœmina, non tamen cum ea ineundum matrimonium.* Diogenes ab omni ætate removebat conjugium: *Iuveni enim nondum ducendam eſſe uxorem, ſeni vero nunquam*, quod græce melius ſonat: Μηδέποτε τῷ νέῳ, τῷ δὲ γέροντι μηδὲ πώποτε. Lipſius cent. I. epiſt. 31. In vitis philoſophorum cap. LXVIII. de Theophraſto memoratur, quod ſtatuerit, ſapienti non eſſe uxorem ducendam, hiſce uſus argumentis: *Primum impediuntur ſtudia philoſophiæ, nec poteſt quiſquam libris & uxori inſervire. Multa ſunt, quæ matronarum uſibus neceſſaria, pretioſæ veſtes, aurum, gemmæ, ſumtus, ancillæ, ſupellectilia varia, lecticæ & exedræ deauratæ, deinde per totas noctes garrulæ audiuntur quæſtiones: illa ornatior procedit in publicum; hæc honoratur ab omnibus; ego in conventu fœminarum miſella deſpicior; cur adſpiciebas vicinam? quid cum ancilla loquebaris? alterius amorem ſuum odium ſuſpicatur. Pauperem alere difficile eſt, divitem ferre tormentum. Adde quod nulla uxoris electio, ſed qualiscunque venerit, eſt habenda. Si iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſuperba, quodcunque vitium eſt, poſt nuptias diſcimus. Si totam domum commiſeris ei regendam, ſervitus eſt. ſi aliquid tuo reſervaveris arbitrio, fidem ſibi non haberi putabit, & in odium vertetur &c.* Vide plura in hanc ſententiam apud Nevizanum in ſylv. nupt. lib. I. ſub capite: non eſt nubendum: Petrarcham in libr. de vita ſolit. circa fin. Pontificii ſub ſpecie ſanctitatis totum ordinem clericorum, qui in *majoribus* (ut vocant) *ordinibus* conſtituti ſunt, a matrimonio arcent, ut in tractatione de miniſterio eccleſiaſtico vidimus, ac cœlibatum tanquam *ſtatum perfectionis, ſatisfactionem peccatorum & meritum regni cœlorum* conjugio præferunt, qua de re quid ſtatuendum ſit, inferius in quæſtione: an & quatenus cœlibatus conjugio præferendus ſit? diſpiciemus. Qui non ſunt peculiari continentiæ dono inſtructi, ſeque extra conjugium non poſſe caſte vivere ſentiunt, illi proponant ſibi 1.) *divinam ſanctionem: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem ſuam, &c.* 2.) *Paternam* Dei *promiſſionem* de mitigatione ærumnarum & gratioſa præſentia piis conjugibus datam. 3.) *Humanæ infirmitatis conſiderationem.* Diabolus ad libidines perpetuo homines inſtigat, ac in hac effœta mundi ſenecta natura humana imbecillior poſt lapſum minus reſiſtere poteſt flammis libidinum, niſi id fiat per conjugium. 4.) *Naturæ inclinationem.* In ipſa creatione inſita eſt humanæ naturæ inclinatio ſexus ad ſexum, quam ſolus Deus peculiari continentiæ dono in quibuſdam ita exſtinguit, ut pie & caſte citra conſcientiæ vulnus extra conjugium vivere poſſint; qui eo dono carent, & ad annos maturitatis pervenerunt, ſequantur communem divinæ ſanctionis regulam 5.) *Conjugalis vitæ conditionem*, maximam ſcilicet ejus dignitatem, utilitatem. Qui in conjugio vivit, is velut divinus homo ſpeciem humanam generatione propagat, gratus naturæ reddit, quod mutuo accepit, ac ſæpe cum fœnore, & tanquam verus ſculptor imaginem ſui ipſius expreſſam in liberis relinquit, in vita caram ſocietatem & fidam rerum cuſtodiam ſibi comparat, &c. Carerius libr. I. de ſponſ. cap. I.

CAPVT III.
QVID SIT CONIVGIVM?

§. XIV.

An conjugium sit sacramentum?

Plenam & integram conjugii *definitionem* adducemus sub finem hujus articuli, cum definitio sit velut συμπέρασμα & conclusio, breviter omnia, quæ ad naturam & essentiam definiti pertinent, complectens. Hoc loco illam duntaxat quæstionem tractabimus, quæ movetur de genere in definitione conjugii, *an scilicet sit sacramentum?* Pontificii adfirmant, sic enim decernit concilium Trident. sess. XXIV. can. 1. *Si quis dixerit, matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in ecclesiam invectum, neque gratiam conferre, anathema sit;* quam sententiam Bellarminus libr. de sacram. matrimon. cap. I. dicit *esse verissimam*, eamque ex sacris literis confirmare nititur. Nos vero illud negamus, cujus nostræ sententiæ rationes antequam proferamus, circa *quæstionis statum* recte formandum notari jubemus:

Quæstionis status.

1.) Non esse quæstionem de generali quadam significatione vocabuli *sacramenti*, an scilicet conjugium possit dici sacramentum generali quodam respectu, quia *est sacræ rei signum*, siquidem concedimus, nomen *sacramenti* in ea significatione conjugio tribui posse. Apologia confess. Wirtenberg. *Quia conjugium est sanctum vitæ genus divinitus institutum & commendatum, libenter ei tribuimus nomen sacramenti.* Sed an sit proprie & adcurate sic dictum sacramentum, modo eo, quo baptismus & eucharistia dicuntur sacramenta? Quod negamus. 2.) Nec quæritur hoc loco de divina conjugii institutione, an scilicet sit ordo vitæ sanctus divinitus institutus, in quo pii conjuges sancti vivere, Deo placere, & vitæ æternæ participes fieri possint? id enim non solum adfirmamus, sed etiam viribus omnibus defendimus. 3.) Nec quæritur, an Deus precibus ex fide profectis invocatus piis conjugibus adesse, iis suam gratiam & benedictionem impertiri velit? id enim ipsimet docemus; sed hoc quæritur, an conjugium sit illud ipsum medium, per quod divinæ gratiæ evangelio propriæ possint ac debeant conjuges participes fieri? Aliud est in conjugio fieri gratiæ participem, aliud per conjugium id fieri. 4.) Neque quæstio est de tempore vet. test. an scilicet in eo conjugium fuerit sacramentum? id quod pontificii nobiscum negant; sed unice quæritur de nov. test. tempore, an in eo conjugium cœperit esse sacramentum? quod pontificii adfirmant, nos vero negamus. Unde Bellarminus dicto loco quæstionem sic format: *cum quærimus, sitne conjugium sacramentum proprie dictum nov. test. id quærimus, utrum conjugium præter civilem contractum viri & fœminæ ad propagandam & educandam prolem institutum, sit etiam signum, seu symbolum externum religionis, cui sit adnexa promissio gratiæ justificantis, idque ex divina institutione.* Respondet adfirmate, quod facit etiam Eccius in homil. pag. 215. in enchirid. p. 70. Costerus enchirid. pag. 137. &c.

§ XV. *Usus hujus quæstionis* est non contemnendus. 1.) Pontificii anathema dicunt omnibus negantibus, conjugium esse proprie dictum nov. test. sacramentum, ut constat ex concilii Trident. decreto. *Videmus* (inquit Bellarminus cap. V. resp. ad 9.) *etiam ante Constantiense & Florentinum concilium pro hæreticis, vel de hæresi suspectos habitos, qui matrimonium e numero sacramentorum eximerent.* Necessarium igitur est dispicere, an sufficientes habeant causas anathematis laqueo propter hanc controversiam innodandi eos, qui id negant. 2.) Pertinet hujus quæstionis ἐργασία ad explicandum verum & proprium genus, adeo-

Ejusdem usus.

adeoque ad naturam & essentiam conjugii pernoscendam, qua perspecta rectius statuere possumus, quid & quantum conjugio sit tribuendum. 3.) Ex hypothesi ea, quod conjugium sit proprie dictum sacramentum, in aliis quæstionibus controversis pontificii contra nostam sententiam argumenta petunt, utpote quod conjugium liberorum citra parentum consensum contractum sit ratum, quod infidelis cum fideli non possit matrimonio jungi, quod per adulterium non solvatur matrimonii vinculum, quod causarum matrimonialium judicium pertineat tantum ad episcopos & præcipue ad pontificem Romanum, qui certos gradus prohibere, & in prohibitis dispensare possit

Argumenta nostræ sententiæ.

§. XVI. His ita præmissis nostræ sententiæ argumenta producimus, quorum primum ac præcipuum petimus ex *requisitorum essentialium sacramenti carentia*. Cui non competunt essentialia sacramenti requisita, illud non est proprie dictum sacramentum. Conjugio non competunt essentialia requisita sacramenti. Ergo conjugium non est sacramentum. *Major* est extra controversiæ aleam posita, cui enim non competunt essentialia rei requisita, ei nec competit essentialis rei definitio, & vicissim, cui non competit essentialis rei definitio, ei nec proprium rei nomen competit. *Minor* probatur ex iis, quæ in articulo de sacramentis §. XI. & seqq. tradita sunt, ubi diximus ex baptismo & cœna, quæ omnium consensu sunt proprie dicta nov. test. sacramenta, recte colligi, quæ sint requisita proprie dicti sacramenti, quam procedendi viam ipse Bellarminus adprobat libr. I. de pœnit. cap. XI. Jam vero ex illis colliguntur octo requisita sacramenti in nov. test. proprie sic dicti, docente Chemnitio part. II. exam. cap. de num sacram. pag. 14. 1.) *Ut habeat externum aliquod materiale, seu corporale & visibile elementum, sive signum, quod certo externo ritu tractetur, exhibeatur & usurpetur.* 2.) *Ut elementum illud, seu signum & certus ejus ritus habeat expressum mandatum divinum, seu institutionem divinam.* 3.) *Ut institutum & mandatum sit in nov. test.* 4.) *Ut non ad tempus institutum sit, sed usque ad consummationem seculi.* 5.) *Requiritur ad sacramentum promissio divina de gratia, effectu, seu fructu sacramenti.* 6.) *Illam promissionem oportet non simpliciter, nude & per se tantum habere testimonium in verbo Dei, sed oportet eam divina ordinatione adnexam esse signo sacramenti, & eo quasi vestitam esse.* 7.) *Promissionem illam non oportet esse de quibusvis donis Dei, sive corporalibus, sive spiritualibus, sed promissionem gratiæ, seu justificationis, hoc est, gratuitæ reconciliationis, remissionis peccatorum, & in summa de toto beneficio redemtionis.* 8.) *Illa promissio in sacramentis non in genere tantum vel significatur, vel adnunciatur, sed virtute Dei offertur, exhibetur, adplicatur & obsignatur etiam singulis, qui fide sacramentis utuntur.* Hæc Chemnitius, quæ contra Bellarmini insultus suo loco defendimus. Videamus, an hæc requisita omnia & singula conjugio conveniant?

I.) Ex requisitorum sacramenti essentialium carentia.

Deest matrimonio:

1.) Elementum externum.

§. XVII. 1.) Omne sacramentum nov. test. proprie sic dictum habet *externum aliquod materiale*, seu *corporale & visibile elementum, seu signum*, quod certo externo ritu tractetur, exhibeatur & usurpetur; in eo enim differt sacramentum a verbo evangelii, quod in verbo offeratur promissio gratiæ absque visibili aliquo signo ac ritu, sed in sacramento offertur certo ritu comprehensa, unde sacramentum vocatur *verbum visibile*. At conjugium non habet tale elementum, sive signum. Ergo. Bellarminus de sacram. matrimon. cap VI. regerit, materiam hujus sacramenti esse personas contrahentes, seu corpora conjugum. *Recte mihi dixisse videtur* (inquit) *Petrus a Soto materiam non solum circa quam, sed etiam ex qua sacramentum matrimonii constat, esse personas contrahentes. Theologi quoque fere omnes satis indicant, corpora conjugum esse mate-*

materiam hujus sacramenti. Resp. 1.) Pontificii non consentiunt in hujus sacramenti materia. Melch. Canus lib. VIII. loc. theol. cap. V. matrimonium dupliciter considerandum esse dicit, *ut est contractus, & ut est sacramentum, personas contrahentes* dicit *esse ministros conjugii, ut est contractus, non autem ut est sacramentum*; existimat igitur elementum seu materiam conjugii esse ritus illos visibiles & externos, qui in ecclesiastica copulatione adhibentur, quales sunt manuum conjunctio, annuli traditio, consensus per verba solennia testificatio, &c. Sed Canum hoc nomine Bellarminus refellit, & nihil interesse statuit inter contractum conjugii christiani ejusque materiam, formam & ministrum; & sacramentum conjugii ejusque materiam, formam & ministrum. Sed Canus pro se respondere posset, in vet. test. eandem fuisse materiam & formam conjugii, quæ est in novo; aut igitur concedendum, quod in vet. etiam test. conjugium fuerit sacramentum, aut statuendum, quod alia sit materia & forma conjugii in nov. test. per quam fiat proprie dictum sacramentum. Posset etiam Canus hoc urgere, quod ministri ecclesiæ in nov. test. sint οἰκονόμοι μυστηρίων θεοῦ, 1 Cor. IV, 1. *dispensatores sacramentorum.* Item, quod is, cui administratur sacramentum, non sit ipse sacramenti minister, hoc est, objectum sacramenti esse a causa instrumentali administra distinguendum, ac proinde absurdum esse, quod Bellarminus hoc loco adserit, *ipsas personas contrahentes esse & materiam, & causam efficientem administram hujus sacramenti.* Præter Cani opinionem sunt duæ aliæ scholasticorum sententiæ de materia hujus sacramenti. Quidam enim statuunt, quod *consensus conjugum verbis expressus, seu verba consensum exprimentia sint materia & forma hujus sacramenti*; quidam, quod *ipsa corpora, seu personæ contrahentium sint materia, verba vero consensum exprimentia sint forma.* Adrianus in lib. IV. sent. dist. 27. *consensum contrahentium esse materiam* hujus sacramenti disputat. Thom. lib. IV. dist. 26, quæst. 2. artic. 2. & canonistæ in c. penult. de sponsi. putant *verba unius conjugis habere rationem materiæ & rationem formæ respectu verborum alterius*; & contra, quibus Carerius lib. II. de matrimon. c. I. recte hoc obvertit, quod in contractibus illud habeat rationem materiæ, circa quod versatur contractus, non autem id, per quod exprimitur contractus. Bellarminus hanc diversitatem sententiarum distinctione quadam conciliare nititur. *Conjugii sacramentum* (inquit) *duobus modis considerari potest, uno modo, dum fit, altero modo, dum permanet, postquam est factum. Priore respectu totam ejus essentiam consistere dicit in signis mutuum consensum exprimentibus, sicque verba conjugum esse materiam & formam sacramenti: posteriore respectu ipsos conjuges simul cohabitantes, seu externam conjugum societatem & conjunctionem esse symbolum materiale externum.* Sed hæc Bellarmini distinctio petit principium, sacramenti enim esse consistit in usu, id est, actione sacramentali a Christo instituta, ideoque non potest duplex ejus materia statui, prior dum fit, posterior dum permanet, postquam est factum. Regula theologica est firmissima, quæ suo loco ex propria institutionis sede demonstratur: *nihil habet rationem sacramenti extra usum a Christo institutum;* ex quo judicari potest, quid de collatione conjugii *cum eucharistia*, quatenus dicitur *ens permanens*, sit statuendum. Quod porro adtinet collationem conjugii cum *contractu emtionis* (in quo tota contractus ratio consistit in mutuo consensu, res autem emta ac vendita est materia circa quam), illa probat quidem totam conjugii, quatenus est contractus, essentiam in verbis consensum exprimentibus consistere; sed nondum probat conjugii, quatenus ex hypothesi Bellarmini est sacramentum, materiam & formam in verbis consensum exprimentibus consistere. Sic ergo concludimus: Nullius sacramenti materia consistit in verbis, sed in externo & visibili elemento. Conjugium ex Bellarmini hypothesi est sacramentum. Ergo materia ejus non quæ-

quærenda in verbis, sed in externo & visibili elemento. 2.) Corpora conjugum non possunt commode statui materia hujus sacramenti, quod sic demonstramus. Omne sacramentum nov. test habet materiam propriam & peculiarem, certo institutionis verbo expressam, juxta Augustini axioma tract. LXXX. in Johan. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Sed personæ contrahentes, seu corpora conjugum non sunt materia propria & peculiaris conjugii, quatenus statuitur nov. test sacramentum, cum in vet. etiam test. conjugium eamdem habuerit materiam 3.) Materia sacramenti, sive elementum & signum externum in sacramentis ita comparatum est, ut sit *visibile*, elevetur ad usum sacramentalem per divinam institutionem, & ordinarie ab ecclesiæ ministro dispensetur. Jam vero personæ contrahentes non sunt tale elementum & signum externum, quia sæpe inter absentes matrimonii sacramentum contrahitur, & sic pars una hujus materiæ est invisibilis; nec probari potest ex scripturis, corpora conjugum, sive personas contrahentes ad usum sacramentalem per divinam institutionem esse evectas, nec sunt omnes ministri ecclesiæ, qui conjugium ineunt, quin imo, qui apud pontificios ineunt conjugium, illi non sunt, nec esse possunt ecclesiæ ministri.

2.) *Divinum mandatum visibili signo, seu elemento sacramentali additum.*

§. XVIII. II.) Omne sacramentum nov. test. proprie sic dictum habet expressum mandatum seu institutionem divinam externo illi ac visibili signo, sive elemento sacramentali additum. Conjugium non habet talem sacramentalem institutionem. Ergo. Non quidem negamus, conjugium habere institutionem divinam, sed negamus habere talem institutionem, qua nov. test. sacramentum fuerit ordinatum, sicque acceperit novum esse sacramentale præter illud esse, quod in vet. test. obtinuit. Christus doctrinam de conjugio Matth. V. & XIX. repetivit & confirmavit, nuspiam vero novum novi testamenti sacramentum illud esse declaravit. Excipit Bellarminus cap. V. *non esse argumentum solidum ab autoritate scripturæ negativa, cum multa sint ab apostolis tradita, quæ non sunt sacris literis mandata.* Resp. 1.) In *genere*, ex scripturæ perfectione, suo loco demonstrata, firmissime concluditur, quod in articulis fidei tum adfirmate, tum negate ex scripturis possimus argumentari. Discipulus de temp. serm. XXIII. *In sacra scriptura locus tenet ab autoritate negative.* Distinguendum igitur inter *dogmatica & historica*, inter *fidei articulos & quæstiones circa fidem*, inter *præcepta morum generalia & liberas ceremonias;* in his quidem ab auctoritate scripturæ negativa non potest duci argumentum, bene autem in illis. Jam vero pontificii hoc dogma suum, quod conjugium sit sacramentum nov. test. proprie sic dictum, referunt inter fidei articulos, unde etiam negantibus anathema dicunt. 2.) In *specie.* Institutio sacramentorum est *opus solius Dei*, quippe qui solus potest effectum supernaturalem per eadem operari. Thomas part. III. q. 64. art. 2. Biel ib. IV. sent. dist. 1. q. 2. art. 3. dub. 2. Ergo proferendæ sunt divinæ institutionis tabulæ, & in verbo quærenda est sacramenti hujus institutio, non in traditionibus dubiis & externis. Si dicere velint, *Christum quidem hoc sacramentum instituisse, apostolos vero extra verbum divinam illam institutionem tradidisse*, principium petunt, & scripturæ perfectionem alibi firmissimis argumentis evictam impugnant Exponant etiam causas, quare evangelistæ institutionem baptismi & eucharistiæ describere, hujus vero sacramenti institutionem prætermittere voluerint?

3.) *Non est nov. test. proprium.*

§. XIX. III.) Omne sacramentum nov. test. est institutum & mandatum in nov. test. adeoque nov. test. proprium. Conjugium non est in novo demum test. institutum, sed etiam in vet. test. locum habuit, Christus tantum docet, hoc vitæ genus Deo probari, non autem novum & peculiare ex eo fabricat sacramentum. Ergo conjugium non est nov. test.

test. sacramentum. Quin imo etiam apud infideles extra ecclesiam conjugium locum habet, ex quo tale nobis nascitur argumentum. Sacramenta proprie sic dicta sunt bona ecclesiæ propria. Conjugium non est bonum ecclesiæ proprium. Ergo. Bellarminus 1.) concedit, *quosdam scriptores pontificios statuere, conjugium non esse sacramentum proprium novæ legis, sed fuisse etiam in lege veteri, & a Christo non tam fuisse institutum, quam confirmatum*, id quod argumentum nostrum confirmat & ostendit, quid de consensu Romanæ ecclesiæ tantopere deprædicato sit statuendum. 2.) Excipit, *matrimonium fuisse ab initio mundi, & nunc etiam esse apud infideles, ut contractum civilem & in officium naturæ; sed non fuisse, nec esse verum sacramentum, nisi apud christianos*, teste Augustino de fid. & bonis operib. cap. VII & de bono conjug. cap. XXIV. inde scholastici & canonistæ distinguunt inter *matrimonium putativum*, quod contrahitur inter personas conjugio copulari prohibitas, *legitimum*, quod secundum leges gentium legitime contractum, non autem in fide Christi, & *ratificatum* ab ecclesia, quod inter Christi fideles contrahitur, & est sacramentum; unde porro infert Bellarminus, *falsum esse, quod Lutherus statuat, matrimonium esse æque sanctum apud fideles & infideles.* Resp. 1.) Principium petit Bellarminus distinguendo inter conjugium, ut est officium naturæ & sacramentum, de eo enim quæritur, an sit sacramentum? 2.) Augustinus nomine *sacramenti* generaliter utitur pro *quovis sacræ rei signo*, non conferente & obsignante, quale est sacramentum proprie dictum, sed significante & adumbrante. *In ecclesia*, inquit lib. de fide & operib. cap. VII. *nuptiarum non solum vinculum, verum etiam sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere.* De bon. conjug. cap. XVIII. *Prohibitionem divortiorum vulgarium* dicit esse *sacramentum indissolubilis conjunctionis Christi & ecclesiæ, sicut olim permissio eorumdem divortiorum significavit collectionem, seu adunationem, variarum gentium ad ecclesiam.* 3.) Aliud est loqui de *sanctitate ordinationis divinæ.* Infideles extra ecclesiam & conjuges impii in ecclesia non sunt sancti, nec Deo placent, si loquamur de sanctitate personæ, quia destituuntur fide in Christum, inter ipsum conjugium, in quo vivunt, est & manet sancta Dei ordinatio. Sic magistratus est sanctum officium, nec tamen omnes, qui illud gerunt, sunt sancti. Plura requiruntur, ut persona sit sancta & Deo placens, quam ut in statu a Deo ordinato & sancto vivat. 4.) Lutherus non dicit *matrimonia infidelium æque esse sancta ac fidelium*, quod Bellarminus ipsi tribuit, *sed æque vera.* Sic enim loquitur in lib. de capt. Babyl. cap. de matrim. tom. II. lat. pag. 279. *Cum matrimonium fuerit ab initio mundi, & apud infideles adhuc permaneat, nullæ subsunt rationes, ut sacramentum novæ legis & solius ecclesiæ possit dici. Non minus enim erant matrimonia patrum sancta, quam nostra, nec minus vera infidelium, quam fidelium, nec tamen in eis ponunt sacramentum.* 5.) Nec potest Bellarminus hoc nomine jure taxare Lutherum, cum ipse c. III. §. X. scribit, *matrimonia gentilium esse vera, legitima & largo modo sacramenta.* Quin imo Innocentius pontifex c. gaudemus de divort. infidelium matrimonium vocat *sacramentum.* 6.) Sanctitas conjugio tribuitur duplici sensu, vel quod sit medium, per quod donum sanctificationis fide in Christum justificatis confertur, vel quod sit signum indissolubilis conjunctionis. Priore sensu negamus in conjugio esse sanctitatem, id est, negamus, conjugium esse medium divinitus institutum, per quod donum sanctificationis conferatur; hunc enim finem nec in ecclesia, nec extra ecclesiam obtinet. Posteriore sensu concedimus, in conjugio esse sanctitatem, id est, concedimus, conjugium esse signum infallibilis conjunctionis inter Christum & ecclesiam, quem finem in sola quidem ecclesia ratione revelationis in verbo factæ obtinet, sed ex eo nondum efficitur, quod sit sacramentum nov. test.

pro-

proprie sic dictum: Semper igitur contra Bellarminum hoc urgemus: Si conjugium est nov. test. sacramentum, utique in nov. test. sacramentalis ejusdem institutio monstranda. Id vero cum fieri nequeat, ideo non potest pro sacramento nov. test. proprie sic dicto agnosci. Repetitionem & confirmationem primævæ institutionis conjugii in nov. test. a Christo factam legimus, sed sacramentalem institutionem nusquam legimus. Leo Papa in epist. 92. (in aliis est epist. 70.) ad rustic. Narbon. *Societas nuptiarum ab initio ita constituta fuit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & ecclesiæ sacramentum.* Bellarminus explicat *ab initio prædicationis Christi, sive institutionis in nov. test. factæ*, sed Leo seipsum clarissime interpretatur, dicit enim paulo ante, *multo prius, quam initium Romani juris extiterit*, hoc est, ab ipso mundi exordio.

Num in vet. etiam test. conjugium fuerit sacramentum?

§. XX. Viderunt hoc Alphonsus a Castro lib. XI. contra hæreses, verbo nuptiæ, hæres. 3. Petrus a Soto lect. 2. de matrimonio & alii pontificii, unde in eam potius abire voluerunt sententiam, *quod matrimonium non in nov. demum test. coeperit esse sacramentum, sed jam inde a primæva institutione tale fuerit*, quo etiam pertinet, quod Lombardus scribit 4. sent. dist. 26. lit. A. *Cum alia sacramenta post peccatum & propter peccatum exordium sumpserint, matrimonii sacramentum etiam ante peccatum legitur a Domino institutum, non tamen ad remedium, sed ad officium.* lit. B. *Conjugii institutio duplex est. Una ante peccatum ad officium, quæ facta est in paradiso, ubi esset thorus immaculatus & nuptiæ honorabiles, &c. altera post peccatum ad remedium facta extra paradisum propter illicitum motum devitandum. Prima ut natura multiplicaretur. Secunda, ut natura exciperetur & vitium cohiberetur.* Bellarminus illis opponit 1.) *auctoritatem concilii Tridentini & Florentini*, quæ sacramentum matrimonii a Christo in nov. test. institutum esse tradant, ac sententiam quorundam scholasticorum conciliis illis conformem; sed ex verbo Dei monstranda erat sacramentalis conjugii in nov. test. institutio 2.) *manifestam rationem. Si matrimonium fuisset sacramentum ante Christi adventum, vel fuisset institutum in statu innocentiæ, vel postea. Non in statu innocentiæ, quia tunc nulla fuit necessitas gratiæ sacramentalis, cum nulla esset concupiscentia, vel difficultas, neque ullo remedio contra peccatum opus esset. In statu autem naturæ corruptæ non legitur ulla institutio matrimonii facta in toto veteri testam. sed tantum restrictio quædam quoad personas contrahentes. Præterea in vet. test. permissione Dei licita erant polygamia & repudium, quæ duo pugnant cum ratione signi, & ideo tunc ne signum quidem erat matrimonium, neque eo tempore gratia tam necessaria in matrimonio, quam nostro tempore est, cum facile potuerint homines illius temporis vel multitudine uxorum, vel libello repudii occurrere illis difficultatibus, ob quas nostro tempore gratiam requiri dicimus. Et quamvis eo tempore tenerentur hebræi instituere filios in fide & religione Dei, tamen hic finis erat extrinsecus matrimonio piorum in vet. test. intrinsecus autem est matrimonio christianorum.* Resp. 1.) Unam tantum conjugii institutionem novimus Gen. II. descriptam, quæ post lapsum & in nov. test. fuit duntaxat repetita. Quod si ergo in prima conjugii institutione nihil inveniri potest, quod probet, illud esse sacramentum proprie sic dictum, utique nec in repetitione & confirmatione institutionis post lapsum facta tale quid occurret. 2.) In statu innocentiæ non habent locum sacramenta proprie & adcurate sic dicta, ut suo loco demonstratum. Conjugium institutum est in statu innocentiæ. Ergo non est sacramentum proprie & adcurate sic dictum. 3.) Quo argumento Bellarminus probat, conjugium non fuisse sacramentum in vet. test. eodem argumento probare possumus, quod non sit sacramentum nov. test. Non fuisse sacramentum in vet. test. ante Christi adventum probat ex eo, quod *non legatur ulla matrimonii institutio facta*

in vet. teſt. ſed tantum reſtrictio quædam *quoad perſonas contrahentes:* eodem argumento probare poſſumus, conjugium non eſſe ſacramentum nov. teſt. quia non legitur nova inſtitutio in nov. teſt. ſed tantum repetitio & confirmatio inſtitutionis. Matth. V. & XIX. 4.) Eſſentia & natura rei æſtimanda eſt ex cauſis internis materia & forma. Ubi cauſæ internæ ſunt eædem, ibi etiam res ſpecie eadem cenſenda. Jam vero ex hypotheſi Bellarmini conjugii in vet. teſt. & conjugii in nov. teſt. cauſæ internæ ſunt eædem, materia utrobique ſunt corpora conjugum ſeu perſonæ contrahentes; forma utrobique ſunt ſigna mutuum conſenſum exprimentia. Ergo eadem erit eſſentia & natura conjugii in vet. ac nov. teſt. Finis aliquis externus & acceſſorius non mutat rei ipſius eſſentiam. 5.) Bellarminus ſumit tanquam conceſſum, quod eſt adhuc controverſum, Dei ſcilicet permiſſione & adprobatione polygamiam in vet. teſt. fuiſſe licitam, cum plurimi ſtatuant fuiſſe duntaxat toleratam, qua de re ſuo loco plenius. 6.) De libello repudii expendimus dictum ſalvatoris Matth. XIX. 8. *Moſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic*, ſanctio ergo illa politica ac permiſſio ad evitandum majus incommodum introducta nihil derogat divinæ inſtitutioni. 7.) Apud multas gentes nec polygamia, nec libellus repudii in uſu fuit, num ergo & illis gratia quædam ſacramentalis fuit neceſſaria? num & illis conjugium fuit ſacramentum? 8.) Et quid hoc eſt, quod Bellarminus adſerit, *inſtituere filios in fide & religione Dei eſſe finem extrinſecum matrimonio piorum in vet. intrinſecum vero matrimonio in nov. teſt.* Certe qui æquali jure & lege obſtringuntur ad filiorum inſtitutionem in fide & religione, illorum conjugio finis iſte non eſt extrinſecus, ſed intrinſecus. Pii conjuges in vet. teſt. æquali jure & lege obſtringuntur ad filiorum inſtitutionem in fide & religione, ut conſtat ex dictis Geneſ. XVIII. 19. *Scio, quod Abraham præcepturus ſit filiis ſuis & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini.* Deut. VI. 7. *repetes hæc verba filiis* verſ. 20. *cum interrogaverit te filius tuus cras dicendo, quid ſibi volunt hæc teſtimonia, tunc dices, &c.* cap. XI. 19. *docebis ea filios veſtros, ut loquantur de eis.* Pſalm XLIV. 2. *Deum auribus noſtris audivimus, patres noſtri adnunciaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum.* Proverb. I. 8. *Audi fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ*, cap. III. 1. *Fili mi, ne obliviſcaris legis meæ & præcepta mea cor tuum cuſtodiat*, cap. IV. 1. *audite filii, diſciplinam patris, & attendite, ut ſcias prudentiam.* cap. XIII. 24. *Qui parcit virgæ ſuæ, odit filium ſuum, qui autem diligit illum, inſtanter erudit, vel mature caſtigat eum*; ex quibus intelligitur præceptum apoſtolicum Eph. VI. 4. *Patres, educate filios ἐν παιδεία καὶ νουθεσία κυρίε*, eſſe generale ad vet. & nov. teſt. parentes ſpectans. Idem oſtendit exemplum Eli, qui negligentiæ ſuæ in filiorum educatione commiſſæ pœnas dedit graviſſimas 1 Sam. II. 29. Id ipſum probat quoque æqualis neceſſitas hujus inſtitutionis. Et in vet. & nov. teſt. naſcuntur homines, ut notitia Dei propagetur, & eccleſiæ termini extendantur; quare cum ſalutaris illa Dei notitia mentibus hominum non innaſcatur; ſed pia inſtitutione ipſis ſit inſtillanda, ideo parentibus incumbit, non tantum corpora natorum fovere & fortunis ipſorum proſpicere, ſive ut apoſtolus loquitur, corporales *theſauros ipſis colligere*; 2 Cor. XII. 14. ſed etiam inſtituere eos in doctrina divinitus tradita, & ad pietatis exercitia tenellos eorum animos adſuefacere, quod eſſe parentum officium, Plato ex lumine naturæ quodammodo intellexit, quando libr. VI. de legibus dicit, *operam nobis dandam, ut cultorem aliquem Deo noſtri loco relinquamus.*

§. XXI. IV.) Omne ſacramentum proprie ſic dictum habet adnexam promiſſionem divinam de gratia ſeu fructu

4.) *Deeſt matrimonio promiſſio gratiæ ſacramentalis.*

ſacra-

sacramenti, divina ordinatione signo sacramentali adnexam, & eo quasi vestitam. Sed conjugium non habet talem promissionem divinam de gratia sacramenti divina ordinatione signo sacramentali adnexam. Ergo non est sacramentum. Excipit Bellarminus cap. II. *matrimonio esse adnexam gratiæ promissionem, cum sit signum conjunctionis Christi & ecclesiæ non solum per naturæ conformitatem, sed etiam per spiritualem caritatem, qua Christus ecclesiam diligit & sancte gubernat, & ipsa ecclesia Christo adhæret per fidem, spem & caritatem, eique per obedientiam subjicitur.* Unde cap. V. infert, Philippum in apolog. confess. art XIII. & Chemnitium II. part. exam. pag. 1291. agnovisse, *matrimonium habere promissionem aliquam gratiæ, & proinde istud Lutheri argumentum nihil valere.* Quare cum matrimonium sit signum a Deo institutum promissionem gratiæ adnexam habens, ex eo infert, *esse sacramentum proprie sic dictum.* Resp. 1.) Ad sacramentum proprie sic dictum requiritur *promissio gratiæ*, non cujusvis, sed *evangelio propriæ*, de remissione peccatorum, reconciliatione cum Deo, sanctificatione Spiritus & vita æterna. At talis gratia evangelio propria non est in conjugio. 2.) Philippus & Chemnitius concedunt promissionem aliquam gratiæ in conjugio piorum, sed non eam, quæ est evangelio sive nov. test. propria, & quæ sacramentum aliquod constituit. 3.) Matrimonium est quidem signum conjunctionis Christi cum ecclesia divinitus institutum, sed *signum* duntaxat *significans & adumbrans*, quia illa Christi & ecclesiæ conjunctio designatur & illustratur per matrimonium, tanquam figuram & similitudinem aliquam. Sed in sacramento proprie sic dicto requiritur signum non nude significans & adumbrans, sed *offerens, applicans, conferens & obsignans* gratiam Dei evangelio propriam & peccatorum remissionem, quale signum in conjugio non occurrit. 4.) Ex Bellarmini ὑποθέσει id duntaxat colligitur, in generali & lata quadam significatione, qua sacramentum definitur *sacræ rei signum*, conjugium vocari posse sacramentum, nequaquam vero si de stricta & propria sacramenti significatione quæratur, quia sacramenta proprie sic dicta non sunt tantum *signa, sed etiam causæ instrumentales* gratiæ, ut suo loco ostendimus, & confirmat etiam Gabr. Biel lib. IV. sentent. distinct. 1. quæst. 1. artic. 5. neque cujusvis gratiæ, sed evangelio propriæ.

§ XXII. V.) In quolibet sacramento proprie dicto est promissio aliqua non de quibusvis donis Dei, sive corporalibus, sive spiritualibus, sed *promissio gratiæ*, seu *justificationis*, hoc est, gratuitæ reconciliationis, remissionis peccatorum, & in summa de toto beneficio redemtionis, ac promissio illa non in genere tantum vel significatur, vel adnunciatur, sed virtute Dei offertur, exhibetur, adplicatur & obsignatur singulis, qui fide sacramentis utuntur. Talis promissio gratiæ & promissionis adplicatio non invenitur in conjugio. Ergo conjugium non est sacramentum. Certe conjugium non habet illam promissionem additam, quod per ritum illum copulationis adplicetur gratia Dei, seu remissio peccatorum per Christum parta, nec potest conjux dicere: *Credo tam certo me habere remissionem peccatorum propter Christum & vitam æternam, quam certo mihi tradita est uxor in matrimonium*, quia destituitur verbo promissionis. Bellarminus excipit 1.) *argumentum niti falso fundamento, quod omnia sacramenta instituta sint ad remissionem peccatorum, cum eucharistia non ad peccata remittenda, sed ad vitam spiritualem per baptismum adquisitam alendam & conservandam sit instituta.* Resp. contrarium ostendimus in tract. de sacram. §. 19. & 55 & in tractat. de euchar. §. 216. & seqq. Hoc loco breviter dicimus: Inclusio unius non est exclusio alterius. Eucharistia instituta est ad vitam spiritualem alendam & conservandam, sed ex eo inferri nequit, quod non sit instituta ad adplicandam

5.) *Adplicatio illius gratiæ.*

& obsignandam promissionem de remissione peccatorum. In ipsis namque institutionis verbis dicit Christus: *Bibite, hoc est novum testamentum in meo sanguine.* Jam vero novum testamentum etiam hoc complectitur: *Propitius ero iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius*, Jer. XXXI. 34. Et notanter addit Christus, illum sanguinem in sacra cœna nobis bibendum exhiberi, *qui pro peccatis nostris est effusus*, ut ostendat bibitione sanguinis in sacra cœna nos confirmari, quod ad nos beneficia nov. test. pertineant, inter quæ præcipuum est remissio peccatorum. Caro & sanguis Christi sunt non solum spiritualis animæ cibus & potus, sed etiam pretium nostræ redemtionis. Christus igitur exhibitione sui corporis ad manducandum, & sanguinis sui ad bibendum promissionem de remissione peccatorum suo corpore & sanguine parta credentibus in sacra cœna adplicat, confirmat & obsignat, cum qua adplicatione & obsignatione nutritio ad vitam spiritualem minime pugnat, sed eidem subordinatur. 2.) *Sacramentum non esse institutum ad confirmandam & obsignandam promissionem, sed ad significandam & conferendam gratiam.* Resp. contrarium demonstravimus in tractat. de sacram. §. 87. Bellarminus ex inclusione unius denuo procedit ad exclusionem alterius, & ex subordinatis facit pugnantia. Sacramenta instituta esse ad significandam & conferendam gratiam concedimus, sed ex eo inferri nequit, quod non sint instituta ad confirmandam & obsignandam promissionem. Quid clarius pronunciato apostolico: Rom IV. 11. *Circumcisio est sigillum justitiæ fidei?* Jam vero sigilli proprium est testificari, confirmare & obsignare id, cui adnectitur. Ergo etiam circumcisio testificatur, confirmat & obsignat promissionem. Quod autem de circumcisione dicitur, idem ad reliqua sacramenta adplicari potest, quia ut in causa efficiente principali, ita in causa finali generica omnia sacramenta conveniunt. 3.) *Falsum esse, quod conjugium non sit cerimonia exterior a Deo instituta ad promissionem confirmandam, cum ipsa externa & visibilis conjunctio viri & fœminæ, quæ per solennia verba coram ecclesiâ fieri solet, cerimonia externa sit, atque a Deo instituta, & ex eo confirmari possit promissio illa divina, quod ecclesiam suam Christus nunquam omnino sit deserturus.* Resp. a.) Bellarminus sibi contradicit. Hoc enim loco signum sacramentale quærit in *conjunctione viri & fœminæ, quæ per verba solennia coram ecclesia fieri solet*, & tamen postea cap. VI. §. 2. contra Canum disputat, qui illud *solum matrimonium statuit esse sacramentum, quod a ministro ecclesiastico sacris & solennibus verbis celebratur.* Si in conjunctione illa viri & fœminæ, quæ fit per verba solennia coram ecclesia, sacramentale signum sive cerimonia sacramentalis quærenda, utique illud duntaxat conjugium, quod sacris & solennibus verbis coram ecclesiæ ministro celebratur, sacramenti loco erit habendum. Ratio *connexionis* est manifesta, quia in conjugio absque illa ecclesiastica benedictione contracto non invenitur illa sacramentalis cerimonia, & sic stat sententia Cani. b.) Externam & visibilem conjunctionem viri & fœminæ, quæ per solennia verba coram ecclesia fieri solet, esse cerimoniam externam atque a Deo institutam, duplici modo intelligi potest; *vel* quod sit cerimonia in *specie & expresse* a Deo instituta, quo modo baptismum & eucharistiam sacramenta divinitus instituta dicimus: *vel*, quod sit cerimonia in se ac per se quidem ἀδιάφορον, interim tamen divinæ conjugii institutioni explicandæ inserviens, exemplo Dei Evam Adamo adducentis, & utrique benedicentis Gen. II. 22. conformis, regulæ apostolicæ, quod *omnia decenter & ordine fieri* debeant, 1 Cor. XIV. 40. adprime congrua, & ad dignitatem matrimonii illustrandam adcommodata. Posteriore sensu externam & visibilem conjunctionem viri & fœminæ, quæ fit per verba solennia coram ecclesia, esse cerimoniam externam a Deo institutam concedimus; priore vero negamus, & ex eo porro concludimus, quod

quod conjugium non sit sacramentum proprie dictum, quia ad illud requiritur divina institutio priori modo descripta. *c.*) Ad illud, ut ex conjugio fiat sacramentum proprie dictum, non sufficit, promissionem illam, quod Christus nunquam sit ecclesiam desertus, conjunctione individua viri & fœminæ, velut signo & imagine quadam adumbrari; sed insuper requiritur, ut promissio illa per conjugium tanquam signum sacramentale adplicetur, obsignetur & confirmetur. Pii conjuges matrimonium suum intuentur non tanquam medium, per quod Christo inserantur, & spirituale conjugium cum ipso contrahant, sed duntaxat tanquam spiritualis illius cum Christo conjunctionis typum. *d.*) Ac si vel maxime per conjugium fieret adplicatio, obsignatio & confirmatio illius promissionis de Christi erga ecclesiam amore, tamen nondum evictum esset, conjugium esse sacramentum proprie dictum, quia ad illud requiritur promissio gratiæ non cujusvis, sed evangelio propriæ de remissione peccatorum, reconciliatione cum Deo, justitia & vita æterna, in signo externo divinitus oblatæ & credentibus adplicatæ. *e.*) Si nuda significatio conjunctionis Christi cum ecclesia in matrimonio proposita sufficit, ut matrimonium sit sacramentum, utique etiam in baptismo ablutio externa erit duntaxat signum ablutionis internæ, & in sacra cœna manducatio panis & vini externa erit duntaxat signum manducationis corporis Christi & bibitionis sanguinis Christi interius peractæ, cum tales significationes ad sacramentum aliquod nov. test. proprie sic dictum constituendum sufficiant ex hypothesi hujus Bellarminianæ exceptionis. Sed consequens Bellarminus ipse refellit, & contra Calvinianam illam hypothesin nobiscum pugnat lib. II. de sacram. in gen. c. 1. & seqq.

II.) *Ex mandati divini deficientia.*

§. XXIII. II.) Ex *mandati deficientia.* Sacramento proprie dicto additum est mandatum, quod omnes eo uti debeant ad fidei confirmationem & beneficiorum spiritualium participationem. Sic de baptismo dicitur Matth. XXVII. 19. *Baptizate omnes gentes.* De eucharistia dicitur Matth. XXVI. 26. *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* v. 27. *Bibite ex eo omnes.* 1 Cor. XI. 26. *Quoties manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini adnunciabitis.* At tale mandatum universale & generale de ineundo matrimonio non habetur, quod omnes eo uti debeant, & quidem fine eo, ut fides in illis confirmetur, & gratiæ in evangelio propositæ participes reddantur; excipiuntur enim a Christo, Matth. XIX. 12. Paulo apostolo, 1 Cor. VII. 7. 8. qui dono continentiæ instructi sunt, quibus liberum relinquitur, an velint matrimonii vinculo adligari? quin etiam *ob instantem necessitatem* illis *melius* esse dicitur extra conjugium vivere. 1 Cor. VII. 26. Non est, quod excipias, *etiam infantes ad eucharistiæ sacramentum participandum non obstringi*, 1 Cor. XI. 28. *nec tamen ex eo effici, eucharistiam non esse sacramentum proprie sic dictum. Idem judicium esse de matrimonii sacramento, quod itidem non desinat esse sacramentum, licet ad illud non omnes obligentur.* Resp. enim, esse rationem maxime disparem, quia infantes destituuntur aliquo requisito ad eucharistiæ participationem necessario, puta, quod probare sese nequeant, excipiuntur igitur obligatione ad usum eucharistiæ. At dono continentiæ instructi non destituuntur aliquo requisito ad matrimonii contractum necessario, (neque enim de eunuchis, qui vel de utero matris sic nati sunt, vel, qui ab hominibus tales facti, nobis sermo est, sed *de illis, qui se castrant propter regnum coelorum*, Matth. XIX. 12. hoc est, quibus continentiæ dono divinitus ornatis datum & concessum est libere a matrimonio abstinere.) Ergo non exciperentur ab obligatione ineundi matrimonium, si matrimonium esset sacramentum nov. test. proprie sic dictum. Qui in cœlibatu pie & caste vivit, non minus placet Deo, quam qui in conjugio vivit, & vicis-

sim, qui caste vivere potest extra matrimonium, non peccat, sive conjugium ineat, sive ab eo abstineat, illud totum & omne liberæ ipsius voluntati est relictum; 1Cor. VII. 25. at baptismus & cœna dominica, utpote sacramenta divinitus instituta, non sunt tales res adiaphoræ ac liberæ.

III.) *Ex sacramentorum efficientia.*

§. XXIV. III.) Ex *sacramentorum natura & efficientia:* 1.) Sacramenta sunt salutaria organa, per quæ homines in ecclesiasticam & spiritualem societatem invicem colligantur. 1 Cor. XII. 13. *Omnes in uno Spiritu baptizati sumus in unum corpus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in unum Spiritum potati sumus.* 1 Cor. X. 17. *Unus panis, unum corpus multi sumus; quia omnes de uno pane participamus.* Gal. III 27. *Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis.* v. 28. *omnes vos unum estis in Christo.* Eph. IV. 4. *Unum corpus.* v. 5. *Unum baptisma.* Sed conjugium non est tale organum ac medium, per quod in ecclesiasticam & spiritualem societatem homines copulentur; est enim tantum nexus, seu copula vitæ externæ & politicæ, unde etiam inter fideles & infideles, pios & impios conjugium est verum ac ratum. 1 Cor. VII. 12. Sane conjugium est res divina, tum ratione *causæ efficientis*, quia est a Deo institutum, & quidem in statu innocentiæ; tum ratione *alicujus finis*, quia institutum est ad ecclesiæ propagationem; tum ratione *adjuncti*, quia est typus spiritualis conjugii inter Christum & ecclesiam, ac pii conjuges in pietate sese mutuo ædificant: interim tamen respectu *causarum internarum*, & respectu *reliquorum finium* est res politica & humana, quia est unius maris & unius fœminæ in carnem unam legitima copulatio ad generis humani propagationem instituta, ac regitur honestis magistratus civilis legibus, atque inter ipsos gentiles locum obtinet. 2.) Sacramenta sunt media, per quæ spirituales liberi & filii gratiæ generantur, ideoque ad efficiendam & promovendam vitam spiritualem, cœlestem & æternam immediate spectant. Sic baptismus est *lavacrum regenerationis & renovationis*, Tit. III. 5. per quod homo *regeneratur ad vitam æternam.* Joh. III. 5. Corpore & sanguine Christi in eucharistia *alimur ad vitam æternam*, Joh. VI. 51. 54. Sed in conjugio ac per conjugium generantur liberi carnales ac terreni, adeoque etiam hodie post lapsum sanctissimorum conjugum liberi *natura sunt filii iræ, sicut & cæteri*, Eph. II. 3. Non est, quod excipias, *etiam vere & proprie dicta sacramenta non semper efficere spiritualem societatem, quando scilicet impoenitentibus & incredulis conferuntur;* id enim totum est ex accidenti, ac proinde non tollit finem, propter quem sunt instituta, videlicet ut efficiant spiritualem quamdam inter participantes societatem. 3.) Sacramenti proprie sic dicti natura & efficacia in cujusque propria institutionis sede clare ac manifeste est proposita, ut certi quid de ea statui possit ac debeat. Sed de matrimonii sacramento pontificii non possunt certi quidquam ex scripturis proferre, sed divortiis opinionum inter se plurimum discrepant. *a.*) In *genere*: quidam statuunt esse sacramentum proprie sic dictum, quidam vero negant, ut postea videbimus. Canus distinctione inter *matrimonium privatim contractum*, & *sacris ac solennibus verbis a ministro ecclesiastico celebratum*, litem hanc componere studet; illud concedit non esse sacramentum, hoc vero sacramentum esse totis viribus asserit. Sed Bellarminus hanc distinctionem repudiat. *b.*) In *institutionis tempore:* qui conjugium sacramentum esse statuunt, eorum aliqui jam inde a primo institutionis tempore etiam in vet. test. sacramentum fuisse pugnant; quidam vero in nov. demum testamento sacramenti nomen & naturam illud sortitum fuisse censent, ut superius vidimus. *c.*) In *materia:* quidam existimant, materiam hujus sacramenti esse verba consensum exprimentia, quatenus determinantur. Richardus lib IV. sent. dist. 26. art. 4. quæst. 2. *Verbum primo*

mo prolatum est materia, & verbum secundo prolatum est forma. Quidam vero statuunt materiam esse ipsas personas contrahentes seu conjugum corpora. Vide supra §. 17. d.) In *forma:* quidam statuunt, formam hujus sacramenti esse verba consensum mutuum exprimentia, quatenus determinant; quidam vero ipsam conjugum societatem & conjunctionem. Quidam canonistæ in cap. *Tua nos.* de sponsi volunt, *quod verba sint forma, & consensus sit materia.* Groppe-rus in enchir. Colon. in tract. de sacr. matrim. eo inclinat, *quod forma hujus sacramenti sit consensus in verbis illis Domini:* Quod Deus conjunxit, homo non separet; *fundatus.* Cui proxime accedunt Alphonsus a Vera Cruce, in adpendice fol. 13. & seqq. Johannes de Cambis in compendio theol. veritatis lib. VI. cap. 38. Canus lib. VIII. loc. theol. cap. 5. *qui verba & benedictionem sacerdotis statuunt esse formam essentialem matrimonii*, quos adducit & refellit Piso Soacius part. II. tract de sponsal. pag. 40. *Si verba sacerdotis* (inquit) *essent de forma, non relinqueretur arbitrio sacerdotis, sed posita fuissent formalia, quæ nulli mutare licuisset, ut in baptismo.* Carerius libr. IV. de matrim. cap. 1. *consensum* statuit esse formam, cum ab eo pendeat esse matrimonii. Et quid multis? Canus libr. VIII. locor. theol. cap. 5. pag. 392. aperte & sine circuitione fatetur, *theologos scholasticos non definivisse, an matrimonium gratiam conferat, atque in materia & forma hujus sacramenti statuenda adeo esse ambiguos & inconstantes, ut ineptus futurus sit, qui in tanta illorum varietate ac discrepantia rem aliquam certam, constantem & exploratam conetur efficere.* Ibidem sic loquitur Canus: *Communiter tenent scholastici, matrimonium sine ministro profano more contractum continere in se veram formam sacramenti, in quo videntur jure a Lutheranis irrideri.* e.) In *ministro:* quidam, inter quos est Bellarminus, ministros hujus sacrammenti statuunt ipsos conjuges. *Cum ad ministrum* (inquit Bellarminus cap. VI.) *proprie pertineat, verba formæ pronunciare, & per ea sacramenta conficere, & in hoc sacramento verba a conjugibus proferantur; necesse est, conjuges ipsos proprios hujus sacramenti ministros esse.* Sed Melchiori Cano atque aliis absurdum videtur, ipsos conjuges sacramenti hujus ministros statuere, ideo existimant, *ecclesiae ministrum esse legitimum hujus sacramenti dispensatorem.* f.) In *adplicatione:* Capreolus in lib. IV. sent. dist. 26. q un. artic. 3. ad 5. & Johan. Eccius homil. LXXIII. de sacram. statuunt, *debere eos conjugatos, qui convertuntur ad fidem, post baptismum iterum contrahere inter se matrimonium, & tum demum contractum illum fieri sacramentum.* Sed Thomas de Argentina lib. IV. dist. 39. quæst. 1. art. 1. ad 1. & Paludanus lib. IV. dist. 26. q. unic. dicunt, *sine novo contractu matrimonium, quod ante baptismum non erat sacramentum, statim post baptismum esse sacramentum, quia jam actu significat, quod antea solum in potentia significabat.* Canus diceret, conjuges ad fidem conversos per ministrum ecclesiæ denuo copulari debere, & hac ratione ex contractu matrimonii fieri sacramentum. Bellarminus inquit: *sive conjugati post baptismum iterum contrahant, sive in antiquo contractu persistant, ille consensus mutuus signo aliquo, aut saltim ipsa copula expressus, sacramentum conjugii facit in iis, qui jam per baptismum capaces sacramentorum effecti sunt.* 4.) Nullum sacramentum verum & divinitus institutum ab ecclesia abrogari potest vel debet, ut constat. At matrimonium clandestinum ante concilii Trident. definitionem fuit verum matrimonium & *sacramentum*, teste Bellarmino de matr. cap. XX. resp. ad 1. Ergo non debuisset a concilio *irritari* (ut Bellarminus loquitur), quia vero irritum fuit a concilio pronunciatum, ideo non est, nec unquam fuit sacramentum.

§. XXV. IV.) Ex multiplici pontificiorum ἀντιλογίᾳ. 1.) Si matrimonium esset sacramen-

IV.) *Ex multiplici pontificiorum* ἀντιλογίᾳ.

1.) *de*

1.) *de matrimonii cum aliis sacramentis pugnantia.*

tum, non pugnaret cum aliis sacramentis. Jam vero pontificii docent, illud pugnare cum sacramento ordinis, quia clericos in majoribus ordinibus constitutos a conjugio arcent. Ergo matrimonium non est sacramentum. Bellarminus excipit, *sacerdotes non arceri a matrimonio propter sacramentum, quod in matrimonio est, sed propter impedimenta & seculares curas, quæ necessario matrimonium consequuntur*, quia 1 Cor. VII. *qui cum uxore est*, dicitur *sollicitus esse, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* Resp. 1.) Si vel maxime sacerdotes pontificii non arceantur a conjugio propter sacramentum, tamen arcentur ab eo, quod ex pontificiorum hypothesi est sacramentum. Perstat igitur adhuc nostrum argumentum. Nullum sacramentum pugnat cum alio sacramento. Conjugium est sacramentum. Ergo non pugnat cum ordinis sacramento, & per consequens, utrumque sacramentum potest uni eidemque objecto adplicari. Pontificii id non concedunt, quia negant, in clericis & conjugii & ordinis sacramentum simul consistere posse, ergo statuunt unum sacramentum pugnare cum altero, quod est absurdum. 2.) Argumentamur etiam hoc modo. A sacramento proprie sic dicto nemo arcendus est, qui ejus participationem expetit, & requisitis ad illius participationem necessariis est instructus. Ratio est, quia sacramenta sunt bona totius ecclesiæ, non pro uno tantum, sed pro omnibus ecclesiæ ordinibus instituta, ac sunt media salutaria, per quæ spiritualia beneficia hominibus conferuntur. Jam vero pontificii clericos in majoribus ordinibus constitutos arcent a conjugio, cum tamen illi conjugii libertatem sibi concedi expetant, ut ex historia Tridentini concilii constat, & requisitis ad conjugii contractum necessariis instructi sint, id quod ipsa praxis testatur. Ergo non agnoscunt conjugium esse proprie sic dictum sacramentum. Si dispensatio sacramentorum ad clericos pertinet, cur ab hujus sacramenti dispensatione & participatione eosdem excludunt? (Bellarminus enim statuit cap. VI. *ipsas personas contrahentes esse ministros & dispensatores hujus sacramenti.*) Si per hoc sacramentum gratia Dei & Spiritus sancti dona dispensantur, cur sacrificuli hoc medio gratiam Dei & Spiritum sanctum consequendi privantur? *Per actum conjugalem posse adquiri gratiam Spiritus sancti, quando actus ille est actus justitiæ, vel obedientiæ, vel caritatis*, scribit Bellarminus cap. V. §. 41. cur igitur sacrificuli ab hoc actu arcentur? 3.) Ruardus Tapperus ad art. XVIII. p. 215. expresse adserit, *non solum a coitus libidine, sed a sacramento ipso arceri sacerdotes, ut non liceat eis contrahere.* Ac Bellarminus ipse hoc capite §. 2. sic scribit: *Falso adsumit Calvinus, sacerdotem non arceri a sacramento matrimonii ex sententia catholicorum, sed solum a coitu. Arcentur enim plane sacerdotes non a coitu tantum, sed etiam a sacramento matrimonii, non quidem ratione sacramenti, sed ratione eorum, quæ sacramento sunt adnexa.* Quod ipsum etiam ex hypothesi scholasticorum colligitur. Disputant enim Lombardus lib IV. sent. dist. 26. G. & Gratianus c. Cum societas &c. Non est dubium. 27. q. 2. *de ratione sacramenti esse ipsum congressum conjugalem, quippe per quem figuretur conjunctio Christi cum ecclesia per naturæ conformitatem, dum scilicet conjuges efficiantur una caro.* Sic ergo concludimus: Clerici arcentur a congressu conjugali. Congressus conjugalis est de ratione sacramenti. Ergo arcentur ab eo, quod in conjugio habet rationem sacramenti. Bellarminus regerit, *de copula conjugali esse duas opiniones catholicorum* (Romanenses). *Quidam enim docent, copulam illam nec sacramentum, nec partem sacramenti esse, sed actum solum, sive officium matrimonii, ac proinde aliquid accidentarium respectu matrimonii. Alii volunt copulam conjugalem esse partem quamdam sacramenti, non quidem essentialem, sed integralem, & ideo ante copulam adpellari ratum, sed non con-*

sum-

summatum; omnes tamen in eo convenire, quod copula non sit pars essentialis, ac proinde sacramentum matrimonii totum ac plenum quoad partes essentiales inveniri in contractu per verba de præsenti. Resp. si copula conjugalis est pars sacramenti integralis, & sacerdotes arcentur a conjugio ratione copulæ; utique etiam arcentur ab eo propter partem aliquam sacramenti integralem, ac proinde propter aliquod ad ipsum sacramentum pertinens. Vicissim: Si copula carnalis esset pars sacramenti integralis, non posset omitti citra violationem totius. At potest omitti, ut hoc loco disputat Bellarminus. Ergo aut pars integralis non erit, aut totum non amplius erit integrum ac verum sacramentum. Atque eo spectant canones a Gratiano & Lombardo adlegati. Bellarminus regerit, *illos esse corruptos, cum in epistola Leonis, ex qua adducti sunt, omissa sit negatio.* Resp. corruptela illa multis seculis recepta ostendit, qua fide Gratianus scripta veterum tractaverit; ac si vel maxime negatio illa omittatur, tamen nobis sufficit, quod Bellarminus concedit, *copulam conjugalem ad integritatem sacramenti pertinere. Si desit* (inquit) *copula, significatio quædam deerit, puta conjunctionis Christi cum ecclesia per naturæ conformitatem, nec tamen omnis significatio deerit, quia significatur adhuc conjunctio Christi cum ecclesia, vel cum quavis anima per amorem spiritualem, & ideo conjugium illud sacramentum quidem erit, sed aliqua ex parte imperfectum & non consummatum.* Ex eo enim sic concludimus: Absque quo sacramentum aliquod est imperfectum, illud pertinet ad integritatem sacramenti. Absque copula carnali conjugium est sacramentum imperfectum. Ergo copula carnalis pertinet ad integritatem sacramenti. Ulterius: Clerici a conjugio arcentur propter copulam conjugalem, cap. *proposuisti.* dist. 82. Ergo propter aliquod ad integritatem sacramenti pertinens & per consequens propter ipsum sacramentum. Quando igitur Bellarminus dicit, *sacerdotes arceri a matrimonii sacramento, non quidem ratione sacramenti, sed ratione eorum, quæ sacramento adnexa sunt;* breviter addimus: copula conjugalis adnexa est matrimonio ex Bellarmini hypothesi, ut pars integralis, absque qua conjugii sacramentum est imperfectum. Ergo non per accidens, sed per se illi adnexa est; jam vero arcentur sacerdotes a conjugio propter copulam; ergo propter aliquod, quod per se conjugio ut sacramento est adnexum, & per consequens etiam ab ipso sacramento, quatenus est tale. 4) Bellarminus sibi manifeste contradicit, quando in responsione ad quintum argumentum §. 26. scribit: *Qui uxores duxerunt, & ex consensu mutuo continentiam perpetuum profitentur, sacris ordinibus initiari possunt, & tamen simul veri conjuges & sacerdotes sunt;* & postea §. 36. subjicit: *Arcentur plane sacerdotes non a coitu tantum, sed etiam a sacramento matrimonii, non quidem ratione sacramenti, sed ratione eorum, quæ sacramento sunt adnexa.* Si enim aliqui possunt esse simul veri conjuges & sacerdotes, utique non arcentur plane sacerdotes a sacramento matrimonii. Et vicissim: si sacerdotes plane arcentur a matrimonii sacramento, non poterunt simul esse conjuges & sacerdotes. Quid de voto perpetuæ continentiæ a conjugibus emisso sit statuendum, suo loco videbimus. 5. Falsum est, quod Bellarminus adlerit, *tantum propter impedimenta & seculares curas, quæ matrimonium consequuntur, sacerdotes ab hoc sacramento arceri.* Legantur decreta Siricii & Innocentii, ac manifeste adparebit, propter aliquod ad ipsum conjugium pertinens illud fieri. 6.) Impedimenta illa & curæ, quæ matrimonium consequuntur, non sunt sufficientes hujus prohibitionis causæ. Id quidem ex illis colligitur, quod instructis continentiæ dono melius sit a conjugio abstinere, sed qui absque conscientiæ vulnere & interioribus flammis extra conjugium vivere nequeunt, illi nulla habita difficultatum & curarum matrimonialium ratione ad conju-

gium sese vocari statuant, qua de re in quæstione de cœlibatu plura dicentur, ubi etiam monebitur, apostolum, quando dicit, *maritum solicitum esse de iis, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori*, potissimum loqui de conjugiis inter fidelem & infidelem contractis, quæ apud Corinthios eo tempore erant frequentissima. 7.) Quod Bellarminus addit, *absurdum non esse, ut qui unum sacramentum habeat, arceatur ab alio, licet utrumque sanctum & Deo gratum sit, quando unius ministerium alterius functionem impediat, cum apostoli Actor. VI. rejecerint a se munus ministrandi mensis, ut verbo Dei & orationi diligentius instarent, cumque* 1 *Timoth. V. reprehendantur viduæ, quæ ad ecclesiæ ministerium adsumtæ nubere volebant*, illud facilem habet explicationem. Non enim hoc loco quæritur de diversis officiis, quibus una eademque persona commode sustinendis par esse nequit; sed de sacramentis, an diversa sacramenta ab una eademque persona participari possint? Officia illa ecclesiastica fuisse sacramenta proprie sic dicta, non potest Bellarminus probare, imo nec salvis suis hypothesibus adserere; alias peculiare aliquod sacramentum fingendum erit pro viduis ad ministeria quædam ægrotis, exsulibus & peregrinis præstanda olim adhibitis.

2.) *de matrimonii efficientia.*

§. XXVI. II.) In omni sacramento proprie sic dicto offertur Spiritus sancti gratia, & credentibus etiam confertur. Pontificii negant, in conjugio offerri & conferri Spiritus sancti gratiam, quin imo negant, in copula conjugali Spiritum sanctum adesse. Ergo negant conjugium esse sacramentum proprie dictum. Bellarminus excipit, 1.) *copulam carnalem non esse ipsum sacramentum, sed secundum quosdam partem duntaxat sacramenti integrantem.* Resp. si copula est pars integralis sacramenti, utique etiam collatio gratiæ non erit de ea negate, sed potius adfirmate prædicanda. Quæ enim de toto sacramento prædicantur, ea de partibus integrantibus, quatenus sunt actu ejusdem partes, non negate, sed adfirmate prædicantur. Sic, quia de tota eucharistia prædicatur, quod sit animæ nutrimentum, ideo etiam de calice eucharistico, quatenus est pars eucharistiæ integralis, recte dicitur, quod sit animæ nutrimentum. 2.) *Ex eo, quod copula statuitur pars quædam integrans sacramenti, non sequi, in copula debere ordinarie sacramentalem gratiam dari, quia gratia tunc datur, cum conjuges per verba de præsenti matrimonium contrahunt, tunc enim sacramentum quoad essentiam ministratur.* Resp. nec per copulam conjugalem, nec per consensum verbis de præsenti expressum datur gratia sacramentalis, nulla enim exstat promissio de gratia evangelio propria ac peccatorum remissione per conjugium obtinenda. 3.) *Verba illa, quod in copula conjugali nunquam adsit Spiritus sanctus, esse Origenis, qui non sit ejus in ecclesia auctoritatis, ut ipsius sententia necessario sit adprobanda. Deinde Origenem nihil adfirmare, denique verborum sensum esse, quod præsentia Spiritus sancti non adsit ad eum actum efficiendum auxilio aliquo speciali, cum opus conjugale sit bonum naturale.* Resp. verba illa non solum citantur a Lombardo lib. IV. sentent. dist. 32. lit. D. sed etiam relata sunt in jus canonicum; cap. *Connubia &c.* caus. 32. q. 2. *Connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Spiritus sancti dabitur, etiamsi propheta videatur esse, qui officio generationis obsequitur.* Cap. *Quidquid &c.* caus. & quæst. iisdem: *Non datur præsentia sancti Spiritus tempore, quo conjugales actus geruntur.* Cap. *Sciatis &c.* caus. 33. quæst. 4. *Quicunque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus agni comedere debet.* Cap. *vir cum propria &c.* caus. & quæst. iisdem: *Vir cum propria uxore dormiens, nisi lotus aqua ecclesiam intrare non debet, quamvis diversæ hominum nationes de hac re diversa sentiant, atque alia custodire videantur, Roma-*

manorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit post admixtionem propriæ uxoris & lavacri purificationem quærere, & ab ingressu ecclesiæ paululum temperare. In revelationibus Brigittæ libr. I. cap. 26. dicit Christus: *Cum conjuges veniunt ad lectum, tunc statim discedit ab eis spiritus meus, & adpropinquat spiritus impurus.* Hieronymi vox est a pontificiis dilaudata: *Quando impleo officium mariti, non impleo officium christiani.* Plura hujus generis occurrent in sequenti argumento, ex quibus constabit, a pontificiis actui conjugali opponi præsentiam Spiritus sancti, munditiem & sanctitatem.

III.) *de conjugii ignominia.*

§. XXVII III.) De sacramento proprie sic dicto adfirmari nequit, quod sit immundities, pollutio & carnales sordes. Pontificii conjugio tales flosculos tribuunt, ut patet ex epistolis Innocentii & Siricii relatis in jus canonicum. Cap. *Proposuisti &c.* dist. 82. cap. *plurimos &c.* dist. ead. Ergo negant esse sacramentum. Bellarminus excipit, 1.) *Siricium non damnare conjugia simpliciter, sed monachorum & sacerdotum conjugia, qui illicitis nuptiis implicari volebant.* Resp. quæstio est, an sacerdotes possint esse conjuges. Negant Siricius & eum secutus Innocentius inter alia hisce argumentis: *a.)* quia *sacerdotes debent esse continentes*; *b.)* quia *qui serviunt sacris oblationibus, puri & ab omni labe purgati esse debent*; *c.)* quia *sacerdotes debent esse sancti, sicut scriptum est: Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum*; *d.)* quia *si contaminatus fuerit sacerdos carnali concupiscentia, quo merito se exaudiri posse credit, cum dictum sit: Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum*; *e.)* quia *apostolus dicit: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Ex hisce mediis terminis non possunt fieri integri syllogismi, nisi de conjugio id negetur, quod de sacerdotibus adfirmatur, & vicissim de sacerdotibus negetur, quod de conjugio adfirmatur, hoc modo: In conjugio non est continentia, nec puritas, nec sanctitas. Sed in sacerdotibus requiritur continentia, puritas & sanctitas. Ergo sacerdotes non debent vivere in conjugio. Vicissim: In conjugio est labes, carnalis concupiscentia, immundities. Sed a sacerdotibus abesse debet omnis labes, carnalis concupiscentia & immundities. Ergo sacerdotes non debent vivere in conjugio. Si dicas, *ideo illa dicta ad sacerdotum conjugia adplicari*, quia sunt illicita, respondeo, & peti principium, & mutari quæstionis statum. Quod principium petatur, demonstratum fuit suo loco, quando libertatem conjugii sacerdotibus vindicavimus. Quod mutetur quæstionis status, patet ex verbis Innocentii. Propositum enim est Innocentio demonstrare ex scriptura, quod sacerdotum conjugia sint illicita. *De his* (inquit, qui in diaconi ministerio, aut in officio presbyterii positi filios generant) *manifesta est divinarum legum disciplina*; ac postea subjicit illa argumenta, in quibus nullus nervus, nullus nexus, nisi conjugium & mundities, matrimonium & sanctitas sibi invicem opponantur. Videt hoc Bellarminus, ideo 2.) subjicit, *si in actu matrimonii turpitudinem & immunditiem aliquam esse diceremus, ratione concupiscentiæ & rebellionis membrorum, nihil diceremus divinis literis repugnans.* Resp. imo vero adversatur id disertis verbis apostoli: τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος, Hebr. XIII. 4. ex quo Paphnutius in concilio Nicæno hanc conclusionem deduxit, quod *consuetudo cum propria uxore in conjugio sit castitas.* Socrates libr. I. histor. cap. 8. Sozomenus libr. I. cap. 22 Cap *Nicæna &c.* dist. 31. Adversatur omnibus scripturæ dictis, in quibus conjugium turpitudini & immunditiei opponitur; 1 Thess. IV. 3. adversatur sanctæ Dei ordinationi in paradiso institutæ, adversatur sanctoribus pontificiis. Ribera in comm Hebr. XIII. *Torus immaculatus dicitur & impollutus, cum nullo adulterio foedatur.* Peraldus in tract. de temperant *Conjugii usus dicitur torus immaculatus.* Adversatur ipsi

Bellarmino, qui in hoc ipso capite §. 41. dicit, *per actum conjugalem adquiri posse gratiam Spiritus sancti, quando actus iste est actus justitiæ, vel obedientiæ, vel caritatis.* At si in actu conjugali est turpitudo & immundities, quomodo per illum adquiri potest gratia Spiritus sancti? Frivolum est, quod dicitur, *ratione concupiscentiæ & rebellionis membrorum turpitudinem & immunditiem in eo recte statui;* distinguendum enim inter ipsum actum conjugalem, legibus conjugii congruentem, & inter peccati labem, post lapsum actum illum exercentibus, imo omnibus hominibus etiam illis, qui in cœlibatu vivunt, adhærentem. Sane post lapsum libidinis lepra sanctissimo generationis operi adhæret, idque non minus, quam totam hominis naturam contaminat; interim nec conjugium desinit esse sancta Dei ordinatio, nec actus conjugalis propterea in se ac per se est turpitudo & immundities, cum ex Dei institutione conjugium post lapsum sit libidinis remedium, atque actus ille conjugalis tegatur honestate nuptiarum, ne coram Dei oculis sit coinquinatio & immundities. In conjugio igitur & moderato conjugii usu nulla coinquinationis labes hominem coram Deo contaminans quærenda; sed in coacto & impuro cœlibatu sacrificulorum, ex quibus ne centesimus quidem continentiæ dono instructus est, turpitudinem & immunditiem multiplicem inveniet Bellarminus, de quo jam olim conquestus Bernhardus in serm. de conv. ad cleric. cap. 29. *Si juxta Ezechielis prophetiam* (inquit) *parietem fodiamus, ut in domo videamus horrendum. Siquidem post fornicationes, post adulteria, post incestus, nec ipsæ quidem apud aliquos ignominiæ passiones & turpitudinis opera desunt. Utinam non fierent, quæ usque adeo non conveniunt, ut nec apostolum hæc scribere, nec nos dicere oporteret, ut nec dicentibus crederetur, quod humanum aliquando occupaverit animum tam abominanda cupido. Væ, væ, inimicus hominum sulphurei illius incendii reliquias infelices circum quaque dispersit, exsecrabili illo cinere ecclesiæ corpus adsperfit, & ipsorum quoque ministrorum ejus nonnullos sanie fœtidissima spurcissimaque resperfit, &c.* Idem serm. LXVI. super Cant. *Tolle de ecclesia honorabile conjugium & torum immaculatum, nonne reples eam concubinariis, incestuosis, seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus & omni denique genere immundorum?* quod ipsum de statu ecclesiastico jure dici poterit.

Sitne in actu matrimonii turpitudo & immundities?

§. XXVIII. Quomodo vero probat Bellarminus, *in actu matrimonii esse turpitudinem & immunditiem, propter quam sacerdotes a conjugio merito sint arcendi?* nam hic quæstionis status Siricio & Innocentio erat propositus. Adducit 1.) verba Abimelechi 1 Sam. XXI. 4. rogantis Davidem: *An pueri sint mundi a mulieribus.* Resp. nondum probatum est, usum legitimi conjugii inter immunditiei leviticæ species esse numerandum. Cum enim variæ rationes contaminationis a mulieribus in lege mosaica tradantur, ut in puerperio, in menstruis, in fluxu sanguinis; nusquam tamen lex dicit, usum conjugii reddidisse hominem immundum. Ac si vel maxime Moses dixisset, esse legalem sive ceremonialem contaminationem, non tamen sequeretur esse moralem immunditiem; sed si talis constitutio, quod manducaturi de cibis sacris abstinere debeant ad tempus a conjugali consuetudine fuisset facta, pertinuisset duntaxat ad externam pædagogiam, qua homines admonerentur, conceptionem & nativitatem post lapsum esse peccato contaminatam. Sicut ante solemnem promulgationem legis Exod. XIX. 15. jubebantur Israelitæ ab uxoribus per biduum abstinere, ut de interna animi munditie admonerentur, & majori cum reverentia Deum suum loquentem audirent, ac 1 Cor. VII. 5. conjugibus permittit apostolus, ut a congressu ad tempus abstineant, ut solemnioribus precibus vacare possint, de tota hac re inferius plura. 2.) Apoc. XIV. 4. *Hi sunt, qui cum mulieribus coinquinati non sunt,*

sunt, virgines enim sunt; ubi coinquinatio vocatur omnis actus, quo perit virginitas, per matrimonium autem virginitatem perire, negari non potest. Resp. non de cœlibatu carnali, sed de virginitate spirituali hunc locum apocalypticum esse accipiendum, & fidei analogia & circumstantiæ textus & modus loquendi in scripturis usitatus evidenter probant. Vide tract. de evang. §. 101. hoc loco unicum illud urgemus. Quodcunque est ἀμίαντον, illi non debet tribui coinquinatio. Lectus conjugalis est ἀμίαντος. Hebr. XIII. 4. Ergo non debet illi tribui coinquinatio. Ribera in comm. illius loci: *Torus immaculatus & impollutus dicitur, cum nullo adulterio foedatur.* Peraldus in tract. de temper. *Conjugii usus dicitur torus immaculatus.* 3.) *Si nihil turpe in actu conjugii est, cur homines erubescunt, neque coram aliis eum exercere audent, & cur Levit.* XVIII. & XX. *instrumenta hujus actus turpitudinis vocabulo adpellantur?* Resp. distinguendum inter pudorem *civilem*, & turpitudinem *moralem.* Usus conjugii secretum quærit, non quasi sit immundities & turpitudo moralis coram Deo, sed quia civilis pudor illud suadet; sicut etiam mingendi actus in secreto exercetur, nec tamen coram Deo immunditiem & turpitudinem quamdam moralem obtinet. Distinguendum etiam inter ipsum conjugii usum, & inter concupiscentiam pravam post lapsum ei adhærentem. Concupiscentiæ labes adhærens conjugibus & actui conjugali nequaquam efficit, ut ipse conjugii actus sit turpitudo & immundities; quin potius Deus in hac naturæ infirmitate per lapsum introducta remedium consuetudinis conjugalis contra incontinentiam ordinavit, & libidinis ἀτοξίαν, quando in consuetudine conjugali admixta est, sub venia conjugii tegit. Augustinus lib. IX. de Genes. c. 7. *Infirmitas incontinentiæ, quæ est in carne per peccatum mortua, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honestate nuptiarum. Si non peccassent primi homines, sine carnis incentivo ac fervore libidinis ipsi ac successores eorum convenirent, & sicut remunerabile est aliquod opus bonum, sic coitus eorum bonus esset & remunerabilis. Quia vero propter peccatum lethalis concupiscentiæ lex membris nostris adhæsit, sine qua carnalis non fit commixtio, reprehensibilis est & malus coitus, nisi excusetur per bona conjugii.* Libr. I. de peccat. merit. & remiss. cap. 29. *Bonum conjugii non est fervor concupiscentiæ seu libidinis, sed quidam licitus & honestus illo fervore utendi modus.* Membra generationis dicuntur עֶרְוָה nuditas, κατ' ἀντίφρασιν, quia non nuda, sed tecta esse debent pudoris gratia, quo respectu etiam vocantur ἀσχήμονα 1 Cor. XII. 23. propter concupiscentiam in membris hærentem; sed ex eo non potest inferri, quod actus conjugalis coram Deo sit immundities & pollutio. 4.) *De virgine dicit apostolus* 1 *Cor. VII.* 32. *quod cogitet, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu; ergo placet Deo aliquo modo, quo non placet conjugata, ac sancta est corpore & spiritu aliquo modo, quo sancta non est conjugata, quamobrem non male dici posset de conjugatis: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, id est, qui carnalibus curis ob nuptias sunt implicati, cogitant, quæ mundi sunt, quomodo placeant uxori, & ideo placere non possunt eo gradu, quo placere potest virgo.* Resp. præceptum apostolicum, quod *debeamus ab omni inquinamento carnis & spiritus nos mundare,* 2 Cor. VII. 1. *Deum in corpore & spiritu nostro glorificare,* 1 Cor. VI. 20. *corpora nostra hostiam sanctam ac Deo placentem exhibere,* Rom. XII. 1. est generale ad omnes vere pios, etiam conjugatos pertinens, ergo non ad solos cœlibes sanctitas corporis & spiritus restringenda. Etiam piorum conjugum corpora sunt *Spiritus sancti templa,* 1 Cor. VI. 19. alias *Christi non essent, si Spiritum Christi non haberent;* Rom. VIII. 9 ergo non de solis virginibus dicendum, quod sint *sanctæ corpore & spiritu.* Recte igitur in eum locum apostolicum 1 Cor. VII. commentatur

Espenſæus episcopus in comm. Tit. 2. *Quod innupta cogitare dicitur, quæ sunt Dei, ut sit sancta corpore & spiritu, non sic accipiendum est, ut putemus, non esse sanctam corpore christianam conjugem castam, omnibus quippe fidelibus dicitur, eorum corpora esse membra Christi, Dei vivi & Spiritus sancti templa.* Clemens Alexandrinus libr. III. strom. *Etiam nupta & de iis, quæ sunt mariti, & de iis, quæ sunt Domini, solicita est in Domino, ut sit sancta corpore & spiritu.* Si dicas, *apostolum in collatione virginis cum conjugata istud tanquam proprium tribuere virgini, quod curet, ut sit sancta corpore & spiritu.* Resp. ut distincta est continentia virginitatis a castitate conjugali, a qua non differt specie, sed gradu; ita quoque sanctitas corporis & spiritus in virgine differt a sanctitate corporis & spiritus in conjuge; non specie, sed gradu. Nequaquam igitur piis conjugibus denegat corporis & spiritus sanctitatem, nec immunditiem & contaminationem sanctitati oppositam illis tribuit, sed diversos duntaxat gradus sanctitatis distinguit. Dictum apostolicum Rom. VIII. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, nullo modo ad pios conjuges adplicari potest; in carne enim esse nequaquam significat negotiis carnalibus sive domesticis ob nuptias implicari, sed *secundum carnem ambulare*, v. 4. *secundum carnem esse, quæ carnis sunt, sapere*, v. 5. *secundum carnem vivere*, v. 13. hoc est, concupiscentiis carnis secure & libere indulgere, ac opponuntur sibi invicem *esse in carne* & *esse in spiritu, sive Spiritum Christi habere*, v. 9. *qui in carne sunt*, illi negantur Spiritum Christi in se habitantem habere, quod absit, ut de piis conjugibus dicamus. Nec gradu duntaxat aliquo, sed ἀποτόμως & simpliciter Deo placere negantur, qui in carne vivunt, addita evidenti ratione, *quia sapientia carnis est inimicitia adversus Deum*, v. 7. Quisquis igitur dictum apostolicum ad conjugium referre voluerit, in sanctissimam Dei ordinationem manifeste injurius erit.

§. XXIX. V.) Ex *patrum & veterum conciliorum silentio.* Patres antiqui & vetera concilia, ante Constantiense & Florentinum & Tridentinum proximis seculis habita, non tradiderunt, matrimonium esse sacramentum, quo pertinent dicta veterum contra septenarium sacramentorum numerum adlata in tract. de circumcis. & agno pasch. §. 58. Dionysius de eccl. hierarch. matrimonium non adnumerat reliquis sacramentis. Jovinianus argumentum hoc non præteriisset, si matrimonium sacramentum esse judicasset, cum studiose congesserit omnia, quæ ad conjugii laudem facere aliquid possunt. Excipit Bellarminus, *concilia vetera id exposuisse, quod suis temporibus in controversiam fuit vocatum, matrimonium scilicet esse a Deo institutum ac rem bonam & sanctam; utrum autem sacramentum esset proprie dictum, non fuisse causam, cur tractarent, cum nemo de illa re tunc ambigeret.* Resp. imo vero causa erat longe maxima, propter quam matrimonium sacramentum esse, debebant explicare; quid enim ad veterum hæreticorum Tatiani, Encratitarum, Gnosticorum, Manichæorum errores refellendos, & dignitatem conjugii adserendam fuisset efficacius, quam si illud sacramentum proprie dictum esse demonstrassent? Bellarminus ipse cap. I. cum impuris illis hæreticis pessima fide nos conjungit, quia negamus matrimonium esse sacramentum.

V.) Ex patrum & conciliorum silentio.

§. XXX. VI.) Ex *quorundam pontificiorum suffragio.* Durandus lib. IV. sent. dist. 26. quæst 1. disputat, matrimonium non esse sacramentum, atque in eam rem adducit hæc argumenta: 1.) *In sacramentis ceteris id, quod exterius agitur, excedit dictamen rationis naturalis, nec potest reddi sufficiens illius causa, nisi per lumen fidei. At quod exterius agitur in matrimonio, naturalem causam habet; nam matrimonium fit ad significandam & efficiendam unionem insolubilem viri & mulieris, id*

VI.) Ex quorundam adversariorum suffragio.

id autem naturaliter significant verba exprimentia mutuum consensum, & ideo si ethnicus videat matrimonium celebrari, facile causam reddet, cur id fiat. 2.) *Sacramenta cetera consistunt in aliqua re sacra, quæ adplicatur extrinsecus suscipienti à ministro. At nihil tale invenitur in matrimonio, quod adplicari possit vel debeat; nam voluntas conjugum signo expressa sufficit. Reliqua sacramenta adplicantur necessario ab alio, at in matrimonio ipsi conjuges se ipsos ligant. Reliqua sacramenta non possunt conferri in absentes nec uni per alium, at matrimonium inter absentes & per procuratorem celebrari potest.* 3.) *Sacramenta reliqua conferunt gratiam; at matrimonii sacramentum neque primam gratiam, quæ est justificatio à peccatis, neque secundam gratiam sive gratiæ incrementum confert.* 4.) *In sacramentis ceteris ordinatio ecclesiæ vim præcepti habere potest; sed nunquam est de necessitate sacramenti, quia non potest ecclesia mutare essentialia sacramentorum. At in matrimonio ecclesiæ ordinatio est de necessitate sacramenti; quia, cum ecclesia prohibet conjugia in certo gradu consanguinitatis, non perficitur sacramentum inter eas personas, etiamsi personæ illæ re ipsa matrimonium contrahere conentur.* 5.) *Absque baptismo nemo est capax sacramenti proprie dicti; sed matrimonii capax est homo ante baptismum, quia matrimonium ita est verum & legitimum inter infideles ante baptismum, ut inter fideles post baptismum.* Hisce Durandi argumentis satisfacere conatur Bellarminus cap. V. sed multis se implicat absurdis, quorum quædam recensebimus. Adserit enim, 1.) *unionem illam insolubilem viri & fœminæ non significare naturaliter verba conjugum, quæ dicuntur in celebratione matrimonii;* cum tamen in seq. cap. disputet, *totam conjugii essentiam in signis mutuum consensum exprimentibus consistere.* 2.) *Vnionem illam viri & fœminæ esse unionem animas sanctificantem, nisi ponatur obex,* cum de tali sanctificatione animarum per conjugium initum nulla dari possit ex verbo Dei promissio. 3.) *Non esse de ratione sacramenti in genere, ut consistat in aliqua re, quæ extrinsecus explicetur,* cum ex baptismo & eucharistia illud recte colligatur. 4.) *Eucharistiam non consistere in actione, sed in re permanente,* cujus contrarium ostendimus in tract. de eucharist. §. 196. 5.) *Matrimonii sacramentum non egere alio ministro præter ipsos contrahentes,* cum alii ex pontificiis benedictionem sacerdotalem ad hujus sacramenti integritatem requirant. 6.) *Matrimonium conferre gratiam, quæ & prima & secunda dici potest, ac remittere posse peccata eo modo, quo a sacramento eucharistiæ remittuntur,* cum de remissione peccatorum ac reconciliatione cum Deo, per matrimonium speranda, ne jota quidem unum ex divinis tabulis proferri possit. 7.) *Matrimonium posse remittere peccata, & tamen non esse principaliter institutum ad remittenda peccata,* cum omnia omnino beneficia, quæ in sacramentis nobis offeruntur, & per sacramenta credentibus conferuntur, à divina institutione unice dependeant. 8.) *Matrimonium conferre gratiam, quæ & prima & secunda esse possit,* cum tamen continentiæ statum esse excellentiorem matrimonii statu & majoris gratiæ ac meriti alibi disputet. 9.) *Christum non definiviisse, quæ sint personæ legitimæ,* cum tamen legem divinam de prohibitis gradibus Levit. XVIII. & XX. una cum Patre & Spiritu sancto tulerit, ac conjugium esse unius maris ac unius fœminæ legitimam conjunctionem Matth. XIX. docuerit. 10.) *Ecclesiam determinare, quæ sint legitimæ personæ habendæ, & eo modo materiam & fundamenta præparare matrimonii sacramento, nec tamen essentialia matrimonii ullo modo mutare aut mutare posse,* cum definiendo personas esse legitimas, quæ divina lege censentur illegitimæ, & vicissim definiendo personas esse illegitimas, quæ divina lege censentur legitimæ, revera materiam hujus sacramenti mutet. 11.) *Si sacerdos hominibus suæ diœcesi non subjectis sacramen-*

mentum pœnitentiæ administret, absolutionem esse irritam. Si pontifex simplici presbytero committat, ut sacramentum confirmationis alicui conferat, sacramentum illud esse verum & ratum, sed si absque pontificis mandato vel facultate id faciat sacerdos, non esse verum sacramentum. cum sacramentorum veritatem & integritatem Christus nuspiam pontificis voluntati adligaverit. 12.) *Matrimonium infidelium esse posse verum & legitimum, sed non ratum nec omnino insolubile;* unde non abhorret ab eorum opinione, qui existimant, eos, *qui ad fidem convertuntur, debere post baptismum iterum inter se contrahere matrimonium*, cum insolubilitas conjunctionis ad *formam*, & proinde etiam ad veritatem matrimonii pertineat, nec uspiam conversi ad fidem post baptismum susceptum novum matrimonium inter se contrahere jubeantur.

§. XXXI. Durandi consensum largitur nobis Bellarminus, sed addit, *solum Durandum sic sensisse. Ex catholicis* (inquit cap. I. §. penult.) *solus est Durandus, qui matrimonium sacramentum non nisi æquivoce dici posse putat, quem in suum patrocinium adducit Chemnitius, oblitus videlicet omnes alios theologos contrarium docuisse.* Verum non unus nec solus Durandus nobis hic patrocinatur. De Melchiore Cano (episcopo Cameracensi, de quo Pererius in comm. Daniel. lib. XII. c. 6. scribit, *quod in concilio Tridentino celeberrimus fuerit theologus, quodque post magnos illos doctores mysteria sacrarum literarum nullus ipso plenius aut planius docuerit*) sic loquitur ipse Bellarminus cap. VI. §. 4. *Dum Canus totis suis viribus probare nititur, matrimonium sine forma verborum a ministro ecclesiastico prolata celebratum non esse sacramentum, simul etiam probat, quantum in se est, nullum revera esse in ecclesia conjugii sacramentum.* Idem ex verbis Cani manifeste intelligitur, sic enim scribit lib. VIII. loc. theol. cap. V. p. 393. *Num matrimonium sine ecclesiastico administro novæ legis sacramentum esset, nec proprie & expresse in quæstionem theologi vocarunt, nec via & ratione, ut solent, investigarunt, nec argumentis ullis concluserunt.* Præter Durandum & Canum aliorum etiam pontificiorum suffragium nobis concedit Cassander (a Bellarmino & Jesuitis nullo fere loco habitus, sed a Ferdinando & Maximiliano II. pietatis & eximiæ eruditionis nomine publicis literis commendatus); sic enim scribit in consult. art. XIII. pag. 98. edit. Colon. *De septem sacramentis certum est, ne ipsos quidem scholasticos existimasse omnia æque proprie sacramenta vocari, &c. De matrimonio non modo Lombardus negavit, in eo gratiam conferri, sed longe post eum Durandus diserte inquit, non esse matrimonium univoce sacramentum.* Erasmus, quem Leo X. dilectum vocat filium, in adnot. 1 Cor. VII. p. 331. *Augustinus, qui tria bona in conjugio ponit, cum tertium vocat sacramentum, non sentit unum e septem sacramentis, quod ipsum subnotare videtur Lombardus, imo haud scio, an hoc sacramentum septimum veteribus fuerit cognitum. Primum quod Dionysius enumerans nominatim singula & singulorum vires, ritus ac ceremonias explicans, de conjugio nullam facit mentionem. Nam quod cavillantur quidam, contineri sub sacramento ordinis, id tale est, ut efficiat, ne nihil respondisse videaris, cum omnino nolueris obmutescere. Quasi vero iisdem ceremoniis consecretur sacerdos, & sponsus jungatur sponsæ, &c. Deinde cum tot voluminibus tractatum sit de matrimonio, vel a Græcis, vel a Latinis, nullus est locus, unde liqueat, illos conjugium inter septem sacramenta connumerare, præsertim cum Augustinus, conjugii fautor, bona matrimonii diligenter recenseat & inculcet, quin Iovinianus sic impense favens matrimonio, ut hac de causa judicatus sit hæreticus, cum utriusque testamenti libros excusserit, nihil non detorquens ad laudem matrimonii, non hoc tantum & plausibile & palmarium argumentum vel in primis produxisset.* Hostiensis in summa libr.

libr. I. tit. de sacram. non iterand. negat, *matrimonium esse proprium novæ legis sacramentum.* Idem statuit Goffredus in summ. seque autoritate Lombardi lib. IV. sent. dist. 2. niti adserit, referente Alexandro Carerio pontificio lib. V. de matrim. cap. 1. Albericus Gentilis lib. IV. de nupt. cap. 5. adducit verba Alexandri lib. IV. consil. 56. *Quale hoc sacramentum, cujus etiam excommunicati sunt participes?*

Antitheſis & argumenta pontificiorum. I.) Ex ſcripturae dictis.

§. XXXII. Atque hæc sunt nostræ sententiæ fundamenta, quorum tamen quædam sunt *primaria* ac *principalia*, quædam vero duntaxat *secundaria*. Pontificiorum argumenta proponit Bellarminus de matrimon. sacram. cap. II. *Primam* classem deducit *ex scripturæ dictis. Ut matrimonium* (inquit) *veri nominis sacramentum esse probemus, tria probanda erunt:* 1.) *matrimonium a Deo esse institutum, non solum ad genus propagandum, sed etiam ad rem aliquam sacram significandam, & homines, qui ita junguntur, sanctificandos;* 2.) *esse symbolum rei sacræ;* 3.) *habere promissionem gratiæ justificantis.* Quod ad *primum* attinet, agnoscimus *conjugium esse divinitus institutum*, ut mediante eo genus humanum, & consequenter ecclesia propagaretur; sed negamus ideo a Deo institutum esse, ut sit sacramentum proprie sic dictum, id est, medium, per quod promissio gratiæ evangelio propria offeratur, & credentibus adplicetur, confirmetur & obsignetur. Divina conjugii institutio nequaquam probat, esse illud sacramentum proprie sic dictum, alias magistratus & omnis bona ordinatio esset sacramentum, sed esse statum vitæ Deo placentem. Concedimus, *conjugium esse rei sacræ signum*, & per illud adumbrari arctissimam conjunctionem & amorem Christi sponsi, & ecclesiæ sponsæ, ac proinde hoc intuitu & respectu generali quadam vocis significatione vocari posse sacramentum; sed negamus esse actionem sacramentalem proprie dictam, per quam adplicetur & obsignetur gratia reconciliationis & remissionis peccatorum. Quomodo ergo Bellarminus probat, matrimonium esse institutum ad homines, qui ita junguntur, sanctificandos? *Nonnulli* (inquit) *laboriose illud probare nituntur ex obscuris quibusdam scripturæ locis, ut ex Matth. XIX.* 6. Quos Deus conjunxit, homo non separet; *sed non est opus hac in re laborare. Nam si probemus, matrimonium esse signum rei sacræ, cui sit adnexa certa promissio gratiæ; sequetur inde necessario, a Deo esse institutum, etiamsi locum scripturæ non habeamus, ubi expressa mentio fiat hujus institutionis, neque enim potest ullus homo, vel angelus ejusmodi signum instituere.* Resp. 1.) Non est alia conjugii institutio in nov. quam in vet. test. quia regulam illam matrimonialem: *quod Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. XIX. 6. Christus repetit ex primæva institutione. Ergo si conjugium vi ac vigore divinæ institutionis ac verborum illorum Christi est sacramentum; utique etiam in vet. test. fuit sacramentum, quod tamen Bellarminus negat. 2.) Matrimonium institutum esse, ut sit rei sacræ signum, concedimus; sed addimus, non esse eum finem principalem institutionis, sed secundarium ac minus principalem, vel adjunctum: quia principalis finis, propter quem matrimonium est institutum, exprimitur in primævæ institutionis verbis, quod uxor debeat esse viro adjutorium in generatione & educatione sobolis ad generis humani, & consequenter ad ecclesiæ propagationem. Jam vero sacramentorum proprie sic dictorum finis principalis est, quod sunt signa rei sacræ, eandem scilicet conferentia & obsignantia. 3.) Nec quodvis signum, nec cujusvis gratiæ signum efficit sacramentum; sed signum oportet esse conferens, adplicans & obsignans, gratiam oportet esse evangelio propriam, ut suo loco demonstratum fuit. Jam vero tale signum ac talis gratiæ signum non est conjugium. 4.) Institutionem divinam a signo rei sacræ in conjugio Bellarminus cap. 1. distinguit, &

concedit, *quosdam posse retinere integritatem doctrinæ de divina matrimonii institutione, qui tamen negent matrimonium esse sacræ rei signum*, id est, symbolum, cui promissio justificantis gratiæ sit adnexa. Sed in hoc cap. II. hæc duo invicem arcte connectit, & ex eo, quod conjugium sit rei sacræ signum, divinam ejus institutionem probat. Si hæc duo sunt immediate connexa, conjugium esse signum rei sacræ, hoc est, proprie dictum sacramentum, & conjugium esse divinitus institutum, utique qui negat unum, negat etiam alterum. Si dicas, *Bellarminum non simpliciter divinam conjugii institutionem ex eo probare, quod sit sacræ rei signum, sed institutionem sacramentalem.* Resp. quodlibet sacramentum habet propriam institutionis sedem in qua verbis claris & perspicuis ejus natura proponitur. Talem vero hujus sacramentalis institutionis (per quam contractus conjugii a Christo in sacramentum fuerit evectus, & ejus natura, quam habuit in vet. test. in aliam mutata) genuinam ac propriam sedem nondum potuerunt pontificii ostendere. Frustra igitur ex eo, quod conjugium sit sacræ rei signum, sacramentalem institutionem evincere laborant.

Eph. V. 32. Mysterium hoc magnum est, &c.

§. XXXIII. II.) Sed videamus, quomodo probet Bellarminus, conjugium esse tale signum talis gratiæ, de quo proprie hoc loco quæritur. Adducit locum Eph. V. 32. *Sacramentum hoc magnum est, dico autem in Christo & ecclesia*, circa quem tria notari jubet: 1.) *catholicos non ex sola voce sacramenti, quæ in vulgata versione habetur, colligere, matrimonium esse sacramentum proprie dictum, cum in multis aliis vet. ac nov. testamenti locis eadem vox sacramenti habeatur;* Tob. XII. Daniel. II. Col. I. 1 Tim. III. Apoc. I. & XVII. Eph. I. & III. *sed ex toto contextu probare, quod matrimonium sit signum seu symbolum sacrum.* 2.) *Sacramentum hic non accepi pro ipsa re arcana & sacra, sed pro signo rei sacræ, nec in ipsa conjunctione Christi & ecclesiæ illud sacramentum statui, sed in signo illius conjunctionis, in indissolubili scilicet unius maris & unius fœminæ vinculo.* 3.) *Magnum illud sacramentum non ad conjugium Adami & Evæ, sed ad nuptias fidelium referri.* Eumdem locum urgent Gregorius de Valentia libr. de num. sacram. cap. VII. pag. 343. Costerus in enchirid. & alii. Resp. Cajetanus & Erasmus agnoscunt locum hunc non esse satis firmum ac stabile sacramenti fulcrum. Sic enim Cajetanus in comment. *Non habet ex hoc loco prudens lector a Paulo, conjugium esse sacramentum.* Erasmus in comm. pag. 428. *Non voco in dubium, an sacramentum sit matrimonium, sed dico, id ex his apostoli verbis non admodum efficaciter colligi, siquidem particula adversativa:* ego autem, *satis indicat, hoc magnum mysterium ad Christum & ecclesiam pertinere, non ad maritum & uxorem, &c. Simili colore usus est Paulus in epistola ad Corinthios priore, & propter conscientiam, mox excusurus errorem subnectit:* Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. *Tum, ut dicere coeperam, hoc loco græca vox non proprie sacramentum significat, cujusmodi septem vocat ecclesia, sed arcanum ac secretum, quo verbo frequenter usus est Paulus & de aliis, quæ longe absunt a natura sacramentorum.* Idem in 1 Cor. VII. pag. 331. *Quod Paulum secuti veteres matrimonium aliquoties vocant sacramentum, id sentiunt, opinor, in copula viri & uxoris, quoniam est arctissima amicitia, repræsentari typum quemdam & imaginem Christi, sponsam ecclesiam sibi copulantis. Et est quidem omnino res sancta sacraque matrimonium rite servatum, & tamen potest esse typus rei sacræ, quod per se sanctum non sit, velut Bethsabea erepta Uriæ & David juncta, & Oseæ prophetæ fornicatio, quod palam testatur Hieronymus.* Ac rursus: *Nihil est necesse, ut typus per omnia respondeat, alioquin sacramentum*

non

non erit, ubi quis sterilem habeat uxorem, aut ubi uxor fert maritum ebriosum aut infamem aut aleatorem. Ut demus interim, matrimonium hic accipi pro vero sacramento, sacramentum non erit, ubi vetulus ducit vetulam, ebrius ebriam, & tamen ecclesia agnoscit sacramentum. Ne in hoc quidem conveniet, quod in nostro connubio uxor adligata sit viro, & vir vicissim sit in potestate uxoris, cum Christus nullo pacto nobis sit obligatus. Alia sexcenta referri poterant, in quibus imago non respondet matrimonii humani & mystici. Hæc omnia Erasmus. Quod rem ipsam attinet; 1.) concedimus, *matrimonium esse signum rei sacræ;* sed ex eo sequi negamus, quod sit sacramentum proprie dictum, ut constare potest ex iis, quæ describunt, quale signum & qualis gratiæ signum in sacramento requiratur. 2.) *Mysterii* vox in textu apostolico utrumque complectitur, tum ipsam rem arcanam & sacram, conjunctionem scilicet Christi & ecclesiæ, tanquam signatum, tum signum illius rei arcanæ & sacræ in conjunctione maris & fœminæ propositum, unde patres sacramentum illud quandoque referunt ad conjunctionem Christi & ecclesiæ, puta tanquam ad signatum, quandoque vero ad conjunctionem mariti & uxoris, tanquam ad signum. Prius constat ex Augustini tract. IX. in Joh. circa medium: *Erunt duo* (inquit apostolus) *in carne una, sacramentum hoc magnum est. Et ne quis istam magnitudinem sacramenti in singulis quibusque hominibus uxores habentibus intelligeret, subjicit:* Ego autem dico in Christo & ecclesia; *quod est hoc sacramentum magnum, erunt duo in carne una, &c.* In lib. I. de nupt. & concup. cap. 21. *Quod in Christo & in ecclesia est magnum sacramentum, hoc est in singulis quibusque viris atque uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabile sacramentum.* Posterius constat ex eodem Augustino lib. ejusd. cap. 10. *Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde dicit apostolus:* Viri diligite uxores vestras; *ubi conjugium ipsum vocat sacramentum, quia scilicet figuram sacramenti sive rei arcanæ continet,* perinde ut idem libr. II. de symb. ad catech. cap. 2. collisionem infantum in utero Rebeccæ vocat *magnum sacramentum*, id quod statim sic explicat, *quod fuerit figura magni sacramenti.* Ambrosius in comment. *Mysterii sacramentum grande in unitate viri & fœminæ esse significat.* Chrysostomus homil. XX. in epist. Eph. *Revera mysterium est & magnum mysterium, relicto eo, qui genuit, eo, qui aluit, etiam ea, quæ peperit, quæ misere & cum labore parturivit, adhærere virum illi, quæ antea neque visa sit, atque hanc omnibus præferre. Vere mysterium est, &c.* Subordinata igitur sunt, *mysterium illud esse in conjunctione Christi & ecclesiæ*, atque idem *esse in conjunctione viri & uxoris;* in ea enim est, ut sic loquar *terminative*, quia ad illam designandam tanquam ad terminum *ad quem* refertur mariti & uxoris conjunctio; in hac vero est *significative & inchoative*, quia ab ea tanquam a termino *a quo* incipit illa relatio & significatio, unde notanter dicit apostolus, μυστηριον illud esse εἰς χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, *in Christum & ecclesiam.* Syrus habet particulam ל indicans conjunctionem Christi & ecclesiæ esse terminum *ad quem* illius mysterii sive mystici signi, quod indissolubili maris & fœminæ conjunctione proponitur, quod unum si probe observetur, facile adparet, quid statuendum sit de Bellarmini argumentis, quibus probat, *mysterium illud in conjugio humano viri & fœminæ quærendum*, quod facile concedimus, sed addimus, conjugium esse & dici mysterium magnum non in se, sed quia deducit nos ad mysterium magnum, quod in Christi & ecclesiæ conjunctione nobis proponitur, cujus significationem & imaginem continet. Usurpatur enim utroque modo vox *mysterii* in scripturis: a.) ut denotet ipsam rem sacram, arcanam & mysticam;

Mysterii significatio.

Matth. XIII. 11. Rom. XVI. 25. 1 Cor. IV. 1. &c. *b.*) ut signum sive adumbrationem rei alicujus arcanæ & mysticæ significet, Apoc. I. 20. XVII. 7. Prior significatio, ut est frequentior ac principalior, ita vel maxime etiam in hoc dicto apostolico locum habet. Quamvis vero etiam posterior significatio quodammodo hic admittatur, quod ipsum conjugium dicatur *magnum mysterium*; ex eo tamen nondum inferri potest, quod sit tale aliquod mysterium sive sacramentum proprie dictum, de quo hoc loco quæritur. Quod si enim ex voce mysterii generaliter pro quovis signo rei sacræ & mysticæ posita, mysterium specialiter ac proprie dictum sacramentum inferri posset, tot essent constituenda nov. test. sacramenta, quot rebus mysterii adpellatio in scripturis tribuitur, qua ratione septenarius numerus concludendis in se nov. test. sacramentis non futurus esset sufficiens. Præsto sunt etiam alia signa beneficiorum Christi in ecclesia, quæ tamen propterea non statim adnumeranda sunt sacramentis proprie sic dictis; cum plura omnino ad sacramentum proprie sic dictum requirantur, quam ut aliquid quocunque modo sit sacræ rei signum. Causam efficientem Deum, & finem generalem, mysticam scilicet significationem, talia signa divinitus ordinata cum sacramentis obtinent communem; sed formam sacramenti propriam, & specialem finem in exhibitione & obsignatione gratiæ justificantis positum minime obtinent, quod ipsum etiam de conjugio dicimus. 3.) Id vero Bellarmino neutiquam concedere possumus, *mysterium illud tantum in nuptiis nov. test. non autem in Adæ & Evæ conjugio ab apostolo statui*; quia apostolus adducit primævam conjugii institutionem, & ex ea infert, in indissolubili conjugii vinculo adumbrari magnum illud mysterium conjunctionis Christi & ecclesiæ: jam vero primæva conjugii institutio non in nov. demum test. promulgata est, sed statim ab initio mundi; nec pertinet tantum ad fideles nov. test. sed ad primos etiam conjuges. Quin imo si textum apostolicum adcurate intueamur, apostolum non solum in conjugii vinculo, sed etiam in conjugum ortu mysterium illud quærere videbimus. Gen. II. 23 Adamus conjugem ex costa laterali divino artificio exstructam intuens, dicit: זֹאת הַפַּעַם, *hoc tandem os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quapropter vocabitur viriſſa, quia de viro ſumta eſt.* Id apostolus adcommodat ad Christum & ecclesiam exstructam prædicatione verbi & administratione sacramentorum, quorum materia ex latere Christi in cruce obdormientis profluxit. Eph. V. 30. *Membra ſumus corporis ejus ex carne ejus & ex oſſibus ejus.* Gen. II. 24. Proponitur lex conjugalis ab Adamo dictante Spiritu sancto, vel potius ab ipso Deo immediate promulgata, quia Matth. XIX. 5. ipsi Deo illa verba tribuuntur: *Relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Id apostolus ad conjunctionem Christi & ecclesiæ adcommodat subjiciens Eph. V. 32. *myſterium hoc magnum eſt, dico autem in Chriſto & eccleſia.* Quamvis ergo posterior significatio mystica, quam proponit apostolus, in omni omnino legitimo conjugio locum habeat; prior tamen non nisi in Adæ & Evæ conjugio reperitur, ac proinde, si utramque analogiæ partem in conjugii vinculo & conjugum ortu positum respiciamus, ea non nisi in Adæ & Evæ conjugio reperitur, sin unam duntaxat partem, conjugii scilicet vinculum, ea est in omni legitimo matrimonio, absurdum igitur est statuere, *apostolum hic tantum ad fideles conjuges in nov. test. nequaquam vero ad primorum parentum conjugium respexiſſe.* Contrarium demonstramus hoc argumento: De illo conjugio testatur apostolus, quod sit adumbratio magni mysterii, arctissimæ scilicet conjunctionis inter Christum & ecclesiam, quod est vinculum indissolubile. Jam vero non tantum piorum conjugium in nov. test. est vinculum indissolubile, sed etiam conjugium Adæ & Evæ, ac aliorum in vet. test. conjugium. Ergo non tantum de piorum

in

in nov. test. conjugio, sed etiam de Adæ & Evæ ac aliorum in vet. test. conjugio testatur, quod sit adumbratio magni illius mysterii. Idem nobiscum statuit Hieronymus, qui in comm. h. l. de Adæ & Evæ conjugio dictum apostolicum intelligit. Id ipsum multis confirmat Pererius in comm. Genes. II. *Quemadmodum* (inquit) *ex Adami dormientis latere formata est Eva, ita ex latere Christi morientis profluxit sanguis & aqua, unde condita est ecclesia; ideo voluit Deus mulierem esse ex viro propter figuram, etenim conjunctio Adam & Evæ continebat sacramentum illud magnum, de quo Paulus dicit Eph. V. Ego dico de Christo & ecclesia.* Imo ipse Bellarminus titubanter: *Hieronymus videtur hunc locum Eph. V. intellexisse de conjugio Adami & Evæ.* Item: *Negari non potest Adamum & Evam figuram gessisse Christi & ecclesiæ, in eo quod Eva de latere dormientis Adami formata est.*

§. XXXIV. Quomodo igitur probat Bellarminus, magnum sacramentum ab apostolo non ad conjugium Adæ & Evæ, sed tantum ad nuptias fidelium in nov. test. referri? Producit hæc fundamenta: 1.) *Verba ex Genesi citata:* relinquet homo patrem & matrem, &c. *de omni conjugio intelliguntur, non enim dicit, ego relinquam, sed indefinite, relinquet homo; imo conjugio primorum parentum verba illa non possunt adcommodari, non enim reliquit Adam patrem & matrem, ut uxori adhæreret, cum nullos parentes habuerit, & de futuris loquitur conjugiis, cum dicit, relinquet, non igitur de suo, quod jam noverat factum.* Resp. prior analogia in ortu conjugum posita tantum in Adæ & Evæ conjugio locum habet, posterior analogia sive mysterii significatio in conjugii vinculo posita, in omni legitimo conjugio sive tempore vet. sive nov. test. contrahatur, locum obtinet. Verba enim illa: *relinquet homo patrem & matrem*, continent divinam conjugii institutionem, institutionis ejusdem promulgationem, & conjugii divinitus instituti ac promulgati petuam legem, quæ ad omne omnino legitimum conjugium pertinent, quod scilicet debeat esse unius viri ac unius fœminæ indissolubilis conjunctio; unde vocem אִישׁ Pagninus vertit *unusquisque*, quivis scilicet homo legitimum conjugium iniens, & legibus ejus se reverenter subjiciens, quam significationem in multis scripturæ locis particula illa obtinet. Quod si ergo de omni conjugio verba illa intelliguntur, utique etiam de Adæ & Evæ conjugio, quia genus includit omnes suas species, & absit, ut dicamus, conjugium Adæ & Evæ non habuisse divinam institutionem. Aut ergo quærenda alia conjugii institutio pro primis parentibus, quam quæ in hisce verbis proponitur, aut concedendum, hæc verba institutionem conjugii complectentia etiam ad Adæ & Evæ conjugium pertinere. Frivolum est, quod Bellarminus regerit, *Adamum non reliquisse suum patrem, ideo de ipsius conjugio verba illa non posse intelligi.* Quid enim? num de illis, qui parentibus jamdum mortuis conjugium ineunt, dicemus, quod ad illos verba institutionis conjugalis non pertineant, cum non amplius habeant parentes, quos relinquere possint? Nugæ hæ sunt ex ignorantia phraseos ortæ: *Relinquere patrem & matrem*, Spiritui sancto quid significet, non opus est dubiis conjecturis, cum statim addatur, & *adhærebit uxori suæ;* sensus igitur est, quod maritus arctissimo maritalis fœderis vinculo uxori conjungatur, eandem intime diligat, proprium domicilium, relicto etiam parentum consortio, si in vivis adhuc sunt, cum ea quærat, adeoque *una caro* cum ipsa fiat. Ejusdem ponderis est argutia, quam in verbo *futuri temporis* Bellarminus quærit, in verbis enim divinam institutionem ac mandatum præscribentibus *futura* ponuntur pro *imperativis*, ut vel ex decalogi promulgatione constat. 2.) *Christus Matth. XIX. ex loco Geneseos concludit, matrimonium non posse dissolvi, nec voluit id docere, matrimonium Adæ & Evæ non esse solvendum, quod jam ante per*

mortem dissolutum erat, sed conjugia indefinite & in genere, de quibus a Judæis interrogatus fuerat, non debere dissolvi. Resp. concedimus verba illa non de solo Adæ & Evæ conjugio esse intelligenda, quia continent generalem institutionem & præceptum ad omnes conjuges pertinens; negamus vero, non posse simul de Adæ & Evæ conjugio eadem accipi. Illud enim ut divina autoritate non minus quam posterorum conjugia erat initum, ita juxta legis hujus matrimonialis divinitus promulgatæ normam itidem erat indissolubile vinculum, quamdiu scilicet uterque conjugum in vivis exstitit; neque enim indissolubilitatem per mortem, sed per voluntarium & temerarium divortium Christus ex verbis illis mosaicis deducit. Dissolutioni per mortem omne omnino conjugium est expositum, ad indissolubilitatem per temerarium divortium omne conjugium hac lege est adstrictum. Bellarminus hæc confundens scopas dissolutas in argumento suo proponit. Si enim valet hæc illatio: *Conjugium Adæ & Evæ per mortem jam erat solutum. Ergo ad illud non pertinent verba mosaica;* relinquet homo patrem & matrem, quos Deus conjunxit, homo non separet, &c. possum eadem ratione inferre, ad nullum piorum in vet. test. conjugium verba illa adcommodari posse, sicque absque divina institutione conjugia in vet. test. fuisse contracta, quia omnia per mortem jam erant soluta, cum Christus divinam illam conjugii institutionem repeteret. Regula semper manet eadem ac sibi similis, licet exempla ad regulam adcommodata mutationi & interitui sint subjecta. Lex in civitate sibi semper similis manet, licet cives ad legis obedientiam adstricti morti sint obnoxii. 3.) *Apostolus Eph. V. ex verbis illis Geneseos probat generalem propositionem, quod viri debeant uxores suas diligere, ergo de omni conjugio verba intelligit.* Resp. concedimus totum, & addimus: Si de omni, utique etiam de Adæ & Evæ conjugio, utique etiam de piis conjugibus vet. test. utique de conjugibus nov. test. etiam illis, qui matrimonium contraxerant, antequam apostolus hanc suam ad Ephesios epistolam scriberet. Quotquot enim conjuges debent se invicem diligere, ad illos vi apostolicæ illationis pertinent verba mosaica. Jam vero omnes omnino conjuges debent se invicem diligere. Ergo ad omnes pertinent verba mosaica. Ulterius: Ad omnes omnino conjuges pertinent verba mosaica. Quidam conjugum jamdum diem obierant suum, cum apostolus hæc scriberet. Ergo ad quosdam, qui diem obierant suum, verba mosaica pertinent, & per consequens ex eo, quod Adæ & Evæ conjugium multis annorum millibus jam erat dissolutum, cum Christus verba illa Geneseos repeteret, concludi nequit, verba illa mosaica non debere nec posse ad conjugium Adæ & Evæ referri. Denique de quo conjugio verba mosaica interpretatur apostolus, de eodem dicit, quod sit magnum mysterium, ut constat ex evidentia textus. Jam vero de omni conjugio, legitimo scilicet, verba mosaica interpretatur apostolus, ut Bellarminus agnoscit. Ergo de omni conjugio dicit, quod sit magnum mysterium, hoc est, ut Bellarminus interpretatur, sacramentum proprie sic dictum. At hoc repugnat Bellarmini hypothesibus; statuit enim, conjugium esse sacramentum novæ legis, hoc est, nov. test. proprium. Videt igitur se in concedendo nimis liberalem fuisse, ideo addit: *Quamvis verba illa mosaica de omni conjugio intelligi possint; tamen apostolus non ponit in eo sacramentum, nisi ut ad conjugium christianorum refertur.* Sane si *christianorum* nomen generaliter accipiatur pro omnibus, qui in Christum vel sperarunt promissum, vel crediderunt in exhibitum & missum, sicut pii in vet. test. vocantur Meschiani, מְשִׁיחִים Psalm. CV. 15. concedimus, in omni christianorum conjugio esse illud sacramentum, hoc est, omne & quodlibet legitimum conjugium esse signum & imaginem arctissimæ conjunctionis inter Christum & ecclesiam. Sed Bellarminus nomen

men *christianorum* stricte accipit pro credentibus in Christum jam exhibitum in novo testamento Act. XI. 26. Unde ex Thoma Aquinate & Ruardo Tappero subjungit, *in solo nov. test. matrimonium repræsentare conjunctionem Christi & ecclesiæ.* Id vero negamus; quia mystica illa significatio cum prima conjugii institutione initium sortita est, ac dependet ab ipsa conjugii forma, indissolubili scilicet maris & fœminæ conjunctione, quæ cum in conjugio etiam vet. test. tempore habuerit locum, utique etiam mystica illa significatio a conjugio in test. vet. separari nequit. Urget Bellarminus verba apostoli, quod dicit, *sacramentum hoc magnum non fuisse, sed esse in Christo & ecclesia*; & ex eo inferre conatur, *matrimonium non esse sacramentum, nisi in ecclesia*, ut Augustinus de bono conjugali adfirmat. Sed inclusio unius non est exclusio alterius. Conjugium in nov. test. est signum illius conjunctionis inter Christum & ecclesiam; sed ex eo non sequitur, quod in vet. test. non fuerit signum conjunctionis inter Christum & ecclesiam. Quotiescunque enim Deus suum fœdus gratiæ & amorem erga pios declarat conjugii typo, quod fit sæpissime, Ezech. XVI. 8. Oseæ II. 7. &c. quoties sese vocat *sponsum ac maritum ecclesiæ*; Esaj. LXI. 10. LXII. 5. toties ad mysticam illam significationem in conjugio propositam ipsos deducere voluit. Quod matrimonium *non nisi in ecclesia* sacramentum esse dicitur, in eo duplex ambiguitas latet. Vel enim tantum de ecclesia nov. test. intelligitur, vel in genere de ecclesia vet. ac nov. test. Priorem explicationem amplectitur Bellarminus; sed constat, Deum etiam in vet. test. habuisse ecclesiam. Bellarminus quidem differit lib. III. de eccles. mil. cap. 1. *Populum vet. test. proprie dici synagogam, populum nov. test. nusquam dici synagogam, sed semper ecclesiam, id est, evocationem*; sed quid de eo statuendum sit, expositum fuit in tract. de eccles. §. 5. Quod si in sensu posteriore dicitur, in sola ecclesia, id est, Dei populo matrimonium esse sacramentum, id est, sacræ rei signum; iterum id ambiguum, vel enim intelligitur hoc ratione *institutionis*, vel ratione *notitiæ* ac *manifestationis*. Respectu institutionis de omni conjugio etiam apud gentiles celebrato, (modo juxta leges divinæ institutionis sit unius maris ac unius fœminæ legitima & indissolubilis conjunctio) recte dicitur, quod sit sacramentum, id est, signum conjunctionis inter Christum & ecclesiam, quia inter reliquos institutionis fines etiam hic est, quod conjugium debeat esse tale signum. Ut ergo conjugia gentilium non differunt a conjugio piorum in ecclesia, ratione causæ efficientis principalis, materiæ, formæ & reliquorum finium, ita etiam non differunt ab eo in hoc secundario fine. Respectu notitiæ & manifestationis de solis conjugiis in ecclesia celebratis dicit Augustinus, quod sint sacramentum, quia in sola ecclesia viget notitia & manifestatio illius mysterii de arctissima conjunctione Christi & ecclesiæ. Si dicas: *conjunctio illa Christi & ecclesiæ complectitur non solum spiritualem caritatem, sed etiam naturæ conformitatem, quod* simus os ex ossibus ejus, & caro de carne ejus, Eph. V. 30. *jam vero illa naturæ conformitas demum coepit in nov. test. posiquam scilicet λόγος carnem & sanguinem adsumsit. Ergo conjugium in vet. test. non potuit conjunctionem illam denotare*; resp. conjunctionem Christi & ecclesiæ respectu caritatis spiritualis designavit ut *præsentem*, respectu conformitatis in natura ut *futuram*, quod sufficit ad signi rationem. Denique si vel maxime concederemus, conjugium in nov. demum test. hanc relationem esse sortitam, quam non habuerit in test. vet. quod significet conjunctionem Christi cum ecclesia; nondum tamen evictum foret, esse sacramentum proprie dictum, eo scilicet modo, quo baptismus & eucharistia sunt sacramenta, quia ad tale sacramentum non sufficit quodcunque nec cujuscunque rei sacræ signum, sed signum exhibens, adplicans & obsignans gratiam evangelio propriam, ut sæpius fuit dictum.

§. XXXV.

Promissio gratiae an in conjugio detur?

§. XXXV. III.) *Promissionem ergo gratiæ*, quod erat tertium requisitum, conjugio esse additam, quatuor scripturæ dictis Bellarminus confirmat: 1.) Eph. V. *Conjugium statuitur signum conjunctionis Christi & ecclesiæ, non solum per naturæ conformitatem, sed etiam per spiritualem caritatem; at non posset id significare, nisi inter virum & uxorem præter civilem contractum esset etiam unio spiritualis animorum. Quodsi Deus virum & foeminam conjungit ad hunc finem, ut spirituali sua unione unionem spiritualem Christi & ecclesiæ significent, sine dubio illis gratiam largitur, sine qua spiritualem illam unionem non haberent.* 2.) 1 Tim. II. 15. Salvabitur mulier per generationem filiorum, si permanserit in fide & dilectione; *ubi quatuor bona enumerat matrimonii christiani contra quatuor mala, quæ sine gratia Dei in matrimonio evitari non possunt, primum est, non servare conjugi fidem, secundum odium & rixæ, quæ subinde inter conjuges oriuntur, tertium immunditia quædam & turpitudo ex rebellione membrorum, quartum intemperantia. His Paulus opponit fidem, dilectionem, sanctificationem & sobrietatem, in quibus permanendum esse dicit, tanquam in ipsa matrimonii celebratione acceptis.* 3.) 1 Cor. VII. *apostolus* donum Dei *vocat matrimonium, ut ipsam virginitatem.* 4.) 1 Thess. IV. 3. 4. *hortatur conjuges, ut* abstineant se a fornicatione, & vas suum possideant in sanctificatione, *quam scilicet per matrimonium acceperunt.* Resp. in genere: 1.) Talis promissio gratiæ sacramentis proprie dictis est addita, per quam fiunt salutaria organa & media, quibus promissio gratiæ de remissione peccatorum, reconciliatione cum Deo & vita æterna hominibus offertur, & credentibus adplicatur & obsignatur, ut suo loco fuit demonstratum. Jam vero in conjugio non est talis promissio gratiæ, ut hoc ipso in loco Bellarminus fatetur, &c enim scribit §. *Et confirmatur &c. Notandum est illud*, per *filiorum generationem positum esse, pro* in *filiorum generatione; non enim significare vult apostolus, filiorum generationem esse causam salutis, sed mulierem in statu matrimonii sive in statu generandi filios salvam fore, si permanserit in fide, unde tolluntur illæ quæstiones, quas quidam proponunt, quomodo salvari potuerunt virgines & steriles, si mulier salvatur per filiorum generationem, &c.* Ergo conjugium non est sacramentum proprie dictum. 2.) Unio spiritualis animorum, id est, caritas conjugalis, evitatio scortationis & adulterii, id est fides conjugalis non solum in conjugio fidelium in ecclesia, sed etiam in conjugio infidelium locum habere possunt, ut ostendunt exempla a Valerio Maximo libr. IV. cap. 3. libr. V. cap. 1. adducta; nec solum in ecclesia, sed etiam extra ecclesiam matrimonium est Dei donum; quod si ergo ex his argumentis evinci posset, conjugio esse additam promissionem gratiæ sacramentalis, utique etiam extra ecclesiam conjugium esset sacramentum. 3.) Deus piis precibus a conjugibus & ecclesia invocatus sua gratia & benedictione adest conjugio piorum, largitur ipsis fœcunditatem, felicem successum in œconomia, prosperam liberorum educationem, &c. Ps. CXXVIII. 2. 3. conjungit ipsorum animos, ut velint ac possint individuam vitæ societatem colere, fidem conjugalem servare, amore invicem conglutinari, & in illo nexu indissolubili permanere, &c. Sed hæc omnia nondum constituunt illam gratiam, cujus promissio ad sacramentum proprie dictum requiritur, quia Deus etiam aliis vitæ statibus ac ordinibus benedictionem suam promisit, qui tamen non sunt sacramenta; requiritur autem ad sacramentum proprie dictum promissio de gratia evangelio propria, id est, de remissione peccatorum, per illum ritum adplicanda & obsignanda, qualis in conjugii institutione non est expressa. 4.) Ubi adest promissio gratiæ, ibi datur sacramentum proprie dictum, juxta Bellarmini hypothesin. Sed promissio

gra-

gratiæ, quam Bellarminus ex his dictis describit, locum habet non solum in conjugio piorum in novo, sed etiam in vet. test. quia præceptum apostolicum, quod *viri diligere debeant suas uxores, sicut Christus ecclesiam dilexit, & uxores viris obedire, sicut ecclesia obedit Christo;* quod conjuges *abstinere debeant a fornicatione, & vas suum possidere in sanctificatione;* encomium matrimonii, quod *sit Dei donum* & sancta ejus ordinatio; παραμύθιον Paulinum, quod *mulier salvetur per filiorum generationem*, id est, quod in statu matrimonii, sive in statu generandi filios salva sit futura, si permanserit in fide, dilectione & sanctificatione, hæc, inquam, omnia pertinent ad pios conjuges tam in vet. quam in nov. test. Ergo conjugium piorum in vet. test. etiam fuit sacramentum, quod tamen totis viribus negat Bellarminus. 5.) Quid quod præceptum apostolicum 1 Thess. IV. 4. juxta plurimorum opinionem est generale ad omnes omnino homines, etiam eos, qui extra conjugium vivunt, pertinens, ut colligitur tum ex generalitate subjecti ἕκαστος ὑμῶν, tum ex voce πορνείας v. 3. & ex πάθει ἐπιθυμίας v. 5. sanctificationi in *prædicato* oppositæ, qua ratione per τὸ σκεῦος intelligitur cujusque corpus, quod est animæ instrumentum; quam interpretationem sequuntur Tertullianus, Ambrosius & Theophylactus, ac ad eam adcommodant dictum apostolicum 2 Cor. IV. 7. *habentes thesaurum in vasis fictilibus*, qua de re plura inferius. Quomodo igitur ex illo loco colligi potest, conjugio esse additam promissionem gratiæ sacramentalis, & quidem non omni, sed duntaxat nov. test. conjugio?

II.) ex patrum testimoniis.

§. XXXVI. *Alteram* argumentorum classem Bellarminus cap. III. deducit ex *patrum testimoniis*, ubi adfert dicta *Leonis* lib. I. epist. 92. ad Rustic. *Chrysostomi* homil. XX. ad Ephes. *Ambrosii* lib. I. de Abrah. c. 7. & in comm. 5. Ephes. *Siricii* epist. I. *Innocentii* epist. IX. *Cyrilli* libr. II. in Johan. cap. 22. *Augustini* libr. IX. de Genes. ad liter. cap. 7. de fide & operib. cap. 7. & alibi passim. *Resp.* nomine *sacramenti* patres quandoque utuntur *late* pro quovis sacræ rei signo, quandoque vero *stricte* pro actione divinitus instituta, in qua fiat solennis administratio certæ rei peculiari verbo ordinatæ ad adplicandam & obsignandam gratiam evangelio propriam. Quando matrimonium vocant sacramentum, generatim & late accepta voce sic adpellant, quod probamus: 1.) Ex *scripturæ judicio.* Patres omnia sua dicta & scripta subjecerunt judicio scripturæ sacræ, ut alibi fuit ostensum. Jam vero scriptura docet, duo esse tantum sacramenta nov. test. proprie sic dicta, vide tract. de circum. & agno pasch. §. LIII. Ergo huic scripturæ judicio conformanda sunt patrum dicta. 2.) Ex *ipsorum patrum usu.* Negari enim nulla veritatis specie potest, quod *sacramenti* nomine quandoque satis laxe & generaliter utantur, idque tribuant quibusvis rei sacræ signis. Cyprianus epist. LXXII. ad Stephanum (juxta Pamelii & Goulartii editionem, vel lib. II. epist. 1. juxta Erasmi & Manutii editionem) *impositionem manuum*, cum qua recipiebantur in ecclesiam ii, qui ab hæreticis baptizati fuerant, vocat sacramentum. Augustinus lib. II. de peccat. merit. & remiss. cap. 26. *panem sanctificatum*, qui dabatur catechumenis loco eucharistiæ, vocat sacramentum, de quo tamen expresse addit, quod non sit corpus Christi. libr. II. de symb. ad catechum. cap. II. *certamen infantum in utero Rebeccæ* vocat magnum sacramentum. *In quibus parvulis* (inquit) *quasi ludentibus & sacramentum magnum exhibentibus & reprobi in Esau demonstrantur Judæi, & prædestinati in Jacob adparent christiani.* Bernhardus serm. de cœna Dom. *lotionem pedum* vocat sacramentum. Cassander in consult. art. XIII. *Non temere quemquam reperies ante Lombardum, qui certum aliquem ac definitum sacramentorum numerum statuerit.* 3.) Ex *ipso verborum contextu.* Si dicta patrum, in quibus

bus matrimonium vocant sacramentum, diligenter expendantur, facile adparebit, generali & lata significatione ab illis sic vocari. Leo epist. XCII. ad Rustic. Narbonensem: *Cum societas nuptiarum ab initio ita constituta sit, ut, præter sexuum conjunctionem, habeat etiam in se Christi & ecclesiæ sacramentum, dubium non est, eam mulierem etiam non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.* Si nomen *sacramenti* in his verbis accipiatur stricte, consequens foret, matrimonium etiam in vet. test. fuisse sacramentum, quod Bellarminus non concedit; generali igitur significatione ita adpellatur, quia scilicet adumbrationem spiritualis conjunctionis & amoris inter Christum & ecclesiam continet. Chrysostomus & Ambrosius *mysterii* & *sacramenti* nomen tribuunt conjugio non alia ratione, quam quia mysticam illam Christi & ecclesiæ desponsationem adumbrat. Ambrosius libr. I. de Abrah. cap. 7. dicit, *eum, qui in Deum peccat, sacramenti cœlestis amittere consortium*, nimirum quia committens adulterium, (de qua peccati specie loquitur) excidit beata illa communione, quæ est inter Deum & ecclesiam, quam maris & fœminæ societas in conjugio adumbrat. Si stricte nomen *sacramenti* in verbis Ambrosii quis velit accipere, concedendum foret, etiam tempore Abimelechi, de quo nominatim loquitur, conjugium fuisse sacramentum. Siricius dicit, *sacrilegium committi, cum alter conjugum vivente conjuge ad aliud conjugium transit.* Innocentius adserit, *matrimonium divina gratia fundari, dum celebratur.* Cyrillus scribit, *Christum sanctificasse conjugium, & gratiam nuptiis præparasse, ut aditus hominum in hanc vitam benediceretur.* Sed ex illis omnibus nondum evinci potest, conjugium esse sacramentum proprie dictum; facile enim concedimus, in piorum conjugio Deum piis precibus invocatum adesse sua gratia & benedictione, matrimonium esse a Christo sanctificatum, idemque divina gratia fundari, quin & sacrilegium ab adultero committi; sed hæc nondum efficiunt, ut matrimonium sit proprium novi testamenti sacramentum, quippe ad quod plura requiruntur, ut suo loco fuit demonstratum. Augustinus itidem *sacramenti* rationem in significatione mysticæ conjunctionis inter Christum & ecclesiam unice collocat, libr. de bono conjug. cap. 5. *Usque adeo fœdus illud initum nuptiale cujusdam sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat, quandoquidem vivente viro, a quo relicta est, mœchatur, si alteri nupserit, & ille hujus mali causa est, qui reliquit.* Cap. 18. *Nuptiæ patriarcharum cum multis fœminis sacramentum fuerunt conjunctionis Christi cum multitudine nationum totius mundi, quæ convertuntur ad fidem; nuptias autem Christianorum cum una tantum uxore sacramentum esse unitatis ecclesiæ Christo subjectæ.* Libr. de fide & operib. cap. 7. matrimonium statuit esse *adumbrationem connubii spiritualis, quod initur inter Christum & ecclesiam in baptismo.* Libr. II. contra adverss. leg. & proph. cap. IX. *An & contra apostolum disputaturus de qualitate figurarum atque dicturus, non eum debuisse figuras rerum honestarum de rebus turpibus ducere? crispato vultu exhorret, quando audit gentium doctorem, quod scriptum est de masculo & fœmina*: erunt duo in carne una, *addere & dicere*, sacramentum hoc magnum, ego autem dico in Christo & ecclesia. *Itane vero ubi essent cognoscenda tantæ rei sacramenta, id est, sacra signa, &c.* Horum ac similium locorum evidentia Bellarmino expressit hanc confessionem, quod *Augustinus nomen sacramenti non ubique eodem modo accipiat, sed quandoque largo, quandoque autem stricto.* Probare igitur conatur, Augustinum *sacramenti* nomen stricte acceptum conjugio tribuere: *a.*) quia *absolute & ordinarie sic vocat; b.*) quia *non nisi in ecclesia sacramentum esse dicit, & per hoc matrimonium fidelium, sive Christianorum a matrimoniis gentilium distinguit;*

guit; *c.*) quia *adsumit id tanquam certum ad probandum dogma ecclesiasticum, quod vinculum matrimonii sit insolubile*; *d.*) quia *loquitur eodem modo de baptismo & conjugio, cum de sacramenti ratione disputat.* Sed hæc omnia sunt invalida & imbecillia. Augustinus enim, quamvis *sacramenti* nomen in lata significatione pro quovis *sacræ rei signo* positum, prout ipse definit epist. V. ad Marc. lib. X. de civ. Dei cap. 5. multis rebus, ac inter eas etiam conjugio tribuat, ita tamen plura sacramenta numerat, ut primo, illustri, præcipuo ac distincto loco ponat baptismum & eucharistiam, epist. CXVIII. ad Jan. lib. III. de doctrin. christ. cap. IX. quibus nec conjugium, nec ullum aliud sacræ rei signum ibidem connumerat. *a.*) Non solum conjugium, sed etiam *signum crucis, ritus in baptismo adhiberi solitos, unctionem, &c.* absolute & ordinarie vocat sacramenta libr. XIX. contra Faust. cap. 14. quæ tamen duobus nov. test. sacramentis proprie sic dictis adcenseri nequeunt. Proinde non ex absoluta & ordinaria vocis πολυσήμου usurpatione, sed ex rei ipsius, cui tribuitur, adcurata consideratione judicandum, quo sensu vocula ea sit accipienda. *b.*) Quo respectu in solo Christianorum matrimonio sacramentum ab Augustino statuatur & statui possit, expositum fuit superius. Quæ vero hæc est illatio: Solum Christianorum matrimonium est sacramentum, id est, signum indissolubilis conjunctionis inter Christum & ecclesiam. Ergo est sacramentum proprie dictum? Imo vero plura requiruntur, ut aliquid proprie dictis sacramentis adnumeretur, ut constat ex baptismi & eucharistiæ consideratione. Breviter: conjugium Christianorum a conjugio infidelium non distinguitur sacramentali quadam ratione, sed vera in Christum fide, quæ in Christianis ac piis conjugibus opera conjugalia dirigit ac moderatur, qua infideles & impii sunt destituti, alioquin ipsum vitæ genus ac status utrobique est idem. *c.*) Si vel maxime firmitas & indissolubilitas conjugalis vinculi major esset in conjugio Christianorum, quam in conjugio piorum vet. test. vel in matrimoniis infidelium extra ecclesiam, de quo tamen adhuc quæritur; nondum ex eo evinci posset, conjugium Christianorum in nov. test. esse sacramentum proprie sic dictum, ut ex argumentis nostræ sententiæ constare potest. *d.*) Non simpliciter, nec in iis, quæ ad essentiam sacramenti proprie dicti pertinent, inter conjugium & baptismum collatio ab Augustino instituitur, sed secundum quid, & certo respectu. *Ut sacramentum matrimonii*, inquit libr. I. de nupt. & concup. cap. X. *in illis manet, qui re ipsa a se mutuo separantur, sic baptismus nunquam amittitur, etiamsi quis fide amissa a Christo deficiat.* Nequaquam vero talis instituitur comparatio: Ut baptismus habet externum elementum, cui certo Dei verbo addita est promissio gratiæ evangelio propriæ de remissione peccatorum; ita quoque matrimonium tale elementum & promissionem gratiæ evangelio propriæ continet. At si matrimonium esset sacramentum proprie sic dictum, talis omnino institui ab Augustino debuisset comparatio, quod ab eo nec factum est, nec fieri a quoquam potest, cum nec sacramentalis institutio, nec sacramentale elementum, nec sacramentalis promissio in conjugio occurrat. Plura de dictis patrum videri possunt apud Tarnovium lib. II. de conjug. cap. XIII.

§. XXXVII. *Tertiam* argumentorum classem cap. IV. Bellarminus complet *ex rationum momentis. I.*) Ex *matrimonii insolubilitate. Matrimonium Christianorum est unius tantum cum una & omnino insolubile. Ergo est sacramentum conferens gratiam & proprie dictum.* Antecedens probat ex Marc. X. 11. *Qui dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Consequentiam probat, quia *ex eo, quod est unum & insolubile, colliguntur duo*, primo *esse signum sacrum. Nam illa*

III.) *Ex rationum momentis.*

1.) *Ex matrimonii insolubilitate.*

omnimoda insolubilitas in unis nuptiis non potest referri in causam primariam & certissimam, nisi in signum conjunctionis Christi cum ecclesia. Nam si consideres matrimonium ut officium naturæ ad propagandam sobolem, ægre potest reddi ratio, cur ob sterilitatem conjugis non liceat eam dimittere, aut aliam ducere. Si consideres, ut est in remedium contra fornicationem institutum, cur non poterit uxor perpetuo morbo laborans dimitti, aut cur non poterit alia duci? Cur igitur matrimonium sit omnino insolubile, illa est potissima causa, quia significat divina institutione insolubilem conjunctionem Christi & ecclesiæ. Et hinc est, quod sapientes hujus mundi licet a divortio abhorrent, tamen quia potissimam causam ignorabant firmitatis vinculi conjugalis, certis de causis conjuges dimittebant, vel commutabant, vel plures ducebant. Denique constat ex apostolo 1 Cor. VII. matrimonium legitimum & consummatum ante baptismum contractum posse dissolvi, non autem posse, si post baptismum contrahatur, cujus certe nulla causa reddi potest, nisi quia hoc sacramentum signum est indissolubilis conjunctionis Christi & ecclesiæ, illud non erat. Secundo *conferre gratiam. Nam ad insolubile vinculum tolerandum cum una gratia Dei erat necessaria, & Deus in necessariis nunquam deest. Ac lex nova, quæ jugum suave & onus leve dicitur, comparata cum veteri esset in hac parte longe durior veteri, nisi gratiam conjunctam matrimonium haberet, siquidem Hebræis licebat multas simul uxores habere, & impune etiam conjuges per libellum repudii dimittere.* Resp. 1.) Antecedens laborat ambiguitate. *Vel* enim intelligitur hoc sensu, quod matrimonium sit vinculum insolubile per simultates & inimicitias conjugum, per mutuum dissensum ac per alias temerarii divortii causas, quo sensu & respectu insolubilitatem hujus vinculi concedimus, quippe quæ stabilitur Matth. XIX. 6. 1 Cor. VII. 10. &c. *vel* accipitur sensu eo, quod vinculum conjugii ne quidem per adulterium solvi possit, quem sensum voce *omnino* Bellarminus innuere voluit; sed hoc sensu negamus, matrimonium esse vinculum simpliciter & absolute insolubile, Matth. V. 32. XIX. 9. qua de re suo loco plenius dicetur. 2.) Insolubilitas illa matrimonii communis est conjugio piorum in veteri ac novo testamento; dependet enim ex divina conjugii institutione, ut docet Christus Matth. XIX. 4. interrogatus namque a Pharisæis, *an liceat homini dimittere uxorem suam quacunque de causa?* revocat eos ad conjugii institutionem, & ex ea colligit v. 6. ὥστε, *itaque, jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ex eodem principio matrimonii insolubilitatem deducit apostolus 1 Cor. VII. 10. *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* Sic ergo concludimus: Ubicunque viget divina conjugii institutio, ibi etiam vigore illius institutionis vigere debet matrimonii insolubilitas. Atqui etiam in veteri testamento viget conjugii institutio. Ergo etiam ibi vigere debuit matrimonii insolubilitas. Quod si ergo ex insolubilitate matrimonii evinci potest, esse illud sacramentum proprie dictum, consequens fuerit, etiam in veteri testamento tale fuisse. Si Bellarminus cum Pharisæis regerat, *libellum repudii in veteri testamento fuisse usitatum;* respondemus verbis Christi Matth. XIX. 8. *Moses propter σκληροκαρδίαν Judæorum ἐπέτρεψεν*, permisit, *dimittere uxores, ab initio autem*, in primæva scilicet conjugii institutione, *non erat sic.* 3.) Insolubilitas matrimonii non solum ad fidelium in ecclesia, sed etiam ad gentilium extra ecclesiam constitutorum matrimonia pertinet. Jam vero Bellarminus statuit, *matrimonium in sola ecclesia nov. test. esse sacramentum.* Ergo ex matrimonii insolubilitate colligere nequit, matrimonium esse sacramentum proprie sic dictum. *Hypothesin* argumenti nostri demonstramus hoc modo: Omne verum & legitimum matrimonium

monium est insolubile. Ethnicorum matrimonia fuerunt vera & legitima matrimonia. Ergo insolubilia. *Minorem* concedit Bellarminus, sic enim scribit cap. III. §. 10. *Matrimonia gentilium sunt vera & legitima, & largo modo sacramenta.* Major probatur, quia omne verum & legitimum matrimonium congruere debet institutioni matrimonii, tanquam normæ & regulæ. Jam vero institutio divina requirit, ut matrimonium sit unius maris ac unius fœminæ indissolubile vinculum. Ergo omne verum & legitimum matrimonium est insolubile. Huc referimus dictum Thomæ lib. IV. sent. dist. 33. q. 2. art. 1. ab ipso Bellarmino adductum, *quod matrimonium jure naturæ quamdam insolubilitatem habeat;* ex quo ita concludimus: Jus naturæ commune est Christianis in ecclesia & gentilibus extra ecclesiam. Conjugium ex jure naturæ habet insolubilitatem. Ergo insolubilitas illa conjugii communis est Christianis in ecclesia & gentilibus extra ecclesiam. Absit igitur ut cum Alexandro Carerio libr. III. de matr. cap. I. aliquis statuat, *Deum esse quidem causam efficientem matrimonii, ut est sacramentum* (in ecclesia), *non ut est contractus* (piis cum infidelibus communis). Bellarminus frustra adducit exempla quorumdam gentilium, *qui uxores vel dimiserunt, vel commutarunt, vel plures duxerunt;* non enim quæstio est, quid factum fuerit, sed quid juxta leges conjugii fieri debuerit? Quando quidam uxores suas citra adulterii causam dimiserunt, vel uxores commutarunt, vel alias priori superinduxerunt, tum egerunt contra sanctas conjugii leges, nec fuit amplius verum & legitimum conjugium. Adde quod multa præsto sint exempla conjugii ab ipsis gentilibus caste servati. De Druso Germanico refert Valerius libr. IV. cap. III. *quod usum Veneris intra conjugis caritatem clausum tenuerit.* Apud Romanos intra aliquot annorum centenarios nulla acciderunt divortia, & qui primus uxorem repudiasse dicitur, Sp. Carbilius populo obid in perpetuum fuit exosus. Dionysius Halicarn. libr. II. qua de re in quæstione de divortio & polygamia pluribus dicetur. 4.) In argumento Bellarmini est fallacia causæ. Insolubilitas enim matrimonii non dependet ex significatione insolubilis conjunctionis Christi & ecclesiæ, quia illa significatio est quoddam adjunctum, vel finis aliquis minus principalis conjugii instituti, & in suis causis essentialibus perfecti, sed ex divina institutione. Gen. I. 27. *Masculum & foeminam fecit eos, & dixit: Crescite. Cap. II. 24. Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una;* unde recte scribit Tapperus ad artic. XVIII. circa initium: *Modus probandi inseparabilitatem matrimonii ex ejus institutione certissimus est & securissimus.* Ad divinam illam institutionem postea adcedit similitudo illa conjunctionis matrimonialis cum conjunctione Christi & ecclesiæ. 5.) Ex quo facile judicari potest, quid statuendum de illa adsertione Bellarmini, quod *matrimonium legitimum & consummatum ante baptismum contractum possit dissolvi;* id enim, si de temeraria ac voluntaria dissolutione citra adulterii causam suscepta intelligit, ut intelligere cogitur, injurius est in leges conjugii divinitus sancitas, quibus matrimonia gentilium, si vera & legitima esse debent, congruere oportet. Adducit quidem locum apostolicum, 1 Cor. VII. sed ex eo contrarium potius colligitur, ut suo loco manifestum fiet. 6.) In argumento Bellarmini est evidens ἀναλλαγία. *Matrimonium Christianorum est indissolubilis unius maris & unius foeminæ conjunctio. Ergo est sacramentum proprie dictum.* Atqui plura requiruntur ad sacramentum proprie sic dictum, quam insolubilitas illa, ut supra fuit demonstratum. 7.) Quæ de gratia Dei ad tolerandum insolubile cum una conjuge vinculum necessaria addit, facilem habent explicationem, si expendatur, non quamvis promissionem gratiæ rei alicui additam efficere, ut ea protinus sit sacramentum proprie

prie dictum, sed *promissionem gratiæ evangelio propriæ* de peccatorum remissione. Adde quod apud gentiles egregia amoris, fidei & castitatis conjugalis exempla commemorentur, quin imo etiam virginalis continentiæ simulacra in illis conspiciantur. Virginibus Milesiis magis curæ fuit pudicitia, quam vita. Plutarchus de virt. mulier. Claudia Vestalis ad comprobandam suam castitatem cingulo navem duxisse memoratur, quam multa hominum turba trahere non poterat. Scipio quartum & vigesimum annum agens cum in Hispania Carthagine oppressa majoris Carthaginis capiendæ sumsisset auspicia, multosque obsides, quos in ea urbe Pœni clausos habuerant, in suam potestatem redegisset, eximiæ inter eos formæ virginem ætatis adultæ & juvenis & cœlebs & victor, postquam comperit illustri loco inter Celtiberos natam, nobilissimoque gentis ejus Indibili desponsatam, adcersitis parentibus & sponso inviolatam tradidit, aurum quoque, quod pro redemtione puellæ adlatum erat, summæ dotis adjecit. Valerius lib. IV. memorab. cap. 3. 8.) Non est quæstio de *gratia Dei generali*, qua duorum hominum ad conjugium adspirantium, vel in conjugio viventium corda casti, sinceri & constantis amoris vinculo Deus jungit, & hac ratione ordinem matrimonii a se institutum adhuc conservat; neque quæstio est de *gratia speciali*, qua Deus piis precibus invocatus piorum conjugio adest, & ultra generalem illam gratiam speciali sua benedictione ipsis adest; sed quæstio est de *gratia sacramentali*, an scilicet gratia evangelio propria per conjugium, tanquam sacramentum aliquod divinitus ad id ordinatum & medium eo fine institutum, omnibus a Deo offeratur, & credentibus in conjugii contractu, & per illum contractum adplicetur, quod totis viribus negamus, ac Bellarminum, quod fidei & precibus in piorum conjugio tribuendum erat, conjugio in se ac per se præpostera confusione tribuere dicimus.

§. XXXVIII. II.) A *matrimonii fine*, qui duplex est, propagatio sobolis, & remedium fornicationis. *Uterque finis requirit in matrimonio gratiam Dei. Quod enim priorem finem adtinet, sciendum est, non pertinere ad matrimonium solum procreare liberos, sed etiam educare & instituere, quin & ad conjuges christianos pertinet, filios instituere in fide & religione, ad quod requiritur Dei gratia. Quod adtinet finem posteriorem, dicunt theologi, solum conjugium sine gratia Dei non esse sufficiens remedium contra fornicationem, tum quia concupiscentia ex actu conjugali adcenditur potius, quam exstinguitur, tum quia sæpissime accidit, ut ob morbum, vel absentiam conjuges cogantur ad longum tempus se continere.* Resp. 1.) In *genere: a.)* repetimus denuo, non quamvis Dei gratiam, sed sacramentalem, id est, gratiam evangelio propriam de remissione peccatorum externo ritui adnexam, sacramentum proprie dictum efficere. Deus piis & in fide se invocantibus conjugibus præstat gratiam & auxilium in sustinendis conjugii oneribus, in liberis instituendis, in servanda castitate, &c. sed non per ipsum conjugii contractum, tanquam sacramentum aliquod proprie dictum, gratia illa confertur, quod surdis Bellarmini auribus Chemnitius toties inculcavit. *b.)* Non in nov. tantum, sed etiam in vet. test. conjuges debuerunt liberos in vera fide & religione instituere, ut ex Deut. VI. 7. XI. & XIX. & aliis dictis superius ostendimus, nec in nov. solum, sed etiam in vet. test. conjugium fuit remedium contra fornicationem, ergo vi argumenti hujus Bellarminiani conjugium etiam in vet. test. fuit sacramentum. *c.)* Conjuges in gentilismo non minus, quam pii conjuges in ecclesia obstricti sunt, ut liberos in fide & religione instituant, & fidem conjugalem invicem servent. Ad quod enim jure naturali ac divino omnes obstringuntur, ad illud etiam ipsa gentiles sunt obligati. Jam vero ad liberorum

2.) *a matrimonii fine.*

rum institutionem in vera fide & ad fidem conjugalem omnes conjuges jure naturali ac divino obstringuntur, ut constat. Ergo ad eam etiam ipsi gentiles sunt obstricti. Posita rei natura integra & perfecta, ponitur etiam proprius rei finis. In gentilibus ponit Bellarminus naturam conjugii integram & perfectam, quia adserit matrimonia gentilium esse vera & legitima. Ergo ponendus etiam proprius conjugii finis, & per consequens vi hujus argumenti Bellarminiani conjugium etiam apud gentiles fuit, & est sacramentum. 2.) In *specie*, quoad priorem finem dicimus, etiam ante lapsum finis conjugii fuit propagatio sobolis. Ergone sacramentum proprie dictum? Post lapsum etiam christianus magistratus, ecclesiæ ministri, doctores in scholis, &c. ad homines fidei & curæ suæ commissos in vera fide & religione instituendos suo quilibet loco, ordine & modo obligantur, ad quod præstandum, cum requiratur in ipsis Dei gratia, nova Bellarmino excogitanda erunt sacramenta. Quod ad posteriorem finem adtinet, ex illo longe minus sacramentum matrimonii stabiliri poterit. Meditatio verbi divini, oratio, carnis castigatio, &c. sunt remedia contra fornicationem. At num hæc omnia habebimus pro sacramentis proprie sic dictis? Monachis ad continentiam gratia Dei ipso Bellarmino teste est necessaria, num vero propterea ex monastico statu fabricandum aliquod sacramentum? Medicamenta naturalia sine benedictione Dei nihil prosunt, neque tamen propterea dicenda erunt sacramenta. In omnibus vitæ statibus

Nullius est felix conatus & utilis unquam,
Consilium si non detque, juvetque Deus;

nec tamen ob id sacramentis illi status sunt adcensendi. Quod si absque gratia quadam sacramentali conjugium non est sufficiens remedium contra fornicationem, utique etiam in conjugibus vet. test. quin etiam in conjugibus quibusdam gentilibus sacramentalis gratia, & consequenter sacramentum erit agnoscendum, quia compluribus ipsorum conjugium fuit sufficiens remedium adversus fornicationem. Quod Bellarminus inspergit de concupiscentia ex actu conjugii magis incensa, illud repugnat dicto apostolico 1 Cor. VII. 2. *Propter fornicationem* (fugiendam) *quisque habeat uxorem suam.* & v. 9. *Melius est nubere, quam uri.* Vulgatum est & verum dicterium: *Conjugium est libidinis non incentivum, sed exstinctivum.*

§. XXXIX. III.) Ex *ritu & cærimoniis. Nam jam inde ab exordio ecclesiæ matrimonium inter res sacras habitum esse constat, & inter sacrorum solennia per sacerdotum ministerium celebrari solitum. At certe si esset contractus humanus tantum, vel politicum vitæ genus, nunquam patres cum rebus sanctissimis matrimonium conjunxissent.* Resp. 1.) Est fallacia consequentis. Non enim sequitur: conjugium non est tantum civilis contractus, nec politicum vitæ genus, sed fœdus divinum & res sacra. Ergo est sacramentum, quia plura ad sacramenti proprie sic dicti essentiam requiruntur. 2.) Benedictio novorum conjugum pio consilio & bono fine introducta est, ut suo loco inferius explicabitur, non tamen nititur expresso & speciali aliquo mandato divino; ergo ex ea non potest inferri, quod matrimonium sit sacramentum. 3.) Magnum enim discrimen est inter cærimonias ecclesiasticas, quæ non nituntur speciali & expresso Dei mandato, sed bono consilio ab ecclesia introductæ sunt propter fines utiles, τάξιν καὶ εὐχημοσύνην spectantes; & inter ritus sacramentales, qui expressum & speciale habent Dei mandatum, quibus ex ipsa Dei institutione ednexa est promissio gratiæ evangelio propriæ. 4.) Inauguratio regis Joæ per Jojadam pontificem multis solennitatibus perficitur; 2 Reg. XI. 12. coronatio imperatoris multis cærimoniis in ipso templo

3.) *Ex cærimoniarum lege.*

pera-

peragitur; Romæ in Basilica Lateranensi pictus est Lotharius imperator ad genua pontificis prostratus, atque a pontifice coronam accipiens, cui picturæ hi versus sunt adscripti:

Rex venit ante fores jurans prius urbis honores,
Post homo fit papæ, sumit quo dante coronam.

Nec tamen ex his & similibus ritibus efficient sacramentum aliquod proprie dictum. 5.) Denique benedictio illa ecclesiastica novorum conjugum non omnimode exsulavit a vet. test. ut suo loco ostendetur, nec tamen conjugium in vet. test. fuit sacramentum.

IV.) a consensu ecclesiae.

§. XL. IV.) *Quartum* argumentum desumit Bellarminus *a consensu ecclesiæ græcæ & latinæ ab annis saltem quingentis. Nam a tempore Lombardi omnes theologi summo conatu docuerunt, septem esse novæ legis sacramenta, & comprobata est eorum sententia a Lucio III. pontifice Romano c. ad abolendam de hæreticis, & concilio Florentino.* Resp. 1.) Norma veritatis in fidei articulis non est consensus ecclesiæ, sed decisio scripturæ sacræ, ideo de ecclesiæ consensu judicandum est ex scriptura sacra, e qua sola exstruuntur apodictica argumenta. Thomas part. I. q. 1. art. 8. *Sacra doctrina auctoritate canonicæ scripturæ utitur proprie ex necessitate argumentandi, auctoritatibus autem aliorum doctorum ecclesiæ, non quasi arguendo ex propriis, sed ex probabilibus. Innititur enim fides nostra revelationi apostolis & prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi illi, si quæ fuerat aliis doctoribus facta.* Quod ergo Bellarminus sub finem hujus cap. addit, *in scripturarum & patrum explicatione nos facile posse labi, sed quod ecclesia nec deficere, nec errare possit, id esse a Christo & apostolis clarissime dictum;* & hac ratione a scriptura ad ecclesiam, id est, ut ultima analysis ostendit, ad pontificem Romanum nos deducere satagit, id velut antichristianum merito repudiamus. 2.) Repetimus illud ejusdem Thomæ part. III. q. 64. art. 2. *Virtus sacramenti est a solo Deo. Ergo solus Deus est sacramentorum institutor. Apostoli & eorum successores sunt vicarii Dei, quantum ad regimen ecclesiæ a Deo constitutæ per fidem & fidei sacramenta. Unde sicut non licet eis constituere aliam ecclesiam; ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta, sed per sacramenta, quæ de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Christi ecclesia.* Subsumimus autem: Materia hujus sacramenti non fluxit ex Christi latere. Ergo non est proprie dictum novi testamenti sacramentum. 3.) Ostendimus suo loco, patres vetustiores non nisi duo tantum nov. test. sacramenta agnoscere; illorum ergo sententia posterioribus doctoribus præferenda. Unde Bellarminus consensum ecclesiæ a Lombardi tempore tantum deducit. 4.) Inter ipsos scholasticos & pontificios scriptores de hoc sacramento non est plenarius consensus, ut ostendimus superius. 5.) An & quomodo ecclesia errare possit? suo loco fuit disputatum. Vide tract. de eccles. §. 104. & seqq.

CAPVT IV.

DE CAVSA EFFICIENTE CONIVGII.

SECTIO I.

DE CAVSA EFFICIENTE PRINCIPALI ET REMOTA.

§. XLI.

Causa conjugii efficiens principalis est Deus, quod probatur

I.) Ex conjugii institutione & ordinatione.

in qua notanda

1.) Divina de muliere condenda deliberatio.

Causa efficiens conjugii est vel *principalis*, *primaria*, *remota ac summa*; vel *instrumentalis*, *secundaria*, *propinqua & intermedia*. Causa efficiens principalis, ac primarius conjugii auctor est verus Deus, unus in essentia, ac trinus in personis, Pater, Filius ac Spiritus sanctus, id quod probat I.) *conjugii institutio & ordinatio*, quæ breviter describitur Gen. I. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, masculum & fœminam creavit eos*, v. 28. *benedixitque illis Deus & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram*; postea vero latius explicatur Gen. II. 18. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium coram ipso, &c.* In hac primæva conjugii institutione notanda sunt: A.) *divina de muliere condenda & conjugio instituendo deliberatio.* Quemadmodum Deus ad creationem primi hominis Adæ, non nisi prævia deliberatione adcesserat, Gen. I. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; ita quoque ad mulieris creationem & conjugii institutionem adcessurus, deliberationem (ut ἀνθρωποπαθῶς loquamur) præmisit, Genes. II. 18. *Non est bonum hominem esse solum, faciam ei adjutorium*, unde LXX. interpretes & auctor latinæ versionis pluralem numerum in verbo *faciamus* repetiverunt, ut ad priorem de homine creando deliberationem nos remitterent, sed in hebræo textu & chaldaica paraphrasi est singulare: *faciam.* Quemadmodum igitur ex eo non Dei opificis infirmitas, sed operis, creati scilicet hominis, præstantia & dignitas colligitur, quod non jubetur terræ, ut producat hominem, sicut ante v. 24. Dei jussu produxerat animalia reliqua, sed Deus ipse novo & hactenus insolito more deliberationem de homine condendo suscipit, & postea ipsemet eum format: (qua de re sic loquuntur pii veteres: Tertullianus lib. II. adv. Marc. c. 4. *Homo est a Deo conditus non imperiali verbo, ut cætera animalia, sed familiari manu, etiam præmisso illo blandiente verbo; faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Origenes hom. I. in Gen. part. I. p. 6. *Omnes reliquæ creaturæ jussione Dei fiunt, &c. Videamus autem quæ sunt, quæ ipse Deus facit, & per hæc, quæ magnitudo hominis sit, advertamus.* In principio fecit Deus cœlum & terram. *Similiter ait*: & fecit duo luminaria magna; *& nunc iterum*: faciamus hominem. *In his solis factura ipsius Dei adscribitur, in aliis vero nusquam, sed tantummodo cœlum & terra, sol, luna & stellæ & nunc homo a Deo factus est, omnia vero reliqua jussione ejus facta dicuntur, ex hoc ergo considera, quanta sit hominis magnitudo, &c.* Basilius homil. X. hexaëm. *Nosse vis te ipsum? vel hinc auspicium sumito. De nullo enim operum, quæ Deus eatenus condiderat, vox ista*, faciamus, *in literas transmissa est, sed simplici verbo & mandato Dei omnia creata sunt. Erudire igitur homo ac disce, quanti unus te æstimandus venias, neque enim generationem tuam velut pretii vulgaris communi creaturarum mandato censuit adte-*

adtexendam. Gregorius lib. IX. moral. cap. XXVII. *Quia rationalis natura condebatur, quæ cum consilio facta videretur, quasi per studium de terra plasmatur, & inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, ut scilicet non per jussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret, qui ad conditoris sui imaginem fiebat.* Et b. noster Lutherus in cap. I. Gen. p. 18. *Hodie homo crescit & multiplicatur eodem modo, quo reliquæ bestiæ, sed in prima conditione ostendit Moses, maximam esse dissimilitudinem, siquidem singulari tum consilio, tum sapientia, humana natura est condita & digito Dei formata*) ita quoque ex deliberatione mulieris creationi & conjugii institutioni præmissa recte colligitur, Deum mirando consilio & inenarrabili sapientia in hoc suo opere & ordinatione esse usum. Potuisset Deus simul ac semel omnes homines condere, sicut angeli omnes simul sunt creati; sed placuit divinæ ipsius sapientiæ, duo tantum hominum individua creare, quorum conjugali cohabitatione species humana propagaretur, sicque *ex uno sanguine fecit totum genus humanum habitare super universam faciem terræ.* Act. XVII. 26. Potuisset Evam eodem modo, quo Adamum, ex pulvere terræ formare, & spiraculum vitæ ei inspirare, Gen. II. 7. sed placuit divinæ ipsius sapientiæ, non ex terræ pulvere, sed ex Adæ latere primam illam mulierem formare, ut hac ratione ex carne Adæ sumeret exordium, quod in unitatem carnis ei erat copulandum ad conjugale consortium.

Causa instituendi conjugii triplex.

§. XLII. Cæterum in divina illa consultatione triplex tum mulieris condendæ, tum conjugii instituendi causa exprimitur. *Prima* est *necessitas. Non est bonum*, ait Dominus, *hominem esse solum*, quorum verborum quis sit sensus, ex sequentibus intelligitur. Cum enim *animalia reliqua ad hominem adducerentur, ut vocaret ea nominibus suis, Adæ non inveniebatur adjutorium;* hoc est, reliqua animalia ita erant a Deo condita, ut speciem suam propagare possent, sed Adæ non inveniebatur tale adjutorium generationis. Ideo Deus dicit: *Non est bonum hominem esse solum;* hoc est, cum reliqua animalia in diversitate sexus condita speciem suam per generationem propagare possint, non convenit hominem nobilissimum illud animal ac reliquis omnibus præstantius hoc bono destitui, & genus ipsius uno individuo terminari, loquitur enim Deus de bono non *personali*, sed *communi*, sive *speciei. Personale* bonum erat, quod Adam ad imaginem Dei erat conditus, secundum animam, corpus, vitam & exterius habitaculum beatus ac perfectus, sed *commune* illud sive *speciei* bonum nondum habebat, quod per generationem speciem suam propagare posset. Primus ergo conjugii finis est *liberorum generatio & humani generis propagatio.* Noluit Deus unum duntaxat hominem exstare, sed voluit genus humanum propagari & multiplicari; ideò creanda fuit mulier, & instituendum conjugium, in quo, ac per quod propagatio illa per generationem fieret. Eo respicit Tobias in precibus suis cap. VIII. 7. *Domine, Deus patrum nostrorum*, v. 8. *tu fecisti Adam de limo terræ, ac dedisti ei adjutorium Evam*, v. 9. *& nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio uxorem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in seculum.* Græca paulo aliter habent, in quibus ipsa verba divinæ consultationis, *non est bonum hominem esse solum*, repetuntur. *Secunda* instituendi conjugii causa est *utilitas; faciamus ei adjutorium*, hebræum עֵזֶר, *juvamen, auxilium*, Targum reddidit סַמְכָּא, *fulcrum*, LXX. interpretes βοηθὸν, Tob. VIII. 7. addunt στήριγμα, *firmamentum;* sensus igitur est, quod uxor debeat esse viro adjutorium non solum in liberorum generatione & educatione, sed etiam in familiæ administratione, in paranda & conservanda re familiari, imo etiam in precum & pietatis exercitiis, quodque debeat fidelem operam ac

fidam

fidam ſocietatem ipſi præſtare in periculis, morbis & aliis adverſitatibus, quod inter conjuges bonorum & malorum debeat eſſe communio, &c. Adluditur enim hac vocula ad eos, qui ſublevandis oneribus mutuas ſibi in auxilium manus porrigunt. Eccleſ. IV. 9. *Meliores ſunt duo, quam unus, quia eſt eis merces melior ex labore ſuo*, v. 10. *quia ſi ceciderint, unus eriget ſocium ſuum. Væ ergo uni, quia cum ceciderit, non habet alterum ſe ſublevantem. Tertia* conjugii inſtituendi cauſa eſt *ſuavitas*. Mulier enim dicitur *adjutorium coram viro*. In hebræo eſt כְּנֶגְדּוֹ, *tanquam coram eo*, quod ſit tanquam alter ipſe. Chaldæus: בָּקְבֵלֵהּ, *coram eo, juxta coram eo*, ut duæ particulæ connectantur, quod ſemper ei præſto ſit ac miniſtret. LXX. interpretes κατὰ αὐτὸν, ut indicetur arctiſſimum ac ſuaviſſimum viri ac mulieris contubernium & inſolubile fœderis conjugalis vinculum, unde nuptiæ dicuntur *viri & mulieris conjunctio individuam vitæ conſuetudinem continens* §. 2. inſtit. de patr. poteſt. & in conjugio proponitur ſpeculum amoris inter Chriſtum & eccleſiam. Ad hoſce conjugii fines in ipſis divinæ conſultationis verbis expreſſos poſt lapſum acceſſit *quartus*, quod conjugium eſt remedium contra fornicationem, 1 Cor. VII. 2. qua de re plenius diſſeremus, quando ad cap. VII. de fine matrimonii pervenerimus.

§. XLIII. B.) *Decreti divini exſecutio.* Deus non ſolum deliberat de muliere condenda & conjugio inſtituendo, ſed etiam decretum ſuum ſtatim exſequitur; in deliberatione elucet ipſius divina *ſapientia*, in decreti exſecutione infinita *potentia*. Exſecutio illa conſtitit 1.) *in mulieris formatione*: 2.) *in primorum conjugum copulatione*: 3.) *in legis matrimonialis promulgatione*: 4.) *in novorum conjugum benedictione*. *I.) Mulieris formationem* Moſes his verbis deſcribit: Geneſ. II. 21. *Et immiſit Deus ſoporem ſuper hominem, & dormivit, & cepit unam e coſtis ejus, & clauſit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam ceperat de homine in mulierem.* Expendenda ſunt in hac mulieris primæ conjugis formatione: 1.) *Somni præternaturalis immiſſio.* Cajetanus exiſtimat hanc narrationem de ſomni immiſſione & productione Evæ ex latere Adæ non ſecundum literam, ſed myſtice ac parabolice intelligendam, ita, ut per ſomnum notetur defectus virtutis virilis, ex quo fit, ut generetur fœmina, & quia ille defectus eſt ex intentione divina ad propagandam ſpeciem, ideo dici ſomnum a Deo immiſſum. Sed nulla nos cogit neceſſitas, ut a litera diſcedamus, quin imo fidei veritas nos urget, ut literalem ſenſum retineamus; qua enim facilitate dicitur, hoc loco a litera diſcedendum, eadem facilitate dici poſſet, etiam in reliquis, quæ primo & ſecundo capite a Moſe deſcribuntur, a ſenſu verborum literali diſcedendum eſſe, & ſic nulla hujus articuli de creatione certitudo maneret nobis reliqua. Vere igitur & realiter ſomnum Adæ immiſſum credimus, quia a Moſe ſcriptum legimus, qui tamen fuit *ſomnus præternaturalis*, ut colligitur tum *ex adpellatione*, vocatur enim תַּרְדֵּמָה quod Targum hoc loco reddidit שְׁנָתָא, & addito adjectivo עַמִּיקְתָּא Job. XXXIII. 15. תַּקִּיפָא 1 Sam. XXVI. 12. *ſomnus profundus & fortis*, qualis fuit Abrahæ, Gen. XV. 12. Siſſeræ, Jud. IV. 21. Saulis, 1 Sam. XXVI. 12. LXX. interpretes reddiderunt ἔκστασιν, *mentis exceſſum*, Aquila καταφορὰν, *deſcenſum & totius vigiliæ lapſum*, Symmachus καρὸν, *gravem & profundum ſomnum*. תרדמה enim notat plusquam gravem ſomnum, qui ſcilicet major eſt quam שנה & שנה major eſt quam תנומה. Tum ex *deſcriptione & cauſæ efficientis*, quod Deus illum *immiſerit*, ſive *cadere fecerit ſuper Adamum*, LXX interpretes ἐπιβαλεῖν, perinde, ut de Saule dicitur: 1 Sam. XXVI. 2.

2.) *Decreti divini exſecutio.*
in qua occurrunt
1.) *Mulieris formatio.*

Sopor Domini, vel a Domino ceciderat super eum; & effecti, quia inducit ἀναισθησίαν, ac tam profundus est, ut Adam non sentiat costam sibi evelli. Ut autem Deus Adamo dormienti, & nihil minus, quam de conjugio cogitanti Evam format: ita adhuc hodie piis precibus invocatus de felici & commodo conjugio suis prospicit, & talia quandoque ipsis media ostendit, de quibus ipsi nunquam cogitaverant. 2.) *Costæ e latere extractio.* צֵלָע significat costam & latus, ex quo colligit b. Lutherus, *non nudam costam, sed carne vestitam* e latere fuisse acceptam, ex qua fœminam Deus formavit, & carnem pro ea clausit, quod ipsum etiam intelligitur ex verbis Adæ: *Hoc est os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Admonet autem nos illa costæ ex Adami latere evulsio *primum* quidem *de mariti officio.* Non *ex pedibus* viri mulier formata, ne scabellum pedum ab ipso habeatur, Eccles. IV. 35. nec *ex capite* est formata, ne imperium in virum illi concedatur; 1 Tim. II. 13. sed *ex latere*, hoc est, ex vicinia cordis sumta est, ut vir eam diligat, tanquam corporis sui partem, & ejusdem naturæ consortem. Eph. V. 29. Mulier a viro recipit robur ac defensionem, ideo ex parte ipsius dura, videlicet costa, est formata mulier, sub tutela viri & umbra brachiorum ejus vivere debet, ideo ex costa laterali est formata. *Secundo* de *mutuo amoris debito, costam accepit Deus*, inquit Theodoretus in hoc loco ἵνα τὸ ταυτὸν ἐπιδείξῃ τῆς φύσεως, καὶ ἵνα φυσικὴν τινα φιλοσοργίαν αὐτοῖς πρὸς ἀλλήλους ἐμφύσῃ. Costam accepit Deus, quia quoad actum conjugalem ad paria tenentur, cum *nec vir habeat corporis sui potestatem, sed mulier, nec mulier corporis sui potestatem habeat, sed vir.* 1 Cor. VII. 4. *de latere igitur sumta est fœmina tanquam æqualis & socia, quoad obligationem reddendi debitum.* cap. Nec illud 33. q. 5. *Denique* de *divino quodam mysterio. Qui potuit sine dolore auferre costam dormienti, potuit & vigilanti, sed quare voluit dormienti facere? quia dormienti Christo in cruce facta est conjux de latere; percussam enim est latus pendentis lancea, & profluxerunt sanguis & aqua duo sacramenta, ex quibus Christo paratur sponsa.* Augustinus in Psal. LVI. tract. IX. in Johan. lib. IX. de Genes. ad lit. c. 19. &c. ex Eph. V. 32. 3.) *Mulieris e costa ædificatio. Ædificavit Deus illam costam* in mulierem. Verbum בָּנָה *ædificavit*, valde est emphaticum. Lyranus ex rabbi Salomone rationem adpellationis quærit in similitudine. *Mulier*, inquit, *secundum constructionem & conformationem corporis sui similitudinem quamdam habet ædificii, cujus inferior pars amplior & crassior est, pars superior augustior & tenuior, eodem modo res se habet in fœmina.* Sed idem de corpore viri dici posset. Chrysostomus homil. XV. in Genes. causam quærit in origine: *Quia Adam factus est ex limo, ideo Deus proprie dicitur eum formasse, vel finxisse, quia vero Eva facta est ex costa re jam formata, & cui tantum deerat perfectio & absolutio, propterea dicta est ædificata.* Cajetanus ad *procreationem sobolis* respectum haberi existimat, quia *mulier fœtui concepto genito est quasi domus eum continens, protegens & fovens, ideo velut domus ædificata dicitur.* Concinnior est Ambrosii ratio lib. de Paradiso c. XI. *Bene dixit:* ædificavit, *quia in viro & muliere videtur quædam plena domus perfectio. Qui sine uxore est, quasi sine domo sit, sic habetur*; cum quo congruit illud b. Lutheri in cap. II. Genes. p. 30. *Agnoscamus uxores nostras, ceu ædificium Domini, quod per eas non solum ædificatur domus per generationem & alia ministeria in oeconomia necessaria, sed etiam quod ipsi mariti per eas ædificantur, quibus sunt tanquam nidus & habitatio, ad quam sese conferant.* Hanc adpellationis rationem monstrat ipse Spiritus sanctus, quando בָּנָה de susceptione & educatione liberorum usurpat, in qua præcipuus conjugii finis consistit.

fiit. Geneſ. XVI. 2. Deut. XXV. 9. 1 Sam. II. 35. &c. Liberi enim ex parentibus quaſi exſtruuntur, & ex illis familiæ ædificantur & conſervantur, ita ut filius ædificii, pater fundamenti loco ſeſe habeat.

2.) *Primorum conjugum copulatio.*

§. XLIV. II.) *Primorum conjugum copulatio.* Deus non ſolum ipſemet formavit mulierem, futuram Adami conjugem, ſed ipſe etiam eam jam formatam & ædificatam Adamo adduxit; Geneſ. II. 22. fuit ergo primus paranymphus, proxeneta & ſacerdos, qui Evam Adæ adduxit, adductam copulavit & copulatis benedixit, Gen. I. 28. quæ benedictio non eſt *verbalis*, ſed *realis*, Dei enim benedicere eſt benefacere. Quin imo non ſolum exterius primos conjuges copulavit, ſed etiam interius caſti amoris vinculo ipſorum corda conjunxit, unde etiam Adamus viſa conjuge in adjutorium ſibi data & adducta, mox ſincero amore eam amplectitur, & lætabundus quaſi exclamat: *Hoc tandem os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, vocabitur* אִשָּׁה, *viriſſa, quia ex viro,* מֵאִישׁ, *ſumta eſt ipſa*, eſt ex viro & viri cauſa formata & altera quaſi viri pars. Hoc fuit epithalamion, in quo mirabilis formatio mulieris & ſapientiſſima conjugii inſtitutio celebratur, &c. rabbi Abraham ben Eſra notat, in voce אִשָּׁה propoſui non ſolum conformitatem naturæ inter virum & uxorem e viro factam, ſed etiam uxoris conditorem & primum conjugii auctorem יה ſive *Jehovah*, verus Deus, & quamdiu hoc nomen in conjugio manet, (manet autem quamdiu Deum timent, ipſum colunt, ſeque invicem amant) tamdiu ipſis Deum ſua gratia & benedictione adeſſe. Si vero pietatis erga Deum & mutuæ caritatis obliviſcantur, tum conjuges illud nomen abjicere, ac ſublato ex nomine אִישׁ & אִשָּׁה literis tetragrammati יה & ה manere duntaxat אֵשׁ אֵשׁ *ignem & ignem*, puta ignem rixarum & moleſtiæ in hac vita, & ignem infernalem in vita futura. Ex qua ὀνομαθεσία mirabilis lux divinæ ſapientiæ in mente Adami accenſa relucet. Ad hanc copulationem & benedictionem primis conjugibus collatam acceſſit etiam dotatio. Theophylactus in V. Eph. *Deus a principio eximiam curam conjugii geſſit, Adamo enim ſororem ſuam, imo potius filiam, & quid dico? carnem ipſius copulavit. Deinde multiplicato genere latius matrimonium extendit, ut ne dilectionem ad ſolos cognatos contraheret, &c.* Idem in epit. div. dogm. περὶ γάμε. Θεὸς ὁ μόνον γυναῖκα διέπλασεν, ἀλλὰ καὶ συνέζευξε τῷ ἀνδρὶ κατὰ τὸν νῦν πολιτευόμενον νόμον. ἀπήγαγε πρὸς τὸν ἄνδρα, καὶ αὐτὸς ἐγένετο νυμφοστόλος καὶ νυμφευτὴς αὐτὸς, οἷόν τι δῶρον τῷ γάμῳ τὴν δὲ εὐλογίαν προσήνεγκεν. Cum enim Eva propter immediatam creationem recte cenſeatur Dei filia, quam ipſemet Adæ adduxit, & quaſi elocavit, ideo etiam ampliſſimam ei largitus eſt dotem: Gen. I. 28. *Dominamini in piſces maris & in volatile coeli.* Pulcre Alcimus Avitus libr. I. in Geneſin:

Pro thalamo paradiſus erat, mundusque dabatur
In dotem. — — — —

3.) *Legis matrimonialis promulgatio.*

§. XLV. III.) *Legis matrimonialis promulgatio.* Gen. II. 24. *Propterea relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* In hac lege γαμικῇ expendenda ſunt: 1.) *Cauſa efficiens*, a qua lex illa prodiit. Moſes hæc verba indivulſo nexu conjungit cum præcedentibus ab Adamo pronunciatis, ex quo colligi poſſe videtur, ab Adamo eadem eſſe prolata, unde gloſſa textum illum ſic interpretatur, quod *Adam matrimonium inſtituerit*, teſte Scoto libr. IV. ſentent. diſtinct. 26. quæſt. un. Calvinus non Adæ, ſed Moſi ea tribuit; ſed Chriſtus Matth. XIX. 5. Deo creatori verba illa diſerte adſcribit: *Non legiſtis, quia*

qui fecit ab initio masculum & foeminam, fecit eos, & dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, &c. Quidam ergo statuunt, ad Deum verba illa pertinere *principaliter*, Adamo eadem tribui *ministerialiter*, cum enim Adamus in statu innocentiæ plenus fuerit Spiritu sancto, ideo quæ ejus instinctu & impulsu prolocutus est, tanquam ipsius Dei verba esse accipienda. *Deus matrimonium instituit, sed Adamus tanquam præco verba Dei protulit*, inquit Johannes de Colonia in quæst. magistr. 259. p. 189. Verum enim vero cum reliqua omnia, quæ in primæva illa conjugii institutione peragun-tur, Deo auctori immediate adscribantur, cumque Christus primorum conjugum creatori & primarum nuptiarum conciliatori unice ea vindicet; ideo merito ad eum tanquam unicum νομοθέτην immediate & unice referuntur, hoc quidem modo, ut conjungantur cum formatione mulieris ejusdemque ad Adamum adductione v. 22. descripta, ac versiculus 23. per parenthesin insertus accipiatur. 2.) *Objectum*, cui hæc lex promulgata. Relinquet איש *homo*. Ex particula *connexiva* עַל־כֵּן, *propterea*, colligere quis poterat, de solo Adamo, qui vero proxime אִישׁ dicitur, hic sermonem esse hoc sensu, quia tam arcta societas & conjunctio est inter virum & uxorem, ut ea sit ex ipso formata, ideo etiam homo relinquet patrem & matrem; sed quia hic describitur generalis lex conjugii, insuper quia mentio fit patris ac matris, quæ ad Adamum proprie & in sensu literali non spectant, denique quia Christus ex his verbis temeraria divortia repudiat, ex eo manifeste colligitur, particulam אִישׁ generalem esse, ac respicere ad omnes homines, qui in conjugio vivunt, unde Artias Montanus reddidit *vir*, Pagninus *unusquisque*. Proinde non ad solum Adamum, sed ad omnes maritos hæc lex conjugii pertinet, ac tam late patet, quam ipsa conjugii institutio. Quod ad *connexionis* rationem spectat, ea non tam quærenda est in mulieris ex costa viri formatione, quam in matrimoniali utriusque copulatione v. 22. descripta, quæ cum omnibus conjugibus communis sit, ideo ad omnes hæc lex matrimonialis pertinet. 3.) *Materia legis*, quid in ea requiratur: *a.*) *relinquet homo patrem & matrem; b.*) *adhærebit uxori suæ; c.*) *erunt duo in carnem unam.* 1.) Primum est *patris & matris derelictio.* Eam Hugo de S. Victore & Cajetanus sic explicant, quod per eam prohibeantur conjugia inter parentes & filios, quodque reliqui gradus consanguinitatis non sint eo rigore vetiti, quo fere sensu etiam chaldæus paraphrastes vertit: *Relinquet homo lectum patris sui & matris suæ, & adglutinabitur uxori suæ.* Sed hoc loco non tam de legibus conjugii contrahendi, quam contracti agitur. Filii ἄφορ-γοι & ἀπειθεῖς θρεπτηρίων reddendorum obliti accipiunt de officii desertione, quod non amplius teneantur parentibus obedire, vel inservire, cum tamen ex ipso naturæ lumine cognosci possit, vinculum conjunctionis inter parentes ac liberos esse ἀδιάλυτον, ac τὴν ἀντιφιλάργησιν jure naturali a liberis omnino exigi. Unde Thomas disputat II. 2. quæst. 26. art. 11. ad 1. in *pari casu famis, vel similis necessitatis potius patri & matri, utpote vitæ auctoribus, quam conjugi esse subveniendum.* Quidam ex pontificiis desertionem illam sic interpretantur, quod liberorum conjugia absque parentum consensu inita sint rata ac firma, cum præceptum de honorandis parentibus omnium hominum cordibus insculptum consensum parentum in liberorum nuptiis exigat, quod Deus hac legis matrimonialis promulgatione nequaquam voluit abolitum. Accipienda igitur illa patris ac matris derelictio *tum* de conjugalis amoris magnitudine, quod adfectus mariti erga uxorem, & vicissim uxoris erga maritum, tantus sit futurus, ut amor ille, quo parentes complectimur, illius comparatione habeatur minor & inferior; *tum* de cohabitatione & vitæ consortio individuo.

Filius-

Filiusfamilias conjugium contrahens peculiarem œconomiam auſpicatur, quam una cum ſua conjuge adminiſtrat; filia nuptum data a parentum complexibus abſtrahitur, tranſit in familiam viri, quin & nomen paternæ familiæ in ea oblivioni datur, unde נָשִׁים, *mulieres*, quidam a נָשָׁה, *oblitus fuit*, dictas cenſent. Euripides etiam inquit: γυνὴ γὰρ ἐξελθοῦσα πατρίων δόμων, ὃ τῶν τεκόντων ἐστὶν, ἀλλὰ τῦ λέχους. Eſdras lib. III. cap. IV. v. 20. *Homo patrem ſuum relinquit, qui enutriit illum, & ſuam regionem, & ad mulierem ſe conjungit.* v. 25. *Diligit homo uxorem ſuam magis, quam patrem, aut matrem.* 2.) *Mutua conjugum adhæſio.* Ea ἐξηγητικῶς declarat, quid per patris & matris derelictionem ſit intelligendum, ideo enim *relinquet homo patrem & matrem, quia adhærebit uxori*, דָּבַק בְּאִשְׁתּוֹ, *adhærebit in uxore ſua.* LXX. interpretes reddiderunt: προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ, *adglutinabitur uxori*, quo modo citatur Matth. XIX. 5. Marc. X. 7. vel πρὸς τὴν γυναῖκα, *ad uxorem ſuam*, Eph. V. 31. Accipitur autem דָּבַק de individua adſociatione & converſatione, Ruth. II. 8. *Hærebis cum puellis meis.* 2 Sam. XX. 2. vir Judæ dicitur *hæſiſſe in rege ſuo.* Item de arctiſſimo & indiſſolo amoris vinculo, Pſalm. LXIII. 9. *Hæſit anima mea poſt te.* Jer. XIII. 11. *Sicut hæret cingulum ad lumbos viri, ſic faciam hærere ad me domum Iſraël;* ubi metaphora explicatur דְּבֵקָא Chaldæis eſt κόλλα *gluten, viſcus*, ex quo factum ut LXX. interpretes verterint προσκολληθήσεσθαι, quod Tertullianus reddidit *conglutinabitur.* Exprimitur igitur hac voce arctiſſimum & indiſſolubile vinculum inter conjuges, quod individuam vitæ ſocietatem complectitur. 3.) *In unam carnem conjunctio.* Per eam exponitur, quid per adhæſionem ſit intelligendum. *Erunt duo in carnem unam*, לְבָשָׂר hoc eſt, una caro. Sic in hoc ipſo capite v. 22. ædificavit coſtam לְאִשָּׁה, *in foeminam*, לֶהְיוֹת אִשָּׁה, ut eſſet, vel fieret fœmina. Propius accedunt ſequentia exempla: Deut. XXVIII. 44. *ipſe erit* לְרֹאשׁ, *in caput*, *tu autem eris* לְזָנָב, *in caudam*, id eſt, *caput, cauda*; 1 Sam. IV. 9. *eſtote in viros*, id eſt, *viri.* Vide Buxdorffium in theſaur. p. 154. unde Chriſtus ipſe hebraiſmum explicat, quando ex hac loquendi formula infert: Matth. XIX. 6. *Ideo jam non ſunt duo, ſed una caro.*

Quare conjuges dicantur una caro?

§. XLVI. Porro dicuntur conjuges una caro: 1.) propter *voluntatis & dilectionis conſenſum.* Ut enim de fidelibus in primitiva eccleſia dicitur Actor. IV. 32. quod ipſorum fuerit *cor unum & anima una*, ac ut de veris & ſinceris amicis dicitur, quod *ſint anima una in duobus corporibus*: ita quoque de conjugibus propter mutuam dilectionem & voluntatis conſenſionem dicitur, quod ſint una caro; unde ex hoc principio apoſtolus infert, quod viri *debeant diligere uxores ſuas, tanquam ſua corpora, cum qui uxorem ſuam diligit, ſe ipſum diligat.* Eph. V. 28. Hanc cauſam reddit Chryſoſtomus in comm. 2.) Propter *indiſſolubile vinculum.* Inter omnes humanas ſocietates & amicitias arctiſſima eſt conjugum conjunctio, quia vinculo indiſſolubili in unam carnem copulantur; unde primam conjugem Deus ex coſta mariti formavit, ut innueret, virum & fœminam non eſſe duos, ſed unum hominem, ac proinde non poſſe invicem ſeparari. Ut enim una caro non poteſt ſeparari & ſejungi, ita quoque conjuges non debent invicem ſeparari, eo quod ſint una caro, ex quo principio Chriſtus temeraria divortia refellit Matth. XIX. 6. Inde Abulenſis in cap. XIX. Matth. diſputat, quod conjuges ſint *una caro fictione juris, non veritate naturæ.* 3.) Propter *individuum vitæ conſortium.* Conjuges invicem conjunguntur ad agendam unam vitam communem externam, civilem & corporalem, cum inter eos ſit bonorum & malorum communio, ideo recte dicuntur una caro, unus homo,

homo, una persona civilis; ex hoc principio deducit apostolus, quod *uxor a viro non debeat discedere*, 1 Cor. VII. 10. sed bona & mala in communi vitæ consortio & consuetudine cum ipso tolerare, quippe cum sit una caro cum ipso. 4.) Propter *copulæ conjugalis officium*. Quia enim conjuges sunt una caro, ideo *mulier non habet corporis sui potestatem, sed vir; nec vir habet corporis sui potestatem, sed mulier*, ut non possint sese invicem fraudare, sed debitam benevolentiam conjugalem teneantur sibi mutuo præstare. 1 Cor. VII. 3. 4. 5. In contractu matrimonii maritus corpus suum addicit conjugi, & conjux vicissim corpus suum addicit marito, ut hac ratione fiant una caro propter copulæ carnalis officium utrique parti ab utraque debitum. Quod enim etiam respectu cohabitationis conjugalis conjuges dicantur una caro, docet apostolus 1 Cor. VI. 16. *An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? erunt enim, inquit, duo in carne una.* 5.) Propter *conjugalis cohabitationis fructum*. Conjuges sunt una caro, quia in generatione prolis sunt unus homo, & unam carnalem prolem mutua cohabitatione generant. Augustinus lib. XIV. de civ. Dei cap. XXII. Quod ipsum si probe observetur, in quæstione de propagatione animæ magnum obtinebit momentum; frustra enim disputatur, an a patre, an a matre soboli communicetur anima? cum in generationis opere conjuges non sint duo, sed una caro. Breviter conjuges dicuntur una caro, quia est inter eos: *a.) conjunctio animorum*, siquidem inter ipsos est consensus individuæ consuetudinis invicem habendæ; *b.) conjunctio corporum* in conjugio consummato per copulam; *c.) conjunctio familiarum*, quia ex duabus familiis fit una; *d.) conjunctio patrimoniorum* ac bonorum, fiunt enim inter conjuges bona communia; *e.) conjunctio consanguinitatum & adfinitatum*, consanguinei enim uxoris fiunt adfines mariti, & vicissim consanguinei mariti fiunt adfines uxoris. *f.) conjunctio liberorum*, quia liberi ex conjugio geniti non ad patrem tantum, nec ad matrem tantum, sed ad utrumque parentem pertinent.

§. XLVII. IV.) *Novorum conjugum benedictio*, quæ disertis & expressis verbis asseritur a Mose. Gen. I. 28. *Fecit eos masculum & foeminam, & benedixit eis.* Hoc Dei benedicere non est *verbale*, sed *reale*, Deus enim benedicendo benefacit, cum non loquatur verba, sed res. Quemadmodum igitur illud, quod Deus *benedixisse* dicitur *diei septimæ*; Gen. II. 3. recte etiam sic accipitur, quod benedictionem suam cœlestem promiserit illis, qui juxta ipsius mandatum & ordinationem sabbatum sanctificaverint; ita quoque benedictio illa primis conjugibus & sanctæ conjugii ordinationi collata, inter cætera etiam hoc complectitur, quod Deus pie in hoc statu conjugali viventibus suam benedictionem largiri velit, quod expendens Clemens Romanus lib. VI. constit. apostolicarum cap. XXVII. sic scribit: *Leges divinæ nuptias honorarunt, cum eas benedictas adpellaverunt. Benedixit namque eis Deus, qui foeminam cum mare copulavit. Dicit autem & Salomon: A Domino aptatur mulier viro. Et David ait: Uxor tua sicut vitis abundans. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Ex hoc divinæ benedictionis fonte unice profluit, quidquid in conjugio est bonum atque commodi, prolis scilicet generatio, adjutorium mutuum, &c. Atque hæc dicta sint de primæva conjugii institutione, cui non mediocrem dignitatem conciliat locus, quod in paradiso & in statu innocentiæ institutio illa facta est. Rupertus quidem libr. II. de Trin. cap. XXII. & Josephus lib. I. antiq. cap. I. statuunt, *Evam extra paradisum formatam & marito suo copulatam;* sed series narrationis mosaicæ illis repugnat, ordine enim describit Moses, quæ in ipso paradiso gesta sint, quibus mulieris formationem diserte adnumerat

4.) *Novorum conjugum benedictio.*

merat, unde Basilius homil. de paradis. & alii ex veteribus contrarium rectius statuunt. Quidam existimant in statu innocentiæ non fuisse multiplicandos homines per generationem carnalem in conjugio, sed modo quodam angelico procreandos; sed illorum commentum inferius cap. VIII. refellemus. Fuisset ergo etiam in statu innocentiæ generatio per conjugalem copulam facta, sed absque libidinis ardore & lepra, ac quia in ipso innocentiæ statu conjugium institutum, ideo cogitari nequit, in pœnam peccati, vel ad majora flagitia vitanda duntaxat esse institutum. Fulgentius de statu vidual. epist. II. *Connubium non est ex colluvione peccati, sed ex institutione Dei.*

§. XLVIII. Vidimus hactenus in primæva conjugii institutione, quod Deus ipse de muliere condenda & conjugio instituendo quasi consultaverit, quod consultationem & decretum suum ipsemet exsecutioni dederit, quod in decreti exsecutione mulierem suis, ut sic loquar, manibus ipse formaverit, quod formatam Adæ marito in paradiso ipse adduxerit, quod primos conjuges ipse copularit, quod copulatis ipse benedixerit, quod legem matrimonialem ipse promulgaverit, quæ omnia evidenter probant, Deum esse conjugii autorem & causam principalem. *Qui bene eruditi sunt in fide catholica*, inquit Augustinus tract. IX. in Johan. *noverunt, quod Deus fecerit nuptias.* Id ipsum præter primævam conjugii institutionem atque ordinationem probat II.) *ordinis hujus confirmatio.* Cum enim primi parentes per peccatum divinam legem transgressi e statu innocentiæ & gratiæ, in quo conjugium institutum erat, misere excidissent, Deus hanc suam ordinationem denuo repetivit ac confirmavit, quando de semine, conceptione & partu ipsis concionatus est, Gen. III. 15. & 16. ut intelligerent, post lapsum nihilominus mansuram conjugii ordinationem, per quam genus humanum propagetur. Adduntur quidem dolores, molestiæ & cruciatus in gestatione & partu, ut sint signa reatus & actuales conciones de ira divina propter peccatum; interim tamen ipsa propagatio & multiplicatio generis humani per conjugium manet Dei ordinatio ac divinum beneficium, unde Adamus conjugem suam vocat *Evam, eo quod mater esset cunctorum viventium.* Gen. III. 20. Post diluvium, cum Noachus & filii ipsius ex arca egrederentur, Deus iisdem verbis, quibus conjugium institutum erat Gen. I. 28. institutionem suam repetit, benedicens reliquiis ex universali illa generis humani deletione ac πανολεθρίᾳ superstitibus in arca conservatis, & præcipiens, ut crescerent seseque multiplicarent. Gen. VIII. 17. IX. 1. III.) *Conjugii in nov. test. facta instauratio.* Cum enim leges conjugii per divortia temeraria, polygamiam & vagas libidines essent multis modis labefactatæ, Filius Dei in humana natura adparens eas solenniter repetivit, Matth. XIX. 4. & hac ratione divinam conjugii institutionem denuo instauravit, quin imo huic ordini summam dignitatem per id conciliavit, quod post susceptum in Jordane baptismum & solennem ad officium mediatoris inaugurationem nuptiis interesse, ac primum suum miraculum in illis edere voluit; Joh. II. 2. quo ipso manifestum fecit, non in vet. solum, sed etiam in nov. test. conjugium pro divina ordinatione esse habendum. Epiphanius tom. II. lib. II. hæres. 67. *Quomodo non erunt venerabiles nuptiæ, & in Deo habentes regnum coelorum, cum vocatus sit salvator ipse ad nuptias, ut nuptias benediceret? Si quidem enim recusasset ad nuptias ingredi, profecto nuptiarum exsolutor fuisset, &c. quare accedit ad nuptias, ut obturet ora eorum, qui loquuntur contra veritatem?* Augustinus in quæst. vet. ac nov. test. q. 127. *Ipse* (Christus) *rogatus ad nuptias ire non dedignatus est, & non solum præsentia sui illustravit eas, verum etiam contulit, quod deerat,*

I.) Ex ordinis hujus confirmatione.

III.) Ex ejusdem in novo testam. instauratione.

deerat, ad lætitiam, ſcriptum enim: quia vinum lætificat cor hominis. *Et ut hoc ſecundum Dei Patris ſui voluntatem feciſſe demonſtraret, Judæis interrogantibus; an liceret dimittere uxorem ſuam? reſpondit inter cætera dicens. Quod conjunxit Deus, homo non ſeparet.* Idem in Johan. tract. IX. *Quod Dominus invitatus venerit ad nuptias, etiam excepta myſtica ſignificatione confirmare voluit, quod ipſe fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit apoſtolus, prohibentes nubere & dicentes, quod malum eſſent nuptiæ, & quod diabolus eas feciſſet, cum Dominus dicat in evangelio:* quod Dominus conjunxit, homo non ſeparet. *Et qui bene eruditi ſunt in fide catholica, noverunt, quod Deus fecerit nuptias, & ſicut conjunctio a Deo, ita divortium ſit a diabolo. Dominus intereſſe voluit nuptiis,* inquit Beda in Joh. II. *ut ſtatum matrimonialem ſua præſentia adprobaret. Si enim thoro immaculato & nuptiis debita caſtitate celebratis culpa ineſſet, nequaquam ad eas veniſſet.* IV.) *Ordinis hujus conſervatio.* Deus hunc conjugalem ordinem non tantum primitus inſtituit, ſed eumdem etiam conſervat, nec primos ſolum conjuges copulavit, ſed adhuc hodie pios conjuges conjungit, & ipſorum corda caſti amoris vinculo connectit. Gen. XXIV. 7. dicit Abraham ad ſervum ſuum Eleazarum: *Dominus coeli ac terræ ipſe mittet angelum ſuum coram te, & accipies inde uxorem filio meo.* Ergo Deus opera & miniſterio angelorum utitur in conciliandis piorum nuptiis. v. 14. orat Eleazarus: *Puella, quæ dixerit, dabo potum camelis, &c. ipſa erit, quam præparaſti ſervo tuo*, ſcilicet Iſaaco, hebraice הוֹכַחְתָּ, quod Targum reddidit וְזַמִּנְתָּ *præparaſti, deſtinaſti*, LXX. interpretes ἡτοίμασας, aliis ἀπέδειξας, & quia הוֹכִיחַ proprie ſignificat, *redarguit, corripuit*, ideo alii vertunt, *quam correxiſti ſervo tuo Iſaaco*, id eſt, quam correctione & inſtitutione præparaſti. Ergo Deus adhuc hodie cuique ſuam ſponſam præparat ac deſtinat. De Samſonis conjugio dicitur: Jud. XIV. 4. *Parentes neſciebant, quod hoc a Domino eſſet.* Prov. II. 17. *Quæ relinquit ducem adoleſcentiarum ſuarum*, id eſt, maritum ſuum, *obliviſci dicitur pacti Dei ſui.* Ratio exponitur Malach. II. 14. *Dominus teſtificatus eſt inter te & uxorem pubertatis tuæ, &c. Et hæc ſocia & uxor foederis tui.* Ergo conjugii fœdus Deo auctore & conciliatore contrahitur. Prov. XIX. 14. *Domus & divitiæ hereditas patrum, & a Domino mulier intelligens;* 1 poteſt eſſe particula *adverſativa*, ut ſpecialis divinæ providentiæ actio in conjugio ſignificetur, quia ea, quæ per hereditatem liberis obveniunt, ea itidem a Domino ipſis dantur. Sed in matrimoniis conciliandis peculiariter elucet Dei diſpoſitio. Matth. XIX. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Quæſtio erat non de Adæ & Evæ duntaxat matrimonio, ſed in genere de conjugiis legitimis, quæ Chriſtus negat diſſolvenda, quia Deus ea conjunxerit. Ergo Deus adhuc hodie conjuges invicem conſociat. Tob. VI. 13. ait angelus ad Tobiam de Sara futura ipſius conjuge: ἄυτη σοὶ ἡτοιμασμένη ἦν ἀπὸ τῶν αἰώνων, *hæc erat tibi parata a ſeculo.* Et adhuc hodie Deus Pater conjuges ad aram ducit, Filius, ſummus ſacerdos, ipſos per miniſtrum verbi conjungit, Spiritus ſanctus caſti amoris vinculo eosdem unit. Huc pertinet, quod Deus adhuc hodie conjugibus benedicit in liberorum generatione & educatione, in re familiari paranda & augenda, addit angelos liberis, conjugii fructibus, & familiæ cuſtodes, mitigat piorum conjugum calamitates, aquam tribulationis temperat vino conſolationis, & contra aſmodæi furores hunc ordinem a ſe inſtitutum potenter conſervat.

IV.) Ex ordinis hujus conſervatione.

§. XLIX. Cæterum ex eo, quod Deus ſit cauſa efficiens principalis & primarius auctor con- *Πόρισμα doctrinae de cauſa conjugii efficiente.*

conjugii, immote colligitur, *conjugium esse sanctum vitæ genus*, statum Deo placentem & talem vitæ ordinem, in quo homo pius bona cum conscientia vivere, Deo grata obsequia præstare, & salutis æternæ particeps fieri possit, sicut de piis conjugibus dicitur Psalm. CXXVIII. 1. *Beatus omnis, qui timet Dominum;* vel ut in Hebræo emphatice habetur: *Beatitudines variæ ac multiplices erunt illi, qui timet Dominum, & ambulat in viis ejus.* v. 2. *Laborem manuum tuarum comedes, beatus es, & bene tibi erit.* v. 3. *Uxor tua sicut vitis fructificans in lateribus domus tuæ, filii tui sicut plantationes olearum in circuitu mensæ tuæ.* v. 4. *Ecce sic benedicetur vir timens Deum.* Ergo Deum timere, in viis Domini ambulare, & uxorem ac liberos habere, non sunt opposita, quin potius liberorum generatio in conjugio & rei familiaris incrementum est pars divinæ benedictionis. Eccles. XXVI. 3. *Mulier bona, pars bona, in parte timentium Dominum dabitur.* Neve quis existimet, in vet. quidem test. conjugium fuisse statum vitæ Deo gratum, aliam vero esse nov. test. rationem; ideo notandum, quod Christus in nov. test. primævam conjugii institutionem repetiverit ac confirmaverit, quin & ipse ex desponsata virgine nasci voluerit, ut ostenderet, conjugium etiam in nov. test. Deo probari, unde apostolus notanter pronunciat: 1 Tim. II. 15. *Salvabitur mulier διὰ τῆς τεκνογονίας, si permanserit in fide, dilectione & sanctificatione cum sobrietate;* ubi ostendit maritatis consolationem molestiæ & dolori in gestandis ac pariendis liberis opponendam, quod videlicet illis pœnis non impediatur, sed potius promoveatur æterna ipsarum salus, modo in fide & fructibus fidei permanserint. Neque enim is est sensus dicti apostolici, quod τεκνογονία sit causa & meritum salutis, sed quod status matrimonii, seu generandi liberos, salutem non impediat, ut διὰ ponatur pro ἐν, Rom. IV. 11. 1 Petr. III. 20. qua de re suo loco plenius.

§. L. Usus hujus doctrinæ de causa efficiente principali matrimonii est tum θεωρητικὸς, tum πρακτικὸς. Θεωρητικὸς est vel διδασκαλικὸς, vel ἐλεγκτικὸς. I.) Διδασκαλικὸς, ut mirabilem Dei bonitatem, sapientiam & potentiam in conjugii institutione & conservatione, in viri & uxoris conjunctione, in piorum conjugum benedictione, in generis humani per conjugium propagatione, &c. reverenter agnoscamus. Ut enim primæva conjugii institutio non temere, nec humana sapientia, sed mirabili divinæ providentiæ œconomia facta est: ita hic ordo divinitus institutus non hominum arbitrio, sed Dei voluntate conservatur, id quod nuptiarum inter personas locis vel maxime dissitis habitantes conciliatio sæpius facta ostendit, quippe quæ interdum tam admirabilis est, ut singularem Dei providentiam in ea omnes agnoscere ac fateri cogantur, unde natum est vulgatum illud: *Fiunt connubia fato.* Item: *Connubia sunt fatalia;* quod recte dicitur, modo etiam recte intelligatur, videlicet ut per fatum non absolutum aliquod, omnium secundarum causarum respectum excludens, decretum, sed mirabilis Dei providentia intelligatur, sensu eo, quod conciliatio conjugii inter virum & uxorem non casu aut fortuito fiat, nec ab humano tantum arbitrio, sed a Dei voluntate & dispositione pendeat, unde nos Germani dicere consuevimus:

Es wird keine Ehe auf Erden gemacht,
Sie ist zuvor im Himmel bedacht.

Connubia priusquam in terris fiant, in cœlo definiuntur, ac præter omnem hominum opinionem quandoque dispensantur. Quamvis enim Deus non amplius eo modo, quo Adamum & Evam copulavit, virum & fœminam ad hoc vitæ genus conjungat, immediate scilicet & visibiliter in persona propria adparens & loquens; id ipsum tamen adhuc hodie facit tum mediate, quando scilicet per parentum, cognatorum & amicorum consilia

Usus doctrinæ de causa efficiente conjugii. I.) Theoreticus & quidem 1.) Didascalicus.

filia nuptiæ conciliantur, tum occulte, quando insperatas occasiones exhibet, & conjugalis amoris flammam in corde utriusque accendit, ut animus de conjugio decernat, antequam ulli hominum ea res patefacta sit. Sic Abrahæ servo divinitus offertur & ostenditur Rebecca, Isaaci sponsa, Genes. XXIV. Jacobo venienti in Mesopotamiam occurrit futura conjux Rachel. Gen. XXIX. Tobiæ juniori desponsatur Sara, de qua angelus ad Raguelem parentem dicit: *Huic debebatur conjux filia tua.* Tob. VII. 12.

2.) *Elencticus.*

§. LI. II.) Ελεγκτικὸς usus in eo consistit, ut divinam conjugii institutionem opponamus tum criminationibus gentilium *extra ecclesiam*, tum erroribus hæreticorum *in ecclesia*. In scriptis gentilium multæ occurrunt criminationes & calumniæ, quibus sanctissimum conjugii ordinem virulente impetere ac traducere non reformidarunt. Philemon apud Stobæum sermon. LXVI. dicit: ἀθάνατον ἐστι κακὸν ἀναγκαῖον γυνή. Epicharmus: Δὺ ἡμέρας γυναικός ἐστιν ἥδιστα, ὅταν γαμῇ τις, κἀπέρη τεθνηκυῖαν; cum quo congruit illud: Πᾶσα γυνὴ χόλος ἔστιν, ἔχει δὲ ἀγαθὰς δύο ὥρας, τὴν μίαν ἐν θαλάμῳ, τὴν μίαν ἐν θανάτῳ. Menander: ὡς ἐστὶ τὸ γαμεῖν ἔχατον τῶ δυσχερῶν. Epicurus & Democritus nuptias & procreationem liberorum damnabant, teste Theodoreto lib. XII. de vit. activ. Sed hæ ac similes conjugii sugillationes profluxerunt ex ignorantia causarum, propter quas huic vitæ generi crux divinitus sit addita, & consolationum cruci in conjugio opponendarum. Huc referendæ etiam sunt vituperationes sexus muliebris, ex ignorantia doctrinæ cœlestis de primæva masculi & fœminæ creatione, ex ingenii humani petulantia, & ex nimia infirmitatum, quibus hic sexus magis obnoxius est, quam virilis, exaggeratione ortæ, quarum copiosam messem videre licet apud Stobæum serm. CXCII. Sed tales insectationes ac criminationes in ipsum Deum, sexus muliebris creatorem & conservatorem redundant. Augustinus in quæst. ex utroque testam. q. 127. *Quando displicet opus, reprehenditur auctor.* Nec solum extra ecclesiam, sed in ipso etiam ecclesiæ gremio conjugii dignitatem & sanctitatem variis erroribus labefactare diabolus fuit conatus. Singulis enim fere seculis in primitiva ecclesia exorti sunt novi hæretici, qui huic sanctissimæ Dei ordinationi detraherent. In *primo* seculo exstitit *Simon magus*, quem Irenæus in præf. libri III. vocat *patrem omnium hæreticorum*, is detestandam *turpitudinem* introduxit *indifferenter utendi fœminis*, teste Augustino de hæresib. cap. I. ac sectatores ejus *nuptias sustuliſſe*, dicentes: *eas non esse opus Dei*, refert Clemens Romanus lib. VI. constit. apost. cap. VIII. *Nicolaitæ* docuerunt uxores oportere esse communes ac rem indifferentem esse mœchari, Apoc. II. 6. Irenæus lib. I. cap. XXVI. Epiphanius hær. XXV. auctorem habuerunt Nicolaum, Antiochenum proselytum, unum e septem diaconis, Actor. VI. 1. qui referente Clemente Alex. lib. III. stromat. *cum formosam haberet uxorem, & post servatoris adsumtionem ei fuisset ab apostolis exprobrata zelotypia, in medium adducta muliere permisit, cui vellet eam nubere.* Hieronymus in epist. ad Heliod. *Nicolaus tam turpia & nefanda commentus est, ut Nicolaitarum hæresis ex illa radice nascatur.* In *secundo* seculo ortus est *Saturninus*, Simonis discipulus, qui nubere & generare a Satana dixit esse. Irenæus lib. I. adv. hæres. cap. XXII. Theodoretus de hæresibus dicit, eum primum esse, qui de matrimonio doctrinam diaboli esse dixerit. De Saturnino scribit Epiphanius lib. I. tom. II. hæres. *matrimonium contrahere & generare hic scurra ex satana esse dicit. Gnostici* ab eo orti libidinem & impudicitiam pro cultu habuerunt, conjugia autem honesta damnarunt. Illos alii hæretici magno numero sunt secuti. *Carpocratiani* turpitudinem & pollutionem nefariam, usque adeo necessariam esse

Contra veteres haereticos.

esse docuerunt, ut sine ea nemo perfectionem mystagogiæ consequi possit. Irenæus lib. I. cap. XXIV. Epiphanius, Theodoretus in hær. *Marcionis* Deus conjugium aversabatur, teste Tertulliano libr. IV. contra Marcion. quia Marcion nuptias non conjungebat, nec conjunctas admittebat. *Lucianistæ*, Marcionitarum sectatores, nuptias tanquam opus & præceptum diaboli damnarunt, teste Lamberto Danæo in comm. ad Augustinum de hær. cap. XXIII. ex Epiphanio hær. 43. (*) *Severiani & Andronici* dicebant, mulierem esse opus satanæ, ac proinde matrimonium contrahentes opus satanæ explere. Item hominis dimidiam partem esse opus Dei, dimidiam vero diaboli. Nam ab umbilico & supra esse formationem Dei, ab umbilico & infra malæ potestatis formationem. Idem hær. XLV. lib. I. tom. III. Nicetas lib. IV. orth. fid. cap. XVII. *Tatianus*, Justini quondam auditor, sed postea Encratitarum auctor, Marcionis & Saturnini vestigiis insistens nuptias esse corruptelas dixit, Irenæus lib. I. cap. XXXI. quin & diaboli inventionem dixit esse matrimonium, & mulierem opus diaboli. Epiphanius hær. XLVI. contra Tatianos. Augustinus hær. XXV. ubi *Encratitas* vocat schismaticos Tatianistarum, perinde ut Epiphanius in anacephal. adpellat avulsionem quamdam a secta Tatiani, non hujus de conjugio, sed aliorum dogmatum respectu, in quibus diversum quid a Tatianistis tradiderunt. *Manichæi*, referente Augustino in hær. c. XLVI. *nuptias sine dubitatione condemnabant, & quantum in ipsis est, prohibebant, quando generare prohibebant, propter quod conjugia copulanda sunt.* Vide etiam lib. II. de morib. Manich. cap. XVIII. lib. XV. contra Faust. c. VII. *Adamiani* nuptias aversabantur, quia nec priusquam peccasset Adam, nec priusquam dimissus esset de paradiso, cognovit uxorem. Augustinus ibid. cap. XXXI. *Apostolici* spem salutis eos habere negabant, qui conjugio utuntur. Ibidem c. XL. Bernhardus serm. LXVI. in Cant. *Eustathianis* eamdem opinionem tribuit Socrates lib. II. hist. eccl. c. XXXIII. *Hieracitæ* in vet. test. concessum fuisse matrimonium contrahere docuerunt, verum post Christi adventum non amplius nuptias admitti, nec posse illas possidere regnum cœlorum. Epiphanius lib. II. tom. II. hæres. LXVII. *Priscillianistæ*, Gnosticorum & Manichæorum dogmata permixta sectantes, viros a nolentibus fœminis & fœminas a nolentibus viris disjungebant, opificium quippe omnis carnis non Deo bono & vero, sed malignis angelis tribuebant. Augustinus de hæres. cap. LXX. copulam conjugalem ideo detestabantur, *quia libertatem tollit turpitudinis, ac pudori & spei sobolis obsistit.* Leo epist. XCIII. de *Milvio*, Athanasius in sermon. contra omnes hæres. *Milvius arbitratur, se extollere virginem, & conjugium infamare posse, cum Deus in paradisum Evam ad Adamum deducat.* De *Aëriis*, ab Aërio quodam sic adpellatis Philastrius lib. de hæres. cap. LXXII. damnant de lege nuptias non a Deo institutas adserentes. *Hydroparastatæ* matrimonium *scortationem* adpellabant, & legitimam conjunctionem *diabolicam* nominabant, Theodoretus lib. I. hær. fabul. Nicolaus Emericus part. II. q. 11. *Lucenb.* de hæres. meminerunt cujusdam *Durandi de Wallachia*, qui matrimonium dixerit esse *occultatum meretricium.*

Contra pontificios.

§. LII. Quamvis vero horum ac similium hæreticorum furoribus primitivæ ecclesiæ doctores mascule restiterint; tamen stipulæ quædam opinionum quibusdam ex ipsis progressu temporis adhærere cœperunt, ut constabit ex illis, quæ de secundis nuptiis, &

(*) De Lucio Charino, qui scripsit periodos apostolorum, Photius cap. CXIV. biblioth. γάμους δὲ νομίμους ἀθετεῖ καὶ πᾶσαν γένεσιν πονηρὰν τε καὶ τῷ πονηρῷ λέγει, *conjugia insuper legitima rejicit, omnemque adeo generationem malam esse & a malo asserit.* GERH.

de collatione cœlibatus cum conjugio inferius dicentur, donec tandem sub papatu dignitas conjugii multis modis labefactata, ac penitus ferme depressa fuit. De antichristo enim prædictum erat: Dan. XII. 37. *Super amorem vel desiderium mulierum non intelliget.* Hieronymus quidem in versione sua plane contrarium sensum expressit, sic enim reddit: *Et erit in concupiscentiis foeminarum;* sed cohærentia textus hebraici manifeste ostendit, sic vertendum esse: *Et super amorem foeminarum & super omnem Deum non intelliget, quoniam super omnia se extollet.* Quo modo etiam reddiderunt LXX. interpretes & b. noster Lutherus, (unde etiam Lyranus in eum locum sic commentatur: *Licet antichristus fingat castitatem exterius, ut facilius decipiat, tamen non erit vere castus*) quin imo ipse Hieronymus fatetur, sensum negativum rectius competere antichristo, sic enim scribit in comment. hujus loci tom. IV. pag. 525. *Pro eo, quod nos interpretati sumus,* & erit in concupiscentiis fœminarum, *septuaginta transtulerunt, & concupiscentiis mulierum non subjacebit, &c. Si legerimus & intelleverimus ἀπὸ κοινῆς,* & super concupiscentiam fœminarum non intelliget, *de antichristo facilior interpretatio est, quod ideo simulet castitatem, ut plurimos decipiat. Sin autem ita legerimus,* & super concupiscentiam fœminarum, *ut subaudiatur,* erit, *Antiochi personæ magis adcommodabitur, qui luxuriosissimus fuisse dicitur.* Hanc versionem probat, & sensum prophetæ explicat apostolus: 1 Tim. IV. 1. *In novissimis temporibus discedent quidam a fide adtendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum,* v. 3. *prohibentium nubere.* Per desiderium igitur mulierum intelligitur amor conjugalis, super quem antichristus non sit intellecturus, hoc est, nihil eumdem facturus, nec dignitatem ejus curaturus. Per נָשִׁים enim proprie intelliguntur uxores, Gen. IV. 29. VII. 7. XXXIV. 29. Num. XIV. 3. quo etiam David de suo erga Jonathanem amore dicit, 2 Sam. I. 26. *Jucundus mihi fuit amor tuus* מֵאַהֲבַת נָשִׁים, *præ amore mulierum;* hoc est, præ amore conjugali, ac Ezech. XXIV. 16. uxor vocatur מַחְמַד *desiderium oculorum*, ut constat ex collatione v. 18. Hoc ipsum de antichristo vaticinium in papa Romano completum esse, constat ex variis injuriis & contumeliis, quæ conjugio ab ipso & ejus adsectis irrogantur, 1.) *immunditiem & pollutionem illud vocando.* Siricius epist. I. ad Himerium cap. VII. Innocentius epist. III. cap. 1. contra sacerdotum conjugium adferunt dicta illa scripturæ: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum. Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Cap. Nuptiæ &c. dist. 32. q. 1. *Scriptura in primo & tertio & quarto & quinto die & sexto expletis operibus singulorum dierum dixit:* Et vidit Deus, quod bonum esset; *in secundo die hoc omnino subtraxit, nobis intelligentiam tribuens non esse bonum duplicem numerum, qui ab unione dividat & præfiguret foedera nuptiarum, unde & arcam Noæ animalia omnia quæcunque bina ingrediuntur, immunda sunt, impar numerus mundus est.* Bellarminus de sacram. matr. cap. V. *Non male dici posset de conjugatis: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt;* qua de re plura vide superius. 2.) *Impedimentum pietatis illud statuendo.* Innocentius l. d. *Paulus ad Corinthios scribit:* abstinete vos ad tempus, ut expeditius vacetis orationi. *Et hoc utique laicis præcepit, multo magis igitur sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere.* Cap. Si laicus &c. dist. 31. *Cui semper orandum est, semper matrimonio carendum.* Cap. Connubia &c. dist. 32. q. 2. *Tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Spiritus sancti non dabitur, etiamsi propheta videatur esse, qui officio generationis obsequitur.* Bellarminus lib. de cleri-

cis

cisc. XVIII. §. 4. *Actus conjugalis hominem reddit totum carnalem & ineptum ad divina.* Cap. XIX. rat. 5. *Matrimonium vehementer impedit officia ecclesiastica, impedit studium orationis, efficaciam prædicationis, curam pauperum.* Idem in præfat. tom. III. controv. relicto cœlibatu conjugium inire dicit esse *stellam de coelo cadere, ad terrenas delicias, atque ad negotia hujus vitæ delabi, in carne & sanguine volutari, &c.* Costerus in enchir. cap. XV. *Per conjunctionem conjugalem anima hominis ad inferiora deprimitur, ut minus idoneus sit coelestia meditari ac tractare.* 3.) *Coelibatum cum contumelia conjugii laudando.* Statuunt enim cœlibatum esse satisfactionem peccatorum maximam & meritum regni cœlorum, esse statum perfectionis, & qui in eo vivunt, posse plus præstare, quam Deus in lege requisivit, & hæc sua merita aliis, qui in conjugio vivunt, adplicare posse, quin imo etiam minima opera, quæ in cœlibatu fiunt, Deo esse acceptiora, quam maxima opera, quæ fiunt a conjugatis, cujusmodi plura inferius adferentur. Cap. Hospitiolum &c. dist. 32. *Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere.* 4.) *Toti ordini ecclesiastico conjugio interdicendo*, ut constat ex praxi, id quod pugnat cum divina conjugii institutione, quæ matrimonium omnibus relinquit liberum, ut in tract. de minist. in quæstione de conjugio sacerdotum latius fuit demonstratum. 5.) *Concubinatum & vagas libidines in personis ecclesiasticis* potius *tolerando*, quam honestum conjugium ipsis permittendo. Cap. is qui &c. dist. 34. *Is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ sit conjunctione contentus;* ubi glossa addit: *Luxuria quandoque plus juris habet, quam castitas, quia castus repelleretur, sed fornicator non.* Cap. Christiano &c. ead. *Christiano non licitum est duas simul habere uxores, nisi unam tantum, aut uxorem, aut certe loco uxoris concubinam.* Huc referenda vox flagitiosa Campegii, Hosii, Eccii & Costeri, *quod sacerdos uxorem ducens gravius peccet, quam si fornicetur, aut domi concubinam alat.* Item, quod Bellarminus de cleric. cap. XXIV. disputat, recte fieri, quod digamus, hoc est, qui successive duas habuit uxores, a sacerdotio repellitur, non autem fornicarius, quia magis prohibeatur digamia, quam adulterium, vel concubinatus. Maritus viduæ perinde ac bigamus in clerum eligi neutiquam potest. Cap. quomodo &c. 31. q. 1. ac t. t. de bigam. non ordin. sed scortator, qui mortua uxore ex ancilla plures suscepit liberos, diaconus fieri potest. Cap. Fraternitatis &c. dist. 34. 6.) *Vota coelibatus a personis ad eum minus idoneis exigendo ac suscipiendo*, qua ratione efficacem causam præbent voluntariis pollutionibus, libidinum incendiis & variis criminibus, ut in quæstione de cœlibatu docebitur. 7.) *Lupanaria publica in conjugii dedecus tolerando.* Romæ in ipso pontificis conspectu publicæ illæ turpitudinum officinæ aperte prostant, & certis vectigalibus in patrati illius patris ærarium inferendis elocantur. Cum concilium Tridentinum anno 1552. celebraretur, Romæ initus fuit scortorum numerus, quæ vectigal meretricium Romano pontifici patri patrato solverunt, qui ultra 24. millia adsurrexit. Bellarminus lib. II. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. XVIII. §. Dicet &c. *Non peccat magistratus, si meretricibus certum locum urbis incolendum adtribuat, quamvis certo sciat, illo loco ipsas non bene usuras. Potest enim permittere minus malum, ut majora impediantur.* Cap. Inter opera &c. decr. de sponsal. *Statuimus, ut omnibus, qui publicas mulieres de lupanari extraxerint, & duxerint in uxores, quod agunt, in remissionem proficiat peccatorum;* ex quo loco colligunt canonistæ, quod lupanaria toleranda. Vide loc. de lege §. 163. Hardingius in conf. p. 162. vocat *ea malum necessarium ad alia vitanda, quæ pejora ac graviora*

viora essent futura; atque ad excusationem adducit illud Augustini libr. II. de ordine cap. IV. *Auser meretrices de rebus humanis; turbaveris omnia libidinibus;* at cum Augustinus hæc scriberet, nec episcopus, nec presbyter, imo nec orthodoxus erat. 8.) *Conjuges divinitus conjunctos invicem separando.* Multis enim conjugibus etiam e regum ac principum numero persuaserunt, ut relicto conjugio ac liberis in monasteria sese abderent. Connubia post votum contracta pronunciant esse irrita, per votum solenne & per hæresin conjugium quoad torum & cohabitationem dissolvi censent, &c. Vide tract. de eccles. §. 251. & cap. X. hujus tract. sect. 3,

II.) Practicus.

§. LII. Usus πρακτικὸς est 1.) παραινετικὸς, ut illi, qui conjugium contrahere cogitant, in Domino, id est, in vero Dei timore & præmissis piis ad ipsum precibus, adeoque juxta ordinem a Deo institutum illud contrahant, 1 Cor. VII. 39. exemplo Isaaci, Gen. XXIV. 63. qui, cum exspectaret sponsam sibi ab Eleazaro adducendam, abiisse dicitur *in agrum* לָשׂוּחַ, *ad meditandum, vel orandum*, שׂוּחַ enim proprie significat submissa voce loqui, & labiis tenuiter motis meditari instar orantis, quo modo vertit Pagninus & Chaldæus interpres, ac Tobias sponsam suam ad preces exhortatus dicit Tob. VIII. 4. *Surge & deprecemur Deum;* v. 5. *Filii enim sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.* De hominibus antediluvianis dicitur, Gen. VI. 2. quod *acceperint sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*, hoc est, quod sine Dei timore, absque ullo pietatis & morum respectu, tantum ex oculorum judicio uxores duxerint *dominante libidine coëundi, non serviente officio generandi*, ut loquitur Augustinus lib. XV. de civ. Dei cap. II. quæ ipsorum impietas & cyclopicus Dei contemtus graviter in ipsis fuit punitus, quorum culpæ adfines esse non debent, qui in pœna ipsis conjungi reformidant. Conjugium est sanctum vitæ genus, ergo sancte habendum; est divina ordinatio, ergo juxta ordinem a Deo institutum obeundum. Uxor prudens est a Domino; Prov. XIX. 14. ergo piis precibus a Deo petenda. 2.) Παρακλητικὸς. Quæ enim efficacior consolatio adversus onera & difficultates matrimonii piis conjugibus proponi potest, quam quod vivant in statu Deo grato ac placente? certam igitur divinæ præsentiæ & auxilii fiduciam concipere possunt, & in omnibus adversis in sancta & benefica Dei voluntate humiliter adquiescere, exspectantes ærumnarum sublevationem, vel mitigationem divinitus proinissam.

SECTIO II.

DE CAVSA EFFICIENTE CONIVGII INSTRVMENTALI AC PROPINQVA.

§. LIV.

Causa conjugii instrumentalis & propinqua, quæ est consensus.

Dictum fuit hactenus de causa efficiente conjugii principali primaria, remota ac summa, quæ est divina ejus institutio; restat, ut dicamus de causa ejusdem *instrumentali*, secundaria, propinqua & intermedia, quæ est *consensus legitimus, plenus ac justus* partium contrahentium, cum quo plane congruit illud, quod alias explicatius dicitur, requiri ad conjugium consensum tum *partium contrahentium*, tum *eorum, in quorum potestate sunt contrahentes.* Ut enim contrahentium consensus sit legitimus, plenus ac justus, utique accedere oportet consensum eorum, in quorum potestate sunt contrahentes; cum legitimus consensus non sit, qui legi Dei de honorandis parentibus non

non congruit, nec plenus sit liberorum consensus, nisi voluntate parentum firmetur, nec justi consensus nomen obtinere possit, qui est clandestinus & voluntati eorum, in quorum potestate uterque, vel alter contrahentium constitutus est, repugnat.

ARTICVLVS I.

DE CONSENSVS CONTRAHENTIVM ET PARENTVM NECESSITATE.

§. LV.

Contrahentium consensum necessarium esse.

Requiri ad legitimum conjugium personarum contrahentium consensum demonstramus his fundamentis: I.) Ex *prima conjugii institutione. Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; Gen. II. 24. quibus verbis arctissimam & individuam vitæ societatem describi, ostendimus superius. Sic ergo concludimus: Ad arctissimam & individuam vitæ societatem contrahendam requiritur consensus partium contrahentium. Conjugium est arctissima & individua vitæ societas. Ergo ad illud contrahendum requiritur consensus partium contrahentium. Circa *majorem* nota, differentiam esse inter societatem vitæ naturalem, ac voluntariam. *Naturalis* est, quæ ab ipsa natura oritur, qualis est inter parentes ac liberos, inter fratres & sorores, inter consanguineos ab uno sanguine ortos. *Voluntaria*, quæ a libero mentis judicio oritur. Conjugalis societas non est naturalis, neque enim homines nascuntur conjugali vinculo invicem copulati, sed voluntaria ac libera; utique ergo ad eamdem consensus partium contrahentium requiritur. Quod ipsum ex prima conjugii institutione & primo protoplastorum conjugio probatur etiam hoc modo: Quam interpretationem institutionis matrimonialis Deus ipse tradidit, & exemplo confirmavit, ea merito judicatur matrimoniali institutioni conformis. Sed interpretationem illam matrimonialis institutionis, quod ad conjugium requiratur consensus contrahentium, Deus ipse tradidit, & exemplo confirmavit. Ergo ea merito judicatur matrimoniali institutioni conformis. *Adsumtum* probatur, quia Deus Evam Adamo adducens, nequaquam violente eam ipsi obtrudit, sed casti amoris flamma cor ipsius interius erga Evam adcendit, ut libere in conjugem ipsam eligat cum tripudio exclamans: *Hoc tandem os ex ossibus meis, & caro de carne mea, vocabitur vira, quia de viro sumta est.* Huc etiam referenda constitutio divina de ritibus, quibus ducenda sit uxor alienigena. Deut. XXI. 11. *Si videris in numero captivorum mulierem pulcram, & adamaveris eam, & volueris eam habere in uxorem, radet cæsariem, &c.* In hebræo est חָשַׁקְתָּ, *si desideraveris eam;* Targum, *si voluptatem in ea habueris;* LXX. interpretes ἐνθυμηθῇς, Pagninus alteram hujus radicis significationem huc adcommodat: *Si devinxeris, vel amore colligaveris te illi.* Ergo personæ contrahentes matrimonium amore ex libero consensu orto debent esse invicem devinctæ. II.) Ex *evidenti ratiocinatione.* Conjugium est summus amicitiæ gradus. Jam vero in amicitia contrahenda libertas voluntatis & consensus vel maxime requiritur. Ergo eadem in conjugio requiretur. Conjugium est species quædam contractus. Jam vero in omni contractu partium contrahentium spontaneus consensus requiritur. Boetius lib. IV. de consol. phil. prof. 2. *Duo sunt, quibus omnis humanorum actuum constat effectus, voluntas scilicet & potestas, quorum si alterutrum desit, nihil est, quod explicari queat.* Ergo etiam in conjugio. III.) Ex *probatorum exemplorum informatione.* Gen. XXIV. 57.

cum pater ac frater Rebeccæ de matrimonio ejus cum Eleazaro, procuratore Abrahæ, qui eam Isaaco in uxorem petebat, tractarent, dicebant: *Vocemus puellam, & inquiramus ejus voluntatem.* Ambrosius quidem libr. I. de Abrah. cap. IX. negat hic de matrimonio agi. *Consulitur*, inquit, *puella non de sponsalibus, illa enim ad judicium parentum spectant, non est virginalis pudoris eligere maritum, sed jam desponsata viro de profectionis die consulitur puellæ*, quæ verba etiam in jus canonicum sunt relata, cap. Honorantur &c. dist. 32. q. 2. Et sane concedimus, primo ac principaliter hic non agi de matrimonio, sed de itinere; *visne*, inquiunt, *proficisci cum hoc viro?* Interim tamen ex fine profectionis, qui erat matrimonii cum Isaaco celebratio, recte colligitur, voluntatem ejus de conjugio fuisse exploratam, & ex hoc antecedente, consensu scilicet in iter ad Isaacum, recte infertur consequens, consensus scilicet in matrimonium cum Isaaco celebrandum. Nec abfuit Rebecca, cum servus itineris sui causam exponeret, & virginem hero suo in uxorem peteret, sed coram adstitit, ac patris & matris promissionem non solum silentio, sed & munerum receptione comprobavit, ut recte monet D. Gesnerus in comm. h. l. Isaacus *Jacobo* filio non invito ac recusanti uxorem obtrudit, sed paterne ipsi consulit & suadet, ut in Mesopotamiam abiens ad domum Bathuel matris suæ, inde sibi uxorem de filiabus Laban, avunculi sui, accipiat. Gen. XXVIII. 2. *Simson* ex arcano Spiritus sancti motu Philistæam mulierem conjugem sibi deligens ad parentes rem defert, qui quamvis initio consensum suum non absque ratione differunt, tamen cum vident ipsi, ita plane constitutum esse, non amplius repugnant, sed ad nuptias cum eo abeunt. Jud. XIV. 5. Raguel filiam suam *Tobiæ* despondet, postquam ex lacrimis ejus gaudio obortis consensum & voluntatem virginis exploratam haberet. Tob. VII. 8. 15.

IV.) Ex *juris dispositione*. Cap. Sufficiat &c. dist. 2. q. 27. *Sufficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum quarumque consensu & conjunctionibus agitur, qui solus si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* Cap. Ubi non est &c. dist. 30. q. 2. *Ubi non est consensus utriusque, ibi non est conjugium, etiamsi pater & mater hoc voluerint & fecerint.* Idem habetur Cap. Tuas dudum de sponsa duorum. &c. unico de desponsi. impub. in 6. Eadem juris civilis dispositio. Nuptias. 30. de R. J. l. nec filium l. in copulandis. C. de nupt. l. 22. ff. de rit. nupt. l. 11. ff. de sponsal. V.) Ex *incommodorum consecutione*. Matrimonia, quæ invitis contrahentibus personis conciliantur, multa secum trahunt incommoda, *& malos habere solent exitus.* Cap. requisivit &c. de sponsal. *quod enim aliquis non diligit, facile contemnit,* cap. præsens 20. q. 3. cap. cum locum de sponsalibus. Omne necessarium triste, teste philosopho, unde Socrates dicebat, *invitas nuptias hæc comitari mala, perpetuam solicitudinem, excruciantem zelotypiam, contextum querelarum, exprobationem dotis, grave adfinium supercilium, alieni matrimonii subcensuras, varios sumtus, incertos liberorum eventus, nonnunquam orbitates, interitum generis, hæredem alienum & dolores innumeros.* Alex. Carerius lib. IV. de sponsal. & matrim. cap. X. *Inhumanum profecto liberos cogere ad ea matrimonia, a quibus toto pectore abhorrent, imo servitute durius id judicandum, quia servitute multis modis aliquis liberari potest, sed a conjugii vinculo sola mors liberat.* Lutherus in XXIX, Genes. p. 408. *Non sunt cogendi liberi ad amorem, aut connubia eorum, a quibus abhorrent. Satis alioquin superque satis periculorum & molestiæ incidit, si etiam amore inter se ardentes conjunguntur, sicut ostendunt quotidiana exempla.* Vide ejusdem epist. ad Johannem *Schotten*, equit. Aurat. tom. II. Jen. germ. f. 443.

VI.) Ex *antitypi conditione*. Conjugium est adumbratio spiritualis conjunctionis inter

Chri-

Christum & ecclesiam, ac quamvis piam animam. Jam vero spiritualis illa conjunctio fit per liberum amorem & consensum, neque enim cœlestis ille sponsus quemquam invitum cogit ad spiritualem illam desponsationem, sed spontaneum amorem requirit. Psalm. XLV. 11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, obliviscere populi tui, & domus patris tui*, v. 12. *& concupiscet rex decorem tuum.* Idem ergo in conjugii typo locum habere deberet.

Consensus contrahentium an sit conjugii efficiens, an vero forma, an materia?

§. LVI. Contrahentium personarum consensum requiri ad conjugium, omnes, qui de matrimonio scripserunt, uno ore adfirmant; sed in eo est discrepantia, an requiratur ut *causa efficiens*, an ut *conjugii forma*, an ut *materia*? Beza libr. de nupt. p. 86. consensum nominat matrimonii *formam.* Carerius libr. IV. de sponsal. & matrim. cap. I. id probat hoc argumento, *sicut a forma pendet rei esse*, l. Julianus §. si quis. ff. ad exhib. *ita a consensu pendet esse matrimonii*, c. sufficiat. 27. q. 2. l. nuptias. ff. de reg. juris ac lib. III. c. 1. sententiam, quæ consensum refert ad causam efficientem, *cum sensu ac ratione pugnare*, adserit Bellarminus de matrim. c. VI. sententiam illorum scholasticorum, *quod consensus conjugum verbis expressus, seu verba consensum exprimentia sint materia & forma conjugii*, non repudiat, sed de matrimonio *in fieri* considerato accipienda esse adserit. Forsterus de nupt. cap. VIII. pag. 110. consensum statuit conjugii *materiam.* Alii vero consensum statuunt esse causam conjugii *efficientem.* Chemnitius part. III. loc. p. 520. Menzerus de conjug. p. 125. Hemmingius de conjug. p. 46. Klingius de caus. matrim. p. 77. &c. quibus etiam nostrum addimus calculum: 1.) Propter *expressam juris regulam. Nuptias non concubitus, sed consensus facit.* l. nuptias. de reg. jur. *solus consensus matrimonium facit*, cap. sufficiat &c. dist. 27. q. 2. jam vero verbum *faciendi* notat causam efficientem. 2.) Propter *conjugii naturam.* Definitur conjugium, quod sit *legitima maris & fœminæ conjunctio individuam vitæ societatem continens.* Justinianus instit. de patr. potest. Alexander III. cap. illud de præsumt. quæ definitio ex prima conjugii institutione deducta evidenter ostendit, formam conjugii non consistere in consensu, sed in vinculo indissolubili & individua vitæ societate, quæ ex consensu oritur. 3.) Propter *consensus conditionem.* Consensus non durat perpetuo in omni conjugio, sed quandoque conjuges optant invicem separari; interim quia in individuam vitæ societatem consenserunt, & consensum illum copula carnali consummarunt, ideo non possunt invicem sejungi, si vel maxime velint, ex quo sic concludimus: Posita forma rei propria & essentiali res ponitur, & remota forma rei propria & essentiali res ipsa tollitur. Atqui de consensu dici nequit, quod post conjugium jamdum initum & consummatum eo remoto removeatur ac desinat etiam ipsum conjugium. Ergo consensus non est conjugii forma. Quemadmodum recte concludo, architectum non esse formam ædificii, sed causam ejus efficientem, quia abeunte, vel demortuo architecto non statim collabitur ædificium: sic consensus non est forma conjugii, sed causa ejus efficiens, quia cessante consensu non solvitur matrimonium ratum ac consummatum. *Verba consensum mutuum exprimentia, ubi semel officio suo defuncta fuerunt*, (inquit Menzerus de conjug. p. 162.) *non desiderantur amplius in conjugio permanente*; ubi etiam addit hoc argumentum: Obligatio conjugalis ex mutua consensione orta pertinet ad aliquod causæ genus. At nec ad efficientem, nec materiam, nec finem referri potest, superest igitur esse formam. Quare cum unius rei forma non sit nisi una, per quam est, id quod est, consequens fuerit, consensum non posse esse formam. 4.) Ob *ipsorum adversariorum confessionem.* Qui consensum formam conjugii statuunt, personas

sonas contrahentes, quatenus consensum suum exprimunt, efficientem conjugii causam esse volunt. At hac ratione re ipsa agnoscunt, consensum esse causam matrimonii efficientem, quia personæ contrahentes non sunt causa efficiens, nisi *quatenus consentiunt*, & consensum suum exterius exprimunt. Carerius lib. III. de sponsal. c. 1. Ergo consensus in personis contrahentibus est causa efficiens; sicut recte colligo, personæ duæ, quatenus stipulantur, contrahunt, ergo stipulatio est causa efficiens contractus. Unde Carerius l. d. hanc subjungit distinctionem: *Consensus dupliciter consideratur, uno modo, ut est ratio contractus, alio modo, ut est actus, quo contractus fit. Consensus est causa efficiens eo modo, quo ratio agendi dicitur efficiens per quamdam adprobationem, ex eo, quod ratio agendi se tenet ex parte agentis, & quoniam contrahentes non essent causa efficiens matrimonii, nisi in idem consentirent, ideo consensus, vel actus voluntatis, quo consentiunt, dicitur causa efficiens, quemadmodum non solum ignis calefaciens dicitur causa efficiens rei calidæ, sed etiam calor ipsius ignis, cum tamen calor sit ratio ignis calefaciendi &c.* Idem lib. II. cap. 1. *Contrahentes matrimonium considerantur, primo, ut sunt principium ipsius contractus effectivum, quo modo sunt causa efficiens, secundo, ut tradunt sibi invicem potestatem suorum corporum quoad actum conjugalem, quo modo sunt materia.* Ac Henricus de Wurimaria in lib. IV. sent. dist. 27. §. 1. dicit, *efficientem & formalem causam substantialem esse hic unum & idem.* Bellarminus de matrim. cap. VII. adducit decretum concilii Florentini: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.*

An requiratur consensus parentum?

§. LVII. Sed ab hac levis momenti controversiola, quæ in explicatione terminorum potius, quam in re ipsa consistit, transitum faciamus ad graviorem. Diximus ad legitimum conjugium requiri consensum personarum contrahentium *legitimum ac justum*, legi divinæ de honorandis parentibus congruentem, hoc est, ut explicatius dici solet, requiri non solum contrahentium, sed etiam *parentum consensum.* Gravis hac de re controversia ecclesiis evangelicis cum Romana synagoga intercedit. Concedunt Romanenses, contrahentium personarum consensum requiri; sic enim Bellarminus libr. de matrim. sacr. cap. XIX. prop. 1. *Solo consensu parentum matrimonium inter filios celebrari non potest, ideo non potest pater filium ad matrimonium cogere.* Sed parentum consensum in nuptiis liberorum necessario requiri, negant, sic enim statuit concilium Trid. sess. XXIV. in decret. de reform. matrim. cap. I. *Sancta synodus anathemate damnat eos, qui falso adfirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentis contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Glossa in cap. mulier &c. dist. 32. q. 2. dicit, *patriam potestatem solvi adveniente adulta ætate, quoad juramentum & matrimonium.* Quod quidam canones parentum consensum requirunt, id glossa in cap. Tua &c. decret. de sponsal. impub. sic explicat, *voluntatem parentum requiri ad decorum nuptiarum magis, quam necessario;* ita ut si parentes nolint consentire, filii tamen sint liberi, & pro suo arbitratu possint contrahere matrimonium, quin imo quidam canones eo procedunt, ut inter raptorem & raptam decreverint posse iniri matrimonium. cum caus. &c. de raptorib. & incendiar. *Puella rapta ex ædibus patris matrimonium cum raptore contraxerat, pater hujusmodi nuptiis reclamat*, papa respondet, *cum puella consenserit, non posse videri raptam*, ideoque matrimonium pronunciat esse ratum. Eadem sanctio repetita in concilio Trid. sess. XXIV. cap. 6. ubi decernitur, *si puella rapta extra raptoris potestatem constituta, & in loco tuto libero consensu cum raptore conjugium contraheret, matrimonium esse ratum, nec posse a patre irritari.* Atque hæc opinio, quod

quod matrimonia liberorum absque consensu parentum inita sint vera & rata, tanto consensu a canonistis adprobatur, ut Palæotus de spur. cap. VIII. num. 3. *neminem se reperisse*, dicat, *qui contrarium sentire ausus fuerit.* Canonistis adsentiuntur scholastici (qui in lib. IV. sent. dist. 28. disputant, *filiumfamilias habere dominium quoddam in suum corpus, nec parentibus ita obstrictum esse, quin possit suo arbitrio per matrimonium de illo transigere*) ut & recentiores scriptores pontificii. Bellarminus d. l. *Catholici* (Romani) *doctores adeo non dubitant, matrimonia sine consensu parentum contracta esse rata ac firma, ut neque unquam inter impedimenta matrimonii numeraverint defectum consensus paterni.* Carerius libr. IV. de matr. cap. X. *Mutuus consensus contrahentium adeo debet esse liber, ut ex alterius voluntate non pendeat, &c.* Unde Tridentina synodus *anathemate* coercuit eos, qui adfirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentis contracta esse irrita. Toletus libr. V. instruct. sacerd. cap. I. *Potest filius uxorem ducere se dignam invitis parentibus sine peccato mortali.*

Status quaestionis. §. LVIII. Antequam vero nostræ sententiæ fundamenta proferamus, explicandus erit controversiæ status. 1.) Non est quæstio, an consensus parentum requiratur de *honestate*, ut canonistæ loquuntur, hoc est, an filiisfamilias matrimonium inituris parentum voluntatem & consilium explorare condecens sit & honestum? id enim pontificii concedunt, unde Bellarminus de matrim. c. XIX. prop. 3. scribit: *Peccant filii, quando sine justa & rationabili causa parentibus insciis vel invitis matrimonia contrahant.* Sed illud quæritur, an consensus parentum requiratur de *necessitate*, hoc est, an parentum consensus ita necessarius sit, ut absque eo liberorum matrimonia non sint legitima, firma ac rata? quod nos adfirmamus, pontificii negant. 2.) Neque quæstio est de parentibus *furiosis*, vel *in regione longe dissita captivis*, multo minus de parentibus *mortuis*, quasi illorum etiam consensus a nobis absolute statuatur necessarius, sicut quibusdam pontificiis hic cavillari lubet. Distinguimus enim inter parentes: quidam per naturæ vitium consentire non *possunt*, ut furiosi, dementes, &c. quidam ex avaritia, ἀφοργία, &c. consentire *nolunt*, quidam per casum, vel infortunium excluduntur, ut ab hostibus capti & in regiones procul dissitas delati, vel sponte eo profecti: de nullo istorum parentum genere proprie hic quæritur; sed de parentibus vivis, sana mente præditis & præsentibus, quorum consensum ad nuptias liberorum dicimus esse necessarium. Quid liberis agendum, quando parentes ex avaritia consentire nolunt, postea dicetur. Quando parentes peregre absunt, tempus triennii legibus præfinitum exspectandum esse censent, l. si ita ff. de rit. nuptiar. quod si intra illud non redierint, sufficere tacitum consensum, si verisimile sit, absentes, quod agitur, vel factum est, non improbaturos. Sic Joseph, Tobias &c. non requisito parentum, a quibus longe aberant, consensu nuptias contrahunt, quia noverant ipsos id ratum habituros. 3.) Neque quæstio est, an in particularibus quibusdam casibus sit parentibus suadendum, ne jure suæ potestatis severe utantur? censent enim quidam etiam ex nostris, matrimonium sine consensu parentum contractum, si carnali copula fuerit consummatum, non debere facile separari, utcunque consensus parentum desit, qua de re suo loco plenius. Sed quæstio est de generali regula, quid requiratur in nuptiis liberorum? ac *de jure* patriæ potestatis, quid scilicet parentes possint, si strictum jus urgere velint? 4.) Neque quæstio est de parentibus duris & acerbis, qui matrimonia liberis prohibent; illorum enim consensum nequaquam dicimus absolute necessarium, sed eo in casu agnatos proximos, vel etiam magistratum compellandum esse statuimus, qui cum in locum parentum succedant, ne eo quidem in casu parentum consensus plane

deficit. Posset etiam distingui: *a.*) inter consensum *parentum*, ac *tutorum & cognatorum*; *b.*) inter consensum *patris* ac *matris*; *c.*) inter consensum parentum *tacitum & expressum*; *d.*) inter consensum *generalem*, *specialem & individualem*; *e.*) inter liberos *majorennes ac minorennes*, id est, inter eos, qui e patria potestate exierunt, & eos, qui sub patria potestate adhuc constituti; *f.*) inter nuptias liberorum citra consensum parentum contractas cum *persona honesta* ac *paris* conditionis, & inter nuptias contractas cum *persona vili* & conditionis plane *imparis*; *g.*) inter liberos post matrimonium sine parentum consensu contractum *humiliter* ipsorum voluntati sese subjicientes, & *pertinaciter* eisdem obluctari pergentes; *h.*) inter decisionem hujus quæstionis in *foro judiciali*, sive politico, & decisionem ejusdem in *foro poenitentiali*, sive conscientiæ, neque enim utrobique in proposita quæstione idem responderi posse, quidam existimant; sed quid de hisce distinctionibus statuendum sit, patebit ex sequentibus.

Argumenta nostrae sententiae. I.) Ex jure divino, ubi occurrit 1.) Divina conjugii institutio.

§. LIX. His ita præmissis producimus nostræ sententiæ firmamenta. *Primam* argumentorum classem petimus ex *jure divino*, sive ex sacris literis. Ad quam referimus I.) *divinam conjugii institutionem.* Quidam pontificii ex verbis institutionis matrimonialis: *Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ*; probare satagunt, parentum consensum non esse in liberorum nuptiis necessarium, de qua interpretatione quid statuendum sit, vidimus superius §. 45. Hoc loco illud duntaxat monemus, ex divina conjugii institutione contrarium posse colligi, videlicet consensum parentum in liberorum nuptiis omnino esse necessarium, quod sic demonstramus: Conjugium primorum parentum merito censetur norma ac forma, juxta quam conjugia legitima sunt instituenda. Jam vero primorum parentum conjugium eo modo fuit institutum, ut nec Adamus suo arbitrio sibi sponsam eligeret, nec Eva suo consilio sponsum sibi quæreret, sed ut Dei voluntas intercederet, qui parentis locum obtinuit, Luc. III. 38. atque Evam utpote filiam suam Adamo adduxit, & ampla cum dote eamdem ipsi elocavit. Ergo juxta hanc normam legitima conjugia adhuc hodie sunt instituenda, quo respiciens b. Lutherus in comm. Gen. II. sic scribit: *Adamus Evam conditam non rapit ex suo arbitrio, sed exspectat Deum adducentem, sicut Christus quoque dixit*: Quod Deus conjunxit, homo non separet; *& videtur hac ipsa actione Deus parentibus præire, & quid ipsorum quoque inposterum officii esset, monstrare voluisse, illud scilicet, ut filiis justo ætatis tempore de uxoribus prospiciant, & filiabus maritos hoc freti divino auxilio adducant.* Quod ipsum ut sit manifestius, notandum est, Christum ex primæva conjugii institutione & primorum parentum copulatione deducere hoc theorema, quod *Deus* adhuc hodie legitimos conjuges invicem *conjungat* Matth. XIX. 6. hoc est, quod Deus tunc temporis fecit immediate, visibiliter ac manifeste, id ipsum facere adhuc hodie in legitimis conjugiis mediate, invisibiliter & occulte, ex quo nobis tale argumentum nascitur: Matrimonium legitimum ac ratum talis debet esse conjunctio, ut ejus auctor & conciliator Deus ipse haberi possit. Atqui matrimonia, quæ insciis, vel invitis parentibus contrahuntur, non sunt tales conjunctiones. Ergo non sunt matrimonia legitima ac rata. *Adsumtum* probatur, quia contra primæ institutionis regulam & contra expressum Dei verbum, ut postea adparebit, contrahuntur. Sed huic argumento nec unice, nec præcipue insistimus. Addimus ergo

2.) Divina jussio.

§. LX. II.) *Divinam jussionem*, tum *generalem*, tum *specialem*. *Generalis* proponitur in quarto præcepto Exod. XX. 12. *Honora patrem tuum & matrem tuam*, quod

quod repetitur Deut. V. 16. Matth. XV. 4. Eph. VI. 2. Col. III. 20. ubi notanter additur, quod filii debeant *obedire κατὰ πάντα, per omnia*, & in omnibus, quæ liberi parentibus suis præstare tenentur. Si juxta præscriptum hujus præcepti liberi tenentur honorem, obedientiam & subjectionem parentibus in omnibus, quæ divinæ legi non repugnant, præstare; utique etiam in matrimonio ineundo voluntatem parentum citra hujus præcepti violationem postponere non possunt. Matth. XV. 5. dicit Christus, violari legem de honorandis parentibus, quando liberi illis insciis bona parentum domestica subtrahunt, & Deo in templo eadem offerunt, ut quidam illum locum accipiunt: quanto ergo magis violatur lex divina, quando liberi se ipsos e patria potestate subtrahunt, insciis, vel invitis parentibus conjugia contrahendo? *Specialis* proponitur in omnibus illis scripturæ dictis, in quibus parentibus dantur præcepta de liberis in matrimonio elocandis. Exod. XXXIV. 16. *Non accipies uxorem filiis tuis de filiabus earum.* Deut. VII. 3. *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Jer. XXIX. 6. *Date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris.* Eccl. VII. 27. *Trade filiam, & grande opus feceris, & viro sensato trade illam.* 1 Cor. VII. 38. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, qui non jungit, melius facit.*

§. LXI. III.) *Divini juris*

3.) *Divini juris decisio.*

decisionem, eamque *duplicem*. *Prior* proponitur Exod. XXII. 16. *Si seduxerit vuis virginem nec dum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem.* v. 17. *Si pater virginis dare noluerit, dabit pecuniam juxta modum dotis.* Deut. XXII. 29. simpliciter dicitur: *Habebit eam uxorem, quia humiliavit eam, non poterit illam dimittere cunctis diebus vitæ suæ*; sed ex Exod. XXII. 17. manifestum id intelligendum cum hac conditione, si parens constuprate in conjugium consenserit, parenti igitur traditur potestas nuptias filiæ impediendi. Exod. XXI. 10. jus patriæ potestatis eo extenditur, quod pater etiam *servam* filio suo uxorem dare possit, (ita enim Hebræorum magistri textum illum exponunt) ex quo sic inferimus: Si patriæ potestati relictum, filiæ jamdum constupratæ matrimonium ratum, vel irritum facere, multo magis idem permittitur patri, quando res adhuc integra est. Sed illud. Ergo & hoc. *Posterior* decisio exstat Num. XXX. 4. *Mulier si quidpiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari*; v. 5. *si cognoverit pater votum, quod pollicita est, & juramentum, quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit, quidquid pollicita est & juravit, opere complebit.* v. 6. *Sin autem eodem die, ut audierit, contradixerit pater, & vota & juramenta ejus irrita erunt, Dominus propitius ei erit, eo quod contradixerit pater*; ex quo a majori ad minus sic concludimus: Si pater votum filiæ Deo factum contradicendo potest irritum reddere; multo magis promissionem matrimonialem a filia alteri factam poterit irritam facere. Sed verum prius. Ergo & posterius.

§. LXII. IV.) *Exemplorum probatorum collationem.*

4.) *Exemplorum probatorum collatio.*

Huic enim divinæ institutioni, jussioni & decisioni conformia sunt exempla parentum, qui liberos suos elocarunt, & piorum liberorum, qui parentum consensum in matrimonio ineundo requisiverunt. Gen. XXI. 21. *Agar accepit filio suo Ismaeli uxorem de terra Ægypti*; quod exemplum singulariter notari merito jubet b. Lutherus, quia *Ismael erat homo ferus & agrestis*, nec tamen recusavit de consilio matris uxorem ducere. cap. XXIV. 3. *Abraham ablegat Eleazarum ad conciliandas filio Isaaco nuptias.* v. 51. *Bathuel filiam* Rebeccam Isaaco despondet. cap. XXVIII. 1. *Isaacus* filium Jacobum mittit in Mesopotamiam, ut uxorem de filiabus Laban accipiat. cap. XXIX. 19. *Laban* de filia sua Rachele

Rachele dicit ad Jacobum: *Melius est, ut tibi eam dem, quam alteri viro.* c. XXXVIII. 6. *Judas* dedit uxorem primogenito suo Ger. Jud. l. 12. *Caleb* filiam suam pollicetur se daturum ei, qui civitatem Ciriathsepher ceperit. c. XII. 9. *Abesan* habuit triginta filios & totidem filias, *quas emittens foras maritis dedit, & totidem filiis suis accepit uxores introducens ad domum suam.* c. XIV. 2. *Simson* ad parentes dicit: *Vidi mulierem in Thamnata, quam quæso, ut mihi accipiatis uxorem.* Cum Beniaminitas reliquæ tribus a consortio suo penitus exclusos cuperent, adeo ut nec conjugia cum ipsis inposterum contrahere vellent, non liberi, sed *parentes* jurant, se nec accepturos ab illis filias, nec filios iisdem daturos, agnoverunt ergo in sua potestate esse liberorum matrimonia. Jud. XXI. 1. *Thamar*, regis filia dispositionem de conjugio suo remittit ad parentis arbitrium. 2 Sam. XIII. 13. Angelus *Tobiæ* consulit, ut a patre *Raguele* uxorem petat, Tob. VI. 14. ac postea c. VII. 15. *Raguel adprehendens dextram filiæ suæ dextræ Tobiæ tradidit, &c.* ex quibus sic concludimus: Quæcunque exempla institutioni & mandato divino sunt conformia, ea introducunt imitationis necessitatem. Sed exempla requisiti a liberis consensus paterni in matrimonio ineundo sunt institutioni & mandato divino conformia. Ergo introducunt imitationis necessitatem.

Exceptiones Bellarmini ad primum nostrum argumentum.

§. LXIII. Bellarminus lib. de matrim. cap. XX. ad argumentum variis modis excipit: I.) *Non probari hoc argumento, matrimonium esse irritum, aut irritari posse, si fiat insciis, aut invitis parentibus, sed tamen non debere matrimonium insciis, aut invitis parentibus contrahi, & male facere, qui ita contrahunt, de quo nulla quæstio est.* Resp. imo vero ex argumento nostro id evidenter sequitur: Illud duntaxat matrimonium est legitimum, ratum ac firmum, quod contrahitur secundum divinam institutionem ac jussionem. Atqui matrimonium citra parentum consensum contractum non contrahitur secundum divinam institutionem ac jussionem. Ergo matrimonium citra consensum parentum contractum non est legitimum, ratum ac firmum. Ulterius: Qui potest irritum facere votum filiæ Deo factum, quod suo non comprobavit adsensu, is etiam potest irritam reddere promissionem matrimonialem filiæ alteri factam, quam suo non comprobavit assensu. Pater potest prius. Ergo & posterius. Utrumque igitur a nobis demonstratum, tum quod matrimonium insciis, aut invitis parentibus factum sit irritum, tum quod possit irritari. Sed promittit Bellarminus, *singulas argumenti partes se adcuratius inspecturum;* videamus ergo quid invenerit. Excipit II.) *dupliciter posse Deum auctorem matrimonialis conjunctionis dici, uno modo ex parte ipsius conjugii, altero modo ex parte contrahentium erit. Erit Deus auctor matrimonii ex parte ipsius conjugii, si ipsa conjugii essentia a Deo sit instituta: erit autem matrimonii auctor ex parte contrahentium, si ipsis contrahentibus Deus inspiret, ut matrimonio conjungantur. Priore modo Deus erit conjugii auctor, si materia & forma adsint, qualia Deus instituit, & hoc solum requiritur, ut matrimonium sit verum, firmum & ratum. Posteriore modo, Deus erit conjugii auctor, si conjuges ad prolem ad Dei gloriam gignendam, maturo consilio de sententia majorum, aliisque debitis circumstantiis observatis matrimonium contrahant, & hoc requiritur, ut matrimonium sine peccato, imo vero cum merito & laude celebretur, non autem ut sit verum, firmum & ratum, quod ipsum aliorum sacramentorum exemplo declarari posse* adserit. *Resp.* didicimus superius ex Bellarmino, quod *consensus conjugum verbis expressus, seu verba consensum exprimentia sint materia & forma conjugii, quatenus consideratur in fieri* libr. de matrim. cap. VI. ex quo sic inferimus: Ubi deest quidpiam ad materiam & for-

formam rei necessario requisitum, ibi deest aliquid ad ipsam rei essentiam pertinens; ratio est, quia materia & forma sunt essentiales & constitutivæ rei partes. Atqui in conjugio liberorum citra parentum consensum contracto deest aliquid ad materiam & formam necessario requisitum. Ergo in tali conjugio deest aliquid ad ipsam conjugii essentiam pertinens. *Adsumtum* probatur ex hypothesi Bellarmini. Consensus conjugum verbis expressus est materia & forma conjugii. Atqui consensus ille conjugum necessario requirit consensum parentum, sine quo non est legitimus, ut probatum ex conjugii institutione & ipsius Dei jussione. Ergo consensus parentum requiritur ad materiam & formam conjugii divinitus institutam. Ulterius ex priore syllogismo sic inferimus: In quocunque conjugio deest aliquid ad ipsam conjugii essentiam pertinens, illud non potest esse legitimum, ratum ac firmum. Sed in conjugio liberorum citra parentum consensum contracto deest aliquid ad ipsam conjugii essentiam pertinens, ut demonstratum. Ergo illud non potest esse legitimum, ratum ac firmum. Atqui ita ex hypothesi Bellarmini concludimus. Id ipsum ex nostris hypothesibus sic confirmamus: Efficiens causa conjugii divinitus ordinata est consensus contrahentium legitimus, justus ac plenus. Sed citra consensum parentum consensus contrahentium non est legitimus, justus ac plenus. Ergo in conjugio citra parentum consensum contracto deest causa efficiens divinitus ordinata. *Adsumtum* constat ex antedictis, & clarius patebit ex dicendis. *Consensus facit nuptias*, inquit jurisconsultus l. Nuptias. ff. de R. J. at liberi si in potestate parentum sunt, *per se consentire* nequeunt, l. velle ff. eod. *consensus is est patris, per quem potest esse consensus filii, nec enim ipse filius per se integer homo est*, ut ex Baldo loquitur Albericus Gentilis lib. IV. de nupt. cap. III. Materia conjugii divinitus ordinata sunt personæ se habentes recte, id est, juxta divinam conjugii constitutionem contrahentes; id enim necessario addendum esse patet ex eo, quod personæ in gradibus divina lege prohibitis contrahentes non sint materia conjugii divinitus ordinata, ac proinde inter eos non possit constare verum ac ratum matrimonium. Atqui liberi citra consensum parentum contrahentes non sunt personæ recte, id est, juxta divinam conjugii constitutionem se habentes, ut demonstratum. Ergo non sunt materia conjugii divinitus ordinata. Quomodo vero potest esse conjugium divinum, verum ac ratum, in quo non est materia conjugii divinitus ordinata? ex materia vitiosa vitiosum orietur materiatum. Forma conjugii est legitima, ex legitimo scilicet consensu orta conjugalis cohabitatio. Atqui in conjugio liberorum citra parentum consensum contracto deest legitima, ex legitimo scilicet consensu orta conjugalis cohabitatio. Ergo. Quod Bellarminus conjugium confert cum aliis sacramentis, de eo quid statuendum sit, judicari potest ex superioribus. Sacramenta suam habent materiam & formam, ex qua ipsorum essentia constat, extra administrantem & extra utentem. Sed matrimonium ab ipsis contrahentibus & in ipsis, a mutuo scilicet eorum consensu, suum, quod habet, esse sortitur; ex quo intelligitur, diversam esse matrimonii & sacramentorum hac in parte rationem, nec posse Deum auctorem conjugii statui, nisi etiam sit ejus auctor ex parte contrahentium. Quia vero Bellarminus negare nequit, conjugium esse contractum, ex eo sic concludimus: Omnis contractus illegitimus, & contra legem divinam inter partes contrahentes initus est per se irritus, & a judice christiano irritus pronunciari potest. Conjugium a liberis citra consensum parentum initum est contractus illegitimus, & legi divinæ repugnat. Ergo est per se irritus, & a judice christiano irritus pronunciari potest. III.) Ad probationem ex quarto decalogi præcepto deductam excipit, *præceptum illud ad mores informandos, non ad sacramenta mini-*

miniſtranda pertinere, obediendum eſſe patri per omnia, etiam in contrahendo conjugio, & qui id non facit, eum peccare, ſed non continuo matrimonium eſſe irritum. Nam non minus eccleſiæ & epiſcopo parendum eſt per omnia, quam patri carnali, & tamen, ſi quis laicus contra epiſcopi & eccleſiæ præceptum baptizet, baptismus erit ratus & verus, ſed laicus ille baptizando peccabit. Reſp. exceptionis vis & adducta ad eam ſtabiliendam comparatio nituntur falſa hypotheſi, quod *matrimonium ſit ſacramentum*, & quod *ad eſſentiam conjugii nihil aliud requiratur, quam conſenſus contrahentium.* Invertimus ergo Bellarmini argumentum: Si filiusfamilias, vel filiafamilias peccant contra quartum præceptum contrahendo matrimonium citra conſenſum parentum; utique matrimonium citra conſenſum parentum initum eſt contractus divina lege prohibitus. Sed verum prius, ut Bellarminus concedit. Ergo & poſterius, ac per conſequens tale matrimonium eſt per ſe illegitimum & irritum. Ratio *connexionis* patet ex ſimili. Si mutuans & mutuo accipiens ſtipulatione uſurarum proprie ſic dictarum peccant contra ſeptimum præceptum; utique contractus mutui cum ſtipulatione uſurarum eſt contractus divina lege prohibitus, & conſequenter per ſe illegitimus ac irritus. Ulterius: Si præceptum decalogi de obedientia in omnibus præſtanda parentibus pertinet ad mores informandos, utique etiam ad liberorum matrimonia pertinet. Ratio *connexionis* patet tum ex eo, quod vel maxime ſit contra bonos mores, liberos absque parentum conſilio & voluntate matrimonium contrahere, tum ex ſpeciali hujus legis explicatione divinitus tradita, quod ad parentes ſpectet liberis de matrimonio proſpicere. Nec quadrat ſimile a baptismo ductum, quia quando laicus contra præceptum epiſcopi baptizat, baptismus ideo pronunciatur verus ac ratus, quia ex hypotheſi adeſt vera materia & forma divinitus ordinata; ſed in conjugio liberorum citra parentum conſenſum inito non adeſt materia & forma divinitus ordinata, ut oſtenſum fuit. IV.) *Matrimonium non ſolum ut ſacramentum ratum eſſe dicit, ſed etiam ut contractum civilem, licet contra præceptum patris contrahatur, quia filius, etſi teneatur patris directionem ſequi, cum de ſtatu vitæ ſuæ diſponit, tamen de re ſua non de aliena diſponit, remque ſuam non alienam donat, quare diſpoſitio ac donatio rata & firma eſt, quamvis non ſine peccato transacta ſit.* Reſp. hæc aſſertio pugnat cum jure divino & civili; *prius* patet ex eo, quod conjugium teſte ſcriptura non eſt contractus mere politicus ac civilis, ſed ſancta conſociatio divinitus inſtituta ad eccleſiæ propagationem, gerens typum ſpiritualis conjugii inter Chriſtum & eccleſiam, unde etiam vocatur *foedus Dei*, Prov. II. 17. Malach. II. 14. ac Deus certas leges de conjugio propoſuit, inter quas etiam ea eſt de parentum conſenſu adhibendo, ſi filiusfamilias eas transgreditur, non de ſua re diſponit, ſed divinam diſpoſitionem nefarie violat & evertit. Quod ſi liberis relictum, citra conſenſum parentum inire matrimonia, & hac ratione *de re ſua proprio arbitrio diſponere*, cur in voluntate parentis relinquitur, an filiam conſtupratam ſtupratori elocare velit? cur ſtuprator jubetur patri puellæ pendere quinquaginta ſiclos argenti? cur pater poteſt votum filiæ facere irritum? *Poſterius* patebit ex illis, quæ paulo poſt ex jure civili adferentur. Certe legibus civilibus cautum, quod filius in poteſtate parentum conſtitutus non poſſit bona parentum alienare, multo ergo minus ſe ipſum per conjugium citra parentis conſenſum abalienare poterit? In civilibus contractibus absque parentum conſenſu filius nihil agere poteſt, ut patet ex tit. de mutuo ad ſenat. Maced. Legibus civilibus itidem cautum, ne ſervus invito domino uxorem ducat. At filius majori vinculo obſtrictus eſt patri, quam domino, quia a natura obſtrictus filius, ſervus a vi obligatus. Quid quod Bellarminus

ipſe

ipse inferius cap. XXXII. disputat, *matrimonium esse rem conscientiæ, quæ ex legibus divinis pendeat, & ad pastores animarum sine dubio pertineat?* ergo non potest adserere, quod in matrimonio contrahendo filius de re sua disponere possit, sicut in aliis mere civilibus contractibus. V.) Ad locum Exod. XXII. 16. excipit, *ibi non agi de matrimonio jam contracto, sed de futuro causa stupri præcedentis. Non enim illa conjunctio viri cum puella, quæ inscio patre erat facta, copula conjugalis fuit, sed stuprum; ergo non est exemplum conjugii a patre irritati, sed tantum conjugii futuri pro arbitrio patris.* Resp. perstat nihilominus argumentum nostrum firmum. Si in patris potestate relinquitur, an velit filiam constupratam stupratori id petenti elocare? utique in nuptiis filiæ patris consensus erit necessarius. Quod juris habet in filiam constupratam, idem juris habet re adhuc integra in eamdem. Et quis patietur sibi persuaderi, inter stupratorem & constupratam non intercessisse quandoque promissionem conjugalem, cum quotidiana testetur experientia, promissione illa tanquam blanditiis maxime idoneis ad consensum in stuprum puellas solicitari? Quare cum lex non distinguat, an interceserit promissio matrimonialis, nec ne, sed absolute ac simpliciter parenti liberum relinquat, an constupratam stupratori elocari velit, nec ne, quin imo cum ex libertate recusationis patri relicta haud obscure colligatur, stupratorem eam sibi uxorem petere, quam carnaliter cognovit; ideo nec nos facile distinguere debemus, sed jus patriæ potestatis parenti relinquere integrum, qua de re inferius plura. VI.) Ad locum Num. XXX. excipit, *legem illam determinare de filiabus, quæ nondum pervenerunt ad annos pubertatis, ante quos non habent plenum rationis judicium, cum in textu bis addatur, quæ in domo parentum habitat, & quæ est adhuc in ætate puellari; aliam vero esse rationem earum, quæ annum duodecimum compleverint, eas enim effici sui juris ac de persona sua & actibus, qui naturaliter liberi sunt, pro arbitrio disponere posse.* Resp. sane rabbinorum quorumdam hæc est opinio, quod pater dissolvere possit votum filiæ, *quamdiu non adoleverit, id est, antequam annos viginti sit nata*, ea enim ætate postmodum filiam pro vidua, vel repudiata haberi; sed rectius dicitur, quod per mulieres in domo patris בִּנְעֻרֶיהָ, *in pueritiis suis*, adhuc constitutas ibi in genere intelligantur omnes filiæ nondum nuptui datæ, sive sint infra annos pubertatis adhuc constitutæ, sive eos supergressæ, quod probamus *a.*) ex *ipsa vocis significatione*, נַעַר enim, a quo נְעוּרוֹת, dicitur non solum infans & puer, sed etiam adolescens, qui nondum domo excussus, id est, qui adhuc in ædibus paternis degit, nec dum contraxit matrimonium. Job. I. 19. Joel. I. 8. &c. *b.*) Ex *LXX. interpretum versione*; illi enim reddiderunt ἐν τῇ νεότητι αὐτῆς, *in juvente*, jam vero νεότης complectitur etiam annos pubertatis ac totam adolescentiam, unde ei opponitur γῆρας. Thucydides lib. VI. p. 204. νομίσατε νεότητα μὲν καὶ γῆρας ἄνου ἀλλήλων μηδὲν δυναθῆ. Plutarchus in lib. an seni resp. capess. πειθαρχικὸν ἡ νεότης, ἡγεμονικὸν δὲ τὸ γῆρας. Idem comprobat scripturæ usus. Sic Timotheo episcopo tribuitur νεότης 1 Timoth. IV. 12. *c.*) Ex *sufficienti enumeratione.* Disponit Deus in hoc capite de votis sexus fœminei, ac primo loco nominat *virginem* in domo patris in adolescentia sua adhuc constitutam, secundo loco *maritatam*, tertio *viduam & repudiatam.* Ergo quælibet fœmina pertinet ad unam ex his tribus classibus, jam vero virgo, quæ ad annos pubertatis pervenit, non potest referri ad secundam, nec tertiam classem, ergo ad primam pertinet, & per consequens quod de voti irriti faciendi potestate ibi disponitur, etiam ad eam spectat. *d.*) Ex *oppositione.* Mulieri in adolescentia sua opponitur non ea, quæ annos pubertatis adtigit, sed maritata & vidua. Ergo

in genere intelligitur mulier nondum nuptui data. *e.)* Ex *manifesta ad absurdum deductione.* Si enim virgo ad pubertatis annos veniens fieret sui juris, ut parens non possit amplius votum ipsius pronunciare irritum, deterioris foret conditionis, quando jam elocata est sub potestate viri, quam dum nondum elocata est sub potestate parentis, quin & parens filiæ plus juris in maritum transferret, quam obtinuit, quia maritus potest votum ejus facere irritum v. 9. quod parens juxta hypothesin Bellarmini non poterat, cum tamen jure etiam canonico certum sit, *quod nemo plus juris ad alium conferre possit, quam sibi competere dignoscatur.* Cap. Nemo &c. de R. J. in 6. Denique *f.)* ex *adversæ partis confessione.* Cornelius a Lapide in commentar. Num. XXX. pag. 925. agnoscit, *quod omnium omnino filiarum vota irrita facere potuerit parens, etiamsi fuerint grandævæ, sicut omnia uxoris vota irritare potuit maritus.* VII.) Distinguit tandem *inter matrimonium ratum, ac Deo gratum. Ad hoc* (inquit) *ut matrimonium sit verum & ratum, non requiruntur alia media præter liberum conjugum consensum. Ut autem conjugium sit Deo gratum & ipsis conjugibus utile, media a Deo instituta sunt parentum & amicorum consilia, matura deliberatio, sacerdotis benedictio & id genus alia, quæ qui spernit, non potest certo pronunciare, suum conjugium Deo placere, licet eodem tempore possit non ambigere, quin sit verum & firmum atque a Deo certissime institutum.* Resp. membra hujus distinctionis non sunt sibi invicem opposita, sed potius mutuo se includunt. Omne enim matrimonium verum ac ratum est etiam in se ac per se Deo gratum, utpote ab ipso institutum, & vicissim matrimonium juxta leges divinæ institutionis contractum est verum & ratum matrimonium. Subsumimus vero de matrimonio liberorum sine parentum consensu contracto, quod non sit juxta leges divinæ institutionis, nec juxta Dei verbum initum. Ergo non est verum & ratum matrimonium. Absurdus igitur est Bellarminus, quando adserit, *liberos, qui sine parentum consensu contrahunt, non posse certo pronunciare suum conjugium Deo placere, & tamen eodem tempore posse non ambigere, quin sit verum & firmum atque a Deo certissime institutum.* Quomodo enim Deo non placeret, quod ab ipso institutum, cum ipse diligat omnia opera sua: Sapient. XI. 25. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti, ac fecisti.* Quod si ergo tales liberi possunt non ambigere suum matrimonium esse a Deo certissime institutum, possunt etiam non ambigere, matrimonium suum Deo placere. Quærimus autem a Bellarmino, quid causæ sit, propter quam liberi sine parentum consensu contrahentes non possint certo pronunciare, suum conjugium Deo placere? respondet ipse in præced. cap. prop. 3. *Quia peccant filii, quando non sequuntur hac in re parentum voluntatem.* Quærimus ergo ulterius, quare & quomodo hac in re peccant? certe inde atque ideo, quia transgrediuntur præceptum de honorandis parentibus ac speciales illas leges parentibus de matrimonio liberorum datas, ex quo ita inferimus: Quodcunque conjugium non est conforme divinæ institutioni ac divinis legibus, illud non est verum ac ratum matrimonium. Atqui tale est conjugium liberorum citra parentum consensum initum. Ergo.

§. LXIV. *Secundam* argumentorum classem deducimus ex *jure naturali;* sic enim habent verba imperatoris Justiniani lib. I. instit. tit. de nuptiis: *Justas nuptias inter se contrahunt, qui secundum præcepta legum coëunt, masculi quidem puberes, fœminæ autem viripotentes, sive patresfamiliarum sunt, sive filiifamiliarum, dum tamen si filiifamiliarum sunt, consensum habeant, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio suadet, in tantum, ut jussus parentum præcedere debeat;* *II.) Ex jure naturali.*

debeat; ubi expresse adseritur, non civili solum, sed & naturali ratione consensum parentum in liberorum nuptiis requiri, quod opponendum est Antonio Fabro, qui in jurisprud. Papin. tit. IX. princ. 3. egregii erroris eos adcusat, qui ex jure naturali factum putant, ut patris consensus in filiifamilias nuptias jure civili exigatur. Referimus autem ad hanc classem: I.) *Potestatem patriam.* De jure naturæ omnes filii nascuntur sub potestate paterna, sicut Plinius in panegyr. dicit: *vis & lex naturæ semper in ditione parentum liberos esse jussit*, quod confirmat sententia Aristotelis lib. VIII. eth. c. XI. φύσει ἀρχικὸν πατὴρ υἱῶν, ac lib. I. polit. cap. VIII. *Naturæ lege liberi imperio parentum subditi esse tenentur.* Ulpianus l. 195. de V. S. *sub patris potestate filiosfamilias esse natura.* l. 10. C. de adopt. jura patris naturalis dicuntur *nexu divino copulata.* Quamvis vero disputent jurisconsulti patriam *illam* potestatem, de qua leges civiles loquuntur, non esse juris naturalis, sed civilis arg. l. 3. ff. de his, qui sui vel alien. jur. sunt. §. 2. inst. de patr. potest. iidem tamen concedunt, ut pater in filium habeat imperium, & ut filiifamilias sint in potestate patris, id a natura, sive naturali jure descendere, hoc est, patriam potestatem *in genere consideratam* esse juris naturalis, sed *determinationem ejusdem* esse juris civilis. Qua de re inferius plura. Qui sub aliena potestate sunt, per se nihil possunt, l. 21. de adult. Liberi sunt sub aliena, patria scilicet potestate. Ergo absque ea nihil poterunt, & si aliquid citra eam suscipiunt, id irritum erit. II.) *Consensus matrimonialis naturam.* Causa efficiens conjugii est legitimus, justus ac plenus contrahentium consensus. Atqui sine parentum consensu contrahentium consensus non est legitimus, plenus ac justus, quia cum filiifamilias ac filiæfamilias sint alieni juris, nec jus suæ personæ habeant, ideo solus ipsorum consensus non sufficit, in pr. instit. de patr. potest. III.) *Gratitudinis curam.* Jure naturali obligantur liberi ad gratitudinem parentibus præstandam, quia ab ipsis in lucem editi, solicite educati, & innumeris beneficiis adfecti, unde philosophus recte adserit, *Deo, parentibus ac præceptoribus non posse reddi æquivalens pretium*, ac Theodoretus quæst. LVII. in Genes. circa med. docet, *naturæ lege nobis insitum esse, ut parentes colamus ac revereamur.* Jam vero extremæ ἀχαριστίας foret, si in matrimonio ineundo parentum auctoritas & consilium negligeretur, cum per illud liberi in alienam familiam transeant, ac de statu personæ suæ disponant. Theophylactus instit. de nupt. δίκαιον τὰς μέχρι τοιαύτης ἡλικίας ἀναθρέψαντες τὰς γονεῖς ταύτης ἀξιοῦσθαι τιμῆς, τατέστι τῷ γαμῷ συνευδοκιμεῖν. IV.) *Consensum omnium gentium.* Quod enim passim apud omnes gentes usu receptum, id ad jus naturale secundarium merito refertur. Jam vero consensum parentum in liberorum nuptiis esse necessarium, non solum jure Romano, sed apud omnes fere gentes usu receptum, quod testantur poëtæ, comici, historici, politici, legumlatores, &c. Catullus in epithal.

At tu ne pugna cum tali conjuge virgo,
Non æquum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est,
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est.
Tertia pars matri data, pars data tertia patri,
Tertia sola tua est, noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.

Libr. V. metamorph. Plutoni rapienti Proserpinam filiam Cereris dicitur:

Non potes invitæ Cereris gener esse, roganda,
Non rapienda fuit.

Naumachius apud Stobæum serm. LXXIV. ἔστω σοι πόσις ἅτος, ὃν ἂν κρίνωσι τοκῆες. Cap. *Honorantur* &c. dist. 32. quæst. 2. adducitur ex Euripide in Andromach. re-

ſponſum Hermiones Menelai ex Helena filiæ ab Oreſte in uxorem petitæ, nuptiarum ſuarum curam patrem ſubiturum, ad ſe enim hoc non pertinere. *νυμφευμάτων τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μεριμνᾶν ἕξει, κ' ἐκ ἐμὸν τάδε κρίνειν.* (quæ verba, ut hoc obiter moneamus, b. Lutherus noſter mutatis pauculis dulciſſima quadam *catachreſi* ad fidem in ſeriis tentationibus de peccatorum magnitudine, vel multitudine non diſputantem, ſed in Dei miſericordia propter Chriſtum promiſſa unice ac ſimpliciter adquieſcentem adcommodat. *ἁμαρτιῶν μὲν τῶν ἐμῶν σωτὴρ ἐμὸς μεριμνᾶν ἕξει, κ' ἐκ ἐμὸν σκοπεῖν τάδε.*) Apud eumdem in Oreſte tribuitur Oreſti hic veriſiculus:

Λέκτρ' ἐπήνεσα, ἡνίκα ἂν δίδῶ πατήρ.
Sponſam laudo, quam dat pater.

Apud Apuleium contendit Venus, *non eſſe inter Cupidinem & Pſychen verum matrimonium, cum pater non conſenſerit.* Apud Terentium in Andria Act. V. ſcen. 3. Simo ita conqueritur: *Adeon' impotenti eſſe animo, ut præter civium morem, ac legem & ſui voluntatem patris, tamen hanc habere ſtudeat cum ſummo probro.* In Phormione Demipho Actu II. ſcen. 1. *Itane tandem uxorem duxit Antipho injuſſu meo, Nec meum imperium, age mitto imperium, non ſimultatem meam ſaltem revereri? non pudere? o facinus audax!* Apud Plautum in Stich. Panægyris ſorori reſpondet, *in patris poteſtate eſſe ſitum liberorum matrimonium, quibus faciendum hac in parte ſit, quod patres imperant.* Gellius lib. II. noct. Attic. c. VII. *In ejusmodi omnium rerum generibus patri parendum eſt, veluti ſi uxorem ducere imperet, aut cauſas pro reis dicere.* Achilles apud Homerum Iliad. IX. non vult ſine patris ſui conſenſu uxorem ducere, cum enim Agamemnon ei electionem offerret trium filiarum, adfinitatem illam reſpuit verbis hiſce pulcerrimis: *Ego hanc adfinitatem non accipio, ne accepturus quidem, etiamſi filia ejus eſſet Venere formoſior, & Minerva ſapientior, qui ex auctoritate patris & animi mei ſententia uxorem ducere conſtitui.* Dionyſius Halicarnaſſ. lib. II. antiq. adducit legem Numæ Pompilii: *Si pater filio conceſſerit uxorem ducere ſacrorum ac bonorum juxta leges participem, patri poſthac nullum jus eſto vendendi filium;* ex qua intelligitur ab initio reipublicæ romanæ parentum auctoritatem in nuptiis liberorum fuiſſe requiſitam. Apud Xenophontem Cyrus Cyaxari filiam & Mediæ regnum dotis nomine ipſi offerenti reſpondet: *ἀλλ' ὦ κυαξάρη, τότε γέν῾ ἐπαινῶ καὶ τὴν παῖδα, καὶ δῶρα, βέλομαι δεσὺν τῇ τᾶ πατρὸς γνώμῃ καὶ τῇ τῆς μητρος ταῦτα σοι συναινέσαι.* Plura in hanc ſententiam ex variis auctoribus collegerunt Cujacius libr. III. obſerv. c. V. Coraſius lib. VII. miſcell. c. XXIX. Cypræus de ſponſal. cap. VI. §. 6. Arniſæus de jure connub. c. III. ſect. 10. Cumprimis vero Tiraquellus de legibus connubial. Coronidis vice addimus exemplum *Sicilemi* gentilis, qui ex naturæ lumine intelligens liberorum matrimonia parentum conſenſum exigeve, Hemor patrem ſuum de procuranda & petenda Dina ſolicitat. Gen. XXXIV. 4. & v. 9.

Bellarmini exceptio ad argumentum noſtrum ſecundum.

§. LXV. Excipit Bellarminus, *rationem naturalem quidem docere, quod nuptiæ non debeant injuſſu parentum celebrari, cum jure naturæ filius patri ſubjiciatur, & ab eo regendus ſit, a quo accepit, ut eſſet; ſed jus naturæ non docere, quod irritum ſit matrimonium, ſi injuſſu parentum fiat.* Reſp. 1.) Lex naturæ eſt lex Dei. Si ergo matrimonium liberorum ſine conſenſu parentum contrahitur contra legem naturæ, utique etiam contrahitur contra legem Dei. Jam vero quod contrahitur contra legem Dei, non poteſt eſſe verum & legitimum matrimonium. 2.) Quemadmodum nuptiæ eorum, qui in gradibus jure divino ac naturali prohibitis contrahunt, non ſunt veræ & legitimæ nuptiæ, quia ſcilicet contra legem naturæ fiunt: ſic nuptiæ liberorum abſque

que parentum consensu contractæ itidem non sunt veræ ac legitimæ, quia contra legem naturæ sunt contractæ. 3.) Si jure naturæ filius subjicitur patri, utique etiam jure naturali consensus parentum in nuptiis filii erit necessarius, atque ita quidem necessarius, ut absque eo nuptiæ constare nequeant. Prius concedit Bellarminus. Ergo agnoscat etiam posterius. *Connexio* probatur, quia qui alteri jure naturali subjectus, is absque ejus consensu & auctoritate nihil agere potest, nedum de statu personæ suæ disponere. *Qui sui potestatem non habet, nequit sui copiam facere aliis;* l. sic eveniet ad l. Jul. de adult. Quemadmodum conjux non potest corporis sui potestatem conjugi absque ejus consensu subtrahere, quia scilicet *non habet corporis sui potestatem;* 1 Cor. VII. 4. sic filiusfamilias non potest absque parentis consensu matrimonium contrahere, & corporis sui potestatem alteri facere, quia scilicet non est sui juris, sed patri subjectus, ex quo fundamento pronunciat Oldendorpius classe IV. act. 26. quod *filiusfamilias subducens personam suam in matrimonium, faciat furtum sui ipsius;* perinde ut b. Lutherus in comm. 1 Cor. VII. de conjuge copiam sui corporis alteri extraneo faciente adulterium committente dicit, *quod maximum furtum committat.* Regerunt scholastici in lib. IV. sent. distinct. 28. *quod filius non sit sub potestate ut servus, sed habeat sui quoque libertatem.* Atqui distinguendum inter libertatem *absolutam* & *limitatam.* Filius majorem libertatem habet, quam servus, cum non sit patri serviliter subjectus; interim tamen illa ipsa libertas filii non est absoluta, sed patria potestate adhuc limitata & circumscripta. Non igitur sequitur: filius non est sub potestate, ut servus; ergo absolute liber est: quia adhuc sub potestate est, ut filius; jam vero patria illa potestas, sub qua constitutus est, omnino hoc requirit, ut absque patris consensu & voluntate matrimonium inire non possit. Vera libertas est legibus se subjectum profiteri, quæ vero limitibus legum sese constringi non patitur, ea non est libertas, sed vitiosa ac damnabilis licentia. Proinde talis libertas liberis in matrimonio ineundo concedenda, quæ non tollat, nec evertat legem de parentum consensu divinitus constitutam; alias sequeretur, liberos etiam posse contrahere matrimonia in gradibus jure divino prohibitis. 4.) Gentiles ex lumine naturæ intellexerunt, parentes posse irrita facere matrimonia liberorum sine ipsorum consensu inita, alias enim in potestate parentum id non reliquissent.

§. LXVI. *Tertiam* argumentorum classem deducimus ex *jure civili.* Hoc *naturalis & civilis ratio suadet*, inquit imperator instit. de nupt. *ut parentum jussus* (accedat, imo) *præcedere debeat.* Leges civiles de necessitate consensus paterni *notiores* sunt, quam ut ignorari, *clariores*, quam ut obscurari, *sanctiores*, quam ut aboleri possint, quæ sunt verba Bezæ de divort. fol. 78. *Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, hoc est, qui coëunt, quorumque in potestate sunt.* l. Nuptiæ. 2. ff. de rit. nupt. *Nuptiæ inter easdem personas, nisi volentibus parentibus, renovatæ justæ non habentur.* l. Nuptiæ. 18. eod. *Filiusfamilias miles matrimonium sine patris voluntate non contrahit.* l. 35. eod. *Si nuptiis pater tuus consensit, nihil oberit tibi, quod instrumento ad matrimonium pertinenti non subscripsit.* l. si nuptiis. 2. C. de nupt. *Observatis juris præceptis sociare conjugio tuo, quam volueris, non impedieris, ita tamen ut contrahendis nuptiis patris tui consensus accedat.* l. Nec filium. 12. eod. *In conjunctione filiarum in sacris positarum patris exspectetur arbitrium* l. 20. eod. *Paulus respondit, eum qui vivente patre & ignorante de conjunctione filiæ conceptus est, licet post mortem avi natus sit, justum filium ei, ex quo conceptus est, non videri.* l. 10. ff. de statu hom. *Non sit facultas raptæ virgini &c.* *III.) Ex jure civili.*

raptorem suum maritum expoſcere, ſed cui parentes voluerint excepto raptore eam legitimo copulent matrimonio. l. un. C. de rapt. virg. *In contractu nuptiarum exſpectamus patrum conſenſum.* l. ult. C. de repud. & judic. Obſervandæ autem ſunt rationes, quas addit jus civile, quarum duæ priores ſunt præcipuæ, reliquæ ſunt ſecundariæ: I.) urget *patriam poteſtatem*, propter quam liberi non ſunt ſui juris. *Si ut proponis*, inquit Gordianus, *poſt querelam de marito a filia tua ad te delatam diſſolutum eſt matrimonium, nec te conſentiente ad eumdem regreſſa eſt, minus legitima conjunctio eſt, ceſſante patris voluntate, in cujus eſt poteſtate.* l. 7. C. de nupt. *Juſtas nuptias inter ſe cives Romani contrahunt, qui ſecundum præcepta legum coëunt, &c. dum tamen ſi filiifamiliarum ſint, conſenſum habeant parentum, quorum in poteſtate ſunt,* ait Juſtinianus inſtit. de nupt. §. 1. Sine conſenſu patris non poteſt eſſe legitimus ac plenus conſenſus filii, *nec enim ipſe per ſe filius integer homo eſt*, ex Baldo part. III. conſil. 289. inquit Albericus Gentilis libr. IV. de nupt. cap. III. II.) *Hæreditatis ſucceſſionem*, ne patri invito heres agnoſcatur. §. 3. l. 12. ff. de captiv. & poſtlim. arg. §. 8. inſt. de adopt. cujus rationis intuitu etiam avus adoptare nequit, niſi filius conſentiat. l. 6. ff. de adopt. III.) *Antiquam conſuetudinem.* Juſtinianus l. un. C. de rapt. virg. *Oportet, ut quicunque uxorem ducere voluerit, ſecundum noſtras leges & antiquam conſuetudinem parentes, vel alios, quos decet, petat, ut cum eorum voluntate fiat legitimum conjugium.* IV.) *Parentum adfectum.* Pater præſumitur optimum *conſilium capere pro filio, cui omnia ex voto parat, & ex cujus prole diuturnitatis memoriam ſperat.* l. 220. ff. de verb. ſignif. l. penult. ff. de bon. libert. l. 8. Iſti quidem. §. 3. ff. quod metus cauſa. V.) *Infirmum liberorum judicium, cum plerumque ipſius fœminæ adverſus commoda propria inveniatur, laborare conſilium.* l. ſi pater. 4. C. de ſponſal. Nec Reſp. expedit parentum imminui auctoritatem, nec liberis eſt utile in re tanti momenti ſuo arbitratu aliquid decernere. VI.) *Conſequentiam a minore.* Non licet filio alienare bona, in quibus pater habet uſumfructum. l. fin. §. filius autem. C. de bon. quæ liber. ergo multo minus licebit ei ſe ipſum alienare, arg. l. relegatorum. §. ult. de inter. & relig. cui non licet id, quod minus, ei nec licet, quod majus eſt. Filius quando *ſine conſenſu parentis uxorem ducere & hoc ipſo ſe e patria poteſtate ſubducere conatur, ſui ipſius furtum facit,* l. 1. C. de ſerv. fugitiv. Facilius aliquid renaſci & renovari, quam naſci & conſtitui eſt in confeſſo. At *filiusfamilias abſque conſenſu patris ad matrimonium ſolutum reverti nequit.* l. 18. C. de ritu nupt. ergo multo minus contrahere poterit. *Ne miles quidem*, quem tamen jus legibus admodum multis excipit, *ſine voluntate patris contrahere poteſt.* l. 35. eod. Ergo multo minus alii liberi.

Exceptio Bellarmini ad argumentum noſtrum tertium.

§. LXVII. Excipit Bellarminus, *non multum referre, quid lex civilis hac in parte ſtatuerit, cum imperator fateatur, leges non dedignari ſacros canones imitari*, authent. ut clerici §. penult. *Cum ergo canones juris pontificii, & concilii Trident. definierint, matrimonium invitis parentibus contractum eſſe ratum; non poſſunt leges contrarium definire, & ſi forte definierint abrogatæ judicandæ ſunt.* Reſp. 1.) Profana hæc Bellarmini vox eſt, quod papæ decreta pro regula ſint habenda, quam ipſi imperatores abſolute teneantur ſequi. 2.) Deciſio juris civilis in hac quæſtione conformis eſt juri divino & naturali, ergo præferenda eſt deciſioni juris pontificii. 3.) Nondum evictum eſt, quod jure canonico non ſit neceſſarius parentum conſenſus, cum canones quidam eumdem ſatis manifeſte requirant, ut poſtea adparebit. Ubi autem aliquid dubium ex jure canonico, ibi ex aper-

to

to jure civili illud declarari debet, cum Hervetus dicat, *leges & canones esse fratres ac sorores propter mutuam concordiam.* 4.) In adducta *authentica* imperator loquitur de ecclesiasticis delictis clericorum per ecclesiasticam mulctam corrigendis, de quibus nihil communicari vult provinciæ præsidibus, cum talia ecclesiastice examinari oporteat, secundum sacras & divinas regulas, quas etiam imperatoriæ leges non dedignentur sequi, quæ verba posteriora ad regulas de *ecclesiastica disciplina* respectum habentia, absit ut generaliter accipiamus, quasi pro eo in sublime authenticæ auctoritatis fastigium evehatur, quidquid ex papalis pectoris scrinio quoquo modo prodierit. 5.) Lutherus tom. V. Jen. Germ. pag. 257. docet, submissionem illam politici magistratus esse *coactivam, esse contra Deum & esse pernicio sam.* Atque hæc Bellarmini exceptio est. Anton. Guibertus Costanus lib. I. q. juris memor. c. XII. probare nititur, ne quidem in jure civili parentum consensum in nuptiis contrahendis exigi: 1.) quia *definitio matrimonii non facit mentionem consensus paterni.* l. 1. de rit. nupt. cum tamen definitio evolvere debeat omnia, quæ sub definito continentur. l. 1. §. dolum. de dol. mal. 2.) Quia *matrimonia debent esse libera, nec pendere ab alieno arbitrio.* l. 14. C. de nupt. at matrimonia non amplius sunt libera, si parentum consensum postulent, *quia velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini.* l. Velle de R. J. 3.) Filiusfamilias in publicis causis pro patrefamilias habetur. l. filiusfamil. de his, qui sunt sui. *At nuptiæ sunt juris publici*, l. 1. ff. solut. matrim. 4.) Monasterii ingressus comparatur matrimonio. At *filiusfamilias potest in coenobium secedere sine consensu patris.* l. Deo. 56. §. hoc etiam. C. de episcop. & clericis. Ergo etiam uxorem ducere. 5.) *Filius non potest cogi ad religionem.* Ergo nec ad nuptias. 6.) *Si parentum consensus necessario requireretur, omitti nunquam posset*, at quandoque potest omitti. l. 19. de rit. nupt. nec filius furiosi parentis possit contrahere, cum furiosus non possit consentire. l. 25. C. de nupt. 7.) *Suasio legis est de consensu habendo*, instit. de nupt. §. 1. sed suasio non inducit necessitatem. l. 7. de legibus. Sed his ratiunculis solide respondent Albericus Gentilis lib. IV. de nupt. c. III. & seqq. Borcholtus de gradibus. p. 44. & seqq. Forsterus de nupt. cap. VIII. pag. 142. Hunnius resolut. juris civil. libr. I. tract. 3. q. 13. Ernest. Cothmannus consil. I. n. 100. & alii complures. Nos breviter dicimus: *a.*) Nuptiæ sunt conjunctio ex *legitimo consensu* orta, at talis non est liberorum contrahentium consensus parentum consensu destitutus. Adde, quod definiantur nuptiæ in genere, non autem nuptiæ filiorumfamilias in specie. Jam vero non ad omnium, sed liberorum duntaxat nuptias paternus consensus requiritur. *b.*) Matrimonii libertas non tollitur per consensus paterni necessitatem, quia vera libertas est legi divinæ obsequi. *c.*) Matrimonium non est publicum officium, sed contractus solum privatus. *d.*) Si pater potest votum filiæ reddere irritum, Num. XXX. utique sine ejus consensu filia non potest ingredi monasterium. *e.*) Aliud est violenta coactio, aliud paterna voluntas & suasio. *f.*) Habendus consensus patris, si pater ipse habetur, at furiosus non esse intelligitur. l. 17. de injur. *g.*) Vis *legis non est in suadendo, sed imperando;* ergo dum verbo suadet, re ipsa imperat. l. 17. de rit. nupt. ac verbum *suadendi* in legibus significat imperium, l. 115. de legibus. Plura videantur apud jurisconsultos.

Guiberti Costani.

§. LXVIII. Atque hæc sunt præcipua & principalia sententiæ nostræ fundamenta, sequuntur jam secundaria & minus principalia. *Quartam* enim argumentorum classem deducimus ex *jure canonico.* Quamvis enim canonistæ plerique omnes in eam abeant sententiam, consensum parentum in nuptiis liberorum

IV.) Ex jure canonico.

requiri, tantum *de honestate*, non *de necessitate*, unde Hotomannus illust. quæst. IX. *exploratissimum esse*, dicit, *jure canonico non exigi consensum patris;* negari tamen nequit, insignes quosdam haberi canones, in quibus parentum consensus tanquam necessarius exigitur. Unde etiam quidam distinguunt inter canones *antiquiores* & *recentiores*, illis, non autem his paterni consensus necessitatem requiri statuentes. Quidam simpliciter adserunt jure canonico consensum parentum exigi. Duarenus de nupt. c. II. Corasius lib. I. miscell. cap. XVII. Palæotus de spur. cap. VIII. Adr. Pulvæus libro de nupt. sine par. cons. non contrah. n. 43. Hackelmannus disp. ff. 14. thes. 6. Arumæus exerc. II. Hilligerus in Donell. enucl. lib. XIII. comment. c. XX. &c. Videamus insigniores canones. I.) Cap. *Aliter* &c. dist. 30. q. 5. exstat decretum *Evaristi* in epist. ad Africanos, qui anno Christi 97. ad episcopatum Romanum evectus est, quod ex tom. I. concil. pag. 106. integrum huc adscribemus: *Custoditum & traditum* (inquit) *habemus, ut uxor legitimo viro jungatur.* Aliter *enim legitimum, ut a patribus accepimus, & a sanctis apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam foeminam dominationem videntur habere, & a quibus custoditur uxor, petatur, & a parentibus, aut propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus a sacerdote benedicatur, & a paranymphis, ut consuetudo docet, custodita & consociata a proximis tempore congruo petita legibus detur & solenniter accipiatur, & biduo, vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant, ut bonæ soboles generentur, & Domino in actibus suis placeant, &c. Quapropter, filii carissimi, ita peracta legitima scitote esse connubia. Aliter vero præsumta, non conjugia, sed aut adulteria, aut contubernia, aut stupra, vel fornicationes potius, quam legitima conjugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima. Nam fructus divinus est præcepta divina custodire, &c.* Excipit Bellarminus de matrim. cap. XX. & ex eo Severinus Binius in notis ad epist. Evarist. tom. I. conc. *Qua ratione ad legitimum matrimonium requiritur, ut sponsa a paranymphis ad ecclesiam deducatur, cum precibus & oblationibus a sacerdote benedicatur, & ut postea biduo, aut triduo orationi vacent, &c. eadem ratione consensum parentum ad legitimum & verum connubium exigi, scilicet quod in foro externo licitum ac validum esse non debeat præsumi, sed potius pro adulterio haberi, nisi cum prædictis conditionibus sit contractum; cum ergo in foro conscientiæ ad veritatem & essentiam matrimonii prædictæ conditiones non requirantur, utique nec consensum parentum ad verum matrimonium contrahendum ita necessarium esse, quasi sine hoc matrimonium inter duas personas habiles contractum in foro conscientiæ nullum sit.* Resp. in hoc decreto Evaristi conjunguntur ea, quæ diversimode sese habent. Consensus enim parentum nititur expressa lege divina, ideoque non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ necessarius est censendus; quomodo enim conscientia statuere potest, esse ratum ac legitimum matrimonium, quod contra divinam legem, quæ est norma conscientiæ, fuit contractum? Sacerdotalis benedictio non propter expressum & speciale quoddam Dei mandatum, sed propter ecclesiasticam ἐυταξίαν est necessaria, ideo non eodem necessitatis gradu requiritur, quo parentum consensus. Proinde, quod Evaristus addit, *aliter præsumta matrimonia non esse vera conjugia, sed adulteria & fornicationes*, id ratione diversorum subjectorum distincte est accipiendum. Si enim quæstio sit de conjugiis liberorum absque parentum consensu contractis, ea nec in foro conscientiæ, nec in foro externo sunt legitima, quia destituuntur aliquo

requi-

requisito divinitus instituto ac mandato. Sin vero quæstio sit de conjugio absque ecclesiasticis illis ritibus celebrato, illud non in foro conscientiæ, sed in foro duntaxat externo censendum est illegitimum, quia destituitur aliquo requisito ab ecclesia instituto ac mandato.

§. LXIX. II.) Cap. *Honorantur* &c. dist. 32. q. 2. ex Ambrosii lib. I. de Abraham cap. ult. *Consulitur puella non de sponsalibus, illa enim judicium exspectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum, sed jam desponsata de professionis die consulitur, &c. Unde illud Euripidæum: Sponsaliorum meorum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum.* Et postea: *Si qua mulier amisso cito marito adolescentula in laqueum infirmitatis suæ timet incidere, si vult, nubat, tantum in Domino, ita ut electionem mariti parentibus deferat, ne adpetentiæ procacioris æstimetur auctor, si ipsa de nuptiis suis electionem sibi vindicet. Expetita enim magis videri debet a viro, quam virum ipsa expetiisse, verecundiam præmittat, antequam nubat, quo ipsum conjugium plus commendet verecundia.* III.) Cap. *sponsi.* &c. dist. 30. q. 5. ex concilio Carthaginensi IV. *Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus, vel paranymphis offerantur in ecclesia sacerdoti.* IV.) Cap. *Qualis* &c. caus. & quæst. iisd. ex Leone: *Qualis debeat esse uxor, quæ habenda est secundum legem virgo casta & desponsata in virginitate & dotata legitime & a parentibus tradita sponso, & a paranymphis accipienda, & ita secundum legem & evangelium publicis nuptiis in conjugium liquide sumenda.* V.) Cap. *Hoc sanctum* dist. 32. q. 2. ex concilio Toletano III. cap. 10. *Viduæ illis nubant, quos propria voluntate voluerint habere maritos. Similis conditio & de virginibus habeatur, nec extra voluntatem parentum, vel suam cogantur maritos accipere.* Cum quo conjungatur Cap. *Non omnis* &c. caus. & quæst. iisdem ex Leone: *Paterno arbitrio fœminæ junctæ viris carent culpa.* VI.) Cap. *Nostrates* &c. dist. 30. q. 5. ex epistola Nicolai papæ ad consulta Bulgarorum: *Nuptialia fœdera consensu eorum, qui hæc contrahunt, & horum, in quorum potestate sunt, celebrantur.* VII.) Cap. *de raptoribus* &c. dist. 36. quæst. 1. ex concilio Aurelianensi cap. IV. *Si puellam, quæ rapitur, patrem habere constiterit, eaque raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur, & raptor patri superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius.* VIII.) Cap. *apud omnipotentem* &c. caus. ead. quæst. 2. ex Gregorio: *Cum rapta patriæ potestati fuerit restituta, & raptor suæ rapinæ pœnitentiam egerit, cum voluntas parentum utriusque in unum convenerit, non prohibentur ad invicem copulari.* Conjunge Cap. *Tria legitima* &c. caus. & quæst. iisdem. *Filia per vim copulata viro, si non fuerit voluntas patris, trahet eam a prædicto viro, & tradet eam alii.*

Exceptio Bellarmini ad canones juris pontificii.

§. LXX. Excipit Bellarminus, *in hisce canonibus non definiri, quod conjugium absque parentum consensu contractum sit irritum; sed tantum præscribi liberis, quod parentibus judicium de nuptiis permittere debeant, ac quibus ritibus nuptias celebrare debeant.* Item: *aliud esse raptum, aliud conjugium invito patre celebratum.* Resp. 1.) Quæcunque constitutio nititur expresso Dei mandato, illa inducit necessitatem in foro conscientiæ obligantem. Atqui constitutio de parentum consensu in liberorum nuptiis nititur expresso Dei mandato. Ergo inducit necessitatem in foro conscientiæ obligantem, & per consequens distinguenda hæc constitutio ab iis, quæ accidentarios duntaxat & ecclesiasticos quosdam ritus præscribunt. 2.) Honestas, quæ a pietate & expressa lege Dei pendet, conjunctam etiam habet necessitatem. Atqui honestas illa, quæ requirit parentum consensum in nuptiis liberorum, pendet a pie-

tate & expressa Dei lege. Ergo etiam conjunctam habet necessitatem. 3.) Conjugia illegitima, eo scilicet modo, ut pugnent non solum contra constitutiones ecclesiasticas, sed etiam contra legem divinam, sunt ipso jure nulla. Atqui conjugia contra parentum consensum contracta sunt eo modo illegitima. Ergo. Si *in Domino nubere* est electionem mariti parentibus deferre; ergo jure divino parentum consensus requiritur, & per consequens nuptiæ contra parentum consensum contractæ, contra jus divinum contrahuntur, ac proinde sunt per se irritæ. 4.) Inter raptorem & citra parentum consensum contrahentem licet aliquod sit discrimen, tamen ea animadvertitur convenientia, quod hic fraudibus & dolis id agit, quod ille violentia in actum deduxit. Si ergo non licet parenti invito filiam eripere, utique nec blanditiis eam licebit inducere, ut absque ejus consensu nuptias contrahat, ac se ipsam potestati propriæ eripiat. Ut raptor filiam per vim parenti eripit, sic filia se ipsam parentis potestati subtrahit, si invito parente nuptias contrahat. *Majestatis læsæ Scævola adcusat eum, qui dolo malo facit, ne majestati cives maneant salvi*, libr. I. §. 1. ad l. Jul. majest. & plagiarium definiunt jurisconsulti, *qui aliquem ex familia alterius subducit*; quanto gravius peccat filia, quæ ex potestate longe arctiori & magis pia profugit, & jus suum patri prævertit, cum *id quod meum est, sine meo peccato auferri non possit*? l. id quod nostrum. 11. de R. J. Falsum igitur est, quod Bellarminus hoc loco adserit, *eum, qui violenter sponsam suam patri ausert, rem suam capere*, quia puella non est sui juris, sed in potestate parentum, ideo non potuit in conjugium consentire absque patris voluntate. *Magna injuria est, corrumpi servum hominem;* quid igitur hunc meruisse credimus, qui corporis nostri partem blando sermone avertit, & in suam potestatem transfert? Heig. p. I. q. 22. num. 65. Quidquid vero sit de jure canonico, si vel maxime ex eo necessitas paterni consensus non possit firmiter demonstrari; nostræ tamen sententiæ nihil decedit, quippe quæ jure divino, naturali ac civili sufficienter stabilitur.

§. LXXI. *Quintam* argumentorum classem petimus *ex adversariorum* ἀντιλογίᾳ. Synodus Tridentina sess. XXIV. c. 1. anathemate feriens eos, qui statuunt, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta esse irrita, & parentes ea rata, vel irrita facere posse, ibidem addit, *sanctam Dei ecclesiam ex causis justissimis illa semper esse detestatam.* Atqui conjugium, quod est detestandum, non potest esse ratum ac firmum; inde enim atque ideo detestandum, quia non est conforme divinæ institutioni & legibus matrimonialibus divinitus sancitis. Quod si ergo Tridentini patres agnoscunt, conjugia liberorum absque parentum consensu contracta esse detestanda, utpote divinæ institutioni contraria, agnoscant etiam ea esse irrita. Nullum verum ac ratum conjugium est detestandum, quia omne verum ac ratum conjugium est sancta Dei ordinatio. Conjugium liberorum sine parentum consensu initum ex hypothesi Tridentinorum patrum, est verum & ratum conjugium. Ergo non est detestandum; ac vicissim, si tale conjugium est detestandum, non debet agnosci pro rato ac vero. Bellarminus cap. XIX. prop. 3. agnoscit, *præceptum de matrimonio liberorum parentibus potius dari, quam filiis*, quod recte probat ex Exod. XXXIV. & Deut. VII. & ex eo porro infert, *ut plurimum peccare filios, cum non sequuntur in hac re parentum voluntatem.* Atqui si præceptum de matrimonio liberorum parentibus potius datum, quam filiis; utique liberi absque parentum consensu contrahentes agunt contra leges matrimoniales & divinam conjugii institutionem, ex quo sic concludimus: Omne conjugium ratum ac firmum est conforme institutionis divinæ legibus. Sed conjugium liberorum absque parentum consensu

V.) Ex adversariorum ἀντιλογίᾳ.

con-

contractum non est conforme divinæ institutioni. Ergo non est ratum ac firmum. Idem cap. XXIII. propos. 3. statuit, *matrimonium inter fidelem & infidelem non baptizatum contractum esse irritum, ex more populi christiani vim legis obtinente, cum tamen nec jure divino, nec naturali, nec positivo, nec certa aliqua lege ecclesiastica* irritum sit, ut propos. 2. disseruerat. At si tantam vim habet consuetudo populi christiani, ut per eam ac propter eam matrimonium inter fidelem & infidelem sit irritum; quanto magis lex divina de honorandis parentibus tantam vim obtinere debet, ut propter illius transgressionem matrimonia liberorum sine parentum consensu contracta pronuncianda sint irrita?

VI.) Ex testimoniis patrum.

§. LXXII. *Sextam* argumentorum classem ducimus *ex testimoniis patrum.* (*) Tertullianus lib. II. ad uxor. *Nam nec in terris filii sine consensu parentum rite & jure nubunt.* Clemens libr. III. stromat. *Virgo quædam simplicioris animi, cum ex Carpocratianis quidam eam compellaret: Scriptum est:* da omni petenti, *existimans se de justo matrimonio compellari, respondit: at tu matrem convenias.* Basilius epist. I. ad Amphiloch. *Eorum, qui sunt in alterius potestate, pacta conventa firmi nihil habent.* Ambrosius lib. I. de Abraham. cap. ult. *nubere in Domino apud apostolum* sic explicat, ut *electionem mariti parentibus a filia deferendam esse* statuat. Idem in comment. 1 Cor. VII. *Non est putandum matrimonium, quod extra Dei decretum est factum, sed cum cognoscitur, est emendandum.* (Loquitur ibi Ambrosius de matrimonio inter personam fidelem & infidelem. At cum lex illa de non ducendis alienigenis in nov. test. abrogata sit, lex de honorandis parentibus maneat; multo magis in conjugio liberorum citra parentum consensum contracto Ambrosii sententia locum habet). Epist. XLIII. ad Sisinn. dicit *eum juste indignatum, quod ipso inscio filius uxorem ducere voluisset.* Chrysostomus hom. IX. in 1 Timoth. parentes hortatur, *ut mature prospiciant liberis de conjugio, ne in scortationem incidant*, addita hac gravi sententia: *Si ante coeperint scortari, quam fiant conjuges, nunquam in matrimonio fidem colent.* Augustinus epist. CCXXXIII. ad Benenatum: *Matris voluntatem in tradenda filia omnibus, ut arbitror, natura præponit.* Evaristi, Leonis, & concilii Toletani verba superius sunt adducta.

VII.) Ex suffragio adversariorum.

§ LXXIII. *Septimam* classem petimus ex *suffragio adversariorum.* Gratianus in c. *Non omnis* &c. dist. 32. q. 2. *Cum dicitur: paterno arbitrio fœminæ junctæ viris, datur intelligi, quod paternus consensus desideretur in nuptiis, nec sine eo legitimæ nuptiæ habeantur.* B. Rhenanus in scholiis ad verba Tertulliani lib. II. ad uxor. *Nam nec in terris filii sine consensu parentum rite & jure nubunt;* pag. 612. *Elegantissima* (inquit) *vox aureis literis scribenda. Utinam theologi & jurisconsulti hac de re pontificem Romanum ac reliquos reges & principes admoneant, ut concorditer & rite huic malo obviam eatur, seducendi teneras & simplices puellas inconsultis, imo invitis parentibus. Raptus virginum legibus est prohibitus, & istas insidias clandestinarum nuptiarum ferre cogimur.* Cassander part. ult. catal. glor. mund. c. XXXV. scribit, *mundum & coelum & totam machinam literatorum contra nuptias absque parentum consensu initas clamare.* Erasmus in colloq. in Misogamo Eubulum & Catharinam ita loquentes introducit: *Definiunt quidam, matrimonium esse ratum, quod inscitis, aut etiam invitis parentibus inter puerum & puellam per verba de præsenti*

(*) Conferenda, quæ hanc in rem collegit JOSEPHVS BINGHAMVS *origin. sive antiquit. ecclesiast. vol. VII. p. 382. seqq. & vol. IX. p. 292. seqq.*

ti contractum est. Atqui istud dogma nec naturæ sensus adprobat, nec veterum leges, nec Moses ipse, nec evangelica, aut apostolica doctrina. In libr. de instit. Christ. matrim. *Nullum opinor in sacris literis exemplum inveniri, filios familias, aut pupillos clam iis, in quorum potestate sunt, contraxisse matrimonium, quod illis reclamantibus valuerit.* In adnot. 1 Cor. VII. pag. 324. *Sentit Paulus de parentibus elocantibus nuptum filias, citra quorum auctoritatem non erat ratus matrimonii contractus; quod utinam & his temporibus servaretur, præsertim in ea ætate, cui nondum satis constat vel consilium, vel judicium.* Ludovic. Vives in libr. de offic. mariti: *Vetera omnia conjugia gentilium ac Judæorum ita coierunt: parentes sua auctoritate utrinque rem transigebant, liberis nefas erat ab eo discedere, quodcunque visum esset parentibus de ipsis statuere.* Alexander jurisconsultus libr. IV. cons. ult. *Papa non est dominus morum, sed docet reverentia, non honeste fieri a filio, qui aliter (quam consentiente patre) contrahit nuptias; honestas quæ spectat pietatem, habet etiam necessitatem.* Gropperus in instit. Colon. *Evaristi canonem plane sanctissimum cuperemus in ecclesiam concilio generali revocari ob clandestina matrimonia tollenda.* (Bellarminus excipit, *Gropperum non loqui de matrimonio, cui solum deest consensus parentum, sed de eo, quod insciis parentibus contrahitur, & simul clandestinum est.* Resp. omne matrimonium, quod contrahitur insciis & invitis parentibus, est clandestinum, si vel centum testes adhibeantur, quia repugnat juri publico, divino & humano, ut inferius pluribus demonstrabitur. Ac si clandestinum matrimonium a concilio Tridentino fuit irritum pronunciatum propter incommoda gravissima, quæ ex illis oriuntur, ut Bellarminus hoc loco adserit; utique etiam debuisset matrimonium liberorum absque parentum consensu contractum irritum pronunciari, cum non solum divinis legibus repugnet, sed etiam incommoda secum trahat longe plurima & gravissima). Leges Hispaniæ non tantum pro irritis habent matrimonia sine parentum consensu contracta, sed & gravissimas pœnas contrahentibus imponunt. Galli semper detrectarunt decretum synodi Tridentinæ admittere, ac curiæ, tam Parisiensis, quam Tolosana, contrarium definierunt adjecta gravi pœna, si quis vel quæ parentum consensum contemserit, vel contemtus auctor exstiterit, ut ex Guiberto Pæpon. & Corasio docet Arnisæus de jure connub. cap. III. sect. 10. num. 44.

§. LXXIV. *Octavam & ultimam classem argumentorum tribuimus deductioni ad absurdum.* Per matrimonia liberorum sine parentum consensu inita 1.) lex divina de honorandis parentibus violatur; 2.) patri invito hæres agnascitur; 3.) pax domestica turbatur, quia nurus apud socerum debebat esse loco filiæ, quæ contra ipsius voluntatem in ædes introducitur; 4.) salus liberorum, qui per ætatem sibi nondum possunt consulere, in præsentissimum discrimen adducitur; 5.) cum spe matrimonii multæ ad stupra illiciantur, fenestra libidinibus aperitur; 6.) auctoritas parentum labefactatur; 7.) honestas publica ex naturæ lege promanans conculcatur; 8.) leges civiles despectui habentur; 9.) id quod furto pejus est ac deterius justum pronunciatur; 10.) quod consensu omnium gentium damnatum, adprobatur; 11.) in summa & inextricabilia pericula animæ conjiciuntur: 12.) conscientiæ conjugum misere illaqueantur, quia non possunt statuere se divinitus conjunctos esse, ideoque in adversis destituuntur solida ac necessaria consolatione. Ergo conjugia liberorum sine parentum consensu contracta censenda sunt illegitima atque irrita. Beustius part. II. de matr. cap. XLVI. p. 212. sic infert: *Si matrimonia, vel sponsalia sine parentum consensu contracta deberent valere; sequeretur illud inconveniens, quod quilibet ribaldus, vel scurra possit honesti viri filiam*

VIII.) *A deductione ad absurdum.*

ad se allicere, & quasi furari eamque decipere, quod esset valde absurdum.

§. LXXV. Instruximus hactenus nostrorum argumentorum aciem; restat, ut videamus, quæ arma contra nos adversarii induant, quasve contra causæ nostræ arcem hastas contorqueant. Bellarminus adversæ partis primipilus contra nos pugnaturus libr. de matrim. cap. XIX. primo nititur *dissensiones inter nostros* in hac quæstione ostendere, primam scilicet victoriæ partem statuens, si in castris adversarii hostiles dissensiones excitari possint. *Contendunt* (inquit) *adversarii, matrimonium irritum esse, nisi fiat cum parentum consensu, sed quia non omnino inter se convenire videntur, eorum sententias breviter referemus. Primus videtur fuisse Erasmus, qui rem in controversiam vocavit, is dogma illud, quod matrimonium inter puerum & puellam insciis, vel etiam invitis parentibus, contractum ratum sit, nec naturæ sensu, nec veterum legibus, nec ab ipso Mose, nec evangelica, aut apostolica doctrina adprobari scribit. Lutherus in serm. de matrimonio cum distinctione loquitur. Nam aut nata est proles in conjugio contracto sine parentum consensu, aut nondum est nata.. Si nata est, firmum esse debet matrimonium. Si nondum est nata, in potestate parentum erit, confirmare, vel irritare conjugium. Idem docet Philippus Melanchthon in loc. Bucerus in XIX. Matth. revocari optat leges civiles, quibus id caveri dicit, ne nuptiæ filiorum ratæ sint sine consensu patris, aut avi, aut proavi. Brentius in catech. si matrimonium sine parentum consensu celebratum sit, jubet id referri ad magistratum, atque ejus judicio confirmandum, vel irritandum esse. Nam etiamsi generalis regula sit, quod liberi non debeant inire conjugia sine parentum consensu, tamen nonnulli casus sunt, in quibus licet secus agere. In eamdem sententiam descendit Mart. Chemnitius II. part. exam. conc. pag. 1273. ubi tamen confundit matrimonia filiorum sine consensu parentum contracta cum matrimoniis clandestinis; potest enim fieri, ut matrimonium sit clandestinum, & tamen cum parentis consensu contractum, & contra, ut non sit clandestinum, sed publicum & coram ecclesia & ratum, insciis & invitis parentibus. Calvinus lib. IV. instit. cap. XIX. §. ult. inter leges pontificum impias in Deum & iniquissimas in homines primo loco numerat eam, quod conjugia inter adolescentulos parentum injussu contracta, firma rataque maneant.* Hactenus Bellarminus *Resp.* 1.) In hisce nullus animadvertitur dissensus. Omnes enim statuunt, conjugia liberorum sine consensu parentum contracta esse illegitima atque irrita; omnes docent, parentes talia matrimonia posse rescindere. Alia vero quæstio est, an in specialibus quibusdam casibus ratione circumstantiarum habita propter evitandum majus malum parentibus sit suadendum, ne jure patriæ potestatis severe utantur? Distinguendum igitur inter *ipsum jus* patriæ potestatis, quod parentibus semper manet salvum atque integrum, sive secuta fuerit carnalis copula in talibus liberorum matrimoniis sine ipsorum consensu contractis, sive non fuerit secuta, & inter *usum* atque *exercitium* illius *juris*, quod quandoque paululum interquiescere liberorum salus exigere potest. 2.) Erasmum non potest Bellarminus nostris adcensere, cum Leo X. in literis publicis eum adpellet dilectum filium suum, cumque pontificis auspiciis ejus adnotationes & paraphrasis in nov. test. lucem viderit, ut ipse testatur in adnot. 1 Thess. II. 3.) Clandestina matrimonia a Chemnitio recte vocantur ea, quæ sine consensu parentum contracta, si vel maxime alii adfuerint testes, ut postea demonstrabitur.

Antithesis pontificiorum.

§. LXXVI. Pontificiorum sententiam exin Bellarminus includit tribus propositionibus: Prima est, *solo consensu parentum matrimonium inter filios celebrari non posse, ideoque patrem non posse filium ad matrimonium*

monium cogere. Secunda est, *filiorum consensum, etiamsi solus sit, ad matrimonium firmum ac ratum sufficere, nec posse a parentibus, vel magistratu ejusmodi matrimonium irritari.* Tertia est, *peccare filios, quando sine justa & rationali causa parentibus insciis, vel invitis matrimonia contrahunt.* In prima & tertia propositione Bellarminus nos sibi ὁμοψήφους habet; modo in illa consensus liberorum etiam tacitus statuatur sufficere, ab hac removeatur insidiosa illa clausula, quod *sine justa & rationabili causa liberi non debeant insciis, vel invitis parentibus matrimonia contrahere*, per quam innuitur, posse dari justam & rationabilem causam, quæ excludit paternum consensum. At quæ potest esse justa & rationabilis causa, propter quam liberi filialem obedientiam & reverentiam divinitus ipsis mandatam parentibus jure derogant? Non enim hic quæstio est de parentibus vel furiosis, vel captivis, vel officium suum negligentibus, & liberos a matrimonio privati sui commodi causa injuste arcentibus; in eo enim casu vel cognatorum, vel magistratus consilium & auxilium implorandum est, qui cum in locum parentum succedant, ne sic quidem absque paterna auctoritate conjugium intelligitur contrahi. Restat igitur secunda propositio, quam juri divino, naturali ac civili repugnare dicimus. Videamus igitur, quid pro ejus confirmatione Bellarminus adferat.

Argumenta pontificiorum.

I.) Ex scripturae exemplis.

§. LXXVII. *Primum* huic propositioni fulcrum quærit in *exemplis scripturæ sacræ* Gen. XXVI. *Esau duxit uxores duas, quæ ambæ offenderant animum Isaaci & Rebeccæ parentum ejus, proinde invitis parentibus accepit. Et rursus c. XXVIII. accepit tertiam contra eorumdem parentum voluntatem; nec tamen Isaac ea conjugia irritavit, & scriptura simpliciter uxores vocat, quæ ita ductæ fuerunt. Deinde Jacob* Gen. XXIX. & XXX. *duxit uxorem unam, juxta consilium parentum suorum, sed alias tres, & præsertim duas ancillas, duxit parentibus omnino insciis, nec tamen Jacob, sanctissimus patriarcha, id fecisset, si credidisset necessarium esse parentum consensum. Tobias quoque uxorem duxit in aliena regione, parentibus ignorantibus, nec tamen angelus Raphaël, qui cum ipso erat, eum admonuit, ut parentum consensum exspectaret, neque ipse religioni sibi duxit insciis parentibus id facere.* Resp. *a.*) in genere; *b.*) in specie. In *genere.* 1.) In civitate Dei non est vivendum hominum exemplis, sed Dei legibus. Jam vero ostendimus superius, parentum consensum in nuptiis liberorum & generali & speciali jussione divina requiri. Bellarminus ipse in seq. propos. 3. scribit: *Præceptum de matrimonio liberorum parentibus potius datur, quam filiis.* 2.) Si exemplis judicandum, proferenda potius erant ea, quæ regulæ legis divinæ congruunt, quam quæ ab ea discrepant. Bellarminus ipse l. d. adducit exemplum *Isaaci*, qui uxorem accepit, quam pater ei dedit, & Rebecca, uxor ipsius, consilium patris sui ea in re secuta est. Genes. XXIV. Item *Jacobi*, cui pater in mandatis dedit, ut acciperet uxorem ex filiabus Laban, quod ipse obedienter fecit. Genes. XXVIII. Illis conjungenda sunt exempla *Ismaelis, Simsonis, Saræ, &c.* de quibus supra. In *specie* 1.) de *Esavo: a.*) bene factum, quod ab Esavo jesuita sententiæ suæ robur quærit, ut se Esavitam esse ostendat. *b.*) Cap. proxime præcedente XXV. 34. commemoratur, quod Esavus *pro edulio jus primogenituræ vendiderit*, quo nomine vocatur βέβηλος, *profanus*, Hebr. XII. 16. & quo animo ac consilio tertiam duxerit, exponit Spiritus sanctus: Gen. XXVIII. 6. *Videns Esau, quod benedixisset pater suus Jacobum, & dixisset ei, non accipies uxorem de filiabus Canaan, & quodque pater non libenter adspiceret filias Canaan, ivit ad Ismaelem, & duxit uxorem præter eas, quas habebat.* Ecquid ergo boni ac laudabilis in hujus profani &

in-

inobedientis filii exemplo quærendum ? *c.*) De Esavi uxoribus expresse dicitur Gen. XXVI. 35. quod *fuerint amaritudo spiritus Isaaco ac Rebeccæ*, quodque animum ipsorum adeo exulceraverint, ut Rebecca in hæc erumperet verba: *Si acceperit Jacob uxorem de filiis Heth, quales sunt hæ de filiabus terræ, nolo vivere.* Tales scilicet habere consueverunt exitus matrimonia liberorum sine parentum consensu contracta, quorum patrocinium Jesuitæ suscipiunt. *d.*) *At*, inquis, *Isaacus illa matrimonia non irritavit.* Resp. tribuendum hoc vel paternæ indulgentiæ, quæ in liberis multa tolerat, quæ mutare nequit, (*nolens Isaacus*, inquit Josephus lib. I. antiquit. cap. XVII. circa medium, *molestus esse filio, jubendo eum, ut mulieres missas faceret, decrevit rem totam silentio transmittere*, Josephum secutus Albericus Gentilis libr. IV. de nupt. cap. VIII. scribit, *ideo parentes Esavi non jussisse, ut uxores ductas dimitteret, ne filium in tristitiam conjicerent*) vel Esavi pertinaciæ, qui ab injusto & illicito illo consortio abstrahi non potuit; interim a remotione facti ad remotionem juris non procedit collectio. Tiber. Decian. volum. I. cons. 7. *e.*) At *scriptura eas vocat uxores.* Resp. ex regula Augustini libr. II. de mirab. scripturæ cap. IX. *Scriptura verarum rerum nomina aliquando tribuit rerum similitudinibus*; id quod exemplis aliquam multis declarat Ruizius in reg. intellig. script. reg. 15. pag. 13. quin imo revocet Bellarminus sibi in mentem, quæ scripsit libr. I. de sacr. euchar. cap. ult. *Scriptura vocat ordinarie res, ut adparent exterius. Sic serpentem æneum vocat serpentem, angelos, qui adparebant in forma humana, vocat viros, boves æneos, malogranata aurea & similia ornamenta templi simpliciter vocat boves, &c.* Si ex eo, quod scriptura Esavi conjuges vocat uxores, recte & immote inferri potest, quod fuerint veræ uxores, quodque inter Esavum & eas fuerit verum, ratum ac legitimum matrimonium; utique etiam ex eo, quod panis eucharisticus post consecrationem vocatur panis, licebit inferre, quod sit verus & substantialis panis, id quod recte quidem infertur, sed a Bellarmino non conceditur. Sicut 1 Cor. VIII. 5. *sunt dii multi & domini multi*, λεγομένως scilicet & κατ' ὑπόληψιν ἀνθρώπων, ita Esavi conjuges uxores vocantur, quia scilicet homines, inter quos degebant, eas pro veris & legitime ductis Esavi uxoribus habebant. Ex populari igitur adpellatione apodicticum aliquod argumentum nunquam eliciet Bellarminus, cum incestæ nuptiæ dicantur etiam nuptiæ, quæ nihil minus sunt, quam veræ ac legitimæ nuptiæ. *f.*) Contemtum illum parentum Deus in Esavo punivit benedictionem, jus primogenituræ, & promissionem de possessione terræ Canaan ac de Messia ex semine ejus nascituro ipsi auferendo, & in fratrem Jacobum transferendo. 2.) De *Jacobo* disertis verbis testatur Moses, quod a parentibus in Mesopotamiam missus sit ad ducendam uxorem e filiabus Laban; Genes. XXVIII. 2. habuit ergo consensum parentum non solum generalem, sed etiam specialem. Cumque a fide matrimoniali, quam Racheli a se adamatæ dederat, recedere nollet, nec Leam, cui a patre Labano sibi obtrusæ per ignorantiam cohabitaverat, honeste dimittere posset; inde præter omnem suam opinionem duarum sororum nuptiis fit implicitus, quo respectu exemplum hoc plane singulare est, nec ullo modo ad imitationem trahendum. Ancillæ, quas non solum consensu, sed etiam impulsu Rachelis ac Leæ sibi adsociaverat, fuerunt uxores secundariæ, ut nihil dicatur de eo, quod Bellarminus *in historicis argumentum ex scriptura ducit negative.* Non est scriptum, intercessisse consensum parentum in nuptiis quorumdam patriarcharum vet. testam, ergo is non intercessit, cum ne quidem *in dogmaticis* argumentum negativum ex scripturis ducere alibi permittat. Sic enim disputat libr. I. de missa cap. XXIII. resp. ad arg. 2. *Etiamsi evangelistæ non expresse dixerint, Christum se patri obtulisse,*

liſſe, tamen neque expreſſe dixerunt, non ſe obtuliſſe, &c. quare ſi Lutherus ab exemplo Chriſti probare cupit, miſſam non eſſe ſacrificium, certum aliquod teſtimonium adferat, ubi legamus, Chriſtum non ſe obtuliſſe in coena. Nam illa argumenta negativa: non habetur expreſſe in ſcriptura, ergo non eſt factum; jam ipſis etiam pueris ridicula ſunt. Hactenus Bellarminus. 3.) De *Tobia* reſpondemus *a.*) hiſtoria eſt apocrypha. *b.*) Tobias ſequitur conſilium angeli, qui Tob. VI. 11. 12. proponit ipſi divinam conſtitutionem Num. XXVII. 8 & XXXVI. 8. hactenus igitur eſt in hoc exemplo aliquod ſpeciale. *c.*) Ibidem commemoratur, quod Sara a patre Raguele Tobiæ fuerit deſponſata c. VII. 15. *d.*) Ex poſtfacto præſumitur, patris Tobiæ ſenioris voluntas præceſſiſſe. l. ſi ut proponis. C. de nupt. *Si pater poſtea reſciſcens non contradixerit, valent nuptiæ. e.*) In formatione ſtatus ſuperius monuimus, non eſſe hoc loco proprie & principaliter quæſtionem de parentibus abſentibus, quorum conſenſus haberi nequit, ſed de præſentibus. Jam vero parens Tobiæ hic longe abfuit. *f.*) Et quid multis? conſtat ex ſermone, quem Tobias ſenior cum filio ante abitum inſtituit, filium de conſenſu patris nihil quidquam dubitaſſe, vel dubitare potuiſſe. Tob. IV. 13. juxta textum græcum: *Uxorem accipe de ſemine patrum tuorum, & ne accipias uxorem extraneam, quæ non eſt de tribu patris tui, quoniam filii prophetarum ſumus Noë, Abraham, Iſaac & Jacob, &c. omnes iſti acceperunt uxores de fratribus ſuis* (quæ omnia in vulgata verſione latina ſunt omiſſa). Habuit ergo Tobias ſi non individualem, tamen ſpecialem patris conſenſum, de qua diſtinctione pluribus dicetur inferius. g.) Neve ulla reſtet dubitatio de conſenſu ſenioris Tobiæ, conſiderentur verba angeli Tob. VI. 17. *Non es memor ſermonum, quos præcepit tibi pater tuus ſuper accipienda tibi uxore de genere tuo, &c.*

II.) Ex jure canonico.

§. LXXVIII. *Alterum* fundamentum quærit Bellarminus in *jure canonico.* Nam cap. *cum virum de regularibus* &c. ita loquitur Clemens III. de puella nubili: *Tunc quia liberum habet arbitrium in electione propoſiti parentum ſequi non cogitur voluntatem.* Et huc pertinet, quod Ambroſius libr. de virgin. inquit: *Cui licet maritum eligere, non licet Deum præferre?* Idem epiſt. XLIII. ad Siſinnium, *qui filio indignabatur, quod ſine ſuo conſilio uxorem duxiſſet*, dicit culpam aliquam *ab eo filio admiſſam; tamen ſatis aperte indicat matrimonium fuiſſe ratum, & Siſinnium laudat, quod facile culpam ignoverit filio.* Reſp. 1.) Monuimus ſuperius de jure canonico variare jurisconſultorum ſententias; quidam enim ſtatuunt, neceſſitatem paterni conſenſus ex eo non poſſe probari; quidam inter canones vetuſtiores ac recentiores diſtinguunt; quidam explicare conantur omnes canones, qui parentum conſenſum non videntur neceſſario exigere. Nobis ſufficit, quod ex jure divino, naturali ac civili noſtram ſententiam confirmatam dare poſſimus, ſi vel maxime de juris canonici diſpoſitione quædam ſuperſit dubitatio. 2.) Cap. *cum virum X. de regularibus* &c. non excludit paterni conſenſus neceſſitatem, quando *filiam in contrahendis nuptiis liberum habere arbitrium, nec cogi parentum voluntatem ſequi* adſerit, quia idem plane jure etiam civili obtinet, quippe in quo diſponitur, *conjugia debere eſſe libera*, l. 12. C. de nupt. I. Titia ff. de V. Obl. & tamen conſenſum parentum illo jure tanquam neceſſarium requiri conſtat; nimirum libertas filiorum in matrimoniis contrahendis non eſt abſoluta, ſed paterni conſenſus limitibus circumſcripta, ſicut patria poteſtas itidem non eſt abſoluta, ut ad matrimonium liberos cogere poſſit. Alii reſpondent, in illo cap. non agi de matrimonio contrahendo, ſed de profeſſione monaſtices. 3.) Ambroſius electionem mariti filiæ relinquens liberam, itidem hoc intelligit de libertate cum limitibus in verbo Dei præſcriptis congruente; diſerte enim addit: *Si hominem amarent filiæ veſtræ,*

ſtræ, per legem poſſent eligere, quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? Certe apoſtolus 1 Cor. VII. 37. parenti tribuit ἐξουσίαν περὶ τῆς ἰδίας θελήματος τηρεῖν τὴν ἑαυτῆς παρθένον, ἢ ταύτην γαμίζειν. 4.) Quamvis idem Ambroſius Siſinnium laudet, quod culpam ignoverit filio, qui absque ejus conſenſu nuptias contraxerat; tamen non laudat, nec ratum habet illud matrimonium tanquam legitimum, ſed in ſpeciali hoc caſu parenti ſuadet, ut culpam filio condonet, nec jure patriæ poteſtatis ſevere utatur, novæ autem nuptæ auctor eſt, ut etiam *hyemali tempore viæ laborem exciperet commodius hybernatura non ſolum in hoſpitio, ſed etiam in adfectu paterno, cum jam ſucceſſerit indignationi gratia*, ut ſub finem epiſtolæ loquitur. Niſi Ambroſius ſtatuiſſet, parentum conſenſum in liberorum nuptiis eſſe neceſſarium, non tam ſolicite pro filio fuiſſet deprecatus, qui absque parentis conſenſu nuptias contrahendo gravi culpæ ſeſe reddiderat obſtrictum.

§. LXXIX. Præter illud capitulum ex jure canonico a Bellarmino adductum ab aliis plura adferuntur: I.) Cap. *Sufficiat* &c. diſt. 27. q. 2. ubi Nicolaus dicit: *Sufficiat ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur.* Reſp. Gloſſa ibidem addit, *dictionem* ſolus *non excludere conſenſum parentum*, qui ſecundum leges requiritur; ſed tantum *alias ſolennitates*, quæ fiunt circa matrimonium. Rectius dicitur, quod particula illa excludat *copulam carnalem*, quod illa non pertineat ad matrimonii eſſentiam. Quæſtio enim erat propoſita, anne carnalis commixtio ad perfectionem conjugii pertineret? reſpondit Nicolaus, ſolum conſenſum, concubitu etiam *non interveniente, ad matrimonium ſufficere, qui conſenſus ſi in nuptiis ſolus forte defuerit, cætera omnia, etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrari.* Præterea ideo duntaxat conſenſus contrahentium fit mentio, quia in ſpecie & ex profeſſo non quærebatur de conjugio liberorum, ſed de conjugio in genere. Denique requiritur conſenſus *ſecundum leges*, ſive legitimus, jam vero conſenſus liberorum deſtitutus conſenſu parentum non eſt ſecundum leges, ſive legitimus. II.) Cap. Cum cauſa X. de rapt. ubi *matrimonium liberorum dicitur ſubſiſtere, etiamſi parentes reclamarint.* Reſp. parentes non proponuntur contradixiſſe conjugio, ſed raptui & abductioni, in dubio igitur præſumitur conſenſum parentum interveniſſe. Alii dicunt, cap. loqui de parentibus, *qui liberos non habent in poteſtate.* Rurſus alii cenſent, quæſtionem ibi eſſe de eo caſu, *quando copula carnalis intervenit.* Duarenus reſpondet, *capitulum illud non eſſe ſatis juſtum & æquum.* Oldendorpius dicit, quod ſit *impium.* III.) Cap. cum apud 23. ℵ. de ſponſ. ubi Innocentius dicit: *Sufficiat ad matrimonium ſolus conſenſus illorum, de quorum quarumve conjunctionibus agitur.* Reſp. particula excluſiva *ſolus* non eſt abſolute & ſimpliciter accipienda, alias etiam in gradibus prohibitis matrimonia per conſenſum contrahentium fierent rata, ſed pro ratione ſubjectæ materiæ explicanda. Quæſtio proponebatur, an ad matrimonium perficiendum requirantur verba? ad illam igitur reſponſio adcommodanda, quod ſcilicet ſolus conſenſus absque verbis ad matrimonium ſufficiat. Gentilis libr. IV. de nupt. cap. IV. reſpondet, *excluſivam ibi opponi dotalibus inſtrumentis pompæ & aliis ſolennibus.* IV.) Cap. *Veniens.* 13. ℵ. tit. eod. ubi ſtatuitur, *nuptias, in quas pater conſentire noluit, eſſe ratas.* Reſp. agitur ibi de conjugio per copulam carnalem conſummato & in eccleſiæ facie per ſacerdotalem benedictionem confirmato, quod jure canonico eſt ratum, ſi vel maxime parentum conſenſus non adceſſerit, qua de re inferius plura. V.) Cap. *Tua fraternitas*, de ſponſal. ubi pontifex dicit, *matrimonium contrahi per legitimum viri & mulieris conſenſum.* Reſp. non excluditur conſenſus parentum. Tunc enim conſenſus viri & mulieris dicitur legiti-

gitimus, cum vir & mulier adhibent consensum paternum. Simile judicium de aliis capitulis esse debet, ut ostendunt Adr. Pulvæus in libr. de nupt. sine parent. cons. non contrah. Albericus Gentilis lib. IV. de nupt. c. IV. Hunnius resolut. juris libr. I. tract. 3. q. 18.

III.) *Ex rationibus.*

§. LXXX. *Tertium* fundamentum Bellarminus statuit in *ratione*, eaque triplici: I.) *A sufficienti requisitorum enumeratione. In ejusmodi* (inquit) *conjugio nihil eorum deest, quæ ad essentiam matrimonii pertinent, verum igitur & ratum, adeoque insolubile matrimonium erit.* Antecedens probat. *Adest enim consensus contrahentium, & proinde intentio ministri; adest materia, quæ sunt personæ ad matrimonium idoneæ; adest forma, id est, verba, seu signa mutui consensus.* Si dicamus, *consensum nec esse plenum, nec sufficientem, cum enim filii sint in potestate parentum, non posse eos in re tam gravi sine parentum voluntate aliquid statuere;* habet Bellarminus, quod regerat: *Consensus filiorum* (inquit) *non est plenus, vel quia deest usus liberi arbitrii, vel quia deest consilii maturitas, vel quia ita subjiciuntur filii parentibus, ut jus non habeant de statu vitæ suæ disponendi. Primum dici nequit, quia tunc etiam cum parentum consensu conjugia non essent. Nec secundum, quia ad matrimonium contrahendum non exigitur necessario maturitas consilii, sed solum usus liberi arbitrii. Nec tertium, quia filius, licet patri obedientiam & reverentiam debeat, tamen quando usum liberi arbitrii habet, liber est & sui juris in his, quæ ad statum vitæ pertinent, non minus, quam pater, quare poterit quidem peccare, dum non sequitur patris directionem in statu vitæ eligendo, tamen quod facit, ratum ac firmum erit, quia de re sua, non aliena disposuit.* Resp. tertium hoc argumenti membrum probari nequit. 1.) Cum enim causæ matrimoniales juxta ipsius Spiritus sancti declarationem in scriptura traditam pertineant ad quartum præceptum, ita ut ob honorem & reverentiam parentibus exhiberi mandatam consensum eorum in matrimonio contrahendo liberi requirere teneantur, utique hac in parte non sunt sui juris. 2.) E diametro igitur divinæ jussioni tum *generali* de honorandis parentibus, tum *speciali* de matrimonio liberorum conciliando parentibus datæ adversatur dissertatio illa Bellarmini, quod *filius in his, quæ ad statum vitæ pertinent, sit liber ac sui juris.* 3.) Ne quidem bona parentum potest filius abalienare, multo igitur minus se ipsum. Si in alienatione paternorum bonorum sui juris non est, utique nec in disponendis iis, quæ ad statum vitæ pertinent, sui juris erit. Si in scripto Macedoniano salubriter constitutum, ut si quis filiofamilias mutuam dederit pecuniam, ejus restitutionem in judicio petere nequeat, quanto minus rata erit filii promissio de statu vitæ ac personæ suæ alteri facta? 4.) In parentis potestate relictum est, votum filiæ ipsi Deo factum reddere irritum, quomodo ergo filia in his, quæ ad statum vitæ pertinent, censeri potest libera ac sui juris?

1.) *A sufficiente requisitorum enumeratione.*

2.) *A minori ad majus illatione.*

§. LXXXI. II.) A minori ad majus illatione. *Conjugium servorum invitis dominis firmum est ac ratum, quia jus gentium non potuit inferre, quod jus naturæ concessit. Ergo multo magis conjugium filiorum invitis parentibus erit ratum; major enim est subjectio servorum ad dominum, quam filiorum ad parentes.* Idem argumentum urget Thomas part. III. q. 35. artic. 2. & canonistæ in cap. I. de conjug. serv. *Resp.* aut loquitur Bellarminus *de servis simpliciter sic dictis*, aut de *mancipiis*, de servis christiani moris, aut Romani juris. Si prius, respondemus ad *majorem* omissam negando ejus connexionem; quia argumenta, quæ pro necessitate consensus paterni in nuptiis liberorum adduximus, ea non pugnant pro necessitate consensus herilis in nuptiis ejusmo-

ejusmodi servorum: inter dominum & servum est obligatio tantum *civilis*, sed inter patrem & filium est obligatio *naturalis*. Deinde per conjugium servorum patri, vel avo invito non agnascitur hæres, illud vero fit in conjugio liberorum sine parentum consensu contracto. Si posterius, resp. ad *minorem*: In legibus Mosaicis Exod. XXI. 4. Levit. XXV. 44. domino datur potestas servo uxorem dandi. Idem congruit legibus civilibus. Licuit dominis pro arbitrio nuptias disturbare ac divellere cum servis sine ipsorum consensu initas. Justinianus lege lata sanxit, ut servi, qui eo tempore, quo Gothi Romanum imperium invaserant, uxores ingenuas duxissent, ad dominos redire deberent dissoluto matrimonio. Lombardus lib. IV. sent. dist. 36. lit. B. adducit canonem concilii Cabilonensis: *Dictum est nobis, quod quidam legitima servorum matrimonia potestativa quadam præsumtione dirimant non attendentes illud:* Quod Deus conjunxit, homo non separet; *unde nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant, sed in uno conjugio permanentes dominis serviant suis. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit & per voluntatem dominorum;* hæc ultima verba, Lombardus monet, probe esse adtendenda, cum videatur illis innui præter voluntatem dominorum inter servum & ancillam non posse contrahi conjugium, vel si contrahitur, non esse ratum.

§. LXXXII. III.) Ex nostrorum testificatione. *Lutherus & Melanchthon* (inquit) *contendunt matrimonium filiorum invitis parentibus contractum, si per copulam carnalem consummatum sit, non posse amplius a parentibus irritari. At copula illa carnalis non facit filium prudentiorem, neque eximit a patria potestate; ergo etiam ante copulam matrimonium contractum a parentibus irritari non poterat, vel si tunc poterat, etiam post copulam poterit, quod ipsi negant. Si dicas, quando matrimonium est consummatum, non amplius agi de conjugio futuro, sed de præsenti, & injuriam fieri conjugi, si post violationem desereretur;* regerit Bellarminus, *etiam matrimonium contractum per verba de præsenti non esse futurum, sed præsens conjugium, ergo non poterit irritari, sive sit consummatum, sive non sit consummatum. Præterea matrimonium consummatum invitis parentibus vel jure consummatum est, vel non. Si jure consummatum; ergo & jure contractum ante consummationem, non enim jure consummari potest matrimonium non jure contractum. Ergo etiam ante consummationem matrimonium invitis parentibus contractum ratum erat ac firmum. Si autem non jure consummatum fuit, jure post consummationem irritari potuit, neque ulla fiet conjugi injuria, quia non facit alteri injuriam, qui jure suo utitur.* Resp. 1.) Alia quæstio est, an matrimonia liberorum invitis parentibus contracta adcedente copula carnali fiant rata? alia quæstio est, an in specialibus quibusdam casibus consulendum sit parentibus, ut ex ἐπιεικείᾳ eadem rata habeant, & consensum illis præbeant? 2.) Alia quæstio est de jure patriæ potestatis, an talia matrimonia etiam per copulam consummata dissolvi possint? alia itemrum quæstio est de potestatis illius usu & exercitio, an utile & conveniens sit, jus patriæ potestatis severe & stricte in hoc casu exercere? 3.) Alia quæstio est de generali regula, quid statuendum de matrimoniis liberorum sine parentum consensu contractis? alia iterum quæstio est de specialibus quibusdam casibus, quid re non amplius salva atque integra ob certas quasdam circumstantias parentibus sit suadendum? His ita præmissis statuimus, matrimonia liberorum invitis parentibus contracta, si vel maxime secuta fuerit copula carnalis, in se ac per se esse illegitima atque irrita, ac parentes, si jus suum urgere velint, posse earum dissolutionem a magistratu petere. *a.)* Quod

3.) *Ex nostrorum testificatione.*

in se ac per se est illegitimum & divinæ conjugii institutioni repugnans, id per copulam carnalem, utpote non minus illegitimam & divinæ legi adversantem, non fit ratum, bonum ac firmum. Quod contra leges factum, ipso jure nullum est, & pro infecto habetur. Matrimonia liberorum sine parentum consensu contracta in se ac per se sunt illegitima & divinæ conjugii institutioni repugnantia, ut hactenus demonstratum. Ergo per copulam carnalem, utpote non minus illegitimam & divinæ legi adversantem, non fiunt rata, bona ac firma. *b.*) Omne legitimum ac ratum matrimonium Deum auctorem habet, ut de eo recte dici possit: *Quos Deus conjunxit, homo non separet.* Matth. XIX. 6. Atqui liberorum matrimonium sine consensu parentum contractum, si vel maxime copula carnalis accesserit, non habet Deum auctorem, neque enim per media divinitus instituta, sed per insanam libidinem conciliatur. Ergo non est legitimum, nec ratum. *c.*) In lege Mosaica parentis arbitrio ac potestati liberum relinquitur, an filiam constupratam stupratori elocare velit? Exod. XXII. 16. Deut. XXII. 29. nec distinguitur, an inter stupratorem & constupratam promissio matrimonialis, quam cupiditatibus suis ut plurimum prætexere solent, intercesserit? Quin imo cum parenti constupratæ relinquatur liberum, an velit stupratori filiam dare? præsupponitur, quod eam sibi dari petat, sed post illatum vitium haud facile eam peteret, nisi fidem matrimonialem antea ipsi dedisset. Sichem etiam post vitiatam Dinam consensum patris imploravit. Gen. XXXIV. 11. *d.*) Jure civili talia matrimonia, etiamsi copula carnalis accesserit, pro nullis & irritis censentur. Justinianus instit. de nupt. §. 13. *Si adversus ea, quæ diximus* (inter quæ & illud est, quod filiifamilias parentum consensum, in quorum potestate sunt, habere debeant §. 1.) *aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur.* Paulus l. Nuptiæ. 2. ff. de rit. nupt. *Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est, qui coëunt, quorumque in potestate sunt.* l. 11. ff. de statu hom. *Is qui vivente patre & ignorante de conjunctione filiæ conceptus est, licet post mortem avi natus sit, justus filius ei, ex quo conceptus est, non videtur.*. Atqui si matrimonium liberorum sine parentum consensu contractum per copulam carnalem fieret ratum, tales liberi essent justi, ac tales nuptiæ omnino consisterent. *e.*) Idem ex rationibus juris civilis evidenter probari potest. *Nuptias non facit concubitus, sed consensus*, l. 30. ff. de R. J. puta legitimus. Jam vero in nuptiis illis deest legitimus consensus, ergo per concubitum non consiunt. Quod æque est *illicitum & contra præscriptum legum, non potest confirmare id, quod jam ante illicitum erat*, l. 5. C. de legibus; jam vero concubitus liberorum, qui citra consensum parentum contraxerunt, æque est illicitus & contra præscriptum legis divinæ, quam ipsum matrimonium sine consensu parentum contractum. Ergo per illum non potest hoc confirmari, vel consummari. *Absurdum est*, inquit Donellus libr. XIII. comment. cap. XX. *eum, qui peccavit, ad eam rem, in qua peccavit, novo delicto adjuvari.* Ubi deest aliquod essentiale matrimonii requisitum, ibi matrimonium censetur irritum. Atqui in nuptiis liberorum sine consensu parentum contractis deest aliquod essentiale requisitum, ut constat ex illis, quæ superius ex jure civili de necessitate paterni consensus sunt adlata, nec defectus ille per copulam carnalem suppleri potest, ut constat. Ergo tale matrimonium est irritum. *f.*) Utimur etiam deductione ad absurdum: Si statueretur matrimonia liberorum sine consensu parentum contracta per copulam carnalem fieri rata, ut non possint iterum dissolvi; cuivis nebuloni daretur licentia honestam virginem seducendi, eamque e patria potestate per illicitum illud medium eximendi, præberetur insuper occasio stupris

pris & libidinibus, quia liberi matrimonio jungi expetentes, atque interim paterno consensu se destitui animadvertentes prompte eligerent hoc medium, quin & patria auctoritas plane vilesceret, ac præceptum de parentum consensu in nuptiis liberorum necessario prorsus enervaretur. g.) Lutherus & alii ex nostris nequaquam hoc volunt, quod matrimonia liberorum sine parentum consensu contracta fiant rata ac legitima per concubitum; sed in certis quibusdam casibus parentibus consilium suppeditant, quid ad evitanda majora incommoda post secutum congressum illegitimum fieri expediat; diserte enim Lutherus serm. de matr. tom. II. Jen. Germ. pag. 1. 4. parentibus hoc relinquit, *an in tale matrimonium consentire velint, necne?* Jam vero aliud est quærere de jure, aliud de ἐπιεικείᾳ & dispensatione. Atqui in hanc sententiam accipienda sunt, quæ de matrimoniis liberorum clandestinis, si per copulam consummata sint, non temere dissolvendis apud quosdam theologos & jurisconsultos, Wesenbeccium in ff. de rit. nupt. n. 8. Beustium de sponsal. cap. XLVI. Schneidewinum part. II. n. 35. (ubi in consistoriis ita pronunciari adserit) Cujacium ad l. 2. ff. de rit. nupt. Reusnerum lib. I. consult. 6. n. 32. atque alios occurrunt.

§. LXXXIII. Quæ in contrarium proferuntur, facilem habent explicationem. I.) *Si dissolvatur tale matrimonium, injuria fit fœminæ, quæ virginitate amissa etiam viro carere cogitur.* Resp. 1.) Imo vero injuria fit parentibus, si jure suo citra meritum priventur. 2.) Quod damnum fœmina constuprata sentit, id *sua culpa* sentit, ideoque sibi ipsi illud imputare debet, l. 203. de R. J. 3.) Quod legum auctoritate fit, per illud nulli irrogatur injuria; jam vero talia matrimonia legum auctoritate dissolvi possunt. 4.) Non de injuria, sed de miseria sua relictus constupratæ conquerendi locus; an vero illa quandoque sit adtendenda, prudentis judicis est dispicere. Is namque pensitatis omnibus circumstantiis, an scilicet fœmina fuerit famæ alias honestæ? an a stupratore blanditiis & spe matrimonii illecta? &c. decernere poterit, quid consilii parentibus dandum? interim jus ipsum parenti invito non potest auferre. 5.) Non hic comparandæ sunt invicem injuriæ, sed parti innocenti adversus nocentem jus dicendum. II.) *Publica utilitas præferenda est privatæ. Jam vero suadet utilitas publica matrimonia talia non dissolvi, expedit enim reipublicæ conjugia esse frequentia.* Resp. 1.) Publica utilitas cum transgressione legis divinæ ac parentum contemtu non debet, nec potest esse conjuncta. 2.) Suadet potius publica auctoritas, honorem parentum & auctoritatem legis divinæ vigere. *Expedit reipublicæ piis liberis,* inquit Tull. lib. III. off. & ex *honesta conjunctione natis civitatem repleri;* at ex talibus nuptiis sunt injusti liberi. l. 11. ff. de stat. hom. Ergo legislator illos a sua politia alienos habere debet. Albericus Gentilis libr. IV. de nupt. c. VIII. 3.) Quamvis ergo dura & acerba videatur ejusmodi separatio, tamen si legis rigori semel atque iterum locus concedatur, neque impunita dimittatur hæc filiorum audacia, raro inposterum continget, ut tali severitate sit utendum. Duarenus de nupt. c. II. in fin. 4.) Privatæ contrahentium utilitati quandoque interesse videtur, talia conjugia confirmari; sed publica utilitas potius suadet, scandala & delicta publica puniri, ut & ipsi delinquentes coërceantur, & alii exemplo terreantur. III.) *Multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt contractum,* inde Paulus libr. II. recept. sent. statuit, *non quidem matrimonium absque consensu parentum contrahendum esse, si tamen contractum fuerit, non esse dissolvendum.* Resp. quæcunque lege divina expressa ad matrimonii legitimi integritatem atque essentiam requiruntur, ea non solum impediunt matrimonium contrahendum, sed etiam contractum dissolvunt; jam vero consensus parentum expressa Dei lege ad matri-

trimonii legitimi integritatem requiritur. Si ergo strictum jus respicere velimus, parentes tale matrimonium rescindi petere possunt; interim tamen quamdam dispensationem & ἐπιεικείαν ratione circumstantiarum habita in certis casibus locum obtinere, jamdum concessimus. Verba Pauli quidam sic explicant, quod *matrimonium secundum leges & parentum voluntate initum non idcirco postea dissolvendum sit, quia pater illud velit;* alii respondent, *hujusmodi veterum fragmenta, quæ a Justiniano in corpus juris non sunt redacta, facere quidem ad antiquitatis cognitionem, non autem ad juris constitutionem.* IV.) *Certo jure utimur, inquit Ulpianus. l. 1. §. fin. ff. de lib. exhib. ne bene concordantia matrimonia jure patriæ potestatis turbentur. Quod tamen sic erit adhibendum, ut patri persuadeatur, ne acerbe patriam potestatem exerceat. Ergo matrimonium sine parentum consensu initum & copula consummatum vi patriæ potestatis rescindi nequit.* Resp. quidam existimant, Ulpianum agere de matrimonio justo ac legitimo parentum consensu inito, cum loquatur de matrimonio bene concordante; jam vero matrimonium liberorum sine parentum consensu initum plane nullum est, tantum abest, ut sit bene concordans. Addunt alii, licuisse forsan olim patri tale matrimonium dissolvere, arg. l. 5. C. de repud. & ibi Gothofredus. Sed simplicius respondetur, Ulpianum non hoc velle, quod pater tale matrimonium jure patriæ potestatis rescindere nequeat, sed quod *persuadendum* ipsi sit, ne acerbe patriam illam potestatem exerceat, si persuadendus, ergo non cogendus invitus. V.) *Perinde est, sive antecedat parentum consensus, sive subsequatur, dummodo adsit.* Resp. cum b. Luthero, Chemnitio in disp. de cland. desponſ. part. III. loc. in fin. & Menzero in tract. de conjug. p. 148. divinum & naturalem ordinem requirere, ut parentum consensus præcedat, hunc ordinem quicunque convellunt, eorum conjunctio non est divina, nec legitima. Id ipsum congruit manifestis verbis Justiniani imperatoris instit. de nupt. *in tantum requiri parentum consensum in nuptiis liberorum, ut parentum consensus præcedere debeat.* Quando igitur per dispensationem quamdam parens clandestinis liberorum nuptiis, ad quas copula accessit, consensum præbet, tunc clandestinum illud matrimonium non confirmatur per quamdam ratihabitionem, sed illud, quod inter contrahentes hactenus actum, tanquam divinæ legi contrarium penitus rescinditur, ac res de integro juxta ordinem divinitus præscriptum inchoatur, ut conjuges firmiter statuere possint, conjunctionem suam esse divinam ac legitimam, qua de re inferius plura.

Argumenta aliorum contra consensus paterni necessitatem. I.) A requisito libertatis.

§. LXXXIV. Atque hæc sunt, quæ Bellarminus contra necessitatem paterni consensus adfert. Præter ea ab aliis tria potissimum urgentur fundamenta, quorum primum ductum a *requisito libertatis*; alterum a *conditione patriæ potestatis*; tertium a *consecutione absurditatis.* I.) *In matrimonio contrahendo vel maxime requiritur libertas, quæ, docente Quintiliano, nuspiam tam necessaria, quam in matrimonio, quis enim amare alieno animo potest? Atqui per consensus paterni necessitatem libertas illa tollitur.* Resp. 1.) Libertas & obedientia erga leges nequaquam invicem pugnant, quia ea demum vera est libertas, quæ divinis & honestis legibus paret. *Legum servi sumus*, inquit Cicero lib. I. offic. *ut liberi esse possimus.* Jam vero consensus parentum in nuptiis liberorum jure divino naturali & civili requiritur. 2.) Distinguendum inter libertatem *absolutam*, sive indeterminatam, & *limitatam* sive restrictam. Nam & illud dicitur liberum, quod sub certa lege & conditione est liberum, ut patet ex definitione libertatis instit. de jure person. §. 2. *Libertas est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi*

nisi si quid vi, aut jure prohibetur. 3.) Libertas matrimonii non est absoluta & simplex, alias enim liceret etiam contra gradus divinitus prohibitos matrimonia contrahere, quod absit. Filiæ Zelaphead matrimonii libertatem habebant, interim jubebantur nubere in sua tribu, Num. XXXVI. 6. frater lege Mosaica tenebatur relictam fratris ducere. Deut. XXV. 5. Nec impeditur libertas matrimonii, etiamsi impedita sit cum una vel altera persona, *l. cum ita legatum sit.* 63. de condition. & demonstr. 4.) Si pontificii tantam volunt esse in matrimoniis libertatem, cur tot gradus cognationis prohibent, qui lege divina non sunt prohibiti? Olim enim usque ad septimum cognationis gradum nuptiæ erant jure canonico prohibitæ; cur per spiritualem cognationem matrimonium impediri tradunt? 5.) Qualis libertas in consensu contrahentium requiratur, paulo post explicabitur.

§. LXXXV.

II.) *A conditione patriae potestatis.*

II.) *Leges civiles requirunt parentum consensum propter jus patriæ potestatis. At jus illud est tantum civium Romanorum*, instit. de patr. potest. §. 2. *ac tollitur civili modo, videlicet per deportationem, emancipationem, adoptionem & alios modos jure civili inventos & introductos*; instit. quib. mod. jus patr. potest. solv. *Ergo parentum consensus non jure naturali, sed duntaxat civili erit necessarius.* Resp. 1.) Consensum parentum in nuptiis liberorum requiri, statuimus non primario, nec unice propter jus patriæ potestatis civium Romanorum proprium, sed propter rationem ac formam legitimi conjugii ineundi divinitus præscriptam; cum enim conjugium sit & esse debeat non tantum politica seu humana, sed *divina conjunctio*, Genes. II. 22. Matth. XIX. 6. ideo non sufficit quævis copulatio, sed ea, quæ congruit divinæ institutioni ac legibus conjugii divinitus promulgatis. 2.) Quamvis jurisconsulti disputent patriam potestatem esse *juris civilis ac civium Romanorum* pro-

priam; tamen ex ipsa natura eam originem ducere concedunt, Albericus Gentilis libr. IV. de nupt. cap. I. *Omnino a natura est potestas patria, licet aliquam formam habeat a jure Romano inter Romanos propriam,* quo refert particulam emphaticam *talem*, inst. de patr. potest. §. jus autem. *Nulli alii homines sunt, qui talem in liberos potestatem habent, qualem nos habemus*, ubi interpretes *talem* explicant *tam præstanter qualificatam, seu excellenter limitatam.* Quidam ergo distinguunt inter *patriam potestatem*, & *jus patriæ potestatis*: illam dicunt esse juris naturalis, hoc vero juris civilis. Vacuna declarat. 8. Sed quia potestas patria & jus patriæ potestatis in legibus pro eodem sumuntur; ideo alii distinguunt inter potestatem patriam *in genere*, quæ complectitur reverentiam, honorem ac obedientiam parentibus a liberis debitam, & inter potestatem patriam *in specie*, eam scilicet, quam cives Romani in liberos habent, & sic conciliant leges, quæ patriam potestatem faciunt juris civilis cum illis, quæ eam faciunt juris naturalis, sive gentium, ut scilicet intelligatur non merum jus naturale, sed jus naturale institutis civilibus determinatum & velut informatum, qua de re plenius tractant jurisconsulti. III.)

III) *A consecutione absurditatis.*

Auctores antididagmatis Colonienses utuntur hoc argumento: *Si juvenibus permissum non fuerit pro libera voluntate matrimonium inire, dabitur parentibus occasio, ut prolem a commodo, aut utili matrimonio prohibeant, aut innuptam relinquant, aut ad ineptum matrimonium cogant.* Resp. At huic parentum tyrannidi alia ratione occurri poterit, ut in formatione status §. LVIII. membr. 4. ostensum fuit.

Quæstiones de parentum consensu.

§. LXXXVI. Quæritur circa parentum consensum. I.) *An matris consensus in nuptiis liberorum æque necessarius sit ac consensus patris?*

I.) *An matris etiam consensus sit necessarius?*

Jure civili matris consensus non vide-

videtur eadem necessitate requiri 1.) quia imperator requirit consensum illorum parentum, in *quorum potestate sunt liberi*, princ. instit. de nupt. at fœminæ non habent liberos in potestate §. *fœminæ. instit. de adopt.* §. 3. *instit. de hæred. qual. & differ.* 2.) Matris consensus tum demum requiritur, *quando pater abest*, quando scilicet post obitum patris *filia recedit in imperium matris. l. in conjunctione. C. de nupt. l. filiusfamilias. ff. de nupt.* Ergo non simpliciter nec absolute requiritur. 3.) Addunt quidam rationes, propter quas matris auctoritas non sit necessaria, quia muliebre consilium est inconstans & fragile, quia matres adfectuum sequuntur impetum, non rationis ductum; unde concludunt, matris consensum requiri tantum de *honestate*, non de *necessitate*. Hotomannus in disp. de sponsal. cap. II. Gothofredus in not. ad l. 25. ff. de rit. nupt. Hunnius in resolut. juris lib. I. tract. 3. q. 14. Rectissime tamen liberi conscientiis suis consulunt, si matrimonium contracturi non solum patris, sed etiam matris consilium & adsensum requirant. 1.) Quia lex divina *de honorandis parentibus* patri *matrem* disertis verbis conjungit. Exod. XX. 12. Deut. V. 16. Matth. XV. 4. Eph. VI. 2. *Honora patrem & matrem.* Prov. I. 8. *Audi, fili, disciplinam patris, & directionem matris ne repellas.* Si in genere dictum fuisset, parentes esse honorandos, potuissent liberi, qui matribus sunt immorigeri obvertere, συνεκδοχικῶς intelligendum hoc esse de patre, utpote digniore; sed cum expressa *matris* mentio sit adjecta, locus omnis huic exceptioni penitus est praeclusus. Confer similia scripturæ loca: Exod. XXI. 15. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.* v. 16. Levit. XX. 9. *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* Deut. XXI. 18. *Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audierit patris ac matris imperium, &c.* Deut. XXVII. 16. *Maledictus, qui non honorat patrem suum & matrem.* Prov. XIX. 26. *Qui adfligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus erit.* c. XX. 20. *Qui maledixerit patri suo & matri, extinguetur lumen ejus in mediis tenebris.* c. XXIII. 22. *Audi patrem tuum, qui genuit te, & ne contemnas, cum senuerit mater tua.* c. XXVIII. 24. *Qui subtrahit aliquid a patre, vel a matre, particeps vastatoris.* c. XXX. 11. *Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit.* v. 17. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui contemnit obedire matri suæ, effodient corvi.* In hisce dictis semper conjunguntur pater & mater, ac utrique honorem, reverentiam & obedientiam liberi deferre jubentur. Quod si ergo ex quarto præcepto necessitas consensus paterni in nuptiis liberorum recte deducitur, utique etiam maternus consensus in iisdem erit necessarius. Cyrillus lib. XI. in Levit. circa finem: *Sacratum est nomen patris & venerabile, &c. similia etiam de matre æstimanda sunt, cujus labore, cujus cura, cujus ministerio & natus es & nutritus, & oportet te secundum apostolum partem gratiæ referre parentibus.* 2.) Rationes adduci possunt complures, propter quas liberi non debeant consensum matris in contrahendo matrimonio negligere: 4.) A *molestiis*, quas in gestatione, partu & educatione liberorum sustinuerunt, quæ videntur superare eas, quas patres ipsorum nomine tolerant. Gen. III. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries liberos.* Hanc rationem urget & exaggerat Tobias senior, quando ad filium dicit: Tob. IV. 3. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus,* v. 4. *memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo.* Inculcat eamdem Siracides VII. 29. *Gemitus matris tuæ non obliviscaris*; quos scilicet in laborioso partu & molestissima educatione emisit; ut & mater septem fratrum martyrum 2 Maccab. VII. 27. *Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi, & alui,*

alui, & in ætatem istam perduxi. Egone, quos peperi liberos, non elocem? inquit Clytemnestra apud Euripidem in Iphigen. *b.*) A *communi jure*, quod uterque parens in liberos obtinet. Neque enim solus pater ad generationem & educationem liberorum concurrit, sed matris etiam adjutorium & opera divina ordinatione ad prolem generandam & educandam requiritur, ac propterea communes sunt liberi utrique parenti. Jam vero nemini invito debet suum citra culpam suam auferri, ergo etiam neutri parenti invito liberi debent subtrahi; inde apud Livium Scipionis Africani uxor indignatur, *nihil de communis filiæ elocatione* secum consultatum. *c.*) Ab *adfectu*, quo matres liberos complectuntur. Quod si enim ideo parentum consensus a liberis in matrimonio requirendus, quia præsumuntur *optimum consilium capere, & rectissime liberis prospicere; l. penult. ff. de bon. libert.* utique non est negligendus matris consensus, quippe quæ tenerrimo & arctissimo amore liberos tanquam sui partes complectitur. *d.*) A *paritatis ratione.* Requiritur parentum consensus, *ne ipsis invitis hæres agnascatur;* §. 3. l. 12. *ff. de capt. & postlim.* atqui non minus matri, quam patri hoc obtingit, ut ipsi invitæ hæres agnascatur, si consensus ejus negligatur. Non potest filiusfamilias alienare bona patris, vel matris, utriusque enim esse parem hac in parte rationem docet Salomon. Prov. XXVIII. 24. ergo nec se ipsum sine patris & matris consensu alienare potest. Breviter; quæ rationes pro consensu parentum in genere adferuntur, eæ in specie pro consensu materno urgeri possunt. 3.) Præsto sunt *exempla* a Spiritu sancto commendata illorum liberorum, qui matris consensum requisiverunt. Gen. XXI. 21. *Hagar filio suo Ismaeli uxorem ducit*, in quem locum sic commentatur b. Lutherus: *Notandum est, quod Moses diserte ostendit, Ismaelem duxisse uxorem, non secutum suam voluntatem, sed auctoritatem matris ad exemplum omnium juvenum & puellarum, ut parentum auctoritatem, præsertim in contrahendo matrimonio, sequantur, nec contra parentum voluntatem indulgeant suis adfectibus, & cupiditatibus. Dederat angelus mandatum ipsi Hagar, ut curaret filium, instituret & gubernaret. Igitur divina voce jubetur obedire matri, quæ uxorem ei accipit ex terra Ægypti, ac filius, ut decet, matris judicio & voluntati obsequitur. Hæc virtus a Spiritu sancto hoc loco commendatur, & benedicit ei Deus secundum promissionem quarti præcepti.* Gen. XXVII. 46. *Rebecca* cum Isaaco de nuptiis Jacobi filii consultat: *Si acceperit Jacob uxorem de filiis Heth, nolo vivere;* unde postmodum Isaacus filium ablegat in Mesopotamiam ad ducendam uxorem. Jud. XIV. 2. *Simson* patri suo & matri suæ propositum de uxore e Philistæis ducenda aperit. Ex profanis historiis exempla multorum præstantissimorum virorum adduci possunt, qui itidem in matrimonio contrahendo maternum consensum prius explorandum esse duxerunt, ut Scipionis Africani ex Plutarcho, Achillis ex Darete Phrygio, Alexandri Aurelii ex Julio Capitolino. Plura adducunt Beustius de jure connub. part. II. cap. 47. fol. 216. Cypræus de sponsal. cap. VI. pag. 185. & seqq. 4.) Ex ipsis *jurisconsultis* quidam statuunt etiam jure civili matris consensum requiri. Basilius Monnerus, in hac nostra academia juris quondam professor, in lib. de clandest. conjug. hac de re sic disserit: *Quamvis jus civile non videatur necessario requirere voluntatem matris, tamen idem jus, præcipue posteriores imperiales constitutiones non omnino videntur eam excludere. Nam lex ait in* l. in conjunctione. C. de nupt. *Si puella sui juris sit intra 25. annum constituta, & patris auxilio fuerit destituta, matris inquit & propinquorum & ipsius adultæ quoque requiratur judicium, quibus verbis non obscure significatur, matris quoque voluntatem adhiberi debere. Et novellæ constitutiones Justiniani imperatoris indistincte nulla*

nulla facta mentione poteſtatis loquuntur de parentibus, authent. ut cum de adpellat. cognoſc. *Parentis autem adpellatione continetur etiam mater, avia & omnes adſcendentes.* l. 4. §. Prætor. ff. de in jus vocando. & l. adpellatione ff. de verb. ſignif. *Aliud quoque capitulum* in authent. ut cum de adp. cogn. & in l. 1. §. ſin autem ver. Oportet C. de rapt. *diſerte præcipitur & ſimpliciter, a parentibus, vel ab his, quos decet, puellam eſſe petendam, nec ullam facit mentionem poteſtatis, &c. Et quamvis* (inquit) *iſta facile refelli poſſe videantur, ſi quis ſubtiliter diſputare velit magis, quam æquitatis rationem habere; tamen cum maxime deceat nos, qui vere volumus eſſe ac dici juriſconſulti, & ſacerdotes ejus adpellari, colere juſtitiam, & illicitum a licito diſcernere, & in conjunctionibus ſemper magis ſpectandum ſit, quod honeſtum, quam quod licitum eſt.* l. ſemper. de R. J. *Negari non poteſt, quin matri quoque ſuus ſit honor habendus, ut illius quoque voluntate contrahatur conjugium, ſicut & lex divina graviſſime præcipit, eumdem honorem habendum æque matri ac patri.* Beuſtius d. l. adducit pulcerrimam ſententiam Ulpiani l. Furioſæ ff. de curatoribus furioſ. &c. *Pietas parentibus, etſi inæqualis eſt eorum poteſtas, æqua debebitur*; & reſponſum Pauli l. parentes 6. ff. de in jus vocando: *Una eſt omnibus parentibus ſervanda reverentia.* Cypræus d. l. præter leges a Baſilio Monnero adductas urget, l. 5. C. de ſponſal. ubi conjunguntur pater & mater, quaſi idem jus habeant, in verbis *patrem, vel matrem legitimæ ætatis conſtitutos.* 5.) Conſenſum matris in *conſiſtoriis Saxonicis* requiri teſtantur Schneidewinus ad tit. de nupt. num. 18. Cothmannus conſil. X. n. 97. Mollerus libr. I. cap. 47. quod congruit cum verbis conſtitutionis eccleſiaſticæ Saxon. tit. *von Ehe ſachen:* f. 1 c. *Es ſollen ſich keine Kinder, Söhne oder Töchter ohne Vorwiſſen und Einwilligung ihrer Eltern, als des Vatern, der Mutter, &c. verloben.*

Utrum vero matrimonium citra matris conſenſum contractum ſit pronunciandum ratum vel irritum, id ex diligenti circumſtantiarum collatione eccleſiaſticis & politicis perſonis in conſiſtoriis præſidentibus dijudicandum relinquimus. Conſtitutio Saxonica diſertis verbis d. l. addit, *ſponſalia absque matris conſenſu contracta debere pronunciari irrita.*

§. LXXXVII. Quæritur II.) *Si pater a matre in nuptiis liberorum diſſentiat, cujus ſententia ſtandum ſit?* Reſpondent omnes communi ſuffragio, *patris* conſenſum præferendum, quæ deciſio nititur optimis rationibus: 1.) *Vir eſt caput mulieris*, 1 Cor. XI. 3. ac divina ordinatione ejusdem *dominus* conſtitutus. Gen. III. 16. 1 Cor. XIV. 34. 1 Tim. II. 12. 1 Petr. III. 6. II.) *An patris, an matris voluntas præferenda?*

Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito; inquit Martialis libr. VIII. epigr. 2.) *Patria poteſtas* magis reſidet, imo jure civili unice reſidet penes patrem, ex quo etiam nomen eſt ſortita, unde Johannes Joviniānus Pontanus lib. II. de obed. cap. 2. diſputat, *liberos plus debere patri, quam matri.* 3.) Patres *conſilio & prudentia* magis valent, unde rectius liberis proſpicere poſſunt. 4.) Unde etiam in quibusdam ſcripturæ dictis ſpecialiter *patris* fit mentio. Exod. XXII. 17. *Si pater virginis dare noluerit, dabit pecuniam.* Num. XXX. 6. *Si cognoverit pater votum filiæ, & contradixerit, irritum erit.* Tob. VI. 14. angelus Tobiæ conſulit, ut *a patre Raguele filiam in uxorem petat*; hæc & ſimilia non ſunt accipienda *excluſive*, quaſi matris conſenſum non oporteat accedere, ſed ἐξοχικῶς, quod patris conſenſus cumprimis ſit requirendus, quodque in paterni & materni conſenſus diſſenſione ille huic prævalere debeat. 5.) *In jure canonico* ſtatuitur, ſi pater filiam religioni obtulerit, matrem id revocare minime poſſe. Videatur Cypræus de

de sponsf. cap. VI. §. 8. Beustius part. II. c. 47. Bidembachius de causf. matrim. p. 22. Atque hæc in thesi recte disputantur, sed si ad hypothesin & speciales casus descendatur, prudentis Abigailis consilium stolidi Nabalis voluntati quandoque præferendum esse, nemo dubitabit. Quæritur

III.) *An requiratur consensus parentum expressus?*

§. LXXXVIII. III.) *An requiratur consensus parentum expressus, an sufficiat tacitus?* Tacitum consensum sufficere probatur 1.) Ex *jure divino*. Num. XXX. 4. votum filiæ Deo factum ratum habetur, *si pater illud cognoverit, ac tacuerit*. Ergo a pari etiam rata erit promissio matrimonii a filia alteri facta, si pater eam cognoverit, & tacuerit, id est, si tacito consensu eamdem adprobaverit. 2.) Ex *jure civili*. Intelligi filiæ patrem consentire, *nisi evidenter dissentiat*, Julianus respondit *l. in sponsalib. 7. ff. de sponsalibus*, & vicissim, quæ *patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. l. sed quæ 12.* eod. unde vulgata regula: *Qui tacet, consentire videtur. l. Qui tacet. de R. J. c. Qui tacet de R. J. in 6.* Conjunge *l. si ut proponis. 1. C. de nupt.* 3.) Ex *ratione*. Modus rei non tollit nec variat rem ipsam, & consensus tacitus itidem est consensus, cum a specie ad genus recte procedatur adfirmative. Atque hæc in quibusdam casibus specialibus locum habere possunt; interim tutius agunt liberi, ac conscientiis suis rectius consulunt, si expressum parentum consensum de matrimonio ineundo requirant. Cum enim conjugium sit sancta Dei ordinatio, utique in vero & serio Dei timore præmissa gravi deliberatione a liberis inchoandum erit, consilium & consensum eorum, qui Dei loco ipsis constituti sunt, non furtim & clandestine aucupando, sed disertis & expressis verbis rogando & impetrando. Liberi illi, qui parentum honori detractum cupiunt, sæpius pro tacito parentum consensu illud interpretantur, quod nihil minus est, quam consensus.

IV.) *An parentes dissensus sui causas proferre teneantur?*

§. LXXXIX. Quæritur IV.) *An parentes dissensus sui causas proferre teneantur?* Quidam statuunt, parentes, qui nuptias impedire volunt, legitimas & sufficientes causas adferre & probare debere, quia *patria potestas in pietate, non in atrocitate consistere debet*; l. Divus ad L. Pompon. de paricid. Et sane si adpareat, parentes jure patriæ potestatis abuti, & ob privatum œconomiæ commodum nuptiis liberorum obstare, cogi possunt a causarum matrimonialium judicibus, ut dissensus sui rationes exponant. Unde Lutherus in lib. de causis matrimonialibus, & Philippus Melanchthon in loco de conjug. *ad officium judicis pertinere* scribunt, *ut consideret, an & quomodo parentes habeant probabilem causam refragandi, vel secus*? Interim tamen si clandestina desponsatio, præsertim liberos minorennes, præcesserit; sufficit hæc ipsa ratio, quod liberi mandatum de honorandis parentibus neglectui habuerint, seque ipsos e patria potestate temere subducere voluerint, neque cogendi sunt parentes, ut præter hanc alias etiam rationes adducant. Cypræus de sponsf. cap. VI. §. 4. monet, *nulla apud veteres scriptores exstare vestigia, quibus demonstrari possit, patrem ad adlegandam causam, cur dissentiat, obligatum esse; illud vero constare, quod jus eloceandi liberos, & inprimis impuberes, qui propter ætatem sibi ipsis consulere non possunt, totum sit in arbitrio parentum.* Ordinatio Cellensis anno 1545. expresse statuit, parentes posse liberorum matrimonia absque consensu suo contracta rescindere, *etiamsi nullam dissensus causam habeant.* Chytræus in explic. Levit. XVIII. p. 218. In consistoriis harum regionum omnes clandestinæ desponsationes inter adolescentes & puellas, sine perspicuo & expresso parentum consensu factæ, inanes & irritæ pronuncsiantur, idque sine discrimine servatur, *etiamsi nullam non adsentiendi graviorem*

causam parentes habeant, si adolescens annum ætatis 20. puella 18. non excessit. Bidenbachius de caus. matrim. cap. I. quæst. 1. *Si parentes unam illam causam juste possint prætendere, quod clam & insciis illis liberi minorennes aliis fidem dederint, & quod altera pars clandestinas nuptias quæsierit, si contra ordinationem publicam fecerit, cum parati sint ipsi de honestis nuptiis prospicere liberis suo tempore, non possunt urgeri fortius, & hoc casu resciditur matrimonium in nostro consistorio, si maxime parentes non habeant alias dissensus sui causas.*

V.) *Quid agendum, si parentes consensum dare recusent?*

§. XC. Quæritur V.) *Quid faciendum liberis, quorum parentes rogati & requisiti consensum suum in nuptias honestas impertiri nolunt?* Parentibus ratione divini mandati & officii incumbit, ut liberis, qui ad justam ætatem pervenerunt, de honesto matrimonio prospiciant; Exod. XXXIV. 16. Deut. VII. 3. Jer. XXIX. 6. Eccl. VII. 27. &c. sed quidam in eam prolabuntur ἀφορ-γίαν, ut non solum nullam ejus rei curam suscipiant, sed etiam rogati ac compellati a liberis consensum suum vel ex morositate, vel avaritia derogent. In tali casu b. Lutherus tom. V. Jen. Germ. libr. de caus. matrim. fol. 254. consulit liberis, ut rem primo deferant ad *proximos agnatos*, qui persuadere debent patri, ne patriæ potestatis jure abutatur, nec commodis liberorum desit. Quod si illorum auctoritate sese permoveri non patitur, referendum id est *ecclesiæ ministro*, qui patrem officii sui ex verbo commoneat; si nec ejus monita curat, ad *causarum matrimonialium judices* vel tandem deveniendum, qui ἀφόργους illos parentes ad causas recusati consensus proferendas cogant, vel si absque causis probabilibus ac sufficientibus recusare perrexerint, eos paterno nomine indignos esse pronuncient, & in ipsorum locum succedentes matrimonii ineundi potestatem liberis faciant. *l. Capite* 19. *ff. de ritu nupt.* inquit Marcianus: *Capite trigesimo quinto legis Juliæ, qui liberos, quos habent in potestate, injuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt, ex constitutione divorum, Severi & Antonini, per proconsules præsidesque provinciarum coguntur in matrimonium collocare & dotare. Prohibere autem videtur, & qui conditionem non quærit.* Lutherus d. l. graviter scribit: *Ehe ich wollte solchen bäurischen Muthwillen in väterlicher Macht leiden von solchen groben Kunzen (welche von der Ehe ihre Kinder zwingen), wollte ich lieber ihren Kindern rathen und sie heissen, sich hinter solcher Väter Willen verloben. Denn väterliche Macht ist den Vätern von GOtt gegeben, nicht zum Muthwillen noch zum Schaden der Kinder, sondern dieselbige zu fördern und zu helfen; und wer der väterlichen Macht anders brauchet, oder den Kindern zur Hinderniß brauchet, der verleuret sie damit, und soll nicht Vater, sondern Feind, und Verderber seiner eignen Kinder geachtet werden.*

VI.) *An patris impii, crudelis, prodigi, ebrioſi, &c. consensus sit necessarius?*

§. XCI. Quæritur VI.) *An patris impii, crudelis, prodigi, ebrioſi, &c. consensus sit necessarius?* Resp. 1.) Lex divina de honorandis parentibus nullam addit conditionem, & pie dicit imperator: *Quicunque tandem sit tuus parens, tamen pater est.* Ergo nec illorum parentum consensum liberi negligent, qui vitio aliquo labem vitæ contraxerunt. 2.) Ut servi obedire jubentur heris non solum *beneficis & mitibus*, sed etiam σκολιοῖς, *distortis & difficilibus*; 1 Pet. II. 18. sic liberi honorare jubentur parentes etiam impios & flagitiosos. 3.) Parentes per talia vitia non amittunt jus patriæ potestatis, sed aliis ex causis. 4.) Consensus patris, qui filiam exposuit, & tollere noluit, jure civili requiritur. *l. patrem, 16. C. de nupt.* 5.) *Laban* erat insignis veterator & idololatra, ejus tamen consensum in Rache-

Rachele sibi elocanda Jacobus requirit. Gen. XXIX. 19.

VII.) An ratihabitio hic locum habeat?

§. XCII. Quæritur VII.) *An matrimonium sine parentum consensu contractum per subsequentem parentum ratihabitionem ita convalescat, ut non solum ex tempore ratihabitionis, sed ab eo etiam tempore, quo a liberis contractum, censeatur ratum ac legitimum?* Quidam adfirmant parum referre arbitrati, sive præcedat, sive sequatur consensus parentum, dummodo interveniat; unde vocabulum *præcedere* in verbis Justiniani *instit. de nupt.* non ita stricte accipiendum esse disputant, sed in quadam latitudine, cum in aliis etiam contractibus ratihabitio confirmet ea, quæ ab initio desiderabantur. l. 25. *de donat. int. vir. & uxor.* Hotomannus lib. I. amic. resp. c. III. Mauserus in comm. instit. de nupt. Sed Chemnitius in disput. contra clandest. desponsat. quæ ad calcem part. III. loc. adjecta est, hanc opinionem graviter insectatur. *Non recte dicitur* (inquit th. 10.) *nihil referre, sive præcedat consensus parentum, sive initium fiat a clandestinis desponsationibus contra Dei mandatum factis, & postea parentum consensus ex intervallo aliquo subsequatur. Fieri potest, ut juxta jus civile forsan non multum referat ad hæc, ut sit politica copulatio, sed ut sit divina conjunctio juxta verbum Dei permultum refert. Deus enim in suo verbo patefecit & præscripsit certam formam, qua fiat conjunctio divina in conjugio, & quæ cum illa forma pugnant, impia & damnata sunt.* Th. 11. *Honesta est sententia imperatoris, in tantum requiri consensum parentum, ut jussus parentum præcedere debeat.* Th. 12. *Id quod factum est illegitime & impie contra mandatum Dei, non potest confirmari si quis vel privata parentum, vel publica magistratus auctoritate, quasi recte, bene & legitime factum, & quidem ita, ut sit divina conjunctio. Tales autem esse clandestinas desponsationes scimus & defendimus.* Th. 13. honestæ citantur regulæ, quæ ad hæc fundamenta & ad principia juris naturæ manifeste congruunt, scilicet quod *ab initio firmum non fuit, sequente ratihabitione confirmari non potest. Immotum autem fundamentum est, clandestinas desponsationes ab initio non esse firmas, aut ratas juxta verbum Dei.* Item, *quod nullum est, aut peccatum est, hoc ratihabitio confirmare non potest. Clandestinas autem desponsationes non tantum esse nullas, sed impias pugnantes cum verbo Dei, Lutherus demonstravit, &c.* Vide ibi plura in hanc sententiam. Proinde juxta Lutheri & Chemnitii sententiam longe verissimam, quando post clandestinas desponsationes parentum consensus accedit, tunc non confirmatur per quamdam ratihabitionem retro sese extendentem, id quod contra Dei mandatum a liberis factum, sed patria potestate de integro novus contractus inducitur, ut juxta formam divinitus præscriptam legitima fiat conjunctio, & conscientiæ contrahentium certo statuere possint, se esse divinitus conjunctos. Atque hæc sententia non solum juri divino clandestinas desponsationes exprese damnanti, sed etiam juri civili congruit. Præterquam enim, quod imperator diserte adserit, *jussum parentum debere præcedere*, ubi a proprietate verborum non est temere recedendum, *l. nec filium. 12. C. de nupt.* Diocletianus & Maximinus notanter jubent, ut *contrahendis nuptiis patris consensus accedat*, de futuris ergo nuptiis, non de contractis, & de consensu antegresso, non de subsequente ratihabitione loquuntur. Proinde consensus patris in nuptiis sequens non *retro trahitur*, nec medio tempore sufficiti consensus nuptiæ justæ fiunt; l. 13. §. sceptos liberos justos facit, sed ex die præ- *dot.* Paulus etiam *l. in sponsalibus 7. de sponsalib.* exigit consensum non post nuptias, sed *in sponsalibus*, adeoque *ante nuptias*; quin & jussus ille parentum, quem Justinianus requirit, ratihabitioni opponitur l. 65. pr.

pr. ad SCtum. Trebon. l. 25. §. 4. *de adquir. hæred.* cum l. 6. §. 1. d. tit. Cujacius lib. III. obſerv. c. V. Conanus lib. VIII. comment. c. IV. Gentilis lib. IV. de nupt. c. III.

§. XCIII. Quæritur VIII.) *An in nuptiis liberorum etiam majorennium emancipatorum, qui jam ſui juris ſunt, requiratur conſenſus parentum?* Jure civili filius emancipatus abſque patris conſenſu uxorem ducere poteſt, l. *filiusfamilias* 25. *de ritu nuptiar.* ſed filia emancipata, quoad vigeſimum quintum annum adtigerit, non modo primas, ſed ne ſecundas quidem nuptias ſine patris conſenſu contrahere poteſt. l. *viduæ. C. de nupt.* cujus diverſitatis rationem tradunt hancce, quod plus periculi ſit in filia quam filio, propter ſexus fragilitatem & conſilii infirmitatem. Si puellæ majores ſunt 25. annis ſuo arbitrio inconſultis parentibus impune contrahunt ſponſalia. Novell. *ut cum de adpellat. cognoſc. §. cauſas*, idem vero filio 25. annis majori licere negant, cum lex de filia tantum loquatur, ac ſit ſpecialis quædam ratio in puellis, quod earum nuptiæ absque periculo tamdiu non poſſint protrahi & differri ac maſculorum. Cypræus de ſponſ. cap. VII. §. 14. Atque hæc quidem ex principiis juris civilis, quod neceſſitatem conſenſus paterni ex patria poteſtate deducit, recte diſputantur. Sed quia præceptum de honorandis parentibus, ex cujus explicatione in ipſis ſcripturis tradita theologi conſenſus paterni neceſſitatem petunt, generale eſt omnes omnino liberos obligans; ideo ut liberi in conſcientia ſua certi eſſe poſſint, conjunctionem ſuam eſſe divinæ voluntati & legi conformem, in quacunque ætate, vel conditione ſint conſtituti, parentum conſenſum explorent. Conſtit. elector. Saxon. eccleſ. in cap. *von Eheſachen*, fol. 110. omne ætatis diſcrimen hic excludit: *Es ſollen ſich keine Kinder, Söhne oder Tochter, wes Alters die ſind, ohne Vorwiſſen und Einwilligung ihrer Eltern verloben;* ac addit, *ſponſalia absque eorum conſenſu inita debere pronunciari irrita.* Id quod late probat Adrian. Pulvæus in lib. de nupt. ſine parentum conſenſu non contrahendis §. 5. & ſeqq.

VIII.) *An etiam in nuptiis liberorum majorennium conſenſus paternus requiratur?*

§. XCIV. Quæritur IX.) *An tutoris conſenſus in nuptiis pupillorum requiratur?* Juriſconſulti diſtinguunt inter *tutorem* & *curatorem*. Curator tantum *rebus* datur, in perſonam jus non habet; ſed tutor præſidet etiam *perſonæ* & moribus. De curatore plerique omnes ſtatuunt, quod ejus conſenſus non requiratur, ſed de tutore variant ſententiæ. Quidam negant ejus conſenſum requiri: 1.) quia ſi conſenſus tutorum perinde requireretur ut parentum, poſſent tutores matrimonium contra placitum ſuum contractum reſcindere, ut parentes id poſſunt, cujus contrarium ſtatuitur. l. *ſi pater. 4. C. de ſponſ.* ac notat Acurſius in l. Puellæ de rit. nupt. *non eſſe tantam tutorum auctoritatem in nuptiis contrahendis, quanta eſt parentum.* 2.) Poſſet etiam tutor impedire, ne pupilla etiam pubertati jam proxima nuberet, quod tamen gl. fin. in l. *ſi puellæ. ff. de ſponſalib.* negat, ac non eſſe ſimilem rationem inter patrem & tutorem adſerit; proinde cum hæc prohibitio ſit odioſa, ideo a patre ad tutorem nequaquam extendenda. 3.) Parentum conſenſui in nuptiis tantum indultum, quia ex pietate paterna, quam nullus adfectus vincit, optima conſilia pro liberis capere intelliguntur; ſed hæc ratio in tutore ceſſat, quin imo imperatores matrimonium inter tutorem & pupillam, ut & inter pupillam ac tutoris filium prohibuerunt, quod vererentur, ne tutor cum damno pupillæ diteſceret, l. *non ſolum 67. in pr. de rit. nupt.* 4.) In tutoribus ceſſat illa ratio, quod *invito non debeat adnaſci hæres.* Klingius in tract. de cauſ. matrim. p. 81. ad idem probandum adducit, l. *in copulandis. C. de nuptiis.* Quidam contrarium ſtatuunt, requiri

IX.) *An tutoris conſenſus ſit neceſſarius?*

quiri scilicet tutorum consensum: 1.) quia tutores succedunt in locum parentum, & continentur sub nomine parentum in quarto decalogi præcepto, inde Lutherus in lib. de caus. matrim. addit: *Was an Eltern statt seyn mag.* 2.) Pupilla in aliis contractibus sine tutoris auctoritate se non potest obligare; æquum igitur est, ut in conjugio ineundo tanquam re maximi momenti tutoris consensum adhibeat. 3.) l. 6. de sponsalib. dicitur, *tutores non posse solos sponsalia constituere*, hoc est, absque consensu puellæ; sequitur ergo eorum consensum nihilominus requiri. 4.) Consensus tutoris adhibetur patre furioso existente; l. *si furiosus.* C. de nupt. ergo etiam patre mortuo adhibendus erit. Cypræus de sponsal. cap. VI. §. 9. Beustius de sponsal. cap. XXI. Inde in ordinat. matrim. Wirtenberg. cap. I. tutorum consensus expresse requiritur. Plures rationes utrinque cumulari possunt. Illud certum esto, pupillum pupillamve tutoris consilium in matrimonio ineundo exquirere debere, cum personæ datus sit, ut eam consilio suo regat, & parentis vicem sustineat; ubi vero in specialibus quibusdam casibus, (quando scilicet tutor consensum suum pupillæ denegat, ut bonis ejus diutius fruatur) citra ejus consensum matrimonialem fidem alteri dare pupillæ liceat, vel datam confirmare & ratam habere deceat, prudentes causarum matrimonialium judices dispicient. Chytræus in comm. Levit. XVIII. pag. 419. *Si adolescens infra 20. & puella intra 18. ætatis annum insciis, aut non adsentientibus curatoribus, conjugium alteri fraudulentis artibus seductus promittat, & ante nuptias se liberari petat, judicibus permittitur, ut consideratis circumstantiis, quod æquum est, constituant.* Videtur etiam discrimen quoddam statuendum; in juvene non tam solicite requiritur tutorum consensus, quam in puella, propter sexus infirmitatem. Illud non dubitanter adfirmaverim, tutores, dissensus sui rationes, ut exponant, teneri, quod video probari etiam Bidenbachio de caus. matrim. fol. 29. ac requiri expressum puellæ consensum in sponsalibus, quæ tutores nomine pupillorum contrahunt.

§. XCV. Quæritur X.) *An matris, an tutorum consensus in nuptiis puellæ præferendus?* Exstat hac de re expressa constitutio imperatorum Severi & Antonini, l. 1. C. de nuptiis. *Cum de nuptiis puellæ quæritur, nec inter tutorem & matrem & propinquos de eligendo futuro marito convenit, arbitrium præsidis provinciæ necessarium est.* Quare cum non sit virginalis pudoris maritum eligere, ad judices causarum matrimonialium hæc controversia deferenda, qui circumstantiis utrinque pensitatis eam diriment. Quandoque enim mater, quandoque tutores rectius consulunt; in dubio tamen pro matre esse pronunciandum, non dubitaverim. Tutori enim matrem in filia elocanda præferendam ostendunt argumenta, quæ pro adstruenda materni consensus necessitate superius adducta, quæ longe majoris sunt momenti atque ponderis, quam quæ pro tutorum consensu sunt adlata. Idem in populo Romano jam olim obtinuisse, ostendit memorabile exemplum apud Livium lib. IV. decad. 1. de puella matrimonii hærede, cujus forma etiam in vulgus erat nota, de qua inter matrem puellæ & ejus tutorem ortum erat dissidium, cuinam foret elocanda. Cum enim mater nobili, tutor vero plebeio eam dare vellet, res componi inter privatos parietes non potuit, ventum igitur ad jus, & postulato matris ac tutorum utrinque audito magistratus *secundum matris arbitrium* jus nuptiarum dedere. Et hoc decretum Ardeatium Romani tutati sunt, cum plebs & tutores ejus rescindendi causa gravissimam seditionem movissent, ac puellam vi abducere conarentur.

X.) *An matris, an tutorum consensus præferendus?*

§. XCVI. Quæritur XI.) *An etiam fratrum & proximorum cognatorum consensus, mortuis parentibus, sit necessarius?*

XI.) *An cognatorum consensus necessarius?*

farius? Jure civili cognatorum atque adfinium auctoritas, vel consensus in adultorum nuptiis non requiritur, ac certum est, non esse parem auctoritatem consensus paterni & cognatorum; interim tamen rectissime rebus suis & conscientiæ tranquillitati consulunt, qui parentibus destituti fratrum & proximorum cognatorum consensum in matrimonio ineundo expetunt. 1.) Quia illi succedunt quasi in locum parentum; 2.) Quia praxis omnium fere gentium illud comprobat. Vide Cypræum de sponsalib. cap. VI. §. 9. 3.) Quia puella se ipsam despondere nequit, hanc ergo operam proximis cognatis deferat, nullibi suis verbis repromisisse puellæ leguntur, sed aut parentes, aut fratres, aut sanguine proximi, Græcis dicti κύριοι, Latinis auctores, tutores, in jure canonico, *qui dominationem habent super foeminam.* 4.) Inde antiqui canones jubent, ut uxor ab illis, *a quibus custoditur*, petatur, & a parentibus & propinquioribus despondeatur. cap. *aliter* &c. dist. 30. quæst. 5. §.) Jure provinciali multorum locorum idem requiritur. Ordinat. matrimon. Wirtenberg. cap. I. non tantum parentum, sed illis defunctis etiam tutorum & propinquorum consensum requirit. Exstat statutum Lubecensium lib. I. tit. 2. art. 4. quod virgo, vel vidua, repugnantibus justa ex causa cognatis nubens ex omni patrimonio præter vestes quotidianas nihil retineat; notante Hilligero, compatre nostro honorando, longiore vita dignissimo, in Donello enucleato lib. III. c. 20. lit. z. quale statutum, quamvis libertati matrimonii repugnare, ac proinde minime probandum esse statuant canonistæ, Panormitanus, Felinus & eos secuti. Beustius p. 32. Mauserus de nupt. p. 350. Arnisæus de jure connub. cap. III. p. 241. alii tamen jurisconsulti contrariam sententiam amplectuntur, ac firmitati & decori conjugii per illud consuli, temerariam vero levitatem coerceri rectius censent, Cypræus de sponsal. cap. VI. §. 4. Mejerus ad lib. XXIII. pandect. tit. 2. n. 12. De curatoribus idem, quod de proximis agnatis statuendum; eorum enim consensum non esse penitus negligendum, præsertim si illi, de quorum nuptiis agitur, sint minorennes, & ipsa honestas & conjugii dignitas & juvenilis ætatis insciti ac infirmitas comprobant.

§. XCVII. Quæritur XII.) *An in nuptiis nepotum requiratur etiam consensus avi?* Jus civile consensum parentum in nuptiis liberorum non ex sola reverentia & obedientia, quam jure divino & naturali parentibus debent liberi, sed etiam & vel maxime ex potestate patria & ex ratione civili, ne invito suus hæres agnascatur, deducit, unde distinguit inter nepotem & neptim. l. *Oratione* 16. ff. de rit. nupt. *Nepote uxorem ducente & filius consentire debet, neptis vero si nubat, voluntas & auctoritas avi sufficit.* Ratio diversitatis hæc est, quod patri invito suus hæres agnasceretur, si ipso non consentiente solius avi consensu nepos contraheret nuptias; sed in nepte ratio illa cessat, quippe quæ defuncto avo non recidit in potestatem patris, sed in mariti potestate manet, eique liberos procreat. Quamvis igitur respectu patriæ potestatis in nuptiis nepotis jure civili non requiratur consensus patris, sed duntaxat avi, quia quamdiu avus paternus supereſt, nepotes non sunt in patris, sed in avi potestate, §. fin. *instit. de patr. potest.* jam vero illorum duntaxat parentum consensus in nuptiis liberorum requiritur, in *quorum potestate sunt liberi*; in pr. *instit. de nupt.* tamen respectu posterioris causæ, propter quam consensus parentum requiritur, videlicet ne invito hæres agnascatur, in nuptiis nepotis præter consensum avi etiam parentis consensus est necessarius, sed in nuptiis neptis utraque causa cessat, unde solius avi consensus in ejus nuptiis sufficit. Distinguunt etiam inter filios emancipatos, & eos, qui nondum patria potestate exierunt, in his consensum patris sufficere, in illis etiam avi consensum requiri dicunt. Albericus

XII.) *An avi consensus sit necessarius?*

Gen-

Gentilis lib. IV. de nupt. cap. II. Quidam distinguunt inter liberos, quorum parentes sunt defuncti, & quorum parentes adhuc in vivis existunt. In illos avo & aviæ eamdem potestatem tribuunt, quæ fuit parentum adhuc vivorum, in his vero diversam rationem statuunt. Sed enim cum consensus paterni necessitas vel maxime dependeat ex lege divina de parentibus honorandis juxta explicationem in ipsis scripturis traditam, & vero *parentum* nomine etiam avus & avia comprehendantur, ut suo loco in quæst. de gradibus consanguinitatis ostendemus, ideo illorum quoque consensum liberi morigeri & benedictionem a Deo exspectantes neutiquam prætermittere debent. Constit. elect. Sax. eccl. c. *Von Ehesachen.* fol. 110. disertam facit avi & aviæ mentionem: *Es sollen sich keine Kinder, Söhne oder Töchter, wes Alters die sind, ohne Vorwissen und Einwilligung ihrer Eltern, als des Vaters, der Mutter, und da die nicht vorhanden, des Großvatern und der Großmutter verloben.* Quando vero avi, vel parentis consensus præferendus sit, ex diligenti circumstantiarum consideratione relinquitur æstimandum; in dubio tamen avi consilio plus deferendum, tum propter ætatis prærogativam & judicii maturitatem, tum propter amorem, quo nepotes complectitur, tum propter potestatem, quam in parentem illius, de cujus nuptiis quæritur, obtinet.

§. XCVIII. Quæritur XIII.) *An probandæ sint nuptiæ, ad quas generalis duntaxat parentum consensus accedit?*

XIII.) *An generalis consensus sufficiat?*

Docendi causa triplicem parentum consensum statuere possumus. *Generalem*, quando pater plenam & liberam ineundi matrimonii potestatem filio concedit, ut quocunque velit loco, & ex quacunque ipsi lubitum est familia, uxorem ducat, modo sit honesta. *Specialem*, quando ad certam aliquam familiam electio restringitur, ut ex ea filius uxorem sibi quærat. Sic Abrahamus Eleazarum certo mandato instructum ablegat ad quærendam filio Isaaco uxorem in patria terra & cognatione; Genes. XXIV. 3. *Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito, sed ad terram & cognationem meam* (in Mesopotamiam) *proficisceris, & inde accipies uxorem meo filio Isaac.* Gen. XXVIII. 1. Isaacus filio suo Jacobo præcipit: *Noli accipere conjugem de genere Canaan, sed vade & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel, patrem matris tuæ, & accipe inde tibi uxorem de filiabus Laban avunculi tui.* *Individualis* consensus est, quando in certam & nominatim expressam personam pater consentit. Quamvis vero ad conscientiæ tranquillitatem conservandam & spem divinæ benedictionis confirmandam tutissimum sit individualem, vel certe specialem parentum consensum impetrare; tamen generalem etiam consensum sufficere non injuria statuitur, præsertim si liberi sint majorennes, atque ad eam ætatis maturitatem pervenerint, ut ipsimet rebus suis recte prospicere & consulere possint, quia potest aliquis suo juri renunciare, & quod suo nomine gestum est, ratum habere.

§. XCIX. Quæritur XIV.) *An in quibusdam casibus matrimonia liberorum, sine parentum consensu contracta, a judice causarum matrimonialium sint confirmanda?*

XIV.) *An in quibusdam casibus negligendus parentum consensus?*

Beustius de matrim. c. XLVI. p. 210. sic distinguit: 1.) Aut liberi inierunt matrimonia insciis parentibus, & *parentes neque ab initio, neque postea volunt consentire;* tunc dubium nullum, quin istud matrimonium sine ipsorum consensu non subsistat, propterea quod ipsorum consensus non intervenit, qui tamen requiritur, & est solennitas substantialis ipsius matrimonii. Aut parentes post matrimonia contracta ea *rata habuerunt*, utut sine ipsorum consensu, vel pure, vel sub conditione non inhonesta initio per liberos fuerunt inita; & tunc propter subsequentem voluntatem & consensum talia matrimonia

valent, quasi de novo contracta, ac si prior ille contractus nunquam celebratus fuisset. 2.) Aut liberi sunt *minorennes*, *& res est integra*, hoc est, quando copula nondum est secuta; tunc propter minorennitatem parentes talia matrimonia sine ipsorum consensu inita rescindere possunt, etiamsi nullam causam dissensus habeant. Aut liberi sunt *majorennes*, & consensum parentum debito *modo requisiverunt;* tunc parentes ipsorum matrimonia impedire & rescindere non possunt, nisi habeant justissimas causas dissensus, puta, si filia vellet nubere turpi & inhonesto, tunc pater sua auctoritate potest illud matrimonium impedire. Si vero vellet nubere honesto & pari moribus & genere, certe pater dissentiendi causam non habet. 3.) *Si res non esset integra*, puta, quando interveniisset concubitus, tunc sive liberi sint majorennes, sive minorennes, conjugium consummatum non potest rescindi, etiamsi parentes in illud non consenserint; multa enim impediunt matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt contractum. Klingius in tract. de causis matrim. p. 78. sic distinguit: Aut post matrimonium sine parentum consensu contractum *res non est integra*, sed copula carnalis subsecuta; & concordant canonistæ & theologi, quod matrimonium separari non debeat, utcunque consensus parentum defuerit. Aut post matrimonium sine consensu parentum contractum res est integra, id est, carnalis copula non est subsecuta; & distingue: aut *parentes contrahentium sunt duri*, qui aut prohibuerunt liberis matrimonia, aut occasionem quærere noluerunt, & in hoc quoque conveniunt, quod valeat; aut parentes non sunt in culpa ratione prohibitionis, vel negligentiæ, & tamen liberi sine ipsorum consensu contraxerunt, & dic: Aut *parentes tacent*, nec impugnant expresse, & quoque valet matrimonium secundum utrosque. Aut parentes non tacent, *sed impugnant*, & tunc aut puer inobediens post contractum *perseverat in suo proposito*, & tunc si matrimonium consummatur, valet secundum utrosque, & liberi ex eo nati sunt legitimi. Aut puer redit ad parentes, & *subjicit se ipsorum voluntati* post contractum matrimonium, & dic: Aut pars, quæ alteram ad contrahendum induxit, *est honesta & paris conditionis;* & theologi non temere separationem permittunt, apud canonistas de validitate non est dubium. Aut pars, quæ alteram dolo induxit sine consensu parentum, *non est paris conditionis*, sed honesta, vel saltem vilis. Et de hoc contenditur. Canonistæ enim judicant non esse dirimendum, theologi contra, qui tamen protestantur in suis libris, quod nolint ponere legem judicibus in foro contentioso & judiciali, sed tantum in foro pœnitentiali consulere. Hæc omnia Klingius, rationum momenta utrobique subjungens, licet parce. Nos distinguimus inter *strictum juris rigorem* & *ἐπιείκειαν*, sive *stricti juris moderationem*. Si pater stricto jure agere velit, potest dissolvere liberorum matrimonia absque consensu suo contracta; sed ex *ἐπιεικείᾳ* & ad præcavendum majus malum quandoque persuaderi potest, ne jus suum severe exerceat, utpote quando liberi commissam culpam humiliter deprecantur, quando matrimonii fides data personæ honestæ & moribus ac genere pari, quando res non amplius est integra, sed copula carnalis intercessit. De pœna, qua in foro civili adficiendi sunt liberi citra parentum consensum sponsalia contrahentes, tractant jurisconsulti. Cum enim tales liberi gravissime peccent contra legem divinam & humanam, æquissimum est, ut carcere, vel exhæredatione, vel alio modo puniantur pro cujusque loci statutis & consuetudine. Jure civili *infamiæ* notam incurrit, qui filiam sine jussu patris, in cujus potestate est, uxorem ducit. l. 12. *de his qui not. infam.* In constit. eccles. electorali fol. 110. parentibus conceditur, *usque ad dimidiam partem legitimæ*, vel etiam pro ratione circumstantiarum *totaliter* tales liberos, qui absque eorum consensu matrimonium ineunt,

exhæ-

exhæredandi. Id ipsum Carolus V. in regnis & ditionibus suis hæreditariis, & Henricus, Galliæ rex, peculiari statuto sanci- verunt. In ordin. matrim. Wirtenberg. cap. I. in corpore, vel bonis, tales liberi juxta bentur puniri.

ARTICVLVS II.

DE CONSENSVS AD MATRIMONIVM REQVISITI QVALITATE.

§. C.

Qualis consensus requiratur?

Consensum tum *contrahentium*, tum *eorum, in quorum potestate* sunt liberi, ad matrimonium ineundum requiri ostendimus hactenus; restat, ut post expositam utriusque consensus necessitatem de ejusdem *qualitate* disseramus. Consensus est quasi anima conjugalis contractus. Unde jurisconsultus dicit: *Nuptias non concubitus, sed consensus facit.* Nemini ergo dubium, quin probe & adcurate sit discipiendum, ut consensus sit legitimus & recte sese habeat. Hemmingius in libell. de conjugio p. 47. sex conditiones legitimi consensus requiri adserit: 1.) ut sit *licitus*, ne fiat contra Dei & naturæ legem, nec contra honestas hominum constitutiones; nam consensus, qui fit contra voluntatem Dei & naturæ legem, pro nullo habendus est. 2.) *Honestus*, ne sit inter dissimiles moribus, genere, fortuna, religione personas, aut etiam contra honestatem publicam. 3.) *Justus*, ne sit clandestinus & contra voluntatem eorum, in quorum potestate vel uterque contrahentium, vel alteruter fuerit. 4.) *Liber*, ne quis vel coactus metu aut minis, vel pellectus promissionibus promittat verbis, quod animo improbet. 5.) *Plenus*, ne sit vel ambiguus, vel turbatus cœco amore aut temulentia. Ratio ergo in re tanti momenti in consilium adhibenda est, & non adfectus sine ratione. 6.) *Sincerus*, ne alter alterum ullo dolo aut mendacio circumveniat. Recte tamen ibidem addit Hemmingius; *Etsi hæ conditiones omnes requirantur, ut contractus sit legitimus, eas tamen non esse omnes ejusdem ponderis; aliæ enim impediunt nuptias, si non adsunt, aliæ gravitatem & circumspectionem in tanti momenti contractu respiciunt.* Alii hoc modo procedunt: Consensus legitimus est, qui cum lege Dei & naturæ congruit, estque tum *justus*, tum *honestus*. Justus, qui fit de parentum consilio & voluntate. Honestus, qui congruit cum reverentia sanguinis; quia lex Dei & naturæ utrumque requirit tum honorem erga parentes, tum reverentiam erga eos, qui sanguine sunt propinqui. Sed quilibet videt, *reverentiam sanguinis* non ad qualitatem, sed ad objectum consensus, nec ad efficientem vel formam, sed materiam conjugii pertinere.

§. CI. Breviori ergo & rectiori linea sic procedimus: Consensus est actus voluntatis liberæ a sano atque integro judicio profectus; ad illum igitur, ut sit legitimus, requiritur tum *judicii integritas*, tum *voluntatis libertas*, ac si alterutrum horum, vel utrumque desit, consensus non erit legitimus. Cum judicii integritate pugnat, *error, dolus, ebrietas, fatuitas, furor.* Cum voluntatis libertate pugnant *minæ, justus metus & violenta coactio*, atque ad hæc duo capita sex illæ conditiones, quas Hemmingius legitimo consensui adsignat, reduci possunt. Ut enim consensus sit *licitus, honestus & justus*, id pertinet ad judicii integritatem. Ut sit *liber, plenus & sincerus*, id spectat ad voluntatis & arbitrii libertatem. Eadem ferme ratione Bellarminus de sacram. matrim. cap. XVIII. reducit impedimenta consensus ad *ignorantiam & coactionem.* Cæterum, ut talis consensus nuptias constituat, requiritur insuper 1.) ut

sit *verus*, non simulatus, quia, ut Cajus loquitur, *simulatæ nuptiæ nullius sunt momenti.* l. simulatæ 30. de rit. nuptiar. l. 13. C. de nupt. 2.) Ut sit *mutuus*, utriusque scilicet partis, maris & fœminæ, non hujus vel illius tantum, unde etiam *contrahentium*, non autem unius contrahentis consensus vocatur; & ipsum *consensus* nomen hoc importat, quia id proprie dicitur consensus, quando duo, vel plures unum sentiunt, & in unum amice conspirant. *Consensus est duorum, vel plurium in idem sensus.* c. un. 29. q. 1. 3.) Ut sit *externus*, id est, verbis, vel gestibus exterius declaratus, qua de re canonistæ & scholastici sic disputant: Si puella & adolescens sibi invicem obviantes expetant matrimonialiter conjungi, non potest dici per hanc internam voluntatem & occultum consensum inter eos contractum matrimonium, sed necesse est, ut talis voluntas exterius declaretur, puta verbis, vel signis. Verba vel ore coram proferri, vel scripto exprimi possunt, quin & verba possunt suppleri per signa verbis consensum exprimentibus æquipollentia; unde quod in cap. *Tuæ fraternitati* de sponsalib. dicitur, *verba ad consensum matrimonialem esse necessaria*, id accipiunt *secundum quid* dictum, scilicet ad certiorem probationem, alii generaliter intelligunt de signis expressivis, inter quæ verba principatum obtinent, ut sic a potiori facta fuerit denominatio.

Pugnant cum consensu 1.) *Error.*

§. CII. *Primo* cum judicii integritate diximus pugnare *errorem. Qui errant*, inquit Ulpianus, *non consentiunt, cum nihil tam contrarium sit consensui, quam error, qui imperitiam detegit.* l. 15. ff. de jurisd. l. 116. ff. de reg. juris: *qui errat, non sentit, non ergo consentit, hoc est, simul cum aliis sentit.* cap. unic. 29. quæst. 1. Sed hic error non est unius generis. Scholastici statuunt quatuor species erroris; alium enim esse dicunt *errorem personæ*, alium *qualitatis*, alium *conditionis*, alium *fortunæ.* d. c. unic. 29. quæst. 1. Sed conditionis & fortunæ error ad qualitatis errorem reduci potest. Tres ergo statuimus erroris species: 1.) *Error nominis*, quando circa nomen duntaxat erratur, ut si quis eam, quam sibi in matrimonium destinaverat, existimet adpellari Margaretam, cum dicatur Anna. 2.) *Error personæ* est, quando circa ipsam personam erratur, sicut Jacobo contigit, cui pro Rachele, quam sibi desponsaverat, & cum qua conjugium se consummaturum speraverat, supposita fuit Lea. Dicitur etiam *error corporis*, sive in corpore, (quia corpora quandoque dicuntur personæ), & concernit ipsa substantialia conjugii, personas scilicet contrahentes. 3.) *Error qualitatis* est, quando circa quædam accidentalia erratur, cujus erroris tres species statui possunt; vel enim erratur circa *bona animi*, ut quando quis ducit morosam, rixosam, iracundam, ebriosam, prodigam, &c. quam putabat esse moratam, modestam, sobrietatis studiosam, frugalem; vel circa *bona corporis*, ut quando quis ducit morbidam, deformem, ætate prævectam, &c. quam putabat esse integræ sanitatis, formæ decentis & adhuc juvenculam; vel circa *bona fortunæ*, ut quando quis ducit pauperem, servam, ignobilem, &c. quam putabat esse divitem, liberam, nobili genere natam. Bonaventura lib. IV. sent. dist. 30. q. 1. distinguit inter errorem, qui circa personam contingit, & circa proprietates personæ, quod eodem recidit. Eminet autem inter errores qualitatis unus præ reliquis, ad errorem cum ipsa matrimonii substantia pugnantem quam proxime accedens, quando scilicet quis contrahit cum vitiata, quam credidit esse virginem.

1.) *Error nominis.*

§. CIII. Quamvis vero prospiciendum sedulo, ut in arduo hoc negotio matrimoniali, quod perpetuum totius vitæ consortium concernit, & indissolubili vinculo contrahentes copulat, omnis omnino error a consentientibus absit, atque hac ratione ex plena sani judicii integritate consensus exsurgat; tamen ne-

nequaquam existimandum, quod quivis error nuptias contractas dirimat, quod ipsum ut sit evidentius, de singulis erroris speciebus κατὰ μέρη agemus. *Errorem nominis* matrimonium impedire, & sponsalia per hunc errorem contracta fieri irrita, plerique canonistæ statuunt propter cap. *Tua nos* X. de sponsalibus; sed juris civilis interpretes contrarium adserunt propter evidentem textum §. *fiquidem* 29. instit. de legat. ubi imperator dicit: *Siquidem in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarii testator erraverit, cum de persona constat, nihilominus valet legatum, idemque in hæreditatibus valet & recte. Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelliguntur, nihil interest*, cum quo congruit illud imp. Gordiani l. 4. C. de testam. *Si in nomine, vel prænomine, vel cognomine testator erraverit, nec tamen, de quo senserit, incertum sit; error ejusmodi nihil officit veritati.* Posteriori igitur huic sententiæ adsurgimus. 1.) Quia error nominis est error tantum in accidente, qui non concernit substantialia hujus contractus. 2.) Sponsalia possunt contrahi cum ea, cujus nomen plane ignoratur; ergo etiam cum ea, de cujus proprio nomine erratur. Quod juris in ignorantia κατ' ἀπόφασιν, idem juris in ignorantia κατὰ διάθεσιν. 3.) Error nominis contrahentium consensum proprie & adcurate loquendo non impedit; cum procul dubio sponsus nihilominus eam fuisset ducturus, licet de vero ejus nomine constitisset. Addenda tamen quædam limitatio: error nominis non impedit matrimonium, scilicet *nisi secum trahat errorem corporis sive personæ*; tunc enim non amplius est simplex nominis error, sed transit in aliam speciem erroris. Quidam errorem personæ dupliciter contingere posse statuunt, vel ut error sit *in re*, ut cum quis putet se promittere conjugium Margaretæ, & promittit Annæ, aut cum in ipsis nuptiis Margareta pro Anna supponitur; vel ut error sit tantum *in nomine*, ut cum contrahens aliud sibi nomen adsumit. Sed satius est errorem nominis peculiarem & distinctam speciem ab errore personæ constituere.

§. CIV. *Errorem personæ* impedire matrimonium & sponsalia facere irrita indubitati juris est. 2.) *Error personae.* 1.) Ad matrimonium ineundum requiritur inprimis consensus contrahentium; sed quando in ipsa persona erratur, tunc is, qui errat, in eam personam non intelligitur consensisse. 2.) *Error nominis stipulationem non vitiat, ubi de corpore constat*, l. 9. §. si in nomine de contrah. empt. Ergo a contrario sensu, quando de corpore non constat, sed in persona erratur, stipulatio vitiatur. 3.) Error circa actus substantialia vitiat, & impedit ipsum actum, utpote qui dissensum arguit circa actus essentialia & substantialia, quæ salvo actu omitti nullo modo possunt. Jam vero error personæ est actus circa ipsa substantialia matrimonii, quippe ad quæ etiam pertinent personæ contrahentes. 4.) In jure canonico expressa habetur decisio: cap. unic. 29. quæst. 1. *Error personæ conjugii consensum non admittit. Si quis enim paciscetur, se venditurum agrum Marcello, & postea veniret Paulus dicens, se esse Marcellum, & emeret agrum ab illo, numquid cum Paulo convenit iste de pretio, aut dicendus est agrum sibi vendidisse? Item si quis promitteret se venditurum mihi aurum, & pro auro offerret mihi aurichalcum, & ita me deciperet, numquid dicerer consensisse in aurichalcum? Nunquam volui emere aurichalcum, nec ergo aliquando in illud consensi, quia consensus non est nisi voluntatis. Sicut ergo hic error materiæ excludit consensum, sic & in conjugio error personæ: non enim consensit in hunc, sed in eum, quem putabat esse.* 5.) Ex jure civili collationis gratia huc referri potest, quod error circa personam judicis admissus obstet jurisdictionis prorogationi, sic ut actus ille nullius existimetur momenti: l. *si*

per

per errorem. 15. ff. de jurisd. pari ratione etiam error in persona admissus conjugio erit impedimento. Sed objicitur exemplum *Jacobi patriarchæ*, cui ignoranti pro Rachele a veratore Labane Lea fuit suppositæ, nec tamen Jacobus eam repudiavit Genes. XXIX. Beza in libr. de repud. pag. 71. respondet, Jacobum idcirco retinuisse Leam, *quia res non amplius fuerit integra, sed copula carnalis intervenerit;* ex qua responsione consequens fuerit, errorem personæ tunc demum impedire matrimonium, quando nondum accessit copula, sed ea interveniente validum esse matrimonium, licet in persona fuerit erratum. At hoc sponso personæ errore decepto fuerit satis durum & acerbum. Sane si comperto jam errore copula intervenerit, tunc de novo in eam consensisse videtur, in qua prius erraverat; sed si per ignorantiam & imprudentiam id fecit, ut in Jacobi exemplo res sese habet, consensisse neutiquam dici potest. Inde cap. unic. 29. q. 1. sic respondet: *Consensus alius est præcedens, alius subsequens. Præcedit consensus, quando ante copulam carnalem in individuam vitæ consuetudinem uterque consentit; subsequitur, quando post concubinalem, sive fornicarium coitum consentiunt in idem. Jacob ergo & Leam non fecit conjuges præcedens consensus, sed subsequens, nec tamen ex primo concubitu fornicarii judicantur, cum ille maritali adfectu eam cognoverit, & illa uxorio adfectu sibi debitum persolverit, putans lege primogenitarum & paternis imperiis se sibi jure copulatam.* Dicimus ergo Jacobum non fuisse summo jure usum, potuisset omnino repudiare Leam, cui fidem matrimonii nunquam dederat, nec in eam consenserat; sed ex ἐπιεικείᾳ eam retinuit, cum qua maritali adfectu consueverat. Atque hanc ἐπιεικείαν in simili casu Cypræus de spons. cap. XIII. §. 33. num. 1. imitandum marito censet: *Rectius facturum existimaverim*, (inquit) *qui exemplum Jacobi secutus summo jure non utatur, præsertim ubi concubitus accessit.* Interim recte addit: *In arbitrio ejus esse, cui fucus factus sit, vel eam retinere, quæ pro alia tradita est, vel eamdem repudiare.* Paulo aliter Lutherus in comm. Genes. XXIX. pag. 408. de stricto scilicet juris rigore loquens: *Patientia hæc Jacobi non est ad imitationem proposita, quia nimis ardua & plane heroica est, perferre & pati æquo animo, ut sponsa eripiatur ipsa hora & momento nuptiarum, ideo mirari magis & prædicare, quam imitari eam licebit.* Pag. 409. *Potuisset summo jure repudiare Leam, & dicere: Quæcunque tandem sit consuetudo illa, tu mihi Rachelem despondisti, hanc servabo & nullam aliam. Sed quid faciat sanctissimus vir? æquo animo fert hanc injuriam, ut potiatur Rachele, quæ erat unica & vera sponsa, quam vidit se non posse obtinere, nisi ista iniquissima conditione, ut retineat Leam, quam non amabat. Cogitavit enim: quid faciam? Lea est decepta auctoritate patris, sicut ego insidiis ejus circumventus sum. Si deseruero eam, erit perpetuo deserta, est enim a me vitiata, & optima dote virginitatis privata, aut certe omnibus suspecta erit de amissa pudicitia, ut maxime ego ab ea abstinuissem, ita flectitur Jacob misericordia, caritate & patientia, ne repudiet Leam.*

§. CV. *Error qualitatis* circa *bona fortunæ* in specie sic dicta, id est, circa divitias non impedit vel vitiat matrimonium, quia non arguit dissensum circa substantialia matrimonii, sed tantum circa accidentalia. Deus *pauperem & divitem creavit*, Prov. XXII. 2. ac pii conjuges possunt ac debent niti hac consolatione, quod *timentibus Dominum non sit defuturum omne bonum*, Psal. XXXIV. 11. quodque *labores manuum suarum sint manducaturi.* Psalm. CXXVIII. 2. Cap. unic. 29. quæst. 1. *Error fortunæ & qualitatis non excludit consensum, veluti si quis consentiret in prælaturam alicujus ecclesiæ, quam*

3.) *Error qualitatis.*
a.) *Circa bona fortunæ.*

quam putaret esse divitem, & illa esset minus copiosa, quamvis hic deciperetur errore fortunæ, non tamen posset renunciare prælaturæ acceptæ. Similiter, quæ nubit pauperi, putans illum esse divitem, non potest renunciare priori conditioni, quamvis erraverit. Error qualitatis non excludit similiter consensum, utpote si quis emerit agrum, vel vineam, quam putabat esse uberrimam, quamvis iste erraret in qualitate rerum rem minus fertilem emendo, non potest tamen venditionem rescindere. Addunt tamen quasdam conditiones: 1.) Si quis matrimonium hac conditione promisit, si puella in dotem adtulerit mille aureos; tunc enim sponsalia sunt conditionata, ideoque conditione non exstante non sunt rata. 2.) Si ad errorem accesserit dolus, utpote si prætextu divitiarum alterutra contrahentium persona ad matrimonium promittendum fraudibus & fallaciis fuerit inducta.

§. CVI. Error qualitatis circa *generis nobilitatem* quibusdam videtur sponsalia facere irrita, in quam sententiam citant Lombardum lib. IV. sent. dist. 30. lit. A. *Si quis foeminam nobilem in conjugium petat, & pro ea alia ignobilis illi tradatur, non est inter eos conjugium, quia non consensit vir in ipsam, sed in aliam.* Sed Lombardus ibi non agit de errore qualitatis, sed de errore personæ; siquidem errorem personæ ab errore qualitatis manifeste distinguit, & postquam dixerat, errorem personæ consensum conjugalem non admittere, subjicit verba proxime citata, & exempli loco addit: *Si quis promitteret se mihi venditurum aurum, & pro auro mihi offeret aurichalcum, & ita me deciperet, numquid dicerer consensisse in aurichalcum? jam vero aurum & aurichalcum non tantum qualitatibus, sed ipsa etiam substantia differunt.* Ergo si exemplum debet esse conveniens, statuendum, quod Lombardus non de errore qualitatis circa generis nobilitatem, sed de errore circa ipsam personam agat. Ut enim divitiæ, ita quoque generis nobilitas ad fortunæ bona pertinet, unde Ludovicus Vives vocat *fortem nascendi*; proinde ut error qualitatis circa divitias, ita quoque error qualitatis circa generis nobilitatem non faciet datam matrimonii fidem irritam, cum uterque non versetur circa substantialia, sed circa accidentalia conjugii. Ex quo fundamento recte statuitur, quod non possint sponsalia dissolvi, si quæ nubat *spurio*, quem existimabat ex legitimo conjugio esse natum, & vice versa, quia hic error est duntaxat qualitatis. Interim 1.) Si exstet statutum provinciale, quod vir nobilis non debeat ducere fœminam ignobilem, & vicissim, quod fœmina nobilis non debeat nubere viro ignobili. 2.) Si promissioni matrimonii expresse fuerit addita conditio, quod alteruter contrahentium generis sui nobilitatem debeat demonstrare. 3.) Si dolus malus accesserit, & falsa nobilitatis gloriatione alterutra pars ad consentiendum fallaciter fuerit persuasa; ἐπιείκειαν a causarum matrimonialium judicibus, si scilicet copula carnalis nondum intervenerit, adhiberi posse putamus. Cypræus de sponsal. cap. XIII. §. 36. num. 4. *Statuo* (inquit) *eum, qui deceptus mulierem sibi despondit, quam nobilem esse existimabat, ad nuptias consummandas non teneri, siquidem ipsa genus mentita sit, & pro nobili se venditarit. Nam eum deceptum esse, palam est, ut qui post sponsalia peracta eo nævo illum adfectam comperit, quem si ante præscisset, nunquam ei fidem dedisset; ideoque a contractu recedendi & aliam sibi conditionem quærendi ei merito facultas libera relinquitur. Sin vero eum, cui nuptias promisit, ignobilem esse non ignorabat, & convinci possit sese sciviſſe, teneri eam ducere existimaverim, nisi legibus expresse inter nobiles & ignobiles prohibita sint conjugia, ut in regno Daniæ.* §. 37. *Sed si nuptiis & concubitu subsecuto domum deduxerit uxorem, quam nobilem existimabat deceptus, repudiandam eam minime existimaverim, cum res integra*

2.) *Circa generis nobilitatem.*

amplius non sit, sed secuto concubitu matrimonium consummatum sit, neque enim propter qualitatis errorem conjugium dissolvi potest, & edicta de nuptiis ob personæ statum imparibus a Justiniano sublata sunt. l. 28. C. de nupt.

§. CVII. Errorem qualitatis *circa conditionem seu statum*, cum servus pro libero se gerens ingenuam ducit, matrimonium dirimere, jure canonico est statutum. cap. *unic. cauſ.* 29. q. 1. *Error personæ & conditionis conjugii consensum non admittit;* cap. *si quis ancillam &c.* cauſ. ead. q. 2. quod congruit cum constit. 22. in authent. Gratianus discordantes de hac quæstione canones sic nititur conciliare: *Non negatur, ingenuam posse nubere servo, sed dicitur, quod si nescitur esse servilis conditionis, libere potest dimitti, cum servitus ejus fuerit deprehensa. Illud autem apostoli:* Mulier cui vult, nubat, tantum in Domino; *& illud Julii papæ, si omnes unam legem habent, ergo sicut ingenuus dimitti non potest, sic nec servus semel conjugio copulatus ulterius dimitti poterit; intelligendum est de his, quorum conditio utrique nota est, hujus autem conditio mulieri incognita erat, non ergo præmissis auctoritatibus cogitur manere cum illo, sed liberum esse ostenditur vel manere, vel discedere.* Lombardus lib. IV. sent. dist. 36. lit. A. idem repetit & addit: *Si conditionis dolum* (fœmina) *patitur, non cogitur adhærere ei, cujus fraude decepta est, si autem scierit vir conditionem mulieris, vel e converso, non valet eam dimittere.* Juris civilis interpretes has rationes addunt, quod servus sit ἀκέφαλος, nec sine domini consensu de se quidquam polliceri possit, nec corporis sui potestatem habeat, nec de ejus communicatione per conjugium cum altera pacisci queat. Sed hæc omnia accipienda sunt de illa servitute, quæ apud Romanos olim obtinuit, ac hodie apud christianos magna ex parte exolevit. Alia vero ratio est illorum servorum, qui ad operas faciendas quidem obligati, non tamen ipsorum personæ & corpora sunt in dominorum potestate, cum illis, si qua etiam ignorans conditionem illam servilem contraxerit, valent sponsalia, perinde ut ea, quæ cum ignobili sunt contracta, observatis tamen conditionibus §. proxime præcedente adnotatis.

3.) *Circa vitae statum.*

§. CVIII. Error qualitatis *circa bona animi* matrimonium non dirimit. Cap. *unic. cauſ.* 29. q. 1. *Error qualitatis est, quando putatur esse bonus, qui malus est, talis error conjugii consensum non excludit.* Rationes adduci possunt: 1.) Quia talis error versatur circa accidentalia matrimonii, non circa ipsam substantiam. 2.) Si talis error sponsalia dirimeret, plurima omnino dissolvenda forent, quia *haud facile inventu bona fœmina*, ut Pacuvius canit. 3.) Sibi ipsi imputet sponsus, quod in re tanti momenti mores illius non explorarit diligentius, cui individuam vitæ consociationem promisit. Quidam addunt limitationem, quod error qualitatis tum demum matrimonio non obstet, si certo constet, alterum contrahentium fuisse nihilominus initurum matrimonium, etiamsi de tali defectu vel vitio ei ab initio constitisset. Sed hac ratione perpetuis repudiis videtur subministrari occasio, si quis enim sponsus paulo morosiorem ac rixosiorem fuerit nactus, obvertere poterit, se non fuisse daturum matrimonii fidem, si de his sponsæ moribus ipsi constitisset.

4.) *Circa bona animi.*

§. CIX. Præter has erroris species est peculiaris aliquis error, quem Gratianus & Lombardus ad qualitatis errorem referunt, *si quis pro virgine ducit eam, quæ ab alio est compressa*, quam vocant ψευδοκόρην, *defloratam*, quæ sese virginem mentitur. De hoc errore quæritur, an matrimonium dirimat? Canonistæ & scholastici negant: 1.) Ob *expressam juris canonici decisionem.* cap. unic. cauſ. 29. q. 1. *Qui ducit*

5.) *Circa virginitatem.*

Quod vitiatam ab alio non liceat repudiare.

ducit in uxorem meretricem, vel corruptam, quam putat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere & aliam ducere. cap. Quemadmodum. 25. x. de jurejur. *Qui juravit aliquam ducere in uxorem, non potest ei fornicationem præcedentem opponere, sed futuram.* Quod repetit Lombardus lib. IV. sent. dist. 30. lit. A. in fin. 2.) Ob *erroris hujus conditionem.* Certi juris est, quod error qualitatis non impediat matrimonium, nec vitiet sponsalia, cum qualitas sit tantum accidens, quod salvo matrimonio adesse & abesse potest. Atqui hic error versatur tantum in qualitate, cum nuptiæ etiam cum meretrice consistere possint. 3.) Ob *paritatis rationem*, eamque multiplicem: (α) Ulpianus respondit: *Si quis virginem se emere existimet, cum ea sit mulier, tametsi eum sciens hoc modo venditor errare patiatur, emtionem nihilominus subsistere, neque ullo modo ex ea causa redhibitionem esse, l. alioqui.* 11. §. 1. *ff. de contrah. emt. l. Exemto* 11. §. *si quis virginem.* 5. *ff. de act. empt. & vend.* Quod si ergo hæc emtio subsistit, utique etiam tale matrimonium subsistet, cum illud sit omnibus contractibus favorabilius & firmius. (β) Si *ob labes & vitia animi*, puta hæresin, vel infidelitatem, non licet repudiare conjugem, utique nec propter corporis vitia id licebit, quippe quæ animi vitiis sunt leviora ac tolerabiliora. Sed prius est certi juris. Ergo & posterius adfirmandum, & per consequens ob vitium virgini illatum & defloration virginitatis non licebit eam repudiare. (γ) Sponsæ non est permissum repudiare sponsum ob amissam virginitatem. Cap. *Si quis uxorem &c.* 32. q. 1. Ergo nec sponso ob eamdem causam licebit repudiare sponsam, quia quoad fidem matrimonialem sponsi & sponsæ eadem est obligatio, ut patet ex natura relatorum. cap. *apud nos. cauf.* 32. *quæst.* 5. (δ) In aliis contractibus usitatæ & receptæ sunt hæ regulæ, *quod cuilibet cum alio contrahenti incumbat, ut diligentius inquirat in conditionem ejus, cum quo contrahit; l. qui cum alio.* 19. *ff. de R. J.* quod si illud non fecerit, & damnum aliquod ex contractu postmodum senserit, illud ne quidem sentire videtur, eo quod *sua culpa* sentiat. *l. quod quis.* 203. *de R. J. c. damnum.* eod. in 6. Ergo & sponsus sibi imputare debet, quod melius ac diligentius in conditionem mulieris, cui fidem matrimonii dedit, non inquisiverit. (ε) Nuptiarum eadem est causa & conditio, quæ libertatis, jurisjurandi, & aliarum spiritualium rerum, quæ si semel perfectæ sint, ipso jure valent, & amplius rescindi, vel per redhibitionem & restitutionem, vel alium modum nequeunt. *l. liberos.* 10. *C. de liber. cauf.* & tot. *tit. C. si ad libert. quis provoc.* Falsa causa etiam alias contractum, vel actum vitiare non solet, præsertim si fuerit duntaxat impulsiva non etiam finalis. *l. fin. C. de falf. cauf. adject. l. falsa.* 33. *de condit. & demonstrat.* At virginitas est causa duntaxat impulsiva, non etiam finalis. Ergo si vel maxime fuerit falsa, vel etiam plane abfuerit, non reddet irrita sponsalia. (ζ) Potest hæc mulier æque ac virgo *obsequia tori & prolis* viro reddere, inquit Petrus Gregorius lib. IX. syntagm. cap. XII. n. 4. 4.) Ob *incommodorum consecutionem.* Si licet repudiare compressam ab alio, multa quieta & bene concordantia matrimonia disturbantur, delicta arcana deteguntur, personis levibus occasio exhibetur ejusmodi crimina in sponsas & uxores comminiscendi, easque hoc prætextu repudiandi. 5.) Ob *publicæ utilitatis consideration.* Ea quæ a servo præturam gerente, qui liber censebatur, acta & decreta sunt, non obstante illo errore censentur rata, publicæ utilitatis & humanitatis causa. l. *Barbatius* 3. *ff. de offic. prætor.* Ergo etiam matrimonium eodem errore initum subsistit, cum illud non rescindi æque ad commodum & utilitatem publicam spectet. Ac in favorem matrimonii statutum est, per copulam carnalem subsequentem omnia conjugii vitia purgari. cap. *super.* 5. x. *de eo, qui cognovit consang. uxor. vel*

sponſ. Ita ſtatuunt Klingius in tract. de cauſ. matrim. c. de errore qualit. Weſenbecius in parat. de ritu nupt. n. 18. Toloſanus lib. IX. ſyntagm. c. II. n. 4. Bronchorſtius cent. II. adſert. 17.

Quod liceat eam repudiare.

§. CX. Qui ab alio compreſſam repudiari poſſe ſtatuunt, hæc potiſſimum urgent fundamenta: 1.) *Juris divini deciſionem.* Deut. XXII. 20. 21. *Si vir duxerit uxorem, & non eſt in puella inventa virginitas; educent eam extra fores domus patris ſui, & lapidibus obruent viri illius civitatis.* Quidam reſpondent, *hoc eſſe accipiendum de ea, quæ poſt ſponſalia contracta fuit vitiata;* ſed limitatio illa in textu non additur, quin imo circumſtantiæ oſtendunt contrarium, quia v. 15. jubentur parentes per adlata virginitatis ſigna crimen illud diluere, & v. 23. peculiaris lex fertur de ſponſa, cui poſt ſponſalia vitium ab alio eſt illatum, quod ipſa quoque lapidibus obrui debeat, prior igitur lex ſpectat ad ſponſam ab alio compreſſam ante ſponſalia. Præterea expreſſe additur, *ſi fornicata fuerit in domo patris*, v. 20. atqui virgines poſt ſponſalia in domum ſponſi deducebantur, ut *ſponſi pudicitiam earum tanto ſervarent curioſius, quanto ſibi ipſis fideliores eſſent*, ſi Chryſoſtomo homil. IV. in Matth. I. id adſerenti credimus. Quidam reſpondent, *eſſe hanc legem forenſem in nov. teſt. ſublatam.* Et ſane quoad ſpeciem pœnæ ſublatam eam eſſe haud inficias iverim; interim genus eſt morale, ac de legislatoris voluntate & facinoris hujus indignitate ex ea conſtare poteſt, quod ſi pœna ψευδοχόρης in vet. teſt. extendi potuit usque ad lapidationem, cur non extendi poſſet in nov. teſt. usque ad ſponſaliorum diſſolutionem? *Licet magiſtratus chriſtianus non ſit obligatus, ut hoc modo liberet maritum*, (inquit b. Chemnitius part. II. loc. de lege c. IV.) *poteſt tamen alio modo in tali caſu bona conſcientia eum abſolvere.* 2.) *Erroris hujus conditionem.* Error hic vocatur quidem *qualitatis*, qui verſetur circa accidentalia matrimonii; ſed ſi rem exacte velimus expendere, eſt potius talis error, qui verſatur circa aliquid ad ipſam conjugii ſubſtantiam pertinens, quia de ſubſtantia matrimonii eſt *caſtitas*, adeo, ut ob eam læſam diſſolvatur matrimonium jam contractum, ergo multo facilius nondum contractum impedietur. Qui cum virgine contraxit, non niſi in virginem conſenſit, & caſtitatis conditionem tacite ſubintellexit. Cap. *Quemadmodum 25. x. de jurejur.* Error hic adtingit *ipſum corpus*, cum læſa virginitas etiam corporis vitium cenſeatur; jam vero corpora conjugum pertinent ad materiam conjugii, materia pertinet ad rei ſubſtantiam; ergo hic error verſatur circa ipſam conjugii ſubſtantiam. Mentzerus de conjugio pag. 90. *Vocatur ſane error ille qualitatis, qui tamen, ſi exquiſite loquendum eſt, ad ipſam formam conjugii refertur, unde non debet negari ad eſſentiam matrimonii pertinere, pugnat enim cum illo principio*: Erunt duo in carnem unam. *Forma conjugii eſt obligatio, ſive vinculum ortum ex mutua conſenſione in arctiſſimam & indiſſolubilem conjunctionem in carnem unam. Quare ut adulterium e diametro pugnat cum matrimonio, ita certum eſt, ſcortationem etiam cum eo pugnare non in aliquo accidente, ſed reſpectu ipſius formæ.* Cypræus de ſponſ. cap. XIII. §. 39. *Ad errorem qualitatis Lombardus & alii referunt, ſi virgo alicui ſit deſponſata, quam alius compreſſit; ſed rectius meo judicio refertur ad errorem conditionis, quod vitiata ſtatum quodammodo mutet, infamis fiat, & capitis diminutionem patiatur, nam pudicitia amiſſa omnis in fœmina virtus ruit.* Quod ſi ergo jure canonico & civili per *errorem conditionis*, ſi quis ducit ſervam, quam putabat eſſe ingenuam & liberam, matrimonium reddit irritum; quanto magis irritum reddi poterit, ſi quis compreſſam ducat, quam virginem caſtam eſſe putabat; ecquis enim non malit in conjugio retinere ſervam caſtam, quam

quam liberam ab alio compressam? 3.) *Josephi commendationem.* Josephus Mariæ sponsus, antequam ex angelo didicisset, sponsam suam ex peculiari & supernaturali Spiritus sancti operatione absque viri congressu concepisse, cogitavit eam deserere; Matth. I. 19. atque hoc nomine non reprehenditur, sed in ipsa hujus propositi descriptione *justus* vocatur, sicque justitiæ hæc voluntas deputatur. Quidam δικαίᾳ adpellationem exponunt de *misericorde*, sicut etiam justitia pro *beneficentia & misericordia* quandoque accipitur (*), ut sit sensus, Josephum noluisse stricto jure contra sponsam uti, quia fuerit misericors & benignus; sed potest etiam proprie accipi pro eo, *qui justus est, & juste agit*, ut sit sensus, Josephum noluisse statim re nondum penitus cognita & perspecta sponsam in jus vocare, sed eventum prius exspectare. Quidam subintelligunt particulam discretivam *tamen*, hoc sensu: Josephus cum esset justus, tamen noluit eam traducere. Justitia eum impellebat, ut sponsam, quam gravidam cernebat, ac proinde ab aliquo vitium ei illatum esse suspicabatur, ad judices deferret, ut illi causa cognita & crimine deprehenso exemplum in ea statuerent, capitali pœna eam adficiendo; sed cum videret castos illius mores, ac in hanc opinionem inclinaret, quod ante sponsalia secum contracta virum admisisset, cui adhuc nubere posset, si ab illa sponsione esset liberata, mitiorem hanc viam ingredi voluit, ut occulte ab ea secederet. Quidquid sit, ex textu manifeste constat, hoc propositum ex Josephi animo æstimatum non improbari a Spiritu sancto, sed de Mariæ conceptione rectius eum informari, nec juberi Josephum ab angelo, ut sponsam retineat, quia ex alio gravidam non liceat dimittere, sed quia *id, quod in ea natum est, sit ex Spiritu sancto.* 4.) *Doli admixtionem.* Non subest hic nudus & simplex error cujusdam accidentis levioris, sed detestandus & intolerabilis dolus ex parte mulieris intervenit, dum pro casta virgine sese venditat, quæ tamen alium admisit. Jam vero matrimonium fraude ac dolo initum merito dissolvitur, id quod in aliis etiam contractibus locum obtinet. *l. Et eleganter. 7. in pr. ff. de dol. malo. l. 5. C. de rescind. vendit. Per dolum malum, si legitime probetur, bonæ fidei contractus ipso jure vitiantur.* 5.) *Incommodorum consecutionem.* Talia matrimonia, si pars innocens ad ea cogatur, difficiles solent plerumque sortiri exitus. Cap. *Præterea c. cum locum de sponsalib.* Maritus in perpetua suspicione hæret, semel malam inposterum etiam sui similem futuram. Leo imperator nov. 93. præter alias rationes etiam hanc ab incommodis petitam urget. *Sponsam quamdam* (inquit) *furtivis complexibus ab alio esse gravidatam, cum illa interim sponsalem præ se ferret castimoniam, sponsaliorum tempore compertum est. Decernimus igitur, ut propter hoc, quo nihil magis ma-*

(*) Vocem Græcam δίκαιος non tantum significare *justum*, sed & *æquanimem, bonum, misericordem*, dudum observarunt interpretes. Unde & apud Ebræos צדק & צדקה per ἔλεος & ἐλεημοσύνην a LXX. interpretibus redditur. Vid. FRID. SPANHEIMVM in *dubiis evangelicis, part. I. cap. XXXI. §. 1.* & VORSTIVM *de Ebraismis nov. test. v. I. p. 45. seqq.* In eodem significatu usurpatur hæc vox 1 *Joan. I. 9.* & 2 *Petr. I. 1.* atque, ubi de Josepho *Matth. I. 19.* usurpatur, haud incongrue verti posset: *Er hatte ein gütiges Herz.* Unde Mariam sponsam publicæ ignominiæ noluit exponere, maxime si ab eadem, tanquam ab adultera pœna sumenda esset a magistratu. *Deuter. XXII. 21.* Sed eandem clam repudiare decrevit. Nam, ex mente doctorum Talmudicorum in codice *Gittin*, ubi de modo libellum repudii uxori repudiandæ tradendi agitur, ejusmodi libellus clanculum quoque, nulla adlegata repudii causa, dari poterat in manum, vel in sinum fœminæ, præsentibus duobus duntaxat testibus.

trimonio adversatur, quos sponsaliorum opinio non veritas copulavit, disjungantur. Quomodo enim vera sponsalia sunt, in quibus nihil verum neque genuinum conspicitur, ubi meretricium se offert scelus, ubi causæ sunt dissidiorum & odii, ubi animorum alienatio, quæ mala acervatim omnia cum peregrino alienoque semine suscipiuntur, quomodo ibi matrimonialis concordia, quomodo purus sponsalisque est amor? quin ut quispiam alterius foetum sibi subjiciat, id vero ratio non patitur. Neque item justum est, ut qui spe honestæ casti matrimonii oblectationis sponsam in domicilium suum recipere constituerit, si illa matrimonii legibus insultet, & cum aliis lasciviendo oblectationis spem evanidam ipsi reddat, in meretricia illa facilitate ipsam uxorem agnoscere debeat. Hanc imperatoris Leonis constitutionem in epitomen suam redegit Harmenopolus lib. IV. tit. 1. cap. de sponsi. dissolut. 6.) *Paritatis rationem.* Si filii non debent portare culpæ paternæ pœnam, utique nec sponsus debet delicto sponsæ prægravari. Sed prius constat ex jure divino. Deut. XXIV. 16. 2 Reg. XIV. 6. 2 Paral. XXV. 4. Jer. XXXI. 30. Ezech. XVIII. 20. Ergo & posterius. Prægravaretur autem vel maxime, si sponsam ab alio compressam retinere cogeretur, quia vitium illud eam sic deformat, ut citra ignominiæ labem ac honoris diminutionem in matrimonio ipsam retinere nequeat. Ex jure civili etiam hanc rationem adferunt: si quis virginem se emere putasset, cum mulier veniret, & sciens errare eum venditor passus sit, ex emto competit actio ad resolvendam emtionem, ut restituto pretio mulier reddatur. *l. ex emto 11. §. si quis virginem. 5. de action. emt.* Apud Romanos id in usu fuisse colligitur ex Plauto in Pers. act. III. scen. 1. ubi virgo ad patrem his utitur verbis: *Necessitate me, mala ut fiam, facis. Verum videto, ubi voles me nuptum dare, ne hæc fama faciat repudiosas nuptias.* Ita statuunt Gentilis lib. VI. de nupt. cap. XIII. Cyprœus de sponsal. cap. XIII. §. 44. n. 3. Reusnerus lib. IV. decis. 5. ubi in consistoriis ita pronunciari adserit. Bidenbachius de caus. matrim. f. 87. in consistorio Wirtenbergico ita decisum fuisse memorat 16. Martii anni 1598. & 2. Novemb. ejusdem anni. Försterus de nupt. cap. VIII. pag. 120. & seq. Arumæus exercit. II. quæst. 15. Hunnius resolut. juris civ. lib. I. tract. 3. quæst. 12.

CXI. Nostram sententiam certis distinctionibus includemus: *a.*) Aut vitium illatum est sponsæ *post sponsalia*, aut *ante sponsalia* contracta. *b.*) Aut quæritur de ea, quæ *compressa tantum* & vitiata, non autem gravida, aut de ea, quæ & compressa est *& gravida. c.*) Aut quæritur *separatio ante nuptias*, aut *post nuptias. d.*) Aut maritus *cum ea rem habuit*, postquam scivit ab alio compressam, aut *ab ea abstinuit*, postquam vitium ei illatum esse innotuit. His ce præmissis sic procedimus: 1.) Si post contracta sponsalia vitium sibi inferri ab alio sponsa fuit passa, necdum sponsus eam domum deduxit, nec matrimonium consummavit, facili negotio obtineri debet a sponso ita petente separatio, sive sit compressa tantum, sive compressa simul & gravida; quia propter adulterium matrimonium dissolvitur, jam vero in sponsa etiam adulterium committitur, ut colligitur ex pœna, quæ constupranti alienam sponsam irrogatur. Deut. XXII. 23. 24. 2.) Si post contracta sponsalia sponsa alteri sui copiam fecit, & sponsus hujus rei ignarus nuptias cum ea contraxit, eidemque carnaliter cohabitavit; tentanda est reconciliatio, hoc est, ut maritus hanc noxam conjugi remittat, & in conjugio eamdem retineat. Ea vero si obtineri a marito nequeat, & ipse divortium urgeat; non potest cogi, ut fœdifragam retineat, modo ab ejus consuetudine conjugali abstinuerit, quam primum eam ab alio gravidam, vel compressam esse rescivit. Ratio est eadem, quia talis habetur pro adultera, jam vero propter adulterium dissolvitur conjugii vinculum. 3.) Si ante sponsalia contracta sponsa violata est, & sponsus

sus hujus rei sciens ac gnarus cum ea sponsalia contraxit, non potest postea separationem petere, *quia sero recusat mores mulieris, quos uxorem ducendo probavit; l. 13. §. fin. ff. ad L. Jul. de adulteriis*, nec se deceptum queri potest, qui sciens & volens eam sibi desponsit, cujus conditionem non ignoravit. 4.) Si post sponsalia contracta sponsa sui copiam alteri fecit, & sponsus hujus rei sciens ac gnarus nihilominus matrimonium cum eadem consummavit; non potest divortium postea petere, ex eadem ratione, quia præsumitur rei cognitæ adquievisse, & sponsæ hoc delictum condonasse. 5.) Si ante sponsalia virgo corrupta est, nec tamen gravida, tentanda est reconciliatio, & sponsus a judice monendus, ne a pacto matrimoniali discedat, præsertim si ignorantia sponsi sit spontanea, vel satis crassa, vel si sponsa a celebratis sponsalibus modeste sese gesserit, & commissam culpam humiliter deprecata fuerit. Ratio pendet ab honestate & favore conjugii. Quod si vero reconciliatio non possit invenire locum, sponsus non potest cogi, ut domum eam ducat. 6.) Si vel ante, vel post sponsalia virgo ab alio corrupta est & simul gravida, nec dum a sponso domum ducta, tantum abest, ut cogendus sit sponsus ad eam ducendam, ut ducere parantem magistratus ad tempus cohibere debeat, cum ex alio gravidam ducere, in christiana ecclesia turpe sit. 7.) Si sponsus prætendit sponsam ab alio esse constupratam, nec tamen de tali stupro constat, cum sponsa non sit inventa gravida, tunc talis sponsus ad ambiguam probationem non debet admitti, neque separatio ipsi concedi. Si vero de stupro manifeste constat, & sponsa invenitur gravida, tunc si nihil de stupro scivit, cum eam sibi desponsaret, nec reconciliationi locum dare cupit, per sententiam judicis a constuprata absolvi potest. Videatur Beustius de matrim. cap. XXXIV. pag. 179. ubi recitat epistolam Philippi Melanchtonis ad Pfeffingerum, & Chytræus in comment. cap. XVIII. Levit. pag. 413. Lutherus consultus de hoc casu suadet bono cuidam viro, ne dimittat ab alio impregnatam, *cum ipsam perpetuo humilem & obedientem sit habiturus, si peccatum illud ei condonet.* Idem tamen alibi non repugnat, *posse talem relinqui & aliam duci, si maritus ipsi condonare nolit.* Tom. V. Jen. Germ. f. 250. tom. VI. Jen. f. 530.

Quæstiones de vitio sponsae illato.

§. CXII. Quæritur hoc loco: 1.) *Si sponsus, vel maritus in discrimine vitæ constitutus sponsæ, vel uxori imperet, ut adulterandam se præberet, & mulier ei obsecuta copiam sui alteri faceret, an postea sponsam, vel conjugem repudiare possit?* Negat Cypræus de sponsal. cap. XIII. §. 43. & recte, quia ut impudicitia sponsæ non præbet sponso justam repudiandi causam, si sciens impudicam duxit, sic multo magis non potest ob stuprum, vel adulterium eam repudiare, cui stupri, vel adulterii auctor exstitit. Plura hac de re in quæstione de divortiorum causis dicemus. II.) *An sponsa per vim constuprata repudiari possit?* Negant communiter, quia vis illata nullum consensum nec crimen habet, *mens impudicam facit, non casus.* Cap. Non potest &c. caus. 32. quæst. 5. *Non potest corpus corrumpi, nisi prius corruptus fuerit animus, munda namque a contagione anima caro non peccat.* cap. Revera &c. iisd. *Revera non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta.* Ergo non videtur repudium illi dandum, cui ablata virginitas corporis, non mentis. Interim tamen si ante matrimonium consummatum vis sponsæ illata, nec persuaderi posset sponsus, ut domum eam duceret, præsertim si non levis suspicio esset, eam blanditiis inescatam in vim ex parte consensisse, vel etiam si pro virgine sese venditasset, & sponsum decepisset; existimaverim sponsum non esse vi cogendum, ut fidem matrimonialem sponsæ datam servaret. 2 Sam. XIII. 14. Thamar per vim ab Ammone constuprata dicitur ab

eo

eo *humiliata*, *adflicta*, & probrum ei illatum. Idem de filia Jacobi a Sichemo oppressa dicitur, Gen. XXXIV. 2. quæ tamen in raptum illum ex post facto videtur consensisse. III.) *An & quomodo parentes, tutores & cognati, qui vitiatam pro virgine scientes elocarunt, puniendi sint?* Arbitrarie eos puniendos esse statuit Donellus lib. XIII. comment. cap. XX. & ibi Hilligerus, propter fraudes scilicet & dolos, quibus sponso imposuerunt, & rei sanctissimæ, conjugii scilicet, honestatem ac dignitatem violarunt. Philo in lib. de leg. special. *periculum imminere* scribit *curatoribus, si vitiata pro virgine sit elocata, non modo quia eam non custodierunt, verum etiam quia sponsum, vel maritum deceperunt.* Quæritur IV.) *An idem jus competat sponsæ in sponsum scortantem, quod sponso adversus sponsam vitiatam competit, hoc est: Num possit etiam sponsa repudiare sponsum ob vagas libidines, sicut sponso id licet adversus sponsam?* Distinguunt hic inter sponsum post sponsalia contracta scortatione se contaminantem, & ante contracta sponsalia libidinibus indulgentem. In priore casu idem jus utrique parti competere statuunt; in posteriore vero minime, proinde negant sponsam dissolutionem sponsaliorum ex hoc principio petere posse, quod sponsus ante sponsalia contracta scortatus fuerit. 1.) Jure Mosaico non requiritur, ut vir mulierem non adtigerit, sed de muliere, ut virgo sit, solicite providetur. Deut. XXII. 20. 2.) In fœmina libido multo fœdior est, quam in viro, & adulterium ob sobolis incertitudinem & partus suppositionem in uxore gravius delictum censetur. Vid. Cypræum de sponsi. cap. XIII. §. 57. Sed inferius demonstrabimus in petendo propter adulterium matrimonii consummati divortio idem jus uxori & marito competere, ex quo consequens videtur idem jus sponsæ & sponso in petenda propter scortationem matrimonii promissi dissolutione.

Limitatio superioris decisionis.

§. CXIII. Cæterum non ob dubias præsumtiones, nec ob incertos rumores de vitio sponsæ illato repudium potest a sponso instituti, sed requiruntur certæ & evidentes probationes; unde etiam in lege Mosaica Deut. XXII. 17. maritus violatæ pudicitiæ conjugem adcusans, & in probationibus deficiens non solum eam perpetuo retinere cogebatur, sed *verberibus* insuper ac *mulcta pecuniaria* plectebatur. Caveat igitur sponsus, ne occultis susurronibus ac detractoribus, diaboli emissariis, aures temere aperiat, ac sponsam in famæ discrimen adducat, qua de re graviter scribit b. Lutherus in lib. de caus. matrimon. tom. 5. Convincenda est puella, quæ corrupta esse dicitur. Nam hoc casu solis suspicionibus, aut conjecturis niti, vel hominum maledicorum sermonibus, qui puellam traducunt, id vero nec Deo placet, nec æquitati congruum est. Nam diabolus sæpe pravis suspicionibus & virulentis linguis nuptias disturbavit, & ubi disturbare non potuit, suspicionibus animos desponsatarum personarum abalienavit. Illis vero ut occurratur, hæc ineunda est ratio: Si quis in aurem tibi insusurraverit, sponsam tuam ab alio esse violatam, & in eam rem multa congesserit, quære ex eo, an in judicio eadem testari & profiteri velit? Id si facturum se negaverit, & tandem eo abeat, se monendi tantum causa hoc protulisse, ibi pro certo habeas, illum esse a diabolo ablegatum, & falsa dicere, etiamsi pater, vel mater, vel soror sit; cur enim re adhuc integra, non dedit tibi consilium, &c?

Probatio virginitatis Mosaica.

§. CXIV. In judaico populo quis fuerit modus probandi, sponsam in maritali congressu virginem fuisse inventam (*), constat ex Deut. XXII. 15. in quem locum sic commentatur

(*) De indiciis virginitatis multa tradunt ebrææ gentis magistri, quæ ex eorum scriptis diligenter collegit JO. SELDENVS in *uxore Ebraica libr. III. cap. I.* Nos ea heic non repetemus.

tatur Lyranus: *Dicunt expositores catholici communiter, quod pater & mater sponsæ reservabant linteum, in quo eorum filia a viro fuerat defiorata sub sigillo authentico, ut per hoc ostenderent signa virginitatis* (lintea scilicet sanguine hymenis in primo congressu rupti tincta), *si vir ejus vellet postea ei malitiose objicere, quod eam virginem non invenisset. Sed hoc videtur valde turpe, quod pannus talis expanderetur coram judicibus. Præterea non est verisimile, quod vir ejus auderet eam falso adcusare, cum sciret parentes uxoris habere testimonium prædictum suæ virginitatis, quia erat consuetudo communis, sic servare pannum secundum istam opinionem. Et ideo aliter exponunt Hebræi dicentes, quod hic est locutio parabolica, cum dicitur*, expandentque vestimentum; *id est, per verba testium declarabunt & explicabunt virginitatem filiæ suæ, sicut explicatur pannus. Modus autem testificandi virginitatem poterat esse per matronas fide dignas, quæ ad petitionem parentum vidissent virginem secrete, quando debuit tradi viro.* Sed hæc Lyrani sententia non potest communem & receptam explicationem evertere. 1.) Nulla necessitas nos cogit a litera discedere; jam vero expresse mentio fit vestimenti, vel lintei coram senioribus expandendi, neque hoc videri debet turpe & inhonestum, cum de lepra, fluxu seminis, sanguine menstruo & aliis immunditiei speciebus sacerdotes ipsos judicare oportuerit. 2.) Medici faciunt mentionem cujusdam membranæ, sive pelliculæ, quam hymena vocant, quæ in primo congressu lacerata sanguinem emittat. Vesalius lib. V. anatom. cap. XV. Columbus, Fallopius, &c. Quamvis vero Andr. Laurentius lib. VII. hist. anatom. quæst. 13. ut & Valesius de sacra philosophia c. XXV. secuti Oribasium lib. XXIV. collectan. membranam talem dari negent; interim tamen concedunt, aliud pudoris virginei claustrum dari, quo per primum congressum maritalem violato sanguis virginitatis custoditæ testis effluat, qua de re pluribus tractat Severinus Pineus in lib. de notis virginitatis. 3.) Hebraicum הַשִּׂמְלָה, quod in genere significat *vestem*, a radice שָׂמַל, paraphrastes chaldaicus reddidit שׁוּשִׁיפָא, *linteum*, quod coram senioribus fuerit explicandum. 4.) Hebræi, ut Moses Nachmannus & alii tradunt, in populo Israelitico moris fuisse, ut sponso ac sponsa in thalamum genialem introductis foris observarint duo testes, qui vocabantur שׁוֹשְׁבִינִין, *amici ac socii*, qui præeuntes cubiculum explorarunt, ne quid, quod ad judicium virginitatis pertinet, insidiarum alter alteri imponeret, totamque noctem adstantes summo cum gaudio animique hilaritate excubias, ceu custodes regis & reginæ egerunt, & postquam separati fuere novi conjuges, ingressi acceperunt linteolum super quo concubuissent, & in quo sanguis adpareret, idque ad parentes sponsæ detulerunt. 5.) Similem fere morem apud Fessanos adhuc observari, testis est Johannes Leo libr. III. descript. Afric. cap. XXXIV. Sponso namque & sponsa in cubiculum reclusis exspectat fœmina quædam præ foribus, donec sponsa devirginata linteolum sanguine tinctum ipsi porrexit, quod manu gestans hospitibus ostendat alta voce clamans, virginem hactenus incorruptam fuisse, si vero non fuit deprehensa virgo, mox cum maximo dedecore nuptiisque infectis ad parentes relegatur. 6.) Unde etiam Abulensis, postquam Lyrani opinionem aliquot argumentis prius confirmasset, postea tamen eam deserit, & communem sententiam literæ inhærentem sequitur.

§. CXV. Numquid ergo adhuc hodie audiendus novus maritus, ob non inventum in sponsa virginitatis illud signum separationem petens? Non videtur: 1.) Quia *destituimur expressa lege*, cum Mosaica illa, utpote forensis, ad Israeliticum duntaxat populum pertinuerit, alias enim tales sponsæ, de quarum pudicitia linteum non fert testimo-

An adhuc hodie locum obtineat?

nium coram paternis ædibus, adhuc hodie forent lapidandæ. 2.) Quia vel fluxu morbifico, vel adtritione, vel alio quodam casu contingere potest, ut signum illud virginitatis depereat. (*) *Caveant sponsi*, inquit Mausserus in comm. ad tit. de nupt. *ne disseminandis rumoribus sponsis suis maculam inuraut, easque suspectæ pudicitiæ arguant, si fortassis hymenis indicia manifesta non sint; tantum enim abest, ut hac ratione quidquam proficiant, ut sibi suisque labem & maculam indelebilem adspergant.* Cypræus de sponsal. cap. XIII. §. 51. *Etsi multum hisce signis tribuendum censeo; tamen si ea in virgine non reperiantur, satis causæ esse non existimaverim ad eam repudiandam & damnandam, quod omnium doctorum judicio sæpe manus & oculi fallant, & indicia hæc a certitudine absint, & quod hæc signa facile imitari & mentiri fœminæ, & viris fucum facere possint.* Si urgeas, eandem esse corporis fœminei constitutionem, quæ fuit tempore legis illius Mosaicæ promulgatæ, ac proinde signi illius veritatem adhuc hodie obtinere; respondemus, stante lege Mosaica probationem illam fuisse certam & sufficientem, ac summum legislatorem facile prohibere potuisse, ne cui innocenti ob non inventum illud virginitatis signum periculum crearetur; sed hodie abrogata ista lege non potest huic probationi absolute & simpliciter insisti, perinde ut *aquas illas amarissimas* in probationem adulterii adhibere amplius non licet. Num. V. 18. Quid si & hoc addamus, Israelitas olim filias suas anno ætatis duodecimo elocasse, ut hac ratione probatio illa virginitatis eo magis in ipsis locum habere potuerit? Illæ ergo probationes admittendæ: 1.) si sponsa ex alio sit gravida; 2.) si confiteatur, se cum alio rem habuisse; 3.) si testibus sufficientibus & fide dignis convinci possit. De corporis inspectione, an ex ea certum amissæ virginitatis indicium peti possit, item de lacte in mammillis, &c. judicium deferendum est ad medicos. Cyprianus lib. I. epist. 11. circa medium: *Non putet aliqua se hac excusatione defendi, quod & inspici & probari possit, an virgo sit? cum & manus obstetricum & oculi sæpe fallantur.* Postea tamen consulit, ut virginitatem professæ, quæ cum masculis in eodem lecto inventæ erant, *ab obstetricibus diligenter inspiciantur, & si virgines inventæ fuerint, accepta communicatione ad ecclesiam admittantur*, quod relatum est in jus canonicum, cap. *Nec aliqua &c.* & cap. *Quod si &c. caus. 27. quæst. 1.* Ex quo constat etiam Cypriani tempore, qui in tertio post natum Christum seculo floruit, ex corporis inspectione virginitatis indicium accipi consueviſse. Procul dubio secutus est hac in parte Cyprianus leges civiles in tit. *de ventre inspiciendo*, quia teste Pamelio in ipsius vita ante suam ad christianismum conversionem fuit *patronus causarum* in foro.

§. CXVI. *Alterum*, quod II.) *Dolus.* libero consensui adversatur est *dolus;* qui enim dolis ac fraudibus inducitur, ut in matrimonium consentiat, non potest dici sano & integro judicio consensisse. Quidam hic distinguunt inter dolum *bonum* & *malum*; item inter dolum circa *essentialia*, & alium circa *accidentalia* commissum. Beustius de matrim. part. II. c. 44. Matrimonium dolo contractum valet, videlicet si adolescens ducat aliquam in uxorem opinione magnarum divitiarum dolo, vel fraude persuasus, quia *matrimonium non bonorum accessione, sed consensu perficitur. l. fin. C. de repud.* Est enim duplex dolus, alius *bonus*, alius *malus*. Dolum bonum veteres pro solertia accipiebant. Sic si quis promittit aliquem instituere hæredem, si filiam suam in uxorem ducat, matrimo-

(*) Donatus Marcellus lib. IV. de medica historia mirabili c. XV. late probat, non esse amissæ virginitatis notam, si sanguis in primo congressu non profluxerit.

trimonio secuto, etsi socer generum non instituat, tamen matrimonium callide contractum non dissolvitur, quia ejusmodi dolus non est circa essentialia matrimonii, & hoc exemplum ponit Baldus, quod tamen limitat Jason, ut non procedat, si dolus tam enormis sit, ut etiam consensum tollat. Alii vero hanc distinctionem repudiant, & *quemvis dolum*, sive circa essentialia, sive circa accidentalia matrimonii versetur, matrimonium impedire adserunt. Cum enim quis dolo inducitur ad contrahendum matrimonium, sine quo alias non contraheret, manifestum est, dolum hunc essentialia matrimonii adtingere; neque enim in personam illam consensurus fuisset, nisi dolo ad id inductus esset. Unde inter dolum & errorem qualitatis distinguitur; errore enim nemo inducitur ad contrahendum, nec error dat causam contractui; unde fieri potest, ut errans in qualitate, eo errore non obstante, velit nihilominus contrahere; alia vero est ratio doli, qui in aliis etiam contractibus contractui causam dans inutilem eam reddit. Vid. Hunnius resolut. jur. lib. I. tract. 3. q. 11.

III.) *Ebrietas.* §. CXVII. *Tertio:* Sano & integro judicio adversatur etiam *ebrietas*, quæ scilicet tanta est, ut usum rationis penitus impediat. Injurii ergo sunt in divinam conjugii ordinationem, qui vino obruti rem tantam, in vero Dei timore, præmissis piis ad Deum precibus, & maturo consilio inchoandam, temere adgrediuntur, ac rectius faciunt parentes sponsæ ac virgo ipsa, si procantem ebrium re infecta a se dimittant, & mentem sobriam ad hoc negotium, in quo bona pars humanæ felicitatis versatur, adferre jubeant. Quod si in ebrietate sponsalia sint contracta, rescindenda illa esse statuit Hemmingius. *Dico*, inquit in lib. de conjug. p. 216. *quod male conglutinavit vinum, quod temeritas, quod coecus amor, quod male per lenas & lenones, suos diaconos, conjunxerat diabolus, hoc per suos ministros dirimat Deus, neque enim sentiendum est, eos a Deo esse conjunctos, qui male sunt conjuncti.* Atque hoc recte statuitur, cum primis 1.) Si personæ contrahentes non sunt sui juris, sed sub potestate patria, vel utraque, vel alterutra sit constituta. 2.) Si ebrietas omnem rationis usum temerario promissori ademit, quod vel testibus probandum, vel ex circumstantiis verisimiliter colligendum. 3.) Si adpareat lenoniis artibus a parentibus, vel cognatis sponsæ data opera id esse actum, ut juvenis alioquin honestus & sobrietatis amans inebriaretur, ac fidem matrimonii cœco impetu, non deliberato consilio daret. 4.) Si persona, cui ab ebrio promissum est matrimonium, sit turpis, vel alioquin vilis conditionis, genere & moribus sponsi indigna. Sed si *a.*) ebrietas fuerit levior, ac verbis rationis usum perspicue testantibus promissio fuerit facta; *b.*) vel si sobrius ratum habuit, quod in ebrietate a se gestum ac promissum; *c.*) vel si quotidianæ ingurgitationi ac fallaciis illis ludificandi honestas virgines fuerit deditus; non injuria cogitur ad fidem matrimonii datam servandam.

§. CXVIII. *Quarto:* *Fatuitas* sano judicio adversa itidem suos habet gradus. Est enim levis quædam *despipientia*, cum qua consensus in matrimonium consistere potest; alia vero ratio est *fatuitatis* ad extremum gradum perductæ, quæ, ut usum rationis intervertit, ita quoque matrimonialem consensum impedit. IV.) *Fatuitas.* *Quinto:* *Furor* alius est perpetuus, alius vero lucida habet intervalla. V.) *Furor.* Qui perpetuo furore aguntur, non possunt nuptias contrahere; sed qui lucida habent furoris intervalla, possunt tempore eo, quo sani sunt, & integro judicio utuntur, consentire. Ut enim tempore remissionis possunt testamentum facere, & testes esse, ita quoque in nuptias consentire. Ulpianus *l. qui testamento. 20. §. 4. Ne furiosus quidem*

dem teſtis adhiberi poteſt, cum compos mentis non ſit, ſed ſi habeat intermiſſionem, eo tempore adhiberi poteſt. Teſtamentum quoque, quod ante furorem conſummavit, valebit, & bonorum poſſeſſio ex eo teſtamento competit. An vero ſuperveniens furor ſponſalia, vel matrimonium dirimat, inferius diſpicietur.

VI.) *Minæ, metus & coactio.*

§. CXIX. *Sexto* denique *minæ, juſtus metus* ac *violenta coactio* matrimonialis conſenſus libertati adverſantur. Vim & coactionem definiunt *majoris rei impetum, qui repelli non queat*, ſed renitentem & invitum adigat. *l. vis. 2. ff. quod metus cauſa.* Metum vero inſtantis & imminentis, vel minis denunciati periculi fugam. Cap. *cum locum x. de ſponſal. Cum locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedit, neceſſe eſt, ut, ubi adſenſus cujusque requiritur, coactionis, materia repellatur. Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur, & ubi de ipſo quæritur, plena debet ſecuritate ille gaudere, cujus eſt animus indagandus, ne per timorem ſibi dicat placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis ſolet nuptiis provenire.* Cap. Conſultationi eod. *Illis, qui adſerunt, ſe in ſponſos nunquam veraciter conſenſiſſe, ſed metu illato compulſas verba protuliſſe conſenſus, licet animo diſſentirent, non ſtatim deneganda eſt audientia. Sed de illato metu eſt cum diligentia inquirendum, & ſi talis metus inveniatur illatus, qui potuit cadere in conſtantem virum, erunt non immerito audiendæ.* l. Nihil conſenſui. 116. in pr. de R. J. *Nihil conſenſui tam contrarium eſt, quam vis ac metus, quem comprobare contra bonos mores eſt.* Conjunge tot. *tit. ff. & C. Quod met. cauſ. geſt.* Diſtinguendum tamen *primo* inter metum *juſtum* (qui oritur ex comminatione eorum, quæ jure ac merito quis exhorreſcit, qualia ſunt, mors, cruciatus corporis, carcer, tormenta, amiſſio bonorum, vel omnium, vel maximæ partis, periculum pudicitiæ; ſcholaſtici complectuntur ea hoc verſiculo:

Stupri ſive ſtatus verberis atque necis;

& inter metum *vanum* ac *leviculum*, qui exiſtit non eorum, qui metuuntur, ſed illorum, qui metuunt, culpa. Non enim poſterior, ſed prior irrita reddit ſponſalia. *Secundo* inter metum *verum*, qui in conſtantem virum cadit, ac metum *reverentialem*; non enim hic, ſed ille tantum impedit matrimonium, nec *minus libere conſenſiſſe intelligendus eſt filius, quod ex reverentia erga patrem conſenſerit. l. ſi patre. 22. ff. de rit. nupt.* Bellarminus de matrim. cap. XIX. circa fin. profert hac de re diſtinctionem non contemnendam. *Tribus modis* (inquit) *intelligi poteſt, ut pater dicatur filium cogere ad matrimonium.* 1.) *Ut filium plane diſſentientem & invitum cogat vivere cum aliqua, quam velit ejus uxorem eſſe, & hoc non poteſt fieri, & ſi fiat, matrimonium eſt nullum.* 2.) *Ut filium adſentiri cogat injecto metu mortis, aut alio cadente in conſtantem virum, & hoc etiam patri minime licet. Neque matrimonium illud eſſet ratum, quoniam ad matrimonium non ſolum conſenſus, ſed etiam conſenſus liberrimus contrahentium exigitur, cum matrimonium ſit vinculum perpetuum, & natura ſua benevolentiam & amicitiam eamque ſummam requirat.* 3.) *Ut filium ad adſentiendum inducat auctoritate paterna imperando, quando revera filio id conducit, ita ut ſecundum rectam rationem diſſentire non poſſit, & hoc patri licet, & filius obedire tenetur. Et licet hoc etiam ſit ſuo modo cogere, & metum incutere mortis æternæ; non tamen propterea matrimonium illud diceretur coactum, neque irritum eſſet, quia metus ille gehennæ non proprie incutitur ad hoc, ut iſte uxorem ducat, ſed per ſe conſequitur præcepti transgreſſionem.* De prima & ſecunda coactionis ſpecie agit *l. Non cogitur. 21. ff. de rit. nupt. Non cogitur filiusfamilias uxorem ducere.* Quod

si ergo parentes eum vi cogere & tyrannnice agere velint, res deferenda est ad magistratum, cujus est causam discutere, & filium, si nimis acerbe prematur, ab injusta violentia defendere. De tertia coactionis specie agit *l. Sed quæ. ff. de sponsalibus: Quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. Tunc autem solum a patre dissentiendi licentia filiæ conceditur, si indignum moribus, vel turpem sponsum ei pater eligat.* Item *l. si patre. 22. ff. de rit. nupt. Si patre cogente ducit uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium, quod inter invitos non contrahitur, maluisse hoc videtur.* Leges civiles etiam hic distinguunt inter filium & filiamfamilias. Filius non potest cogi ad ducendam eam, quam recusat, filia autem consentire cogitur, si pater eam honesto viro despondeat. *l. nec filium. l. non cogitur. de rit. nupt.* Distinguunt insuper inter *causas metus*, ut ejus qualitas & magnitudo rectius æstimari possit. Incutitur enim is vel *divinitus*, casu quodam fortuito, vel *humanitus*, idque vel a *magistratu*, vel a *parentibus*, vel ab *eo, qui desponsationem ambit.* Si casu fortuito divinitus incutiatur metus, videlicet si quis matrimonium promittat in discrimine belli, naufragii, pestis, mortis, direptionis bonorum, &c. tunc sponsalia non redduntur irrita, quia is metus ad illum actum sponsionis efficiendum non est a Deo illatus. Si magistratus potentior metum incutiat, in majoribus habebitur justus metus, non autem in minoribus. Si parentes metum inferant, itidem distinguendum inter *minas atroces*, utpote si mortem, verbera, exhæredationem, &c. & *leviores*, si paternam indignationem minentur. Idem judicium de violentia, quam procus vel per ipsum immediate, vel per alium mediate infert. Notandum etiam illud, quod semper habendus sit respectus non solum ad eos, qui vim inferunt, & ad objecta sive media, per quæ vis infertur, & quarum rerum comminatio proponitur; sed etiam, & quidem cumprimis ad eos, qui vim sustinent, quod enim in viro justum metum efficere non posset, in fœminis natura timidioribus eum efficere poterit. Porisma hujus adsertionis esto, quod parentes non debeant vel aucupandarum divitiarum, vel externorum commodorum causa liberos plane invitos ac repugnantes cogere, qua de re plura diximus superius, ubi liberum contrahentium consensum in nuptiis jure divino & humano requiri ostendimus.

§. CXX. Ex eo, quod *liberum* tum partium contrahentium, tum eorum, in quorum potestate sunt, consensum ad justas & legitimas nuptias requiri, ac libertati consensus matrimonialis violentam coactionem adversari diximus, facile colligitur, cum consensu legitimo ac libero in nuptiis requisito extreme pugnare *raptum*, quem definiunt, quod sit *ablatio humani corporis vi & libidinis causa facta.* Molradius de matrim. p. 127. *Raptus est, cum quis honestæ famæ fœminam, sive virgo, sive vidua, sive monialis sit, invitis illis, quorum in potestate est, libidinis gratia abducit.* Circa eum notanda sunt tria: 1.) *Objectum*, in quibus scilicet personis raptus committatur. Rapiuntur non tantum puellæ, virgines honestæ vel ingenuæ, sive jam desponsatæ fuerint, sive non, vel quælibet viduæ fœminæ, licet libertinæ, vel servæ alienæ sint, sed etiam nuptæ mulieres, quarum raptores duplici tenentur crimine, tam adulterii scilicet, quam rapturæ. Quin imo in propriam etiam *sponsam* raptus crimen committi potest. *l. Raptores. C. de rapt. virgin.* *Meretrices* autem non rapiuntur, sed tantum vi tolluntur, & tunc non est actio raptus, sed tantum injuriarum. 2.) *Forma.* Raptus committitur, si ejusmodi personæ enumeratæ e custodia parentum, vel tutorum, vel curatorum, vel patronorum, vel dominorum rapiantur, ut illegitimi congressus exerceantur, sive volentibus, sive nolentibus virginibus, sive aliis mulieribus tale *De raptu.*

facinus fuerit perpetratum, sive sequatur matrimonium, sive minus. Rationem addit Justinianus *d. l. Raptores. Si enim ipsi raptores metu, vel atrocitate poenæ ab hujusmodi facinore se temperaverint, nulli mulieri sive volenti, sive nolenti peccandi locus relinquetur, quia hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur. Nisi etenim eam solicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus sese prodere.* 3.) *Poena.* Justinianus d. l. pœnam raptus statuit capitalem, item, ut etiam socii, & qui raptori opem tulerunt, eadem pœna comprehendantur. *Si in ipsa rapina, & adhuc flagranti crimine comprehensi fuerint, a parentibus virginum vel ingenuarum, vel viduarum, vel quarumlibet foeminarum, aut earum consanguineis, aut a tutoribus, vel curatoribus, vel patronis, vel dominis convicti interfici permittuntur, quin & illi, qui raptoribus auxilium invasionis tempore præbent, impune occidi possunt. Si fuga sibi consulant, magistratus ac judices magnam solicitudinem adhibere jubentur, ut eos possint comprehendere, & comprehensos in tali crimine post legitimas & juri cognitas probationes sine fori præscriptione durissimis poenis adficere, & mortis supplicio condemnare, nec ulla ad superiorem magistratum adpellandi ipsis datur licentia.* Ac si quidem ancillæ, vel libertinæ sint, quæ rapinam passæ sunt, raptores tantummodo supra dicta pœna plectuntur, substantiis eorum nullam diminutionem passuris. Sin autem in ingenuam personam tale facinus perpetretur, etiam omnes res mobiles seu immobiles raptoris & eorum, qui illi adfuerunt, cedunt raptæ, &c. Rationem hujus severitatis imperator addit hancce: *Nullo modo nulloque tempore datur a nostra serenitate licentia eis consentire, qui hostili more in nostra republica matrimonia student sibi conjungere, &c.* In const. eccles. elect. Augusti in cap. de pœna scortat. & adult. fol. 116. pœna raptus ac stupri violenti statuitur itidem *capitalis*, sive a conjugato, sive a cœlibe, sive in virginem, viduam, nuptam, vel etiam meretricem committatur. Canones pontificii pœnam capitalem præpostera quadam lenitate raptori remittunt, si confugerit ad ecclesiam, & pœnitentiam egerit. Vid. tit. decretal. de raptoribus & incend. *An inter raptorem & raptam matrimonium constare possit*, de eo dispiciemus inferius.

Quaestiones de qualitatibus, consensus.

§. CXXI. Atque hæc de consensu *legitimo* ac *libero* dicta sint. Cæterum cum superius dictum fuerit, requiri insuper, ut consensus sit *verus, mutuus & exterius declaratus*, quæritur hoc loco: I.) *An is, qui simulato animo sese consensisse dicat, ad nuptias cogendus sit?* Proponitur ejusmodi casus cap. *Cum tua. 26. x. de sponsalibus. Cum juvenis quidam omnia expertus esset, ut honestam mulierem ad stuprum induceret, aliter vero, ad id eam inducere non potuisset, quam ut fidem matrimonii ei daret, hac tandem fraude usus est, ut sub Johannis nomine cum aliter ipse vocaretur, conjugium ei promitteret his verbis: Johannes te desponsat; quo dolo illecta mulier copiam sui fecit, postmodum vero testatus est nunquam sibi animum fuisse eam ducendi, illa vero fidem matrimonii datam sibi petiit servari.* Inde quæsitum quid juris? Pontifex respondit, *conjugium non fuisse contractum, nec impostorem ad mulierem ducendam debere cogi.* Hoc responsum pontificis exagitat Beza lib. de repud. ac divort. p. 85. ac pluribus demonstrare conatur argumentis, sponsalia fuisse rata ac firma, & impostorem ad ea, quæ promisit, servanda cogi posse. Contra vero Albericus Gentilis lib. II. de nupt. cap. V. pag. 283. ac Cypræus de sponsal. pag. 72. pontificis sententiam judicant verissimam, quod scilicet ejusmodi sponsalia sint nullius roboris æstimanda, nec cogendum esse decepto-

I.) *An qui simulate consensit, sit cogendus?*

ceptorem ad eorum consummationem. Quorum sententiam & nos probamus, quia præter alia horum sponsaliorum vitia, errorem scilicet nominis cum *personæ errore* conjunctum ac *dolum*, manifestum est, quod deficiat *contrahentium consensus*, qui præcipue tanquam basis & quasi anima in contractu matrimoniali requiritur. Impostor enim ille non habuit animum hanc mulierem ducendi, sed libidini suæ per carnalem cum ea commixtionem satisfaciendi, jam vero simulatio non habet consensum & simulata censentur pro infectis. Si dicas, *hac ratione bipatentes fores hominum levitati aperiri, quilibet enim poterit obvertere, se non vero, sed ficto & simulato animo consensisse?* Resp. impostorem ejusmodi, licet ad nuptias cogi non debeat, gravissima tamen pœna in aliorum terrorem esse adficiendum. Præterea si ex circumstantiis constet, illam de simulato promisso exceptionem esse confictam, utpote si in præsentia honestorum virorum fidem matrimonialem alteri dedit, si promissionem iteravit, si ut sponsam eam habuit &c. merito non audiendus talis impostor cum sua exceptione, sed in proposito casu non conjugii ineundi, sed libidinis explendæ animus in hoc impostore conspicitur.

II.) *An muti & surdi consentire possint?*

§. CXXII. Quæritur II.) *An muti & surdi etiam in matrimonium consentire possint?* Ratio dubitandi ea est, quod non possint consensum illum exterius declarare. Sed monuimus superius, declarationem consensus fieri non solum verbis, sed etiam gestibus & signis externis. Quamvis ergo quidam disputent, ut natura surdi & elingues non possint testamentum, vel stipulationem facere, cum non sint solennium, quæ in illis requiruntur, capaces: ita eosdem non posse sponsalia contrahere; præferenda tamen illorum sententia, qui statuunt, eis non posse simpliciter & absolute conjugii ineundi potestatem denegari, si ad illud sint apti nati, & consensum ac voluntatem suam certis signis externis testentur, alias a nuptiis arcerentur illi, quos naturæ propensio ad legitimam conjunctionem impellit. Quod si enim etiam inter absentes *per nuncium, vel epistolam* sponsalia contrahi possunt. l. *sufficit. ff. de sponsalib.* quale exemplum suppeditant Isaaci & Rebeccæ sponsalia, Genes. XXIV. quidni etiam mutus ac surdus per externa quædam signa, quæ sint verbis vicaria, suum in nuptias consensum exprimere possit? Exstat hac de re Innocentii III. rescriptum ad episcopum Arelatensem. c. Cum apud. x. de sponsalib. *Consuluisti nos, utrum mutus & surdus alicui possint matrimonialiter copulari? Ad quod tibi respondemus, quod cum per prohibitionem sit edictum de matrimonio contrahendo, ut, quicunque non prohibetur, per consequentiam admittatur, & sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumve conjunctionibus agitur, videtur, quod si talis velit contrahere, sibi non possit, vel debeat denegari, cum, quod verbis non potest, signis valeat declarare.* De cœco & surdo negat Carerius lib. I. de nupt. c. IV. *quia promissio in sponsalibus ortum ducat a duobus sensibus externis, visu scilicet & auditu.* Sed nulla hic adparet diversitatis ratio, quin si muto & surdo consensus declaratio & potestas ineundi conjugii datur, etiam cœco & surdo eadem sit concedenda.

III.) *An expressus contrahentium consensus requiratur?*

§. CXXIII. Quæritur III.) *An tacitus contrahentium consensus sufficiat, an requiratur expressus? Expressus* consensus vocatur, quando filius, vel filia verbis expressis, vel signis in oculos incurrentibus, utpote arrhæ receptione, Gen. XXIV. 53. dextræ porrectione, Tob. VII. 15. consensum suum testantur. *Tacitus*, quando filius, vel filia sese despondentibus non contradicunt, id est, quando nec verbis, nec signis consensum suum exprimunt,

munt, sed præsentes sunt in desponsatione, & tacent. Atque hic tacitus consensus sufficit, si a patre fiat desponsatio. l. *In sponsalibus 7. ff. de sponsalib. Intelligi semper filiæ patrem consentire, nisi evidenter dissentiat.* Julianus scribit l. *Sed quæ. 12.* eodem: *Quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur.* Sed si a tutoribus, fratribus, cognatis, &c. fiat desponsatio, non sufficit consensus tacitus, sed requiritur expressus; rationem adsignant eam, quod non sit tanta potestas tutorum, fratrum, cognatorum, &c. quanta est parentum. Unde etiam jure civili filia patri eam desponsanti consentire cogitur, & uno solum casu dissentiendi facultatem habet, nimirum *si indignum moribus vel turpem generum pater elegit, l. sed quæ patris. ff. de sponsalibus.* Sed in tutoribus aliter se res habet. Illi enim non possunt pupillis imperare, ut huic, vel illi nubant, sed omnia ex pupillorum voluntate fieri debent l. *si puellæ* eod. Vid. Cypræus de sponsalib. cap. VI. num. 14.

SECTIO III.

DE CAVSA MATRIMONII ANTECEDENTE AC DISPONENTE, HOC EST, DE SPONSALIBVS.

§. CXXIV.

Consensus duplex, sponsalitius, & matrimonialis.

Consensus, qui est efficiens matrimonii causa, declaratur non solum in nuptiis, sed etiam in *sponsalibus*, quæ sunt causæ nuptiarum antecedentes, disponentes ac præparantes, ideo hoc loco de sponsalibus agere non erit inconveniens. Antequam vero ad sponsaliorum naturam declarandam progrediamur, notandum est, haud immerito duplicem consensum statui *sponsalitium & nuptialem.* Quamvis enim generaliter loquendo consensu tam sponsalia, quam matrimonium confiant; tamen alius est consensus, per quem *sponsalia*, alius, per quem *matrimonium* contrahitur, quod patet 1.) Ex *contrahentium intentione.* Qui in sponsalia consentit, non habet sibi hunc propositum finem, quod eo ipso statim tempore maritus fieri, & matrimonium consummare velit, sed ut sponsus fiat, & post intervallum aliquod temporis nuptias contrahat. Qui vero in nuptias consentit, eo ipso statim tempore maritus fieri expetit. 2.) Ex *consensus geminatione.* In omnibus omnino ecclesiis receptum, ut sponsus ac sponsa, antequam per sacerdotalem benedictionem copulentur, in ecclesiæ facie publice interrogentur, an in conjugium consentiant? cum tamen jam ante in sponsalia consenserint. 3.) Ex *sponsaliorum & nuptiarum, quibus consensus adhibetur, distinctione.* Si sponsalia a nuptiis vere & realiter sunt distincta, utique etiam consensus sponsalitius a consensu matrimoniali merito distinctus censetur. *Connexio* patet, quia non possent nuptiæ a sponsalibus, & sponsalia a nuptiis distingui, si consensus sponsalitius, qui in sponsalibus declaratur, esset omnibus modis idem cum consensu nuptiali, hoc est, tota & integra nuptiarum causa, cum causa sufficiente in actu posita necessario ponatur effectus. Sed sponsalia a nuptiis distingui, & quidem necessario distingui, sub finem hujus articuli demonstrabitur; utique ergo etiam sponsalitius consensus a nuptiali est distinguendus. 4.) Ex *rei ipsius natura & conditione.* Aliud est promittere, aliud promissionem implere, & quod promissum est, in effectum deducere. Aliud est nuptias contrahere, aliud ad contrahendas nuptias sese obligare. Qui in sponsalia consentit, non statim nuptias contra-

trahit; sed intra certum tempus nuptias se contracturum promittit. Adnotabo hac de re verba Hemmingii de conjug. pag. 46. *Spectatur*, inquit, *consensus & in sponsalibus & in nuptiis, ut ille sit pactio de futuro conjugio, hic autem de præsenti. Consensus in sponsalibus est causa disponens ad futuras nuptias, ideo recte dicitur, sponsalia esse promissiones de accipienda uxore, qualibuscunque tandem verbis fiant. Consensus in nuptiis est causa efficiens conjugii, qui dicitur consensus cohabitationis & individuam vitæ consuetudinem retinendi. Idcirco recte adseritur, nuptias esse, quibus accipitur uxor, & ratificatur promissio prius facta. Longe enim aliud est promittere, quam facere, & longe aliter judicandum est de promissis nuptiis, quam de ratificatis & consummatis. Quapropter vere dictum esse existimo, de consensu sponsalium: Consensus causa est nuptiarum, sed non tota. Et rursus vere dicitur: Consensus facit conjugium, cum de consensu, qui in nuptiis fit, loquimur.* Cypræus de sponsal. cap. V. §. 1. num. 4. *Regula illa, quod nuptias non concubitus faciat, sed consensus, intelligenda est non de promissione, quæ fit in sponsalibus, ubi futuras nuptias quis promittit, sed de consensu conjugali, hoc est, mariti promittentis & consentientis nuptiis præsentibus, accipientisque in uxorem copulatam & traditam, & ex eo tempore possidentis;* unde etiam concludit §. 37. n. 4. in nuptiis *geminum* requiri consensum, *sponsalem & conjugalem.* 5.) Ex *juris dispositione.* Sponsalia sicut nuptiæ consensu contrahentium fiunt, & ideo *sicut nuptiis, ita sponsalibus filiamfamilias consentire oportet*, ait Julianus l. Sponsalia. 11. ff. de sponsalibus. *In sponsalibus consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur*, ait Paulus *l. in sponsalibus*, eod. Utique ergo alius est sponsaliorum; alius nuptiarum consensus. 6.) Ex *multiplici ad absurdum deductione.* Si non differret consensus sponsalitius a nuptiali, nihil discriminis esset inter μνηστεύεσθαι & γαμεῖν, inter adfectionem sponsalem & maritalem, inter uxorem promissam & traditam; sponsa posset & deberet sponso carnaliter cohabitare; sponsalia non possent propter alias causas dissolvi, quam matrimonium consummatum, nec inter impuberes, nec cum conditione contrahi, quia matrimonium eo modo contrahere non licet, &c. quæ omnia sunt absurda & ἀσύστατα. Plura adferemus sub finem hujus sectionis.

§. CXXV. Præmissa isthac distinctione, quæ ad plurimarum quæstionum ἐπίλυσιν adhiberi potest, ad sponsaliorum naturam declarandam descendimus, initio tractationis facto ab ὀνοματολογίᾳ. Sponsalia Verrerius Flaccus, ut est apud Pompeium Festum, inde dicta existimat, *quod sponsus & sponsa olim σπονδὰς interpositis rebus divinis facerent;* quidam deducunt *a sponte*, quod tales stipulationes futuri conjugii debeant esse spontaneæ; sed rectius dicta censentur *a spondendo*, quia non parentes solum, & qui eorum loco sunt, filium ac filiamfamilias despondent, *sed sponsus etiam futuram conjugem sibi stipulatur & spondet, unde sponsi ac sponsæ nomen exstitit.* Ulpianus l. sponsalia. 2. ff. de sponsal. *Sponsalia dicta sunt a spondendo, nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras.* Florentinus l. 3. eod. unde & sponsi sponsæque appellatio nata est. Conjunge Gellium libr. IV. noct. Attic. cap. IV. ubi ex Servio Sulpitio & Neratio Prisco veteres sponsaliorum ritus adducit. (*) Quia vero *spondere* proprie

Sponsaliorum I.) *Nomenclatura.*

(*) De ratione spondendi veterum insignis apud PLAVTVM exstat locus, in *Aulu-*

laria, *act.* 2. *sc.* 2. ex quo auctore haud vulgaria juri Romano interpretando subsidia

prie dicitur, qui pro alio promittit non juſſus, vel rogatus, ſed ſponte, ut notant interpretes in authent. de fidejuſſ. ideo *ſponſores* non *promiſſores* dicuntur, qui puellas promittunt, ut verecundiæ ac pudori puellarum hæc modeſtia condonetur. Alciatus libr. I. parerg. c. II. Piſo Soaccius de ſponſ. part. I. pag. 9. Deſponſationis a parentibus factæ exemplum proponitur Gen. XXIV. 51. ubi Eleazaro petenti Rebeccam Iſaaco filio domini ſui uxorem dari, Bethuel parens & Laban frater puellæ reſpondent: *En Rebecca coram te eſt, tolle eam, & proficiſcere, & ſit uxor filii domini tui.* Tob. VII. 15. Raguel adprehendens dextram filiæ ſuæ dextræ Tobiæ tradidit dicens: *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob vobiſcum ſit, & ipſe vos conjungat, impleatque benedictionem ſuam in vobis;* ubi proponimus hanc regulam: Illæ demum filiorum ac filiarum deſponſationes ſunt benedictæ, quæ fiunt a parentibus, qui Dei vices hac in parte gerunt. Ut enim Deus ipſe in paradiſo Evam primam ſponſam Adamo adduxit ac deſpondit, ita adhuc per parentes & eccleſiæ miniſtros ſponſum ac ſponſam copulat, ut ſit deſponſatio & copulatio ipſi grata & benedicta. Rabbinis ſponſalia dicuntur קדושין, a ſanctiſſimo conjugii fœdere, quod in illis pangitur.

§. CXXVI. Sponſaliorum nomen in jure civili variis modis accipitur. Dicuntur enim ſponſalia 1.) *Arrhæ ſponſalitiæ*, quæ a ſponſo dantur ſponſæ. l. 1. C. ſi nupt. ex reſcript. pet. 2.) *Donatio propter nuptias*, l. 2. C. de ſecund. nupt. 3.) *Munera ſponſalitia*, l. 3. C. de donat. ant. nupt. vel propter nupt. & ſponſ. ubi Cujacius in par. 4.) *Convivia ſponſalibus adhibita.* Cicero lib. II. epiſt. ad Quintum fratrem loquens de ſponſalibus, inquit: *Huic convivio Quintus deſuit.* 5.) Proprie & huic loco convenienter ſponſalia *ſolemnem futurarum nuptiarum ſponſionem* notant, ac definiuntur, quod ſint *mentio ac repromiſſio futurarum nuptiarum;* l. 1. ff. de ſponſalibus. c. Noſtrates. 30. q. 5. ubi *mentio* idem notat, quod interrogatio (*), *promiſſio* vero, ſeu *repromiſſio* idem, quod reſponſio (**), *qui enim poſcit, mentionem facere dicitur, qui reſpondet, repromittere.* Albericus Gentilis lib. II. de nupt. c. I. Mejerus in colleg. Argent. ad tit. ff. de ſponſ. n. 2. Vocatur autem illa ſponſio *nuptiarum futurarum* repromiſſio, quia promiſſio debet eſſe mutua & reciproca; non enim ſponſalia fiunt, ſi vir accepta mulieris manu dicat: *do tibi fidem de te in uxorem accipienda*, niſi etiam illa tacite, aut expreſſe idem promittat. Thad. Piſo Soaccius de ſponſal. part. I. quæſt. *Quid ſint ſponſal.* num. 1. Nec tamen ob id neceſſarium, ut correcto textu legatur pro mentione *mutua repromiſſio*, ut Hotomannus in lex. & Weſenbecius in parat. diſputant, quia mentio notat talem compellationem, quæ pollicitationem habet ex parte compellantis, ea quippe rogationi ſemper ineſt, ut, quidquid rogat, ex ſua parte ſe paratum ſignificet. Hilligerus in Donell. enucl. lib. XIII. c. 18. lit. B.

§. CXXVII. *Cauſa efficiens* ſponſaliorum eſt conſenſus tum contrahentium, tum eorum, in quorum poteſta- II.) *Cauſa efficiens.*

ſidia peti queunt. Adduxit hunc locum SAM. STRYKIVS in tractatu *de diſſenſu ſponſalitio, ſect. I. §. VI. p. 6.* Alia hujus rei exempla referunt BERN. BRISSONIVS in *tract. de form. & ſolemn. pop. Rom. verb. libr. VI. p. m. 543.* PAVL. CYPRÆVS *de ſponſal. cap. III. §. 3. ſeqq.* & BROVWER *de jur. connub. l. I. c. 3. n. 2.* & *cap. XX. n. 12. ſeqq.*

(*) Germanice *ein Anſpruch, Anwerbung.*

(**) Germanis dicitur *Verſprechung, oder Ja-Wort.* Ab ejusmodi ſponſalibus differunt nudi tractatus ſponſalitii, germ. *Heyraths-Tractaten*, a quibus pro lubitu recedere licet; ex neutra enim parte ulla ex iis oritur obligatio.

testate sunt. Ulpianus l. 4. ff. de sponsalib. *Sufficit nudus consensus ad constituenda sponsalia.* Paulus l. 7. eod. *In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur.* Julianus l. 11. eod. *Sponsalia, sicut nuptiæ consensu contrahentium fiunt, & ideo sicut nuptiis, ita sponsalibus filiamfamilias consentire oportet.* Quæ ergo de consensu in genere diximus, ea ad consensum sponsalitium in specie sunt adplicanda; ubi tamen notant interpretes inter *sponsalitium* & *nuptialem* consensum hanc inter cætera etiam dari differentiam, quod solus parentum consensus destitutus contrahentium consensu possit esse sponsalitius, sed nuptialis esse nequeat, nisi contrahentium consensus expressus, vel tacitus accedat. Potest enim pater pro filio, mater pro filia, tutor pro pupillis sponsalia, non tamen nuptias contrahere: sed enim quia talia sponsalia non aliter sortiuntur effectum, nisi quando liberi in legitima ætate constituti tacite, vel expresse consentiunt; *cap. unic. de desponſ. impub.* in 6. (quod enim in c. I. de desp. impub. dicitur, *postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, debere id adimplere*, ibi debere exponunt per posse l. 1. ff. de jurisd. omn. judic.) ideo non immerito statuitur, id quod pater pro filio, mater pro filia, tutor pro pupillis egerunt, non esse proprie & adcurate loquendo sponsaliorum nomine adpellandum, antequam consensus illorum, de quorum nuptiis agitur, postmodum accedat. Si enim essent vera sponsalia, sortirentur etiam sponsaliorum effectum, cum causa in actu perfecto constituta non possit non proprium suum producere effectum. Ad causam efficientem sponsaliorum pertinet eorumdem *origo*, quæ longe antiquissima merito censetur, cum vestigia ejus exstent in adductione Evæ sponsæ ad sponsum Adamum. Quod ergo jurisconsulti dicunt, *sponsalia esse juris civilis*, id de solemnitatibus sponsaliorum accipiendum, non de prima eorum origine.

§. CXXVIII. *Materia* sponsaliorum sunt personæ contrahentes, de quibus hæc generalis regula traditur: Quicunque nuptias, illi etiam sponsalia contrahere possunt, & vicissim: qui nuptias, illi etiam sponsalia contrahere prohibentur, cum sponsalia sint *futurarum nuptiarum promissio*, atque adi- tum ad nuptias parent. Sic Modestinus *l. Tutor. 15. ff. de sponsal.* tutori pupillam suam uxorem ducere, vel filio suo in matrimonio eamdem adjungere illicitum esse rescribens addit: *Scias tamen, quod de nuptiis tractamus, etiam ad sponsalia pertinere.* Ulpianus etiam l. Oratio. 16. eod. *In oratione imperatorum, quæ quasdam nuptias in personam senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta, etiam sponsalia ipso jure nullius censeri momenti rescripsit, ut suppleatur*, (inquit) *quod orationi deest.* Paulus l. si quis. 60. §. 5. ff. de ritu nupt. *Quamvis verbis orationis cautum sit, ne uxorem tutor pupillam suam ducat, tamen intelligendum est, ne desponderi quidem posse. Nam cum qua nuptiæ contrahi non possunt, hæc plerumque ne quidem desponderi potest, nam quæ duci potest, jure desponde- tur.* Addenda tamen huic regulæ duplex limitatio: 1.) Si sit eadem ratio, nec evidens quædam diversitas occurrat. Sic mulier intra annum luctus constituta sponsalia celebrare potest, non tamen nuptias; ratio diversitatis pendet ex eo, quod *turbatio sanguinis*, σύγχυσις τῆς γονῆς in nuptiis, non in sponsalibus metuenda *l. 10. §. 1. de his qui not. infam.* Hilligerus in Donell. enucl. libr. I. c. XVIII. Cypræus de sponsal. c. XIII. §. 88. Jure civili *rector provinciæ* & ad eum pertinentes ex provincia sibi commissa uxorem ducere non poterant, sponsalia tamen contrahere illis licebat. *l. un. C. si rect. provinc. l. 38. de rit. nupt.* Duarenus de rit. nupt. c. III. 2.) Si personæ contrahentes ad pubertatis annos pervenerunt. Sponsalia enim inter *impuberes* contrahuntur, modo septimum annum complerint. III.) *Materia.*

verint. Modestinus l. sponsalibus. 14. ff. de spons. *In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimoniis, quapropter & a primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores, quam septem annis.* (Quod Augustus constituit, *ea demum sponsalia probari & admitti, quibus biennio post justæ ac legitimæ nuptiæ accedere possent, ut proinde minores natu decem annorum virgines frustra sponsæ haberentur*, ideo factum est, quod prætextu sponsaliorum, quæ ad exitum & effectum per sponsarum immaturam ætatem brevi perduci non poterant, legi fraudem fieri ac præmia legis Juliæ ac Papiæ captari animadvertisset Dio lib. LIV. Suetonius in Augusto) Jure canonico eadem ætas definita est. *Cap. De illis. Cap. Literas de desp. impub.* quia voluntas cadit in impuberem, qui septem annorum ætatem complevit. *l. Si infanti. §. ult. & l. potuit. C. de jure delib.* Quod si ante fuerint contracta, accedente post septimum annum legitimo consensu convalescunt. *Cap. Duo pueri de desp. impub.* Quidam hic addunt limitationem, si *malitia suppleat ætatem, eademque legitime probetur*, sponsalia etiam ante septennium contracta esse rata; Thomas lib. IV. sent. dist. 27. q. 2. art. 2. Covarruvias de spons. c. II. num. 1. ex c. Juvenis de sponsal. sed Alberico Gentili lib. V. de nupt. c. I. satius videtur ad evitandas cavillationes & controversias, quæ ex incertitudine orirentur, numero annorum jure civili definito insistere. Illud tamen certi juris est convalescere sponsalia ante septennium contracta sequenti cohabitatione, ex qua indicium secuti consensus fieri queat. *d. cap. duo pueri.* & ibi canonistæ. Ac de impuberum desponsationibus lege concessis hæc quidem ita disputantur, sed experientia testatur tales desponsationes impuberum raro feliciter cedere, cum parentes in illis non tam conjugum, quam opum & potentiæ conjunctionem plerumque spectent, unde ex sacro codice *desponsationis impuberum* vix poterit adferri probatum aliquod exemplum.

§. CXXIX. *Forma sponsaliorum* consistit in modo, quo contrahuntur. Olim non nisi *stipulatione* perficiebantur, hodie vero etiam *nudo consensu*, seu pactionibus perfici solent; unde etiam per nuncium & epistolam inter absentes perfici possunt. Ulpianus. l. 4. ff. de sponsal. *Sufficit nudus consensus ad constituenda sponsalia. Denique constat & absenti absentem desponderi posse, & hoc quotidie fieri.* Exemplum proponitur in sponsalibus Isaaci & Rebeccæ. Gen. XXIV. Cæterum modi, quibus sponsalia contrahuntur, varie enumerantur. Carerius libr. I. de matrim. c. VI. tribus modis ea contrahi censet: 1.) *absolute* dicendo; *accipio te in meam;* cap. si inter. de sponsal. 2.) *non absolute, sed cum termino obligatorio*, ut *promitto;* cap. fin. de desponsf. impub. quæ promissio fieri potest, *vel* per donationem arrharum, *l. arrhis. C. de sponsf. vel* per subarrhationem, id est, annulli immissionem; *c. ultim. de desponsf. impub.* 3.) *juramento;* cap. ex literis. cap. Præterea de sponsal. In primo modo dicit esse obligationem *veritatis.* In secundo obligationem *veritatis & promissionis.* In tertio obligationem *veritatis, promissionis & juramenti,* Piso Soaccius de sponsf. p. 16. hos enumerat modos. Contrahuntur sponsalia 1.) *pure & sine conditione*, quando non est expresse addita conditio; *cap. Quemadmodum de jurejur.* 2.) *adjecta die*, cum quis intra certum temporis spatium aliquam se in uxorem ducturum promittit; *cap. Sicut ex literis de sponsf.* 3.) *sub conditione*, cum in aliquem casum, vel eventum differuntur, vel cum quis se contracturum, si quid factum fuerit, vel non fuerit, pollicetur; 4.) *tacito consensu*, cum patri sponsalia pro filio contrahenti filius non contradicit; *cap. unic. de desponsal. impub.* in 6. 5.) *nuda conventione;* cap. ad audientiam de sponsal. 6.) *per stipu-*

IV.) *Forma.*

ſtipulationem; cap. II. de ſponſal. 7.) *cum jurejurando*; cap. de illis de ſponſal. 8.) *fidei datione*; quæ juramento æquiparatur; *cap. Pervenit de fidejuſſoribus.* 9.) *per nuncium, vel epiſtolam*; l. Sufficit. ff. de ſponſalib. 10.) *per annuli traditionem*, quæ dicitur ſubarrhatio; *cap. Si quis deſponſaverit.* 27. *quæſt.* 2. ubi tamen notandum, annuli dationem non ſufficere ad ſponſalia conſtituenda, niſi verbis exprimatur, vel aliter ſignificetur, annulum in hoc a viro dari, & mulierem ſponſaliorum nomine eumdem recipere. *cap. Illud.* 15. *q.* 1. *cap. Ne quis.* 22. *quæſt.* 2. Diſtinctius progredi poſſumus hoc modo:

V.) *Diſtinctiones ſponſaliorum ex forma petitae.*

1.) *Inter ſponſalia de futuro & de præſenti.*

§. CXXX. Sponſalia I.) juxta canoniſtas contrahuntur per verba vel *futuri*, vel *præſentis* temporis; *cap. Sicut. extra de ſponſal.* unde ſponſalia diſtinguunt in ea, quæ ſunt de *futuro*, & quæ ſunt de *præſente.* (*) Sponſalia de *futuro* vocant, quæ per verba de futuro concipiuntur, ut *promitto, quod dabo tibi, accipiam, ducam te in uxorem.* Sponſalia de *præſente* vocant, quæ per verba de præſenti concipiuntur, ut *accipio in uxorem, duco te, vel do tibi in uxorem.* De hac ſponſaliorum diſtinctione diverſimode judicant, qui cauſis matrimonialibus explicandis operam navarunt. Hotomannus in libr. de caſtis nupt. part. III. c. 7. p. 174. prolixe eam impugnat, quem plerique juriſconſulti ſequuntur. Theologi vero diſtinctionem inter ſponſalia *de futuro* & *præſenti* non ſimpliciter repudiant, ſed ad ſanum ſenſum reducere laborant; quid ergo hac de re ſtatuendum? 1.) Si *juris civilis diſpoſitionem* reſpicere velimus, proprie & adcurate loquendo non dantur ſponſalia de præſente, quia ſponſalia definiuntur *mentio, repromiſſio futurarum nuptiarum*, ergo conſenſus ſponſalitius exprimendus eſt verbis futuras nuptias reſpicientibus. Ut enim promiſſio mutui a mutuo, ſic ſponſalia a nuptiis differunt, unde *ſpes matrimonii & ſperatæ nuptiæ* adpellantur. Proinde jure civili non dantur alia ſponſalia, quam de *futuro*, &, quæ vocantur de *præſenti*, ſunt verum matrimonium contractum, licet non conſummatum, ac non niſi improprie & καταχρηστικῶς reſpectu copulæ cohabitationis, quæ in illis ſpondetur, adpellantur ſponſalia. Gentilis lib. II. de nupt. c. XXIII. Agnoſcunt hoc quidam ex ipſis Canoniſtis. 2.) Si *Canoniſtarum ſenſum & intentionem* reſpiciamus, non poteſt probari diſtinctio inter ſponſalia de *præſente* & *futuro.* Ipſi enim fundamentum illius diſtinctionis quærunt in formulis illis uſitatis: *Accipio te in meam*, & *accipiam te in meam*; & in ſolo diſcrimine temporis grammatici, quo formulæ illæ ſolemnes invicem differunt; cum tamen in aliis linguis, præſertim in noſtra vernacula, differentia illa temporis obſervari nequeat, ac verbum præſens *accipio*, per quod ſponſalia de præſenti conſtitui volunt, nuptiis, non ſponſalibus contrahendis ſit adcommodatum. Quin imo, cum conjugium ſacramentum eſſe ſtatuant, videntur in verbis illis ſolemnibus *formam ſacramenti* ſtatuere, qua mutata non inducatur efficax obligatio matrimonialis, ſed vulgaris duntaxat promiſſio, a qua recedere cuique

(*) Hujus diſtinctionis, quæ juri civili prorſus ignota eſt, auctor fuit ALEXANDER III. eccleſiæ Romanæ præſul *in cap. III. X. de ſponſa duorum*, quem deinceps alii pontifices ſunt ſecuti. Varia autem ratione hancce diſtinctionem explicant Canoniſtæ. B. LVTHERVS eandem in libello *von Ehe-Sachen, tom. V. oper. Altenburg. fol.* 375. plurimum exagitavit, dixitque, *ſie hätten lauter Narrenſpiel damit getrieben.* Oſtendit tamen, quonam ſenſu tantiſper retineri queat, prout ſupra oſtendit GERHARDVS noſter. Plura hanc in rem dicentur in *ſupplemento.*

parti sit integrum. 3.) Si quæratur de distinctionis hujus ad *bonum sensum adcommodatione*, non negamus eam dari posse, atque eam quidem multiplicem. Lutherus in lib. de causis matrimon. tom. V. Jenens. p. 241. sponsalia *de futuro* vocat, quibus adjecta est aliqua conditio, ut *ducam te, si exspectaveris triennium, si parentes consenserint.* Per hanc enim conditionem promissioni adjectam in futurum aliquem casum, vel eventum nuptiæ differuntur, quo sensu & respectu sponsalia de futuro adpellari eadem posse Lutherus censuit. Quidam sponsalia de *futuro* vocant *impuberum desponsationes*, quæ non aliter sunt ratæ, quam in futuro demum tempore, postquam scilicet ad pubertatis annos pervenerunt, ipsimet libere consentiant. Alii sponsalia de *futuro* vocant *tractatus præparatorios sponsaliorum*, in quibus nondum pactiones sponsales instituuntur, sed προβλευτικῶς de futuris sponsalibus tractatur. Chemnitius in loc. de conjug. c. I. p. 517. *In scriptura vet. & nov. test. desponsata habetur, & vocatur uxor seu conjux;* Deut. XXII. 23. Gen. XIX. 14. Matth. I. 20. *quia ergo scriptura ita judicat de veris sponsalibus, ecclesia, ut reprimeret profanam levitatem in contrahendis & rescindendis rursus conjugii tractatibus, quorum se Deus ipse auctorem & conciliatorem profitetur, distinctionem illam inter sponsalia de futuro & de præsenti probavit & recepit, &c. Sponsalia de futuro sunt tractatus de futuris nuptiis celebrandis; de præsente, quando de præsentibus nuptiis dispositive tractatur.* Postea monet, *non ex cavillatione verborum, sed ex intentione, ratione & aliis circumstantiis tractatuum dijudicandum esse*, quæ sint sponsalia de præsente, vel futuro, ibidemque proponit sex considerationum capita, ex quibus sponsalia de futuro agnoscantur: *a.) Si verba plana & manifesta sint, quod non purus, absolutus & præsens, sed suspensus consensus fuerit*, scilicet, quod disertam exceptionem adnexam habuerint, nondum velle se prorsus obligari, sed liberum debere esse vel uni, vel utrique parti ut retrocedat, vel quando contractus suspenditur cum tali additione, velle partes ea de re convenire & agere, ut certi quid concludatur & statuatur. *b.) Si postea in ipsa tractatione & actione, priusquam certi aliquid concludatur & statuatur, aliquid interveniat*, ut actio prorsus intermittatur, vel abrumpatur. *c.) Consideretur ex circumstantiis, an partes tunc voluerint non absolute aliquid certi constituere;* sed tale quid, quod postea posset, si causa incideret, etiam addita mulcta mutari? *d.) An deliberato animo contractus, vel pactio ita facta sit*, quod voluerint partes inde nasci obligationem & nexum conjugalem, vel ut esset initium conjugii? *e.) Sponsalia, quæ non pure, sed sub conditione honesta possibili contrahuntur*, sponsalibus de futuro adnumerantur. *f.) Desponsatio impuberum* juris interpretatione inter sponsalia de futuro censetur, nisi puberes facti mutuo consensu illa rata habeant. Hæc Chemnitius, qui postea addit, *sponsalia de futuro non inducere efficacem obligationem, aut nexum indissolubilem in sexto præcepto.* Quia vero omnino statuenda est differentia inter sponsalia, quæ sunt promissio conjugii, & nuptias, quæ sunt promissionis illius complementum, & quia alius consensus est *sponsalitius*, alius *nuptialis*, ut superius ostendimus; ideo simplicissime statuitur, sponsalia proprie dicta esse *tantum de futuro*, ideoque in sponsalibus proprie sic dictis, id est, in conjugii promissione semper subaudiendam esse conditionem, *nisi quid intervenerit*, quod promissionis impletionem, id est, matrimonii inchoati ratificationem & consummationem impediat, ex quo fundamento ad multas de sponsaliorum dissolutione quæstiones responderi potest, ut infra adparebit.

2.) *Inter sponsalia pura & conditionata.*

§. CXXXI. II.) Sponsalia contrahuntur vel *pure*, vel *sub conditione*. *Pure* contrahi

trahi dicuntur, quibus non est expresse conditio aliqua addita, quo modo Rebecca Isaaco, Genes. XXIV. Tobiæ Sara Tob. VII. despondetur. *Sub conditione* contrahi dicuntur, quando promissio matrimonii conditione aliqua restringitur ac limitatur. Sic *Laban* filiam suam Rachelem Jacobo despondet sub conditione septennalis servitii; Genes. XXIX. 17. *Booz* Ruthæ promittit conjugium sub hac conditione, si propinquior ducere nolit; Ruth. III. 13. *Saul* filiam suam Michol Davidi despondet sub conditione, si centum præputia Philistinorum prius adtulerit. 1 Sam. XVIII. 25. De sponsalibus *pure* & simpliciter contractis notanda est hæc regula, quod ex iis nascatur efficax obligatio & actio, ut pars una contrahentium ad petitionem alterius partis ad consummandum matrimonium compelli possit, nisi scilicet sufficiens repudii causa adduci queat. De sponsalibus *sub conditione* contractis extat integer titulus in jure canonico extra de condit. adpos. in cujus cap. finali glossa communi suffragio recepta tria conditionum, quæ sponsalibus adjici consueverunt, enumerat genera:

Conditiones quotuplices sint?

1.) *Quædam sunt turpes & inhonestæ contra substantiam ac bona matrimonii* pugnantes; ut si dicatur: *Contraham tecum, donec invenero meliorem, ditiorem, nobiliorem, quamdiu eris bona, &c.* hæc conditio pugnat contra substantiam matrimonii, quippe quod est vinculum indissolubile. *Ducam te, si generationem prolis evitabis, si sterilitatis medicamenta sumseris, &c.* hæc conditio pugnat cum bono prolis. *Ducam te, si pro quæstu te adulterandam dabis;* hæc conditio pugnat cum bono fidei. 2.) Quædam sunt *turpes & de facto impossibiles*, nec tamen *contra substantiam, vel bona matrimonii* pugnant. Turpes, utpote si *te nudam conspiciendam præbueris, si furata fueris, si alterum occideris, si Deo maledixeris, &c.* Impossibiles, ut *si digito coelum adtigeris, si mare ebiberis, &c.* 3.) Quædam sunt *honestæ & possibiles*; ut *ducam te, si pater consenserit, si adtuleris in dotem centum aureos.* Distinctius ut progrediamur, dicimus, quasdam conditiones esse *honestas*, quasdam vero *turpes*, quasdam *impossibiles*. Honestæ sunt vel de *re præsente*, vel *præterita*, vel *futura*. De re futura sunt vel *necessariæ*, id est, tales, quas per naturam exstituras certum & indubitatum est; vel *contingentes*, quæ in contingentia ac dubio eventu sunt positæ. Turpes vel sunt *contra substantiam matrimonii*, vel *non repugnant eidem*. Impossibiles vel *universaliter* respectu omnium hominum tales sunt, vel *specialiter ac determinate* respectu illius personæ, cum qua contrahitur.

§. CXXXII. De conditionibus *honestis* rem præsentem, vel præteritam respicientibus, ut: promitto conjugium, si pater consulari dignitate fungitur, si liberos nullos habes, &c. hæc traditur regula: *Si conditio talis exstet, rata sunt sponsalia, sin deficiat, nihil actum intelligitur.* De conditionibus honestis rem futuram respicientibus, atque in contingenti ac dubio eventu positis traditur hæc regula, quod *sponsalia cum illis contracta non habeant effectum de præsente, sed suspendantur, quousque conditiones adjectæ impleantur;* cap. de illis cap. per tuas. extra de condit. adpos. idcoque conditione nondum exstante, sed adhuc pendente, matrimonii promissio non est rata, nec oritur ad eam efficax obligatio. Sed habet hæc regula exceptionem, quod sponsalia sub conditione contracta habeantur pro pure contractis, *si copula fuerit subsecuta*, quia in copulam consentiens videtur a conditione recessisse. d. *cap. de illis* & *per tuas*. De conditionibus honestis rem futuram respicientibus & necessariis disputant, quod *tales jam exstitisse videantur ac pro completis sint habendæ*, ut si quis dicat, filiam tibi do, si cras soloriatur. Albericus Gentilis lib. II. de nupt. c. XII. Cy-

præus

præus de sponsal. c. VIII. §. 2. num. 3. Sed hic debita circumspectio a judice est adhibenda, & animus contrahentium ex circumstantiis & verbis adtendendus, an pure, an sub conditione contrahere voluerint? Idem judicium de illis conditionibus, quæ tacite ipsi contractui insunt, nec pendent a voluntate contrahentium, ut *ducam te, si honeste potero.* De conditionibus *turpibus contra matrimonii honestatem* pugnantibus traditur hæc regula, quod *annihilent sponsalia*, id est, quod sponsalia cum illis contracta sint irrita, & careant effectu *cap. fin. de condit. adpos. cap. Aliquando. & cap. Solet. 32. quæst. 2.* De conditionibus turpibus matrimonii substantiæ non repugnantibus docent, quod *non annihilent sponsalia;* sed habeantur pro non adjectis in matrimonii favorem, quodque sponsalia cum talibus conditionibus contracta pro pure contractis sint censenda, ut petulantiæ eorum, qui pudicitiæ imbecillis sexus insidias struunt, frenum injiciatur. *cap. fin. de cond. appos.*

Quæstiones de conditionatis sponsalibus.

I.) *An conditiones impossibiles pro non adjectis habendæ?*

§. CXXXIII. Quæritur hoc loco: I.) *An conditiones impossibiles pro non adjectis sint habendæ?* Plerique id affirmant per d. cap. fin. in favorem matrimonii, ac censent hac in parte cognationem quamdam intercedere promissioni matrimonii cum testamento, in quo itidem conditio impossibilis pro non adjecta habetur, *l. 3. de cond. & demonst.* Quidam vero contrarium statuunt: 1.) Quia nulla adpareat ratio, cur in sponsalibus naturam testamenti potius, quam contractuum sequi velimus, ac proinde, quod ex speciali quadam ratione in testamento receptum, hic sit in consequentiam trahendum. 2.) Quia impossibilem conditionem addens videtur potius ludere ac jocari, quam de perpetua & indissolubili vitæ consuetudine disponere, ac animum obligandi habere. 3.) Quia ejusmodi joci inter juvenes ac puellas crebro agitari consueverint, ex quibus si oriri statuatur efficax obligatio, multa confient matrimonia infelicia. Existimaverim, circumstantias hic respiciendas esse, an qui sub conditione impossibili contraxerit, animum contrahendi habuerit? an sit persona honesta? an destituatur causis gravibus & sufficientibus, propter quas a promissione velit resilire? & in hoc casu impossibilem conditionem pro non adjecta censendam, ac promissorem ad matrimonii consummationem compellendum. Sin aliter se res habeat, ob levitatem tamen coercendus erit, si vel maxime sponsalia censeantur irrita.

II.) *An conditio illa, ducam te, si invenero virginem, sit turpis?*

§. CXXXIV. Quæritur II.) *An conditio illa, ducam te, si virginem invenero, tanquam turpis pro non adjecta sit habenda?* Adfirmat glossa in *c. per tuas. x. de condit. adpos.* quam plerique canonistæ sequuntur, in quam sententiam etiam propendet Philippus in exam. Quidam ad *impossibiles* conditiones eam referunt, cum virginitatis probatio non minus difficilis sit, quam custodia. Sed aliud est difficile, aliud impossibile. Et ex illis, quæ in superiore articulo de errore consensui oppositio disseruimus, manifestum est, sponsum non posse cogi, ut ducat eam, cui matrimonialem fidem dedit, si ante consummationem matrimonii eam a viro integram non esse, ex indiciis minime dubiis innotuerit. Quod si ergo hæc conditio tanquam ad matrimonii essentiam pertinens in contractu sponsaliorum tacite semper subintelligitur; utique etiam si exprimatur, pro turpi, impossibili & non adjecta nequaquam censeri debet, interim tamen hæc conditio in sponsalibus non solet diserte exprimi, ne pudicitia puellaris sinistris suspicionibus in dubium vocari videatur.

III.) *An sponsalia sub modo con-*

§. CXXXV. Quæritur III.) *An sponsalia sub modo contracta distinguenda sint a conditio-*

tracta differant a conditionalibus?

ditionalibus? Adfirmat Cypræus de sponsal. cap. VIII. §. 13. idque colligit 1.) Ex *definitione.* Modus generaliter est quævis dispositio, seu qualitas adjecta contractui, quæ non suspendit conventionem, quod conditionis proprium est, sed tantum eam moderatur, hoc est, modum ei præscribit. 2.) Ex *forma.* Conditio ut plurimum per conjunctionem *si* concipitur, modus vero per conjunctionem *ut.* Exemplum sponsaliorum sub modo contractorum proponitur. 1 Sam. XVIII. 17. ubi Saul ad Davidem dicit: *Filiam meam majorem Merob dabo tibi in uxorem, tantummodo esto filius fortis, & præliare bella Domini.* 3.) Ex *effecto.* Quod sub conditione promittitur, effectum nullum habet, antequam conditio existat, sub modo autem promissum statim obligat. Sic res data ecclesiæ sub modo statim fit ecclesiæ. Ex quibus omnibus Guilielmum interpretem veterem, & Albericum secutus colligit, quod *sponsalia sub conditione contracta, conditione illa non existente corruant & infirmentur; sed si sub modo contrahantur, statim rata sint & cogi possit, qui promisit, ad modum servandum & implendum.* Sed enim cum magna sit adfinitas inter modum & conditionem adjectam, quia ut conditionem, ita & modum conventioni adhærentem, si tamen is sit honestus ac possibilis, contrahentes implere coguntur; ideo causarum matrimonialium judices adcurate hic dispicere oportet, an sub modo, an sub conditione contracta fuerint sponsalia? id quod non tam ex apicibus verborum, quam ex circumstantiis totius actionis prudenter colligendum & æstimandum. Sic pro exemplo sponsaliorum sub modo contractorum adfertur, quando ethnicus se ducturum pollicetur fœminam gentilem cum pacto *de libero religionis exercitio relinquendo.* Sed si ante matrimonii consummationem alterutra pars ab hujusmodi promissione discedat, seque neget libertatem illam alteri relicturam, possent illa sponsalia tanquam conditionalia rescindi; alia vero ratio est matrimonii consummati, quod ob modum præscriptum & promissum non servatum dissolvi amplius nequit.

IV.) *An sint conditionata, quae certum tempus praescribunt?*

§. CXXXVI. Quæritur IV.) *Num pro conditionatis sponsalibus sint habenda, quæ certum temporis terminum præfinitum continent?* Distinguendum hic est inter sponsalia *sub conditione certi temporis* contracta, ut si quis filiam alicui promittat, ut eam intra annum in uxorem ducat; & inter *sponsalia pure contracta*, quibus postea *mentio certi temporis ac dici nuptiarum* inter contrahentes, vel eorum parentes facta accedit. Priora sponsalia lapsu temporis præfiniti dissolvuntur; quod si namque per eum, cui promissio facta est, steterit, quo minus nuptiæ fuerint factæ, dubitari non debet, alterum obligatione liberari, atque aliam conditionem sibi quærere posse, etiamsi partem alteram de promissi complemento non interpellaverit. In posterioribus vero sponsalibus obligatio non exspirat, si vel maxime tempus determinatum fuerit præterlapsum.

V.) *An sponsalia poenalia pro ratis habenda?*

§. CXXXVII. Quæritur V.) *An sponsalia poenalia sint pro ratis habenda?* Sponsalia pœnalia vocant, quibus mentio pœnæ est adjecta; e. g. pater despondet filiam alicui, adjecto pacto eo, quod qui a promissione recedit, centum florenos alteri parti numerare debeat. De hac promissione pœnali communi suffragio statuunt, quod sit ipso jure nulla, cum matrimonii libertati lege divina & humana stabilitæ e diametro adversetur. Paulus *l. Titia.* 134. ff. de verbor. oblig. *stipulationem illam pœnæ non secundum bonos mores* (*) *interpositam esse*, re-

(*) Mirum haud immerito videri poterat, PAVLVM JCtum in *l. Titia*, quam GERHARDVS supra recitavit, statuisse, stipulationem pœnalem, sponsalibus adjectam,

respondet, addita ratione, quia *inhonestum visum est vinculo poenæ matrimonia adstringi, sive jam futura, sive jam contracta.* l. Neque ab initio 14. C. de Nupt. *libera facultas contrahendi matrimonii ad necessitatem transferri non debet.* l. Mulier. 5. C. de sponsalib. & arrhis circa finem: *Si cautio poenam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas habebit vires, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat.* Idem statuitur in jure canonico, cap. Gemma. 29. X. de sponsi. matrim. *Cum libera matrimonia esse debeant, ideo talis stipulatio propter poenæ interpositionem merito est improbanda.* Addunt interpretes etiam hanc rationem, quod pœna promittatur in eventum eum, ut, si alteruter contrahentium nuptias nolit, pœna soluta a promissione liberetur, sicque pœnæ stipulatio in dissolutionem & odium matrimonii adjecta censetur. Contra vero imperator Leo novell. 18. statuit, *poenam in sponsalibus constitutis exigendam esse, idque esse consuetudine introductum, quæ non minus sit probabilis, quam quæ legibus ea de re sancita sunt; nam qui sub poena promisit, non tam facilis erit ad dissolvenda sponsalia, quam qui arrhæ perditione, aut in duplum restitutione solum tenetur, cum gravius damnum sibi imminere videat.* Quidquid sit de exactione pœnæ, quæ legum provincialium decisioni & judicis arbitrio committitur, is, qui sub pœna promisit, non videtur simpliciter cogi debere ad matrimonii consummationem (*); sed arbitrio ejus relinquendum, an libera volun-

contra bonos mores esse, cum nihil iisdem sit convenientius, quam ut fides de matrimonio data sancte servetur, & si ab altero violetur, ille hoc impune non ferat, prout ex vero judicat STRYKIVS in *tract. de dissensu sponsalitio sect. I. §. XIII. p. II.* qui & mox subjungit, magis adhuc esse mirandum, ipsum GREGORIVM IX. istam PAVLI sententiam adprobasse in *cap. gemma 29. X. de sponsal.* ubi pariter stipulationem pœnalem rejicit, subjecta ratione, *quia libera matrimonia esse debent, ideo talis stipulatio propter poenae interpositionem merito improbanda.* Addit tamen STRYKIVS, „nisi sententiam pon„tificis ad casum ibi propositum restrin„gere velis, ubi scilicet desponsatio in„ter impuberes, immo plane infantes fa„cta, qui cum judicio facultateque con„sentiendi tempore sponsaliorum destitu„ti fuerint, non debuit per pœnæ adje„ctionem libertas dissentiendi, postquam „ad puberem ætatem pervenerint, ipsis „auferri. Quamvis canonistæ gene„ralius illam pœnæ adjectionem illicitam „dicant, adeo, ut nec in foro conscien„tiæ illi debeatur. Borbos. *ad d. C. gem„ma. n. 2.*„

men improbandam censemus illorum Jurisconsultorum sententiam, qui ajunt, eapropter tamen non denegandam esse actionem ad interesse alteri sponsorum, qui fidem semel datam servari cupit: ubi insuper & pœnam, licet non promissam, ex officio dictare potest judex ecclesiasticus, ob levitatem in sacro hoc negotio commissam & fidem temere violatam; unde &, ut laudatissimus STRYKIVS observat, pronunciatum in facultate juridica Hallensi, *daß Beklagtens Principalin, ihres Einwendens ungeachtet sich mit Klaegern binnen 3. Wochen durch den Prediger copuliren zu lassen schuldig; im Fall sie aber in Güte binnen solcher Zeit sich hiezu nicht anschicken wolte, ist sie Klaegern zu seiner Satisfaction 200. Thaler, ingleichem dem Consistorio daselbst eine Straffe von 100. Thaler zu erlegen verbunden, auch ihr dabei, daß sie in 3. Jahren sich ehelich nicht einlasse, zu verbieten &c.* Ubi observandum est; ob jus liquidum, quod ex sponsalibus publicis sine causa violatis, pro se habet sponsus, ad pœnam & satisfactionem partis læsæ ex officio recte procedi posse. Conf. Carpzov *jurisprud. eccles. L. II. def.* 133. Mevius *part. III. dec.* 383. *n.* 7. & cum plerumque jam novos amores in pectore alant illi, qui a sponsalibus temere resiliunt, vix aptiorem coërcendæ malitiæ

(*) Licet cum GERHARDO existimemus neminem simpliciter cogi debere ad matrimonii consummationem, minime ta-

voluntate in illud consentire velit. Unde Alex. Comnenus in constit. sua scribit, *quando sponsalia poenis firmarentur & corroborarentur, eaque adscriberentur, earum praestatione dissoluta & infirmata fuisse sponsalia.* Vid. plura de poenal. sponsalib. apud Cyprœum de sponsc. c. VIII. §. 18. & 19. ubi tamen rem in dubio fere relinquit.

VI.) *An sponsalia pura, an conditionata patris, consensu firmata praeferenda sint?*

§. CXXXVIII. Quæritur VI.) *Si quis puellæ fidem det de conjugio sub conditione honesta, puta si pater consenserit, & pendente adhuc conditione alteri pure & simpliciter conjugium promittat, ac pater postea in conjugium cum priore consentiat;* quæritur, *utram ducere teneatur?* Canonistæ respondent, compellendum esse ad consummationem matrimonii cum ea, cui posteriori tempore pure & absque conditione fidem dedit, argumento permoti eo, quod *sponsalia conditionalia sponsalibus de futuro æquiparentur, jam vero sponsalia de futuro tolluntur per sponsalia de præsenti;* ergo etiam conditionalia puris cedere debent. cap. *sicut ex literis de sponsalibus.* & gloss. in *cap. per tuas. cap. de condit. apposs.* Juris civilis interpretes plerique contrarium statuunt, argumento usi eo, quod in aliis contractibus, *cum semel conditio adjecta exstitit, perinde habetur, ac si obligatio illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione contracta esset,* & *conditio postea purificata retrahitur ad tempus prioris contractus,* l. potior. 11. §. Videamus. qui potior in pignore. Idem ergo in sponsalibus, quæ ut plurimum interveniente stipulatione constituuntur, dicendum existimant, ut scilicet ad instar aliorum contractuum conditionalium ipso conditionis eventu perfecta & pura ab eo tempore, quo obligatio inita est, fuisse censeantur, & iis præferantur, quæ postea contracta sunt, Cyprœus de sponsalibus cap. VIII. §. 3. num. 2. ubi id ipsum latius probat. Canonistarum opinio nititur distinctione inter sponsalia de *præsente*, & de *futuro*, cui quid tribuendum sit, expositum superius. Certum hoc esto, quod is, qui eo modo bina sponsalia contraxerit, & sanctam conjugii ordinationem ludibrio habuerit, pœnæ a magistratu sit subjiciendus, quod ipsum extendendum etiam ad eam sponsam, cum qua posterius contraxit, si sponsalia priora ipsi fuere nota. An vero sponsalia priora conditionata, an posteriora pura præferenda sint, ex circumstantiis æquus & prudens judex colliget. Ut enim *multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ contractum non dissolvunt;* sic & sponsalia quædam impediunt contrahenda, quæ tamen contracta non dissolvunt. Patris arbitrio merito plurimum hic tribuitur, penes quem est filii sponsalia rata, vel irrita facere.

VII.) *An liceat pendente conditione alia sponsalia contrahere?*

§. CXXXIX. Quæritur VII.) *An sponsalibus sub conditione contractis liceat alteri contrahentium pendente adhuc conditione resilire, & cum alia persona sponsalia pure contrahere?* Negant communiter & recte, pœnitentiæ ejusmodi hic locum esse. Ut enim in aliis contractibus pendente conditione non licet resilire, sed *eventus conditionis est exspectandus,* l. potior. 11. l. qui balneum. 9. qui potior. in pignor. ita quoque in sponsalibus idem juris esse statuendum, maxime cum conjugium non sit contractus tantum civilis, sed res conscientiæ ac peculiari divina institutione gaudeat. Præterea occasio daretur pro deridiculo ac delectamento habendi matrimonium, si cuivis liceret proprio

tiæ modum esse, quam ut novæ nuptiæ ad tempus interdicantur. Mev. *part. VI. dec.* 359. Hactenus STRYKIVS *loc. cit. p.* 13.

prio ausu & arbitrio a sponsalibus conditionatis recedere. Cypræus de sponsal. cap. VIII. §. 4. secutus Panormitanum *cap. super eo. Extra de condit. adpos.* Covarruviam, Tiraquellum & alios. Huic sententiæ etiam accedit Lutherus de causis matrim. tom. V. p. 242. & eum secutus Tarnovius lib. de matrimon. c. LXXIX. quæst. 4. Contrarium defendunt Mauserus de nupt. p. 323. Albericus Gentilis lib. II. de nupt. c. XII. p. 172. Sed adfirmativa potioribus fundamentis nititur, ac proteryiæ hominum sanctam conjugii ordinationem leviter ac temere tractantium frenum injicit.

VIII.) *An conditio, si dederis centum aureos, pro non adjecta habenda?*

§. CXL. Quæritur VIII.) *Quid statuendum de illa conditione: ducam, si dederis mihi centum aureos; ubi non fit dotis mentio?* Philippus Melanchton vocat *peregrinam & otiosam*, ac pro *non adjecta habendam* censet, ut petulantia & sophistica in decipiendo imbecilli sexu prohibeatur. Quidam ex jurisconsultis dicunt, eam *esse contra bonos mores*, cum præ se ferat amorem venalem. Canonistæ inter *honestas* eam referunt *cap. de illis. Extra de condit. adpos.* cujus hæc est summa: Si quis juratus promiserit, se puellam ducturum sub ea conditione, si centum dedisset aureos, perjurii eum non esse reum, si illam ante impletam conditionem ducere recuset. In canonistarum sententiam concedere videtur Cypræus de sponsalib. cap. VIII. §. 5. num. 1. *Quod quidam* (inquit) *conditiones peregrinas, hoc est, non pertinentes ad conjugium, distinguunt ab iis, quæ ad substantiam matrimonii pertinent, mihi non probatur, qui statuo, quod conditiones omnes, quacunque ex parte ad conjugium pertineant, obligent contrahentes.* Atque hæc sententia non videtur improbanda. Quamvis enim non expresse addatur *dotis mentio*, tamen tacite subintelligitur, ac conditionis cujusvis, sive ad substantiam matrimonii pertineat, sive minus, ea est natura, ut sui complementum desideret, modo non sit turpis, aut impossibilis.

IX.) *An sit licita conditio, si qui ita contrahant, ne corpore conjungantur?*

§. CXLI. Quæritur IX.) *An sit licita conditio, si qui ita contrahant, ne corpore aliquando conjungantur?* Exemplum talium sponsaliorum commemorat Zonaras tom. III. annal. pag. 90. *Theodosio mortuo Pulceria Marcianum accersit senem jam, sed virum bonum & modestum, & imperatoris morte indicata, te*, inquit, *præ cæteris omnibus imperatorem elegi, si fidem dederis, virginitatem meam, quam Deo consecravi, intactam servaturum. Hanc conditionem ipse suscepit, & imperator renunciatus est.* Resp. conditio illa pugnat *cum fine matrimonii*, qui est sobolis procreatio, Gen. I. 28. ac cum regula apostolica ex forma conjugii petita: *Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, nec mulier potestatem sui corporis habet, sed vir*; 1 Cor. VII. 4. ubi etiam ὀφειλομένην ἔννοιαν conjuges sibi invicem debere, ex eodem fundamento apostolus adserit. Quod si ergo sponsalibus hæc adjecta esset conditio, merito tanquam absurda & contra bonum prolis pugnans esset rejicienda. An vero conjuges mutuo consensu perpetuam continentiam vovere possint, an alterutri parti absque alterius consensu idem liceat, inferius dispicietur. De aliis quæstionibus circa sponsalia conditionata motis videantur Cypræus (*), Tarnovius (**), Albe-

(*) PAVLVS CYPRÆVS edidit tractatum *de jure connubiorum*, sæpius a GERHARDO in tractatione hujus argumenti adlegatum, qui Lipsiæ *MDCXXI.* 4. in lucem publicam prodiit.

(**) PAVLVS TARNOVIVS, theologus olim Rostochiensis, *libros III. de conjugio*, Rost. *MDCXIV.* 8. luci expositi publicæ.

Albericus Gentilis (*) & reliqui Matrimonialistæ. (**)

3.) *Sponsalia alia sunt publica, alia clandestina.*

§. CXLII. III.) Sponsalia alia sunt *publica*, alia *clandestina*. *Publica* dicuntur, quæ palam coram pluribus testibus fide dignis instituuntur. *Clandestina*, quæ remotis testibus atque arbitris inter virum & mulierem contrahuntur. Hic proponitur regula, *quod sponsalia institui debeant non clandestine, sed in præsentia honestorum testium.* Id enim requirit 1.) *Conjugii dignitas.* Est omnino conjugium sancta Dei ordinatio, status vitæ ab ipso institutus, ipsique placens & gratus, ideo de conjugio in præsentia honestarum personarum tractandum. 2.) *Contrahentium utilitas.* Conjugium maximam felicitatis humanæ partem complectitur, ideo non, nisi adcurato consilio & deliberatione præmissa in aliorum testium præsentia, de eo constituendum. 3.) *Publica honestas.* Pugnat cum publica honestate in angulo remotis arbitris de conjugio tractare; quæ enim ea ratione ac modo tractantur, non carent turpitudinis suspicione, ac pugnat cum *puellari pudicitia*, virgines se ipsas despondere. 4.) *Exemplorum probatorum conformitas.* Non solum in populo Dei, sed etiam apud omnes gentes receptum semper fuit, sponsalitiis pactionibus adhibere testes honestos ac fide dignos, id quod late confirmat multis in hanc rem adductis exemplis Cypræus de sponsalib. cap. X. §. 3. atque idem in primitiva ecclesia obtinuisse, colligitur ex Ambrosio ad virg. lapsam. c. V. & ex *cap. Nostrates.* 30. q. 5. In populo Dei in publico & in portis de matrimonio tractatum fuisse, colligitur ex Deut. XXV. 7. Ruth. IV. 2. 5.) Ex *omissione consequens incommoditas.* Ex clandestinis sponsalibus multa oriuntur incommoda, & litibus variis atque inextricabilibus exhibetur materia, quin imo quandoque perjuriis occasio præbetur, & variis modis conscientiarum tranquillitas turbatur. Unde merito commendatur statutum in quibusdam locis receptum, quo sponsalia vel contrahenda, vel contracta *magistratui* denunciari jubentur, coram quo verbis claris & perspicuis partes contrahentes consensum suum exponunt, qua ratione multis litibus & incommodis occurritur. Vide b. Lutherum tom. V. Jen. Germ. f. 339. & tom. VII. Jen. f. 387. ubi contra clandestinas desponsationes graviter disserit.

§. CXLIII. Quamvis vero *clandestina sponsalia* ipso jure non probentur, subsistere tamen dicuntur, si partes ea fateantur, aut si eadem legitime probentur, ma-

(*) ALBERICVS GENTILIS, Jurisconsultus quondam Oxfordiensis, qui exeunte seculo XVI. floruit, in libris *de nuptiis* argumentum de jure connubiorum pertractavit, de quo & HENRICVS BROWERVS, JCtus Leidensis, in duobus libris egregie commentatus est. Præclarum hocce opus cum præfatione PETRI BVRMANNI, Delphis MDCCXIV. in 4. fuit recusum.

(**) Haud pauci sunt ex protestantibus, qui in discutiendis caussis matrimonialibus studium suum operamque collocarunt. Indicem eorum sat amplum dedit STRVVIVS, in *bibliotheca juris selecta*, quam copiose locupletavit BVDERVS, JCtus Jenensis, *cap. XV. §. XLIII. p. m. 619. seqq.* Spectant huc inprimis HIERON. BRVCKNERI, consiliarii quondam Saxo-Gothani aulici & consistorialis, *decisiones juris matrimonialis controversi*, quæ Francofurti *MDCXCII.* 4. & Gothæ *MDCCV.* 4. lucem adspexerunt publicam. Tertia hujus libri editio ex autographo b. auctoris revisa & correcta Gothæ *MDCCXXIV.* 4. prodiit, atque haud paucos complectitur casus rariores. Adjungi tamen meretur CHRISTIANI THOMASII dissertatio *de fundamentorum definiendi caussas matrimoniales insufficientia*, Halæ *MDCXCVIII.* 4. edita, & CHRISTIAN. GODOFREDI HOFFMANNI programma *de fundamentis variantium in doctrina de matrimonio opinionum*, Francof. *MDCCXXIII.* 4.

xime si *jurato* sint promissa. Id quod intelligendum cum duplici limitatione: *primo* nisi etiam *publica sponsalia* vel præcesserint, vel secuta fuerint: *secundo* si contrahentes non sint sub aliena potestate, sed sui juris; diversa enim ratio est liberorum, qui adhuc sunt sub patria potestate, illorum sponsalia absque consensu parentum inita non sunt rata, si vel maxime ea fateantur, & juramento firmata esse obtendant. Quod si publica & clandestina sponsalia concurrant, *publica clandestinis sunt præferenda*, c. II. de clandest. desponsat. sive publica clandestinis ratione temporis sint priora, sive posteriora. Publica enim conformia sunt institutioni conjugii & honestis legibus, clandestina vero iisdem repugnant, illa igitur his merito præferuntur; nec quidquam refert, sive publica sponsalia præcesserint, sive secuta fuerint, quia *quod ab initio vitiosum, tractu temporis non convalescit.* Ideo quod clandestina dicuntur subsistere, ea conditione intelligendum, si coram honestis viris denuo consensum suum partes contrahentes explicent, & hac ratione ex clandestinis sponsalibus fiant publica, quale exemplum in Boaz proponitur Ruth. III. 12. c. IV. 9. Quomodo autem sponsalia *testibus*, *confessione*, *scriptura*, *annuli datione*, *sponsi & sponsæ adpellatione*, *fama*, *juramento*, *&c.* probentur, vel contracta præsumantur, late exponit Cypræus de sponsalibus cap. XIV.

§. CXLIV. Cæterum cum superius demonstratum fuerit, liberos, in parentum potestate constitutos, absque illorum consensu ac consilio non posse matrimonium contrahere; ideo b. Lutherus tom. V. Jenens. in libr. de causis matrim. pag. 239. etiam illa vocat *clandestina*, quæ ab iis, qui non sunt sui juris, absque consensu eorum, sub quorum potestate sunt, contrahuntur, etiamsi vel centum testes adfuerint. Hoc ergo sensu & respectu *publica* sponsalia dicuntur, quæ in præsentia & cum consensu parentum & eorum, qui loco parentum sunt, a liberis contrahuntur; *clandestina*, quæ insultis atque insciis parentibus constituuntur. Ac talia sponsalia irrita sunt pronuncianda, si vel maxime coram pluribus testibus fuerint contracta, ut graviter ibidem pronunciat Lutherus, & ex fundamentis de paterni consensus necessitate superius adductis facile adparet. Frustra igitur Bellarminus de matrim. cap. XIX. §. 3. adcusat Chemnitium, quod *confundat matrimonia filiorum sine consensu parentum contracta cum matrimoniis clandestinis*, *cum fieri possit*, *ut matrimonium sit clandestinum*, *& tamen cum parentum consensu contractum*, *& contra*, *ut non sit clandestinum*, *sed publicum*, *& coram ecclesia*, *& tamen insciis & invitis parentibus celebratum.* Atqui distinguere debebat Bellarminus inter diversam clandestinorum sponsaliorum acceptionem. *Proprie* enim ac *stricte* clandestina sponsalia dicuntur, quæ prorsus clam & nemine omnino præsente contrahuntur. *Communiter* autem & *large* clandestina vocantur, quæ in præsentia quidem testium, sive testato sunt contracta, sed tamen sine parentum consensu. Cum enim in illis desit publica parentum auctoritas expressa Dei lege in liberorum nuptiis requisita; ideo haud immerito clandestinorum sponsaliorum censui eadem adscribuntur, ratione adpellationis petita non tam a loco, quam a modo, quod contra leges & jus publicum, quod consensum parentum requirit, contrahantur. Beustius de sponsal. p. 22. Mauserus de nupt. pag. 313. Tarnovius libr. I. de matrimon. cap. I. Cypræus pag. 341.

Quæstiones de sponsalibus clandestinis & publicis.

§. CXLV. Quæritur hoc loco: I.) *Quot testes ad publica sponsalia requirantur?* Homannus de cast. & inc. nupt. part. III. cap. III. recte monet, nec divina lege, nec jure civili determinatum testium numerum requiri, plures honestatis ergo adhiberi possunt; interim ex eo, *quod in ore duorum, vel trium testium omne verum consistere* dicitur Deut. XVII. 6. XIX.

I.) *Quot testes in publicis requirantur?*

XIX. 15. duos, vel tres sufficere, recte colligitur, cum qua sanctione divina congruit, l. ubi numerus. 12. ff. de testibus: *Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt, pluralis enim elocutio duorum numero contenta est.* Quæritur

II.) *An audiendus, qui clam se contraxisse fatetur?*

II.) *Si quis fateatur, se conjugium clam promisisse, & tamen se non teneri dicat ad promissionis impletionem, eo quod clam promiserit, & poenitentia ducatur, num is audiendus?* Resp. si sit sui juris, id est, non constitutus sub potestate patria, non debet hæc exceptio admitti, sed propria confessio potius adtendi. Ut enim jurisconsulti de priore clandestinorum sponsaliorum specie recte dicunt: *Clandestinitas sola non vitiat matrimonium;* Cypræus de sponsal. cap. X. §. 4. ita de posteriore clandestinorum sponsaliorum specie, quæ scilicet sine parentum consensu contracta sunt, contrarium adserendum. Quæritur

III.) *An neganti clandestina sponsalia deferendum juramentum?*

III.) *An neganti clandestina sponsalia juramentum deferri possit?* Resp. Cypræus de sponsalib. cap. X. §. 6. n. 2. & cap. XIV. §. 22. *Video jurisperitis & theologis nostris hanc placuisse distinctionem, ut si quidem actor testem habeat neminem, neque scripturam, aut alia documenta, quibus intentionem suam probet, nec præsumtio, vel suspicio aliqua sit pro matrimonio, qua reus gravetur, reum absolvendum esse etiam nullo juramento præstito.* 1.) *Per* l. qui accusare. de edendo. ubi additur, *reum actore non probante absolvendum esse, etiamsi nihil præstiterit*, hoc est, ut supplet interpres, *etiamsi non juraverit.* 2.) *De occultis non judicat ecclesia*, cap. si quis diu. 50. q. 5. & *paria sunt, non esse, & non adparere.* 3.) Cum clam inter se contraxerint, & rei illicitæ & vetitæ operam dederint, æquum non est, ut ejus rei veritas jurejurando extorqueatur. Sed si testem habeat actor unum, vel præsumtionem, vel indicia sint pro matrimonio, quibus reus gravatur, qui sponsalia inita esse negat; eo in casu, si actor intentionem suam non probaverit, vel non plene probaverit, reus non absolvitur, nisi jurejurando innocentiam & conscientiam suam purgaverit & declaraverit; *c. final.* §. *fane de jurejurando.* Sed hac in re providos & circumspectos admodum oportet esse causarum matrimonialium judices, ne ob leviculas præsumtiones statim juramentum reo deferant, neve ad jusjurandum cogant, quem perjurium commissurum esse manifeste adparet. Si enim clandestinæ desponsationes sunt illicitæ ac prohibitæ, cur juramentum deferri deberet, vel actori eas adferenti, vel reo eas neganti? Ad indicia pro matrimonio etiam hoc referunt, *si quis stuprum a se illatum fateatur, fidem autem de matrimonio datam neget;* tunc enim etiam nullis aliis indiciis præsentibus, quibus reus gravetur, indistincte juramentum purgationis eidem imponendum censent. Cypræus cap. XIV. §. 23. pag. 635. Sed & hic summa adhibenda est cautio, si enim persona sit vilis & inhonesta, cui stuprum a se illatum reus fateatur, conjugii autem promissionem factam esse neget, haudquaquam existimaverim, juramentum purgationis eidem imponi debere, cum præsumtio sit in contrarium, quod nunquam ipsi fuerit animus eam ducendi. Si reus utrumque inficietur & stuprum, & matrimonii promissionem, nec ullæ adsint præsumtiones & probationes, quibus gravetur, nihilo tamen minus ad jusjurandum a judice eum cogi posse, Cypræus censet d. c. §. 24. n. 2. eo quod in omnibus criminibus is, qui adcusatur, jurejurando se purgare cogitur, idem ergo servandum, cum quis stupri insimulatur, quod est crimen gravissimum. Sed præferenda est communis doctorum sententia, quæ eo in casu *actore nihil probante*, reum, etiamsi nihil præstiterit, absolvendum censet, quam etiam in praxi receptam esse, Cypræus ibidem agnoscit. Posset enim honesto juveni a vilissimo scorto de fide matri-

trimonii data & ſtupro illato adcuſatio intentari; tantum vero abeſt, ut ob actricis omni probatione & præſumtione deſtitutæ adcuſationem juramentum reo deferendum ſit, ut graviſſime potius videatur punienda, quod famæ alterius temere detrahere fuerit auſa. Unde ipſe Cypræus num. 5. adducit reſcriptum Witebergenſium in tali caſu. Quidam adfirmat a virgine ſibi fidem de conjugio datam, & concubitum ſubſecutum eſſe, virgo negat utrumque, quæritur *an virgini juramentum purgationis imponendum ſit?* quod recte negat, atque illum ut delatorem acriter puniendum eſſe addit. At ſi virgini juramentum non eſt imponendum in hoc caſu, cur in ſimili imponi deberet viro?

IV.) *An ſponſalia clandeſtina per copulam conſummata perpetuo ſint rata?*

§. CXLVI. Quæritur IV.) *Si ad clandeſtina ſponſalia poſterioris generis, id eſt, abſque parentum conſenſu contracta acceſſerit copula; an ſtuprator teneatur matrimonii promiſſionem conſummare, etiamſi parentes ſtupratoris repugnent?* Adfirmat Cypræus, & multis id confirmrt argumentis, atque ad contrariam argumentum ex jure patriæ poteſtatis deductum reſpondet de ſponſ. c. X. §. 10. n. 1. Sed oſtendimus ſuperius §. CXI. circumſtantias omnes in hac quæſtione adcurate conſiderandas eſſe. Quæritur V.) *An ob ſponſalia clandeſtina, ad quæ acceſſit ſtuprum, pater ſtupratæ filiam ſuam ſtupratori elocare teneatur?* Adfirmant canoniſtæ, quippe qui conſenſum parentum negant eſſe neceſſarium; ſed ſi pater urgeat jus patriæ poteſtatis confirmatum expreſſa lege divina, Exod. XXII. 17. non poterit cogi, ut ſtupratori filiam elocet, interim moneri poteſt, ut æquitatis & futurorum incommodorum ratione habita rebus filiæ conſulat. Quæritur VI.) *An ſponſalia clandeſtina prioris generis, id eſt, a perſonis, quæ ſunt ſui juris, abſque teſtibus contracta, ſi acceſſerit copula carnalis, publicis præferenda?* Adfirmant plerique omnes, quia illi, cui præter datam conjugii fidem dos præſtantiſſima erepta, major illata eſt injuria, quam illi, cui fides matrimonii tantum, licet publice, eſt data, ergo illius potior habenda eſt ratio. Lutherus tom. V. p. 244. Sed diverſum ſtatuendum in duobus caſibus; *primo*, ſi reus nec fateatur promiſſionem conjugii, nec de ea legitime convinci poſſit; *ſecundo*, ſi ad publica ſponſalia acceſſerit etiam benedictio eccleſiaſtica, deductio in domum & cohabitatio conjugalis, tunc enim clandeſtinis ſponſalibus etiam concubitu firmatis præferenda publica matrimonio conſummata. Cypræus cap. X. §. 17. Bidenbachius de cauſis matrimon. p. 33. Tarnovius lib. I. de matrim. cap. LXXXI. quæſt. 7. Sed de hac quæſtione ſuo loco plenius diſſeremus. Quæritur VII.) *Quando duo ſponſalia publica concurrunt, utra ſit præferenda?* Juris indubitati eſt, quod priora, neque enim fuit in poteſtate ſponſi, alteri ſe deſpondere, perinde ut non eſt in poteſtate mariti, poteſtatem corporis ſui alteri facere. Lutherus tom. V. pag. 247. Bidenbachius d. l. Quæritur VIII.) *Qua poena adficiendus, qui bina ſponſalia contraxerit?* Reſp. levitas illa a magiſtratu pœna carceris, vel pecuniaria coercenda eſt. Jure civili talis eſt *infamis*, *l. Quid ergo.* 13. de his, qui notantur infamia. Reliquarum quæſtionum ἐπίλυσις videatur apud Cypræum & alios; cum enim circumſtantiæ varient jus, adeoque in hujusmodi quæſtionibus vix poſſit generalis quædam deciſio adferri, ad arbitrium prudentum in ejusmodi caſibus ſpecialibus ſæpius deveniendum.

V.) *An ob clandeſtina ſponſalia pater filiam ſtupratam ſtupratori dare cogatur?*

VI.) *An ſponſalia clandeſtina per copulam conſummata præferenda publicis?*

VII.) *An priora an poſteriora præferenda, ſi utraque ſint publica?*

VIII.) *Qua poena adficiendus, qui bina ſponſalia contraxerit?*

§. CXLVII.

4.) *Sponsalia alia sunt jurata, alia injurata.*

§. CXLVII. IV.) Contrahuntur sponsalia vel *nudis ac simplicibus verbis* promissionem nuptiarum continentibus, vel *interposito insuper juramento*; illa vocantur *injurata*, hæc *jurata*. Exemplum juratorum sponsaliorum proponitur Ruth. III. 13. ubi Boaz ad Ruthæ dicit: *Si te voluerit propinquus jure propinquitatis retinere, bene res acta est, sin autem ille noluerit, ego te suscipiam, vivit Dominus*; hanc esse jurisjurandi adsertorii ac promissorii formam, ex aliis scripturæ locis constat: 1 Sam. XIX. 6. *Cum audisset Saul, juravit, vivit Dominus, quia non occidetur.* c. XXVIII. 10. *Juravit ei Saul in Domino, dicens, Vivit Dominus, &c.* Unde Lutherus recte vertit: *so wahr der HErr lebet.* Tale juramentum interponi solet, vel ab ipsis contrahentibus, vel a κυρίοις, id est, illis, in quorum potestate est sponsa, & a sponsi parente. De juratis sponsalibus hæc regula generaliter traditur, *quod arctiori vinculo contrahentes constringant, quam in jurata*: unde olim in juratis sponsalibus non dabatur amplius repudio locus, ut exemplis a profanis scriptoribus adductis Cypræus de sponsalibus cap. VIII. §. 16. & cap. XII. §. 8. monet. Movetur hoc loco ardua quæstio:

An jurata sponsalia liberorum inscii, vel invitis parentibus contracta, jure patriæ potestatis dissolvi ab iisdem possint?

An jurata sponsalia liberorum, inscii, vel invitis parentibus contracta, jure patriæ potestatis dissolvi possint? Beustius part. II. de matrim. cap. XLVIII. vocat hanc quæstionem *pro amico*, eamque in utramque partem disputari posse adserit. Canonistæ simpliciter negant, talia sponsalia dissolvi posse, urgentes: 1.) *Juramenti religionem.* Est enim juramentum religiosa nominis divini invocatio, *ideo quodcunque juramentum non vergit in detrimentum salutis æternæ, illud est servandum.* cap. Quamvis de pact. in 6. *Nullum vinculum ad obstringendam fidem jurejurando arctius, majores nostri esse voluerunt*, inquit Tullius. Perjurium est Dei abnegatio, &c. 2.) *Præcepti divini dispositionem. Non adsumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Rabbinus Aben Ezra in explicat. decalogi: Verbum Dei in vanum accipiendum non est, *quia Deus ut est ipsa veritas, ita verbum ejus verum haberi debet*; quod si promissum invocato Dei nomine præstitum non servatur, idem est, ac si Deus mendacii argueretur. Si quis regerat, exstare manifestum Dei præceptum de honorandis parentibus, quod liberi in ejusmodi sponsalibus nefarie fuerint transgressi, respondent, *secundam decalogi tabulam cedere primæ.* Jam vero juramentum pertinet ad primam, honor parentum ad secundam decalogi tabulam. Ergo æquum est, ut præceptum de honorandis parentibus cedat præcepto de juramento servando. 3.) *Conscientiarum perturbationem.* Si sponsalia liberorum jurata dissolvuntur, scrupulus conscientiis injicitur perpetuus, neque enim certo statuere possunt, paterni dissensus tantam esse vim, ut a perjurii culpa coram Dei judicio liberari possint. 4.) *Matrimonii conditionem.* Matrimonium enim, cui jurata promissio adponitur, est res per se honesta ac juris divini, ideoque juramentum illud est validum ac insolubile.

§. CXLVIII. Quidam respondent ad quæstionem per distinctionem, eamque multiplicem. Beustius d. l. tres casus in ea considerandos esse dicit: 1.) Quando liberi, insciis parentibus, mediante corporali juramento sponsalia, vel matrimonia clam contraxissent, *& pœniteret eos facti, ac precarentur veniam* apud parentes, quorum consensu & consilio postea cum alia sponsalia publica contraherent hoc casu, quando ita clandestina & publica sponsalia concurrunt, tunc non obstante juramento in clandestinis sponsalibus præstito publica præferri debent privatis. 2.) Quando sponsalia clandestina mediante juramento contracta sunt sola, *non intervenientibus publicis*, & liberi agnoscunt erratum & peccatum suum, & implorant

rant parentum consilium & auxilium, ut in illa sponsalia consentiant, hoc casu parentes liberorum conscientiis consulere debent. 3.) Quando sponsalia clandestina jurata sunt sola, & cum publicis non concurrunt, *& liberi se dant in potestatem parentum* in hunc finem, ut illis obedire velint, & deprecantur culpam, neque amplius amant personam, cum qua sponsalia contraxerunt, sed potius odio eam habent, quæ sponsalia petit adimpleri; hoc casu parentes severe per magistratum moneri debent, ut rationem habeant conscientiæ liberorum, ne talia sponsalia dissolvantur; quod si parentes facere nolint, sed uti jure suo velint, tunc propter jus & dissensum eorum talia sponsalia possent per sententiam dissolvi, vel posset pars, cui juramentum indebite præstitum esset, cogi ad relaxationem juramenti illius, quæ via conscientiis tutior esset. Hæc Beustius. Quidam distinguunt inter *sponsalia jurata contracta inter personas statu & natalibus æquales*, & contracta *inter personas inæquales;* in posterioribus dissolutionem concedunt, in prioribus negant.

§. CXLIX. Nos, ut superius in quæstione de necessitate paterni consensus inter strictum juris rigorem & ἐπιείκειαν moderamen distinximus, ita eandem distinctionem hoc loco ad sponsalia jurata clandestina adplicamus. Concedimus, ratione circumstantiarum habita, parentibus aliquando suadendum esse, ut in jurata liberorum sponsalia consentiant, utpote si copula carnalis sit secuta, si liberi culpam agnoscant ac deprecentur, si persona, cum qua contracta fuat, sit alioquin honesta & statu æqualis, si conscientiis liberorum non videatur aliter consuli, easdemque pacari posse, si matrimonium sit consummatum & nati ex eo liberi, &c. *Monendi sunt parentes*, scribit Bidenbachius de caus. matrimon. cap. I. quæst. 1. *ut, nisi causæ sint gravissimæ, non facile talia liberorum juramenta rescindant, sed conscientiis suorum parcant, &c.* Interim tamen si parentes jus suum stricte urgere velint, judicamus, sponsalia liberorum etiam jurata ad ipsorum instantiam dissolvi posse; interim, qui ea contraxerunt, liberi propter istam levitatem a magistratu carcere, vel alia pœna plectantur, ut & Beustius pie monet: *Imponatur eis publica poenitentia sub certa forma ex suggestu recitanda, in qua deprecatio apud populum fiat propter scandalum commissum.* Hanc sententiam contra canonistas probamus: 1.) Ex *manifesta juris dispositione*, primo *divini*, Num. XXX. 4. *Mulier si quidpiam voverit, & se juramento constrinxerit, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari constituta:* v. 5. *si cognoverit pater votum, quod pollicita est, & juramentum, quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit;* v. 6. *sin autem eodem die, ut audierit, contradixerit pater, & vota & juramenta ejus irrita erunt;* ex quo sic inferimus: Si pater potest irritum reddere votum filiæ ipsi Deo immediate præstitum & juramento confirmatum, utique etiam potest irritam facere promissionem homini factam, utut ea jurejurando fuerit confirmata. Sed verum prius. Ergo & posterius. Neque est, quod urgeatur, *ob copulam carnalem, quæ intervenit, sponsalia illa in matrimonium transisse, ac proinde dissolvi amplius non posse;* ostendimus enim superius in parentum potestate illud divina lege positum esse, an stupratori filiam elocare velint, nec ne? Exod. XXII. 17. Conjunge exemplum Dinæ Gen. XXXIV. 8. Secundo *canonici.* Juramentum, *quod est contra bonos mores*, non est obligatorium, Cap. Non est obligatorium. de R. J. in 6. neque *juramentum debet esse vinculum iniquitatis;* cap. Quando de jurejur. at repugnat bonis moribus, quia legi divinæ repugnat, & iniquum ac ἄνομον est, quia contra legem de honorandis parentibus fertur, liberos citra parentum consensum matrimonium contrahere. Juramentum debet habere tres comites, *veritatem, judicium & justitiam*, cap. Etsi Christus de jurejurand. quorum comitum uno vel altero deficiente juramentum non obligat jurantem; *cap. Et jura-*

jurabant. & cap. Licet. XXII. quæſt. 1. ſed in hoc juramento deeſt *judicium*, quia conſenſus filiifamilias ſub patria poteſtate conſtituti absque conſenſu parentum non eſt plenus & integer; deeſt *juſtitia*, quia quod juravit filius, vel filia, eſt injuſtum & illicitum. Tertio *juris civilis*. Juramentum contra mentem, vel in fraudem legis præſtitum eſt ipſo jure nullum; *l. non dubium in fin. C. de legib.* ſed illud juramentum filii, vel filiæ eſt contra mentem legis divinæ, civilis & provincialis, quæ in omni caſu conſenſum parentum requirit. Annullato conſenſu juramentum non habet fundamentum de jure, *quia juramentum non ſupplet conſenſum; l. fin. C. de non. num. pecun.* atqui hoc loco conſenſus plane nullus, quia parentum conſenſu deſtituitur. 2.) Ex *paritatis ratione*. Si enim non ſunt rata ſponſalia in gradibus lege divina prohibitis contracta, etiamſi ſint jurata; utique etiam ſponſalia contra legem de honorandis parentibus contracta non erunt rata, ſi vel maxime juramento ſint firmata. 3.) Ex *rei promiſſæ conditione*. Fidem matrimonii dare non eſt in poteſtate filii, vel filiæ, ſi patriæ poteſtati adhuc ſint ſubjecti. Quod ſi ergo fervore & furore juvenili tale quid promittant juramenti fide inſuper interpoſita, de alieno ſunt liberales, ac perinde id habendum, ac ſi jurato promittant, ſe aliena bona furto ſurrepturos & alteri ea daturos eſſe, quo in caſu nemo dixerit ad juramenti obſervantiam eos adſtringi. Nec poteſt per tale juramentum a liberis præſtitum ipſis parentibus tanquam tertiis illud, quod jure divino & humano ipſis competit, invitis & præter culpam adimi. *l. 3. ff. de jurejur.* 4.) Ex *abſurdi conſecutione*. Si tale juramentum eſſet validum, poſſent liberi patriæ poteſtati hac ratione ſeſe ſubtrahere, & leges de parentum conſenſu penitus eludere. Atque hanc ſententiam, quæ ſtatuit ſponſalia liberorum jurata absque parentum conſenſu contracta diſſolvi poſſe, amplectitur etiam Lutherus in libr. de cauſ. matrimon. & alii Auguſtanæ confeſſioni addicti theologi ac jurisconſulti. Quid ad contraria argumenta reſpondendum ſit, ex dictis facile colligitur.

§. CL. Reliqua, quæ *de forma & modo ſponſaliorum*, itemque diſtinctionibus ſponſaliorum ex eo ortis dicenda reſtant, minoris ſunt momenti, ideo curſim ea perſequemur. V.) Contrahuntur ſponſalia vel inter *præſentes*, vel inter *abſentes* per internuncium, vel epiſtolam. *l. Sufficit. l. in ſponſalibus. ff. de ſponſalibus.* Ut enim alia negotia, ita quoque contractus ſponſaliorum per internuncium ejusdemque vicariam epiſtolam peragi poſſunt; ubi tamen requiritur, ut perſonæ abſentes ſibi invicem, ſi non de facie, tamen de fama ſint notæ, & quæ per proxenetam aguntur, vel expreſſo earumdem mandato agantur, vel ab ipſis rata habeantur. Gen. XXIV. VI.) Inter præſentes contrahuntur ſponſalia vel *verbis* ex utraque parte commutatis, vel ex una quidem parte verbis, ex altera vero *ſignis* conſenſum exprimentibus, ut ſi parenti filiam deſpondenti ipſa præſens adſit, non contradicat, ſed in ſignum conſenſus dextram præbeat, annulum recipiat, Tob. VII. 15. &c. VII.) Contrahuntur ſponſalia vel *nudis ac ſimplicibus verbis*, vel *ſcriptis inſuper tabulis ac inſtrumentis, arrhis utrinque datis & convivio ſponſalitio inſtructo*, ubi notandum citra iſthæc omnia, tabulas puta, arrhas, convivium, &c. ſponſalia ſubſiſtere poſſe, cum ipſam ſponſaliorum ſubſtantiam non adtingant. Paulus *l. in ſponſalib. 7. ff. de ſponſal. In ſponſalibus nihil intereſt, utrum teſtatio interponatur, an aliquis ſine ſcriptura ſpondeat*? Inde ſponſalia quædam dicuntur *ſimplicia*, quando ſcilicet nude ac ſimpliciter promittunt ſibi mutuo ſponſus & ſponſa nuptias futuras, nulla ſcriptura, vel alia ſolenni confirmatione interveniente, nec arrha, vel pignore intercedente: quædam *firmata*, quæ vel dexterarum porrectione, vel annulo, vel dote tabellis conſignata,

5.) *Sponſalia contrahuntur inter abſentes, vel præſentes.*

aliisque arrhis passim confirmantur. Jure Romano *contrahentium osculo* constituta quandoque fuisse sponsalia, colligitur ex *l. Si a sponso.* 16. *C. de donat. ante nupt.*

VI.) *Finis sponsaliorum.*

§. CLI. Progredimur ad *causam finalem* sponsaliorum. Causæ, propter quas sponsalia instituta & introducta, potissimum tres animadvertuntur: 1.) *Conjugii dignitas.* Quemadmodum in naturalibus non ex quolibet fit quodlibet, sed ad generationem requiruntur *præviæ dispositiones*; sic placuit majoribus, non ex quibusvis contrahentibus quovis modo se habentibus nuptias confieri, sed per sponsalia tanquam *causas antecedentes*, *disponentes* ac *præparantes* eorum animos prius & conciliari & explorari. Rationi enim & æquitati consentaneum est, tanti momenti negotium ac indissolubilem illam conjunctionem non uno statim temporis articulo, sed distinctis temporibus ac velut gradibus perfici, ut hoc pacto sponsi & sponsæ animi prius concilientur, quam corpore conjungantur, nec *vilem habeat maritus datam, quam suspiravit sponsus dilatam*; cap. Institutum. 27. quæst. 2. ex Augustino. 2.) *Publica honestas.* Interjiciendum aliquod tempus inter sponsalia & nuptias majoribus visum fuit, ne stipulatione & promissione facta cœco atque effreni libidinis impetu conjuges ad concubitum prorumperent honestatis obliti, & bestiarum more sensuali adpetitui obsecuti. Tobias in ipsis nuptiis tres primas noctes precibus potius, quam conjugii usui destinare voluit. Tob. VIII. 4. *Surge*, inquit Tobias ad sponsam, *& deprecemur Deum, quia his tribus noctibus Deo jungimur, tertia autem transacta nocte in nostro erimus conjugio.* v. 5. *Filii quippe sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.* In græca tamen editione isthæc non habentur. 3.) *Necessitas.* Non utile solum, sed & necessarium fuit visum, sponsalia nuptias præcedere, ut medio temporis intervallo mature dispici posset, numquid forte sit, quod matrimonii consummationem impediat? Quo fine etiam sponsalia ecclesiæ e suggestu denunciantur, ut si quid forte occultæ causæ lateat, propter quod inchoatum conjugium consummari non debeat, illud in lucem producatur. *Ubi majus periculum, ibi plenius consulendum*, inquit Innocentius IV. cap. III. de elect. in 6. Itemque ut sponsus ingenio & moribus ejus adsuescat, cum qua in perpetuum est victurus. Propter easdem causas sponsalia adhuc hodie merito retinentur, quod 4.) etiam suadet *eorum antiquitas.* In populo Dei perpetuo usu receptum fuit nuptiis præmittere sponsalia. Bucanus in instit. pag. 110. huc refert legem divinam Deut. XXI. 11. *Si videris in numero captivorum mulierem pulcram, & adamaveris eam, voluerisque eam habere uxorem.* v. 13. *Per mensem prius defleat patrem & matrem suam.* Sed quilibet videt, præceptum illud esse speciale concernens peregrinam & captivam; voluit enim Deus *per istas deformitates*, crinium scilicet detonsionem, unguium nutritionem, vestium depositionem ac menstrui luctus & fluctus continuationem, *libidinem amatoris*, qua illam deperibat, *rursus exstingui*, ut Fagius in paraph. chald. ex Rabbino Bachai recte monet. Adducimus igitur alia exempla: Genes. XIX. 14. *Egressus Loth locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus.* Ergo Lothi filiæ erant desponsatæ, nondum tamen maritis traditæ. c. XXIX. 20. *Jacob* non nisi septennio exacto promissa sibi Rachele potitus est. Deut. XX. 7. *Quis est homo, qui despondit uxorem, & non accepit eam?* לא לקחה. Ergo intercessit tempus aliquod inter uxoris desponsationem & acceptionem sive traditionem, id est, inter conjugium inchoatum sive promissum, & consummatum. c. XXII. 23. *Si puellam virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, educes utrumque extra portam, & lapidibus obruentur.* Jud. XIV. 7. *Simson* impetrato parentum con-

consensu despondit sibi mulierem Philistæam, *locutus est mulieri, quæ placuit in oculis ejus*, v. 8. *& post aliquot dies revertens, ut acciperet eam, declinavit, &c.* Ergo inter sponsalia & nuptias dies aliquot fuere interjecti. 1 Sam. XVIII. 17. Saul filiam suam natu majorem *Merob* despondet Davidi, sed *cum veniret tempus, ut daretur Davidi, data est Adrieli.* Ergo aliud est filiæ desponsatio, aliud ejusdem in mariti potestatem traditio. Matth. I. 18. Luc. I. 27. *Maria erat Josepho μνηστευθεισα, desponsata, antequam convenirent.* Et ut verbo omnia complectar, in ecclesia christiana nov. test. perpetuo usitatum fuit nuptiis sponsalia præmitti, id quod ex singulorum seculorum historia ordine confirmari posset. Alexand. Comnenus, orientis imperator, peculiari constitutione cavit, ne eodem die sponsalia & nuptiæ contrahantur, & ad exitum perducantur, &c.

§. CLII. *Effectus* sponsaliorum spectantur vel ratione *contrahentium*, vel ratione *cognatorum.* Respectu *contrahentium* effectus sponsaliorum est *obligatio ad futuras nuptias;* qui enim matrimonium in sponsalibus promisit, illud consummare tenetur, quod de juratis sponsalibus statuitur. *Cap. Ex literis Sylvani. X. de sponsalibus.* Idem vero in sponsalibus injuratis etiam locum habere, interpretes tradunt ex *cap. de illis de desp. impub.* cum in rebus humanis fide ac promissorum constantia nihil antiquius censeri debeat. Proinde sponsum & sponsam altera parte invita non posse cum alio contrahere expediti juris est; an vero mutuo contrahentium dissensu dissolvi sponsalia iterum possint, dispicietur inferius. Quod si ergo alterutra pars matrimonii promissionem adimplere pertinaciter recuset, nec sufficientes recusationis causas adferat, magistratus ad consummationem eam compellat, quæ compulsio quousque præcedere debeat, paulo post explicabitur. Transeunt autem sponsalia in matrimonium, cujus promissionem continent, tum *per sequentem in nuptias consensum*, tum *per copulam carnalem.* Quamvis enim *non concubitus, sed consensus faciat nuptias*, tamen per interventum carnalis copulæ consensus ille nuptialis exprimi censetur; præsumitur enim de sponso, quod promissionem ad effectum potius deducere, quam stuprum committere voluerit, *cap. is. qui X. de sponsal. l. merito. ff. pro socio.* & adversus hanc præsumtionem, cum sit juris & de jure, non admittitur probatio in contrarium, nec elidit eam *protestatio* interposita, cum sit facto contraria. *l. antiquæ. C. ad Sen.* Vellej. Hilligerus in Donell. enucl. libr. XIII. c. XVIII. lit. X. Canonistæ tamen addunt limitationem, *nisi sit probatio, quæ indirecte & per obliquum ipsi præsumtioni obviat*, ut si sponsus probare velit, sponsalia illa ante copulam carnalem fuisse legitime soluta, vel fuisse nulla propter aliquod impedimentum, in eo enim casu probationem admittendam esse, haud immerito censent. Nec solum sponsalia pura, sed etiam conditionata per copulam in matrimonium transeunt, quia per copulam videtur sponsus a conditione adjecta recessisse, etiamsi *protestetur, se nolle recedere a conditione.* Idem statuendum de sponsalibus *incertis*, quæ ita vocant. Verbi gratia, si quis juraſſet, se ducturum unam ex tribus filiabus Sempronii, & postea unam earum carnaliter cognosceret, verificarentur sponsalia, quæ antea erant incerta, & transirent in matrimonium, si parentes stupratæ consentirent. Quæ canonistarum decisio conformis est juri divino, Exod. XXII. 16. Deut. XXII. 19.

VII.) *Effectus sponsaliorum.* 1.) *Ratione contrahentium.*

§. CLIII. Quæritur hoc loco: I.) *Si alteruter, vel uterque contrahentium obstinate repugnet, nec monitione, nec minis, nec mulcta, nec carcere permoveri possit, ut fidem matrimonii datam servet, atque animo sit a parte altera*

Quæritur I.) *An obstinate recusantes sponsaliorum consummationem a magistratu cogendi?*

altera penitus aliuno, num præcise etiam per excommunicationem ecclesiasticam, vel relegationem civilem ad matrimonii promissi consummationem sit cogendus? Ita quidam censent urgentes hoc cumprimis: 1.) Quod *consensus, non concubitus* faciat matrimonium; quare cum is semel fidem matrimonialem alteri dederit, qui eam servare recusat, præcise ad consummationem compelli eum posse ac debere statuunt, cum matrimonium sit indissolubilis conjunctio. Matth. XIX. 6. 2.) Urgent insuper, quod sponsa coram Deo sit uxor. Genes. XXIX. 21. *Da uxorem.* Deut. XXII. 23. *Si quis sponsam alterius violaverit, lapidibus obruetur;* & additur ratio: *quia humiliavit uxorem proximi sui.* Matth. I. 20. de Maria, quæ Josepho tantummodo desponsata erat, dicit angelus: *Noli timere Mariam uxorem tuam ad te recipere.* Ergo ut conjuges ad mutuam cohabitationem compelli possunt, ita quoque personæ desponsatæ. 3.) Quod pactio de conjugio sit *foedus divinum*, Prov. II. 17. Mal. II. 14. ac proinde humana auctoritate nequaquam dissolvendum. 4.) Metuunt denique ne confirmetur *levitas* eorum, qui sponsalia, quæ sunt conjugii fundamentum, temere dissolvunt, poterit enim quilibet capitales inimicitias fingere ac simulare, &c. Sane non dubitaverim rigorem illum in quibusdam casibus, præsertim si sponsalia sint jurata, si copula intervenerit, si sint publica, si dissolutio eorum cum insigni ecclesiæ scandalo conjuncta, &c. observandum esse; interim tamen ratione circumstantiarum habita ἐπιείκειαν quamdam a causarum matrimonialium judicibus hic adhiberi posse existimo. 1.) Ex *jure divino.* Nuptiarum vinculum arctius esse, quam sponsaliorum, paulo post demonstrabitur. Quod si ergo in vet. test. propter σκληροκαρδίαν judaicam *permisit* Deus etiam in ratis & consummatis matrimoniis divortia; Matth. XIX. 8. quidni in nov. test. sponsaliorum dissolutio propter eamdem cordium duritiem magistratus auctoritate interdum fieri posset? Vid. Lutherus in lib. de caus. matrim. 2.) Ex *jure canonico.* Cap. Requisivit. x. de sponsalibus. *Mulier quædam jurisjurandi religione neglecta nubere illi renuebat, cui se nupturam interposito juramento firmaverat, respondit Lucius, quod cum libera debeant esse matrimonia, monenda sit potius mulier, quam cogenda, cum coactiones difficiles exitus frequenter habere soleant.* Ex quo capitulo canonistæ colligunt, *si judex animadvertat, sponsum, vel sponsam ita obstinatam esse, ut libere consentire nullo pacto conjugio velint, quod monitione potius uti debeat, quam exactissima coactione, ex qua consensus secutus, nec liber esset, prout in matrimonio requiritur, nec vere consensus dici posset.* Ad evitandum igitur majus malum tolerandam esse potius violationem datæ fidei, quam coactionem matrimonii. 3.) Ex *jure civili.* Jure antiquissimo Romanorum is, qui sponsalia contraxisset, solutione ejus, quod interest, liberabatur, siquidem eum incepti pœnituisset; Gellius lib. IV. noct. Attic. cap. IV. & in omnibus obligationibus faciendi, quis *ad interest* saltem condemnatur. Is autem, qui ducere promittit, vel accipere factum promississe censetur, ideoque præcise facere non tenetur. Jure etiam novissimo arrhas solum perdit is, qui conventis stare recusat. 4.) Ex *ratione.* Prudentes legumlatores ac judices æquum semper censuerunt, ad evitandum malum majus tolerandum esse aliquod minus; atqui ex matrimoniis illis coactis longe majora mala oriri possunt, quam si ratione circumstantiarum habita sponsalia interdum dissolvantur, utpote rixæ perpetuæ, capitales inimicitiæ, veneficia, cædes, scandala publica, eademque perpetua.

Quæritur II.) Qua poena coercendus, qui temere a sponsalibus recedit?

§. CLIV. Neque tamen impune ferre debet hanc temeritatem, qui absque sufficiente causa a promissione matrimonii & pactis sponsalitiis discedit. Quæritur igitur II.) *Qua poena sit coercendus?* Ca-

no-

noniſtæ cenſuræ eccleſiaſticæ eum ſubjiciunt. *cap. ex literis* 8. *de ſponſalibus.* Jure civili arrhas datas amittit, & qui accepit, duplicatas reſtituere cogitur, *l. Mulier.* 5. *C. de ſponſalib. & arrhis ſponſalit.* exceptis tamen certis caſibus in d. l. expreſſis. Arrhæ iſtæ in plerisque conſiſtoriis cauſarum matrimonialium judicibus hodie cedunt, ſed conſultius fortaſſis eſſet, ærario eccleſiaſtico eas inferri, ne earum intuitu ad ſponſaliorum diſſolutiones ſint propenſiores. Nec immerito deſertæ ſponſæ ad id, quod interest, talis deſertor tenetur, quin & mulcta pecuniaria vel fiſco inferenda, vel deſertæ perſonæ adjudicanda puniri, vel in terrorem aliorum carcere plecti poteſt, ratione perſonarum & circumſtantiarum habita. Cypræus de ſponſalib. cap. XII. §. 6. n. 2. ubi notat, in quibusdam locis peculiari ſtatuto cautum, ut is, qui ſponſalibus renunciat, & deſponſatam ducere recuſat, mulctæ nomine *dimidiam partem dotis* ſolvat. More etiam receptum eſt, ut talis deſertor aliam ſibi conditionem quærere, id eſt, cum alia matrimonium contrahere prohibeatur, quam ſententiam etiam b. Luthero & aliis theologis probari video, cujus ratio dubio procul ex loco apoſtolico 1 Cor. VII. 11. petita: *Si uxor diſcedit a viro, maneat innupta, aut viro reconcilietur.* Sed quia conſcientiarum & infirmitatis humanæ habenda eſt ratio, ideo ad hanc pœnam non eſt facile diſcedendum, vel ſi impoſita ſit, eo modo relaxari poteſt, ut vitandi ſcandali ergo jubeatur alio abire, ibidemque matrimonium contrahere illi permittatur. Diſſolutio enim ſponſaliorum auctoritate magiſtratus facta intelligenda eſt *cum effectu*, ac ſatius foret modis ac mediis omnibus ad fidei matrimonialis datæ adimpletionem cogere, quam perpetuis internæ uſtionis flammis per matrimonii interdictum eumdem ſubjicere.

2.) *Ratione cognatorum.*

§. CLV. *Alter* ſponſaliorum effectus ratione cognatorum ſponſi & ſponſæ eſt *affinitas.* Quamvis enim ex ſponſalibus proprie & adcurate loquendo non oriatur talis adfinitas, ſive conjunctio inter conſanguineos ſponſi & ſponſæ, qualis per nuptias contrahitur; tamen oritur ex illis *juſtitia honeſtatis publicæ*, ut canones vocant, quæ facit, ut inter ſponſi & ſponſæ cognatos ratione matrimonii prohibendi quædam adfinitas cenſeatur inducta. *l. ſi qua mihi. l. ſi adoptivus. de ritu nuptiar. cap. ad audientiam. cap. ſponſam. de ſponſalibus.* Quin & quæ ex ſponſalibus ſperatur adfinitas, verbi proprietate ceſſante locum habet per interpretationem in juris civilis capitibus. *l. Labeo.* §. 1. Ulpianus dicit: *Generi & nurus appellatione ſponſus quoque & ſponſa continentur, item ſocri & ſocrus appellatione ſponſorum parentes contineri videntur;* quod congruum eſt juri divino, in quo ſponſa cenſetur uxor, unde etiam ſponſi a parentibus ſponſæ *generi* adpellantur. Gen. XIX. 14. Jurisconſulti dicunt, *in favorabilibus ſponſum mariti & ſponſam uxoris loco pene in omnibus haberi, non item in odioſis.* Albericus Gentilis libr. II. de nupt. cap. XXIV. Weſenbecius in parat. de ſponſ. num. 7. Ad ſponſaliorum effectus etiam hoc referunt, quod pars diſſolvens ſponſalia, vel per quam ſtat, quo minus contrahatur matrimonium, arrhas datas vel acceptas amittat, & tantundem de ſuo reddere cogatur. *l. mulier. C. de ſponſal.* Item, quod ſi alter deſponſorum, priusquam nuptiæ celebrentur, excedat e vita, donatio utrinque facta reſcindatur, & vel ſuperſtiti, vel ejus hæredi reſtituatur, niſi cauſam, ut nuptiæ non celebrarentur, defuncti perſona jam præbuiſſet. *l. 5. C. de ſponſalibus.* Olim etiam ſponſalia actionem contra ſponſum producebant, in qua judex comperiens nihil cauſæ eſſe recedendi a ſponſalibus, quanti interfuerat uxorem accipi aut dari condemnabat, hodie autem non pariunt actionem. Sed de his plenius tractant jurisconſulti, ad quos ea cura proprie ſpectat. De effectis ſponſaliorum clandeſtinorum, conditionalium, juratorum, &c. in

ſpe-

ſpecie ex illis, quæ ſuperius dicta, judicium facile fieri poteſt.

§. CLVI. *Adjuncta* ſponſaliorum ſunt varia, utpote I.) *arrhæ ſponſalitiæ*, quæ in fidem & argumentum ſponſaliorum utrinque dantur. Quamvis enim jure civili a ſponſo ſponſæ, non autem a ſponſa ſponſo olim darentur arrhæ, ut ex Paulo libr. II. ſentent. & ex Gratiani, Valentiniani, aliorumque imperatorum conſtitutionibus intelligitur, (quod mori in populo Dei recepto etiam congruum videtur, nam Geneſ. XXIV. 53. Eleazar Iſaaci pararius & proxeneta prolatis vaſis aureis & argenteis ac veſtibus dat ea Rebeccæ, & adhuc inter Judæos ſtricte obſervatur, ut ſponſus det arrhas ſponſæ, non autem contra, unde in præceptis adfirmat. præcept. XLVIII. Rabbini dicunt: *Initianda eſt uxor ducenda vel pecunia, vel ſcripto, idque faciendum coram teſtibus, ſubarrhatio autem fieri poteſt dimidio ſiclo*); hodierna tamen chriſtianorum conſuetudine etiam ſponſa dat arrhas ſponſo. Apoſtolus hunc morem arrhas dandi & accipiendi in ſponſalibus pulcerrime refert ad ſpirituale ac myſticum Chriſti & fidelis animæ conjugium, quando a Chriſto *arrhabonem Spiritus* nobis datum adſerit, 2 Cor. I. 22. V. 5. ἀῤῥαβῶν ſecundum Suidam & Etymologum proprie eſt *pecunia, quæ in emtionibus primo dependitur ad fidem majorem faciendam iis, quæ emta ſunt, perſolvendis, ſeu pars ſolutionis, quæ fidem facit totius ſummæ perſolvendæ*, qua in re a pignore ſeu hypotheca differt, quod & Hieronymus obſervavit, quando in comm. Eph. I. p. 102. ſic ſcribit: *Pignus latinus interpres pro arrhabone poſuit, non autem id ipſum arrhabo, quod pignus ſonat. Arrhabo enim futuræ emtioni quaſi quoddam teſtimonium & obligamentum datur, pignus vero, hoc eſt*, ἐνέχυρον *pro mutua pecunia opponitur, ut cum illa reddita fuerit, reddenti debitum pignus a creditore reddatur.* Quare cum deſponſatio itidem ſit ſpecies quædam contractus, ideo translatum eſt vocabulum arrhabonis ſive arrhæ ad dona, quæ in argumentum & fidem promiſſi matrimonii dantur, ac vocantur potius arrhæ, quam pignora, quia ſecutis nuptiis in donationem propter nuptias imputantur. Eſt autem arrhabo, & contractum *arrha* nomen ortum ex hebræo עָרַב *ſpopondit, fidem interpoſuit*, inde עֵרָבוֹן pignus. Gen. XXXVIII. 17. 1 Sam. XVII. 18. Proinde ut ſponſus & ſponſa ſibi invicem dant arrhas in confirmationem futurarum nuptiarum: ſic docente Tertulliano libr. de reſurrect. carnis, cap. LI. pag. 341. *Chriſtus ſequeſter Dei & hominum adpellatus ex utriusque partis depoſito commiſſo ſibi carnis quoque depoſitum ſervat in ſemetipſo arrhabonem ſummæ totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita & nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in coelum pignus totius ſummæ illuc quandoque redigendæ.* Ad arrhas etiam referri poteſt *annulus*, qui pignoris loco in ſponſalibus a ſponſo olim dari vel mitti ſolebat ſponſæ, quem Tertullianus in apolog. cap. VI. vocat *pronubum*. Ferreum annulum, eumque ſine gemma ſponſæ ſua ætate mitti conſueviſſe, auctor eſt Plinius libr. XXXIII. nat. hiſt. cap. I. qui ſcilicet priſca ſecula, & antiqui victus parſimoniam, frugalesque mores deſignaret.

VIII.) *Adjuncta ſponſaliorum*: 1.) *Arrhae ſponſalitiae.*

§. CLVII. II.) *Munera ſponſalitia*, quæ non ſolum a ſponſo dantur ſponſæ, ſed etiam ejus parentibus, & viciſſim a ſponſa dantur non ſolum ſponſo, ſed etiam ejus parentibus, & quæ parentes perſonarum deſponſatarum ſibi invicem donant. *t. t. C. de donat. ante nupt. vel propt. nupt. & ſponſalit.* Ea cum dantur, vel expreſſe adjicitur *coeundi adfinitatis gratia donari*, vel ſi expreſſe non adjiciatur, intelliguntur tamen eo animo donata, quia adjectum non fuit, donationem ex mera liberalitate fieri. De his muneribus ſponſalitiis, eorumque ab

2.) *Munera ſponſalitia.*

arr-

arrhis differentia latius tractant jurisconsulti, cumprimis Obrechtus in οἰκονομίᾳ donationis simplicis & relatæ disp. V. thes. 31. & seqq. Vestigia munerum illorum sponsalitiorum exstant in historia desponsationis Rebeccæ Gen. XXIV. 53. ubi Eleazarus proxeneta *fratribus & matri sponsæ* dona offert. In hebræo est מִגְדָּנוֹת quod significat *res laudabiles, optimas & pretiosissimas*, in quocunque genere fructuum, metallorum, auri, argenti, gemmarum, vestium, notante Schindlero in radice סגר.

3.) *Instrumenta dotalitia.* §. CLVIII. III.) *Tabulæ & instrumenta*, quæ de pactis dotalitiis conscribuntur, in quibus de hæreditatis successione atque aliis ad futurum matrimonium spectantibus disponitur. Augustinus serm. CCXLIV. vocat *tabulas matrimoniales*. Germani vocant *Eheberedung*. Sic postquam Raguel filiam suam Tobiæ despondisset, *accepta charta fecerunt conscriptionem conjugii*. Tob. VII. 16. In græco est ἔγραψε συγγραφὴν, καὶ ἐσφραγίσατο. Tales sponsalitiæ conventiones etiam apud Romanos utplurimum in tabulas referebantur, unde illud Tertulliani de vel. virg. cap. XII. pag. 194. *Hæ sunt tabellæ priores naturalium sponsalium*, atque hæ tabulæ signatoriis eorum, qui intererant, annulis signabantur, ut colligitur ex illo Juvenalis versiculo:

Veniet cum signatoribus auspex.

Instrumenta dotalia jure civili olim exigebantur, cum quis concubinam, ex qua liberos habebat, uxorem ducere vellet. §. *final. instit. de nupt.* Item in nuptiis inter impares honestate personas, ut cum senator duceret scenicam, *l. si donation. l. imperialis. C. de nupt.* ac hodie in nuptiis illustrium personarum talia instrumenta exiguntur; non autem in cæterorum nuptiis necessario requiruntur, quod & jure civili ita obtinet, ut docet Covarruvias de matrimon. part. II. cap. VIII. fol. 145.

4.) *Ritus.* IV.) *Ritus*, qui in desponsationibus adhibentur, quos late describunt Hotomannus de cast. & inc. nupt. parte III. cap. I. Rosinus lib. V. antiq. cap. XXXVII. V.) *Convivia sponsalitia*, quæ antiquitus etiam fuisse usitata, constat ex Gen. XXIV. 54. Tob. VII. 17. De his ac similibus sponsaliorum adjunctis notanda est regula, quod ordinarie non *sint de sponsaliorum essentia*, unde, si vel maxime non fuerunt adhibita, tamen si vera & legitima inter personas contrahentes desponsatio interceſſit, rata sunt sponsalia, si vel maxime nec arrhæ, nec munera sponsalitia, nec tabulæ, nec convivium accesserit.

5.) *Convivia.*

§. CLIX. *Contrarium* sponsalibus est *repudium*, per quod sponsalia dissolvuntur. Dicitur repudium, quasi *recusatio propter rem pudendam*, ac proprie acceptum est inter sponsum & sponsam, sicut *divortium* inter maritum & uxorem, sed hoc discrimen non ita stricte ubique observatur. Dari tale repudium de facto, historiæ & experientia testantur; de jure idem quandoque institui posse, vel ex eo constat, quod detur divortium. Quod si enim conjugium ratum & consummatum dissolvi in quibusdam casibus potest, multo magis conjugium promissum & inchoatum poterit dissolvi. Sed addendæ hic sunt duæ regulæ: 1.) *Sponsalia non debent privata vel contrahentium, vel amicorum, sed publica magistratus auctoritate præeunte legitima causæ cognitione dissolvi*; unde etiam pœna quadam adfici consueverunt, carcere scilicet, vel mulcta, ratione conditionis & fortunarum habita, qui proprio arbitrio sponsalia dissolvunt. Idque ita observari reipublicæ christianæ interest, tum propter metum subornationis, tum propter scandalum, tum vel maxime propter conscientiarum periculum. Apud ethnicos vel nulla, vel minima ex causa privatim licuit sponsalibus renunciare, sed in ecclesia christiana illud merito abrogatum. 2.) *Non sine gravibus & sufficientibus causis a judicibus matri-*

IX.) *Contrarium sponsaliorum.*

monialium casuum sponsalia sunt dissolvenda; quia sponsalia sunt conjugium inchoatum, cujus auctor hunc vitæ ordinem servari cupit inviolatum, ac contrahuntur sponsalia interposita quandoque jurisjurandi fide, ac Deus constituitur testis illius pactionis & vindex violationis, is vero in perfidos ac perjuros graviter solet animadvertere. Quin & temeraria sponsaliorum dissolutio scandalum præbet publicum, ac confirmat levitatem ingeniorum sanctam conjugii ordinationem susque deque habentium; eadem quoque pugnat cum dilectione proximi, quia personæ desertæ ignominiam adfert, ac simultates & odia inter cognatos desponsatorum excitat. Ex quibus manifestum est, temeraria sponsaliorum rite ac legitime contractorum dissolutione graviter peccari.

Quae sint causae dissolvendi sponsalia juxta canonistas?

§. CLX. Possunt tamen incidere causæ ejusmodi, quæ necessitatem dissolvendi sponsalia adferunt, sed in earum enumeratione plurimum variant. *Canonistæ*, qui distinctionem inter sponsalia de *præsente* & *de futuro* cumprimis hic adtendendam censent, sponsalia de futuro dissolvi posse existimant: 1.) *Mutuo contrahentium dissensu.* cap. II. de sponsal. 2.) *Per absolutionem factam a judice*, eo quod quis ante pubertatis annos contraxit. Potest enim, qui impubes sponsalia contraxit, postquam ad pubertatis annos pervenit, petere ab eis absolvi, nisi pubes factus expresse, vel tacite eis consensit, ante tamen pubertatem dissolutionem petere non potest. *cap. de illis de desp. impub.* 3.) *Per matrimonium verbis de præsente contractum; cap. sicut de sponsal.* quod eo extendunt, etiamsi copula nondum fuerit secuta. 4.) *Propter adfinitatem supervenientem*, ut si quis fide interposita desponsavit aliquam, & deinde propinquam ipsius carnaliter cognoscit intra gradum prohibitum. *cap. Veniens. de eo, qui cognov. consangv. uxoris & cap. super eo, de consangv. & adfin.* 5.) *Propter ingressionem religionis*, id est, professionem monastices. *cap. ex publico de convers. conjugat.* 6.) *Propter fornicationem post sponsalia secutam*, ut si sponsa cum alio forniceur, non tenetur sponsus cum ea matrimonium contrahere, etiamsi sponsalia fuissent jurata & vice versa. *cap. quemadmodum de jurejurand.* 7.) *Propter fornicationem spiritualem*, quando alter eorum efficitur hæreticus. *cap. Non solum.* 18. *q.* 1. 8.) *Propter lapsum temporis, vel diei*, in contractu sponsaliorum ex conventione partium constituti. *cap. Sicut &. de sponsal.* 9.) *Per sacri ordinis susceptionem.* 10.) *Si sponsus vagetur per orbem*, & per triennium absit. *cap. de illis de sponsalib.* quod si justo impedimento detineatur, non temere sponsalia erunt dissolvenda, sed adtenta personæ qualitate, quæ forsan ex mora periculum pateretur. *d. cap. de illis.* 11.) *Per omissionem implementi* ejus, quod promissum est, sive voluntariam, sive involuntariam. 12. *Per votum simplex castitatis; cap. Veniens, qui cleric. vel vovent. matr. contrah. poss.* si scilicet votum præcesserit sponsalia, nam tunc impedit & dirimit jurata, sed si votum sequatur post sponsalia, tunc rata sunt sponsalia, quia alter in alterius præjudicium vovere nequit. 13.) *Per famam canonici impedimenti* ad contrahendum inter eos, si de fama doceatur. *cap. cum in tua de sponsal.* 14.) *Per supervenientem capitalem inimicitiam* inter sponsos. *cap. requisivit. de sponsal.* 15.) *Per morum asperitatem* alterius contrahentium. Abb. in *cap. Veniens. qui cleric. vel vovent.* 16.) *Per supervenientem cognationem legalem*, vel aliud impedimentum. 17.) *Propter lepram, paralysin, similemve morbum*, nec non propter vitium, quod oris formam deturpet, veluti si oculus eruatur, nasus præscindatur, vel alius corporis defectus magnus deformationem, vel debilitatem inducens inferatur, *cap. final. de conjug. leprof.* ne sibi invicem displiceant, & matrimonium sic contractum malum exitum sortiatur. 18.)

Sol-

Solvuntur *per aliquid nove superveniens*, quod si præcessisset, non fuissent contracta.

§. CLXI. *Jure Romano* sponsalia dissolvebantur alterutrius partis dissensu. *l.* 1. *C. de sponsal. l.* 2. *C. de repud.*. Qui sui juris erant, per se sponsalibus renunciabant, qui vero sub aliena potestate constituti, per suos κυρίας. Sic filiæfamilias sponsalia pater dissolvere poterat; *l.* 10. *C. de sponsalibus.* non item tutor, nisi ex voluntate pupillæ. *l.* 6. *eod.* Qui repudiabant, nuncium mittebant, hoc est, renunciabant, vel præsenti, vel absenti, quam ad rem certa & solemnia quædam verba adhibebantur, in divortio quidem ea: *Res tuas tibi habeto; tuas res tibi agito;* in repudio vero isthæc: *Conditione tua non utor, &c. l.* 2. §. 2. *de divort.* Qui sponsum hoc modo repudiabat, etiamsi nulla, vel minima causa subesset, nec culpam commisisse, nec infamiam contraxisse censebatur, quod enim lege permittente fit, illud pœnam non meretur; interim jure codicis ab imperatoribus posterioribus condito, is, qui sine causa renunciabat, & legitimæ erat ætatis, arrhas duplicatas restituebat, minor simplices, si justam renunciandi causam haberet, hæc pœna cessabat. *l. ult. C. de sponsal.*

Secundum jus civile.

Quid de sponsaliorum dissolutione statuendum?

§. CLXII. Talia repudia a contrahentibus, vel contrahentium parentibus ex nulla, vel minima causa facta merito in ecclesia christiana sunt abrogata; nec ullus amplius illis hodie datur locus, sed *ad judices matrimonialium causarum* negotium deferendum, si utraque, vel alterutra pars sponsalia dissolvi expetat, qui non nisi ob graves & justas causas publica auctoritate sponsalitia pacta dissolvunt, quæ dissolutio nomine *repudii* in generali significatione accepto indigitatur, cum in locum repudii olim apud Romanos usitati successerit. Ut autem de causis dissolvendi sponsalia in nostris consistoriis hodie ubique fere receptis distinctius agamus, hoc modo procedimus.

1.) *Dilatio.*

I.) A sponsaliorum *dissolutione* distinguenda est eorum *dilatio.* Quandocunque enim pars una, vel utraque contrahentium sponsaliorum dissolutionem a magistratu quærit, sponsalia non quidem ante causæ cognitionem statim dissolvuntur, interim tamen per sententiam judicis ad tempus differuntur; sicut & jure canonico per *interdictum ecclesiæ* nuptias contrahere prohibetur, quoad lis finita sit, qui matrimonium alteri promisit. *cap. cum apostolica. de sponsalibus.* Talis sponsaliorum dilatio ac suspensio variis in casibus locum obtinet, utpote si incidat quæstio præjudicialis, quæ prius sit terminanda, si sponsus, vel sponsa diffamentur, quod cum alia persona sponsalia contraxerint, si tempus luctus legibus præfinitum, vel consuetudine receptum nondum sit elapsum, si prægnantem fœminam quis duxerit, de quibus omnibus late tractat Cypræus de sponsalib. cap. XIII. §. 86. & seqq. Quamvis vero per talem suspensionem sponsalia non dissolvantur, sed eorum per nuptias complementum duntaxat differatur, cum plurima sponsalia per judicis sententiam differantur, quæ expleto certi temporis intervallo in nuptias postmodum transeunt, tamen talis suspensio sæpius est dissolutionis primus gradus, ut experientiæ testimonium demonstrat.

2.) *Si bina sponsalia contracta.*

§. CLXIII. II.) Si de *dissolutione* sponsaliorum quæstio incidat, primo omnium dispiciendum, an *bina*, an *una* duntaxat contracta fuerint sponsalia ab utraque, vel alterutra contrahentium parte? Si bina sponsalia sunt contracta, tunc *priora* cæteris paribus præferuntur *posterioribus*, ac proinde priora pronunciantur rata, posteriora vero irrita. Neque enim in causis matrimonialibus locum habet illud vulgatum: δευτέραι φρονίδες σοφώτεραι, sed potius illud alterum: *Quod semel placuit, in posterum displicere nequit.* Item: *habeas ut nactus.* Dixi autem, *cæteris paribus*,

posteriora sponsalia *prioribus* cedere; quod si enim priora sint *clandestina*, posteriora vero *publica*, vel si priora sint *de futuro*, id est, tractatus duntaxat de sponsalibus, posteriora *de præsenti*, id est, vera sponsalia, tunc posteriora prioribus præferuntur. Lutherus in libr. de caus. matrim. tom. V. Jenens. Germ. fol. 237. ideo publica sponsalia privatis dicit esse præferenda, quia hæc sunt prohibita, illa vero minime. An vero sponsalia posteriora, ad quæ accessit copula carnalis, præferenda sint prioribus, ad quæ nondum accessit cohabitatio? item: an sponsalia posteriora pura præferenda sint prioribus conditionatis subsecuta conditione? de eo superius disputatum fuit.

3.) *Si sponsalia de futuro tantum.*

§. CLXIV. III.) Si una duntaxat celebrata sint sponsalia, dispiciendum est, an sint sponsalia de *futuro*, id est, desponsationes impuberum, vel sponsalia conditionata, vel tractatus sponsalia antecedentes? eo enim sensu sponsalia de futuro a quibusdam accipi diximus superius, an vero sint sponsalia de *præsente*? In desponsatione *impuberum* dissolvuntur sponsalia, si uterque, vel alteruter, postquam ad annos pubertatis pervenit, eadem dissolvi petat, modo pubes factus expresse, vel tacite eis non consenserit. *cap. ubi non est* 30. *q.* 2. *Qui pueris dant puellas in cunabulis, & e converso nihil faciunt, nisi uterque puerorum, postquam venerit ad annos discretionis, consentiat.* Conjunge lib. IV. decretalium Gregorii IX. tit. 2. & lib. IV. tit. 2. in Sexto, qui agunt de desponsatione impuberum. Sponsalia *conditionata*, si conditio non fuerit subsecuta, dissolvuntur, nisi scilicet copula carnalis accesserit. Tractatus sponsalia antecedentes, non autem vera sponsalia constituentes dissolvuntur partium dissensu. Plura de conditionatis sponsalibus diximus superius. Dispiciendum deinde, an sponsalia sint *publica*, an *clandestina*? Si sint clandestina posterioris generis, id est, absque parentum consensu contracta, jure patriæ potestatis dissolvuntur. Si sint clandestina prioris generis, id est, remotis testibus & arbitris contracta, si sint injurata, facilius ad dissolutionem propter causas quasdam graves descenditur, quam si sint publica in templo, vel coram honestis viris contracta, vel etiam jurata.

4.) *Si sponsalia sint pura.*

§. CLXV. IV.) Si sponsalia sint *pura*, eadem duplici ratione dissolvuntur, vel *solemni declaratione*, quod ab initio fuerint irrita, vel *judiciali decisione*, quod ab initio quidem fuerint rata, sed ob causam aliquam supervenientem sint rescindenda. Causæ, propter quas sponsalia ab initio statim fuisse irrita censentur, revocari possunt ad *efficientem* & *matrimonialem*. De efficiente causa constare potest ex iis, quæ de consensu, qui est sponsaliorum causa efficiens, dicta sunt superius. Consensus, uti vidimus, est actus liberæ voluntatis a sano atque integro judicio profectus; ad eum proinde requiritur judicii integritas & voluntatis libertas. Cum judicii integritate pugnat *error*, *dolus*, *ebrietas*, *fatuitas*, *furor*; cum voluntatis libertate pugnant *minæ*, *justus metus & violenta coactio*. An vero & quando ob errorem, dolum, ebrietatem, fatuitatem, furorem, justum metum, &c. sponsalia censenda sint irrita? de eo latissime dictum fuit suo loco. Causa materialis, propter quam sponsalia ab initio statim irrita fuisse judicantur, explicabitur in seq. capite de materia conjugii. Quæ enim personæ ob gradum propinquitatis matrimonio conjungi prohibentur, illarum sponsalia pronunciantur irrita. Item corporum inhabilitas speratum matrimonii usum penitus impediens, ut causa est matrimonii dissolvendi, ita multo magis sponsaliorum. Notandum tamen hoc loco, quod distinguendum sit inter inhabilitatem materiæ *præsentem*, quæ successu temporis corrigi potest, & inter inhabilitatem *perpetuo durantem*, quæ emendari nequit. Propter priorem non dissolvuntur, nec irrita censentur sponsalia, quæ

etiam

etiam inter impuberes constare possunt, sed duntaxat propter posteriorem. Sed hæc omnia ex sequenti capite erunt clariora.

5.) *Crimina dissolutioni sponsaliorum causam præbentia.*

§. CLXVI. V.) Sponsalia, *quæ ab initio fuere rata*, judicis auctoritate dissolvuntur, vel ob *quædam partis alterutrius crimina*, vel propter *extrinseca quædam accidentia* alterutri, vel utrique contrahentium parti *supervenientia*. Ad crimina commissa referenda sunt. 1.) *Adulterium*, vel *scortatio*. Ostendimus enim superius, sponsum non posse cogi, ut ducat eam, quæ post sponsalia contracta copiam sui alteri fecit. Quod vero de sponso dictum, idem etiam de sponsa accipiendum, quod scilicet nec ipsa cogi debeat, ut sponso post sponsalia fœdis libidinibus sese contaminanti nubat. *cap. Quemadmodum de jurejur. l. 5. C. de spons.* Quo pertinet illud Augustini de verb. Dom. serm. XLVI. quod citatur *cap. si ducturi. 32. q. 6. Si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris. Quales vultis eas invenire, tales & ipsæ inveniant vos. Quis vivens est, qui non castam velit ducere uxorem, & si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? intactam quæris? intactus esto. Puram quæris? purus esto.* 2.) *Medicamentorum sterilitatis adsumtio.* Cum enim finis matrimonii sit sobolis procreatio, merito repudium illi datur, quæ se ad conceptionem sobolis ineptam reddidit. 3.) *Malitiosa desertio.* Cum enim in conjugio consummato *frater non sit subjectus servituti*, hoc est, non sit a secundis nuptiis arcendus, si a conjuge malitiose deseratur; 1 Cor. VII. 15. utique multo magis sponsalia, quæ sunt conjugium duntaxat inchoatum ac promissum, ob malitiosam alterutrius partis desertionem dissolvi possunt. 4.) *Incestuosa cum cognatis sponsi, vel sponsæ commixtio.* Cum enim teste apostolo 1 Cor. VI. 16. *qui adhæret meretrici, unum corpus cum ea efficiatur*, ideo æquum est, ut ob adfinitatem illam meretriciam sponsalia dissolvantur, si sponsus cum sponsæ consanguinea consuevit; qua de re extat in jure canonico peculiaris titulus *de eo, qui consanguineam uxoris cognovit*, idque eo etiam extendunt, ut si vel maxime sponsa a pactis recedere nolit, sed delictum hoc sponso condonet, tamen ei permittendum non sit, ut matrimonio cum ea copuletur. 5.) *Homicidii voluntarii perpetratio.* Cum enim homicidium sit delictum maximum, capitali pœna juxta divinam ordinationem Genes. IX. 6. Num. XXXV. 31. plectendum, ideo non debet sponsa cogi, ut datam matrimonii fidem post cædem a sponso perpetratam servet, ne exitus difficiles sequantur; quod si tamen sponte ipsi condonet, eumdemque sequatur exsulem, matrimonio conjungi possunt. Quæ vero de homicidio dicta, ea ad quodvis crimen gravius & capitale, quo infamia irrogatur, utpote *ad crimen læsæ majestatis, veneficium, plagium, furtum, insidias vitæ alterius contrahentis structas, &c.* se extendunt; interim tamen in hisce casibus circumstantiæ omnes diligenter ponderandæ, cum talia crimina non pugnent cum ipsa matrimonii substantia & fine, sicut priora, tentanda igitur primo omnium reconciliatio, quod si vero animi adparent penitus aversi & distracti, violenta coactio non est adhibenda.

6.) *Extrinseca accidentia dissolutioni sponsaliorum causam præbentia.*

§. CLXVII. VI.) *Extrinseca accidentia* alterutri, vel utrique parti supervenientia, propter quæ sponsaliorum dissolutio petitur, varia esse possunt, præcipue vero sequentia: 1.) *Superveniens exactio, frigiditas, paralysis genitalium, &c.* usum matrimonii impediens; sed ea in matrimonio consummato primum detegi consueverunt. 2.) *Furor omnem rationis usum exterminans*, & conjugalem societatem, quæ debebat esse non corporum tantum, sed animorum etiam conjunctio, miserabilem ac calamitosam, reddens, *l. Furor. 8. ff. de spons.* quidem dicitur, *quod furor interveniens*

ſponſalia non infirmet: ſed id intelligendum de eo furore, qui mitior eſt, & intervalla habet. *l. ſi cum dotem. ff. ſolut.-matr.* Albericus Gentilis lib. VI. de nupt. c. XVIII. legem ſic interpretatur: *Furor interveniens ſponſalia non infirmat, id eſt, non tollit, quaſi non facta ſint, ut infecta reddit furor præcedens, manebunt enim effecta eorum, at vero, ut promiſſum matrimonium confici debeat, vel poſſit, hoc lex non dicit, nec dicere poteſt, quia furor non ſinit matrimonium contrahere.* 3.) *Morbi contagioſi.* Si alterutra pars contrahentium in *lepram, elephantiaſin*, aliosve morbos inſanabiles, abominabiles & contagioſos inciderit, altera pars ad conſummationem matrimonii non eſt cogenda, cum lege divinitus ſancita leproſi ab hominum conſortio fuerint remoti. Lev. XIII. 4. Ita ſtatuitur in *cap. Quia poſtulaſti. X. de conj. leproſor. Si altera pars inter deſponſatos lepram incurrat, altera ad conſummandam copulam maritalem compelli non debet.* Atqui id non immerito etiam eo extenditur, quod ſi vel maxime ſanus cum leproſo matrimonium conſummare velit, nulla lepræ ratione habita, tamen a magiſtratu id non ſit illi permittendum, ne contagium latius ſerpat ac propagetur. De *epilepſia, paralyſi* & aliis morbis gravioribus & inſanabilibus idem fere ſtatuunt, quod videlicet pars ſana non ſit ad cohabitationem & matrimonii conſummationem compellenda; interim prudenter conſiderandæ ſunt circumſtantiæ, ac ſi utraque pars in matrimonii conſummationem ſponte conſentiat, non videntur prohibendi. Tutiſſimum vero eſt ante diſſolutionem ſponſaliorum ob quosdam morbos contagioſos & abominabiles tempus aliquod curationis præfinire, ut certo conſtet, morbum illum eſſe inſanabilem, & ex tali conjugio triſtes metuendos eſſe exitus. 4.) *Deformitas inſignis*, utpote ſi cui naſus præcidatur, vel oculi exſculpantur, vel membrum amputetur, tentanda tamen prius reconciliatio. Innocentius III. *cap. Quemadm. 25. X de jurej. Si poſt ſponſalia jurata mulier fieret non ſolum leproſa, ſed etiam paralytica, vel oculos, vel naſum amitteret, vel quidquam ei turpius eveniret, numquid vir teneretur eam ducere in uxorem? profecto ductam non poſſet dimittere, ſed numquid non ductam admittere teneretur?* 5.) *Status mutatio*, hoc eſt, capitis maxima diminutio, qui enim poſt contracta ſponſalia ob flagitia fit infamis & flagitioſus, civiliter mortuus cenſetur; ergo non videtur ſponſa cogenda, ut matrimonium cum eo conſummet, quia ea mente ac intentione fidem matrimonii dedit, quod viro honeſto & exiſtimationis integræ nubere velit. 6.) *Abſentia ſponſi diuturnior*, cap. De illis X. de ſponſ. & matr. *De illis, qui præſtito juramento promittunt, ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea eis incognitis dimittunt terram, ſe ad partes alias transferentes, hoc tibi volumus innoteſcere, quod liberum erit mulieribus ipſis, ſi non amplius in facto eſt proceſſum ad alia ſe vota transferre, &c.* ubi tamen diſtinguendum, utrum juſta & neceſſaria de cauſa, reipublicæ ſcilicet commodo ablegatus, vel adverſa valetudine detentus, vel in captivitatem detruſus, &c. ſponſus abſit? an vero nulla de cauſa tantum, ut ſponſa ludificetur, peregre abſit? Non enim deſertor cenſendus, qui ex juſta & neceſſaria cauſa abeſt, vel qui de conſenſu & voluntate ſponſæ profectionem ſuſcepit; ergo eo in caſu ob diuturniorem abſentiam ſponſalia non ſunt diſſolvenda, ſed ſponſa vel ſponſi reditum exſpectet, vel ea loca, ubi ſponſus commoratur, adeat. Si nulla de cauſa abſit, per *triennium* ſponſæ exſpectandum eſſe cenſent, ut conſtet, an animum revertendi habeat? *l. 2. C. de repudiis.* Antoninus part. III. tit. 1. c. XVIII. quod ſponſus in eadem provincia abſens *duobus*, in alia *tribus* annis a ſponſa exſpectari debeat. Cypræus tamen exiſtimat, brevius tempus ſufficere, ne mulier diuturna abſentia permota animum ad malas artes ad-

adplicet; de sponſ. c. XIII. §. 70. Si in ſponſalibus de certo numero annorum, quibus exactis nuptiæ celebrandæ ſint, convenit, tempus illud exſpectandum eſt; *ſi vero ſponſus præſens ultra biennium*, invita ſponſa, aut illius parentibus nuptias differt, lex Conſtantii ſponſam liberat. *l.* 2. *C. de ſponſalibus.* De *capitalibus & implacabilibus inimicitiis*, an propter eas ſponſalia diſſolvi poſſint? diximus ſuperius. In genere addunt hanc regulam, *quoties talis caſus accidit, qui ſi tempore ſponſaliorum adfuiſſet, ſponſus, vel ſponſa in matrimonium nunquam conſenſiſſet, tunc judicem ad dirimenda ſponſalia propenſiorem eſſe debere;* ſed circumſtantiæ omnes prudenter ac diligenter ſunt expendendæ, nec ob quaslibet rixas, vel diſſenſiones diſſolvenda ſunt ſponſalia, ſed modis ac viis omnibus reconciliatio prius tentanda. *An ob religionis diverſitatem*, vel *votum continentiæ*, ſi ante, vel poſt contracta ſponſalia locum habuerint, matrimonii conſummatio ſit prohibenda? in ſeqq. capp. diſpicietur. *An per matrimonium cum alia conſummatum priora ſponſalia diſſolvenda ſint?* ardua quæſtio eſt, de qua inferius, quando de divortii cauſis agendum erit, tractabitur. De *morte*, quod per eam ſponſalia diſſolvantur, dubium nullum, cum conſummatum etiam matrimonium diſſolvat.

An ſponſalia ſint coram Deo matrimonium?

§. CLXVIII. Hiſce, quæ de ſponſaliorum diſſolvendorum cauſis diximus, opponitur argumentum palmarium. *Sponſa eſt & vocatur uxor;* Gen. XXIX. 21. Deut. XXII. 24. Matth. I. 20. inde Philo Judæus in lib. de ſpecial. leg. p. 1066. ad locum Deut. ſic adnotat: *Sponſalia tantundem valent, quantum nuptiæ. Ergo ſponſalia non ſunt diſſolvenda ob cauſas alias, quam propter quas matrimonium ſolvitur.* Reſp. videtur quidem diſcrimen quoddam intercedere inter ſponſalia populi Iſraelitici ac noſtris moribus contracta. Illis enim deductio in domum erat conjuncta, ſi quidem poſt contracta ſponſalia ſponſa tradebatur ſponſo in cuſtodiam, ut qui omnium optime ſponſæ pudicitiam ac virginitatem adſervare poſſet, ſi Chryſoſtomo hom. IV. in Matth. I. id adſerenti credimus, id quod noſtris moribus non ita receptum. Sed quia nihilominus inter ſponſalia & nuptias in populo Iſraelitico differentia manſit, neque enim ſponſa in domum deducta, *ut eſſet uxor, ſed ut eſſet ſponſa*, ac ſuo demum tempore uxor; (ut de eo nihil dicam, quod vix veriſimile videatur moris fuiſſe apud Iſraelitas, ſponſas in ædes ſponſorum deductas, cum ex rabbinis contrarium colligi poſſit) ideo dicimus, ſponſam vocari in ſacris literis uxorem, non quod inter ſponſam & uxorem, & conſequenter inter ſponſalia & nuptias, hoc eſt, inter matrimonium inchoatum & conſummatum nulla ſit differentia, ſed quia eſt *uxor ſperata, pacta, promiſſa & futura.* Tertullianus lib. de velam. virg. c. VI. p. 191. *Deſponſata quodam modo nupta, tamen inter quodammodo & verum ſatis intereſt.* Neque enim in ſcripturis plane inſolens, denominationem rei a futuro eventu peti. Sic Adam conjugem ſuam vocat *Evam*, eo quod *futura eſſet mater omnium viventium;* Gen. III. 20. Lea, Jacobi conjux, filium ſuum vocat *Levi*, quia ſperabat maritum ſibi ob trium filiorum partum arctiori amore copulatum iri; c. XXIX. 34. filium ancillæ Zelphæ vocat *Aſer*, quia ab omnibus mulieribus ob πολυτεκνίαν ſeſe benedicendam ſperabat; c. XXX. 13. Chriſtus Jacobum & Johannem *Boanerges*, filios tonitru, vocat, Marc. III. 17. quia in miniſterio ſuo tales quondam futuri erant. Ipſum *matrimonii* nomen a ſperato eventu eſt petitum, quia ſcilicet mater exſpectatur, cum qua conjugii jura contrahuntur. Sic ergo etiam *ſponſa* pro uxore *ſponſus* pro marito cenſentur propter promiſſionem factam & ſpem futuri conjugii. *cap. Qui deſponſ.* 27. *q.* 2. ex Gregorio: *Divinæ legis mos eſt, ſponſas adpellari*

lari conjuges, non quod jam sint uxores, sed quod a parentibus uxores fieri debeant. Gratianus in cap. Instit. ead. *Sponsæ adpellantur conjuges consuetudine scripturæ, spe futurorum, non effectu præsentium, &c.* Hinc Augustinus ait: *Angelus Mariam conjugem nominavit, quia futura erat uxor;* hinc & Beda super Lev. *Sponsam Moses dixit uxorem, non quæ tunc erat, sed quæ futura erat uxor.* cap. si quippe &c. ead. *a prima fide desponsationis conjux dicitur adpellari, non quod in ipsa desponsatione fiat conjux, sed quia ex fide, quam ex desponsatione sibi invicem debent, postea efficiuntur conjuges.* Adcurate igitur & proprie loquendo nomine *matrimonii* venit non initium & promissio matrimonii in sponsalibus facta, sive matrimonium inchoatum, sed consummatum benedictione, traditione & deductione in domum mariti; unde etiam dictum Christi Matth. XIX. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet,* non de nudis sponsalibus, sed de consummato matrimonio proprie est accipiendum, ut patet ex textus circumstantiis; quærebatur enim non de *sponsæ repudio*, sed de *uxoris divortio*, quod ex quavis causa licitum esse Christus negat argumento eo, *quod* vir & uxor *sint una caro.* Quod si absolute & simpliciter statuere velimus, sponsam esse uxorem, consequens erit, nullum esse amplius discrimen inter *sponsalia* & *matrimonium*, benedictione sacerdotali, traditione sponsæ in potestatem mariti, & deductione in domum ratificatum & consummatum, id quod intentioni sponsalia contrahentium fortissime adversatur. Ex nuda ergo adpellatione, qua sponsa dicitur uxor, non potest, nec debet inferri, verum & ratum matrimonium in sponsalibus perfici; alias pari ratione aliquis inferre posset: Maria, postquam a Josepho ducta, & accepta esset, vocatur *sponsa*, Luc. II. 5. ergo sponsalia tantum inter eos fuere, non matrimonium. Zipora Mosen vocat sponsum, Exod. IV. 25. cum jamdudum duos ex eo in conjugio suscepisset filios.

Quomodo sponsalia a nuptiis differant?

§. CLXIX. Ut autem discrimen inter *sponsalia* & *nuptias*, sive matrimonium consummatum, sit illustrius, revocabimus id ad sequentia capita. Differunt sponsalia a nuptiis. 1.) *Adpellationibus.* Aliud enim est μνηστεύεσθαι, aliud γαμεῖν, sponsalia *a spondendo*, hoc est, promittendo dicta, conjugium a copulatione *sub unum jugum*, aliud vero est promittere, aliud facere. 2.) *Definitionibus.* Sponsalia sunt *mentio & repromissio futurarum nuptiarum.* Matrimonium est *maris & foeminæ conjunctio individuam vitæ societatem continens.* 3.) *Causa efficiente proxima.* Sponsalia causam efficientem habent consensum sponsalitium, nuptiæ consensum nuptialem, quod autem consensus sponsalitius a nuptiali differat, comprobatum fuit superius. 4.) *Materia.* Sponsalia contrahuntur inter impuberes & inter absentes, nuptiæ vero minime. Materia conjugii sunt sponsus & sponsa, materia sponsalium mas & fœmina. 5.) *Forma.* Sponsalia perficiuntur pactione ac promissione de futuro conjugio, nuptiæ vero præsenti traditione, cohabitatione, & ad individuam vitæ societatem conjunctione. Sponsalia differunt a matrimonio, sicut *spes* a *re ipsa* differt. Sponsalia enim sunt *spes nuptiarum; l. si puellæ de sponsa. l. si uxor. §. Divi ad L. Jul. de adult.* matrimonium non est spes, sed significat ipsas nuptias. In sponsalibus futurum matrimonium promittitur, in nuptiis, sive conjugio verba ad rem conferuntur, ac promissio, prius facta verbis, re & facto ipso ratificatur. 6.) *Fine.* Sponsaliorum finis est, ut futuro tempore nuptiæ sequantur, exploratis prius contrahentium animis. Nuptiarum finis est, ut ad prolis generationem, mutuum adjutorium & scortationis evitationem individuo nexu contrahentes copulentur. 7.) *Effectis.* Uxor marito debet εὔνοιαν conjugalem, sponsa vero minime. Uxor ad individuam vitæ societatem obligatur, in spon-

sa

sa id locum non obtinet. Uxor est in dominio, potestate mariti, sponsa vero minime. Uxor possidetur a marito, sponsa non possidetur. Uxori incumbit rei familiaris administratio, sponsæ vero minime. Uxor mutat domicilium, sponsa non mutat. Uxor tenetur lugere defunctum maritum, & si maritum non eluxit, infamia notatur. Sponsa non luget sponsum. Uxor cogitur sequi peregrinantem maritum, sponsa non tenetur. Sponsalibus publica honestas, nuptiis adfinitas contrahitur, &c. 8.) *Adjungis.* Sponsæ habitu & vestitu a nuptis distinguuntur. Sponsalia sub conditione contrahi possunt, nuptiæ vero minime. In nuptiis certa ætas definita est jure civili, antequam matrimonium non est justum & legitimum, in sponsalibus ætas contrahentium non est definita, ideoque a primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores, quam septem annis. In nuptiis vir necessario testationem interponit, quod uxorem ducat liberorum procreandorum causa. In sponsalibus nihil interest, utrum testatio interponatur, an aliquis sine scriptura spondeat? *l. in sponsalib. de sponsalib.* De his & similibus differentiæ inter sponsalia ac nuptias capitibus late & erudite disserit Cypræus de sponsal. cap. V. per totum. Ubi etiam §. 34. convenientiam sponsaliorum & nuptiarum explicat, utpote quod tum sponsalia, tum nuptiæ consensu contrahantur, quod inter personas, inter quas nuptiæ prohibentur, etiam sponsalia nuptiis aditum patefacientia fiat prohibita, quod sponsa possit dotem non minus, quam uxor repetere; quod sponsa, quæ dotem dedit, aliis præferatur creditoribus instar uxoris; quod sponsus actionem injuriarum habeat, si sponsæ contumelia inferatur, non secus ac si uxori illata esset; quod adulterii possit adcusare eum, qui sponsæ vitium intulerit, &c. Summatim: quod *in favorabilibus* sponsa uxoris, & sponsus mariti loco habeatur.

CAPVT V.

DE CAVSA MATERIALI CONIVGII.

§. CLXX.

Materia conjugii. Postquam de *causa efficiente* conjugii tum *principali*, tum *instrumentali* dictum fuit, restat, ut ad causam ejusdem *materialem* descendamus. Materia conjugii sunt *personæ contrahentes*, inter quas arcta illa & individua vitæ societas libero consensu constituitur. Personæ conjugium contrahentes sunt *homines*; non enim pro angelis, sed pro hominibus conjugium divinitus institutum. Angelos omnes simul ac semel omnipotens rerum omnium creator condidit; sed unum duntaxat individuum humanum prima & immediata creatione produxit, ex illius latere mulierem postea formavit, ex quorum conjugali nexu generis humani propagationem fieri voluit, ut ex Mosaica creationis descriptione constat; unde apostolus Act. XVII. 26. dicit, quod *Deus ex uno sanguine omne genus hominum super universam terræ faciem habitare fecerit.* Inter angelos nullam sexus discretionem constituit, cum sint spiritus incorporei, nec indigeant speciei propagatione, siquidem individua ipsa non sunt interitui obnoxia, sed hominis creatio sexus discretionem continet. Gen. I. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, masculum & foeminam creavit illos.* v. 28. *Benedixit illis dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Causas hujus divini consilii, quare scilicet Deus non statim omnes homines creaverit, sicut omnes angelos simul ac semel condidit, non debemus temere investigare, nisi velimus errare. Placuit sapientissimo, benignissimo & potentissimo creatori, divitias sapien-

sapientiæ, bonitatis & virtutis suæ manifestare in simultanea angelorum creatione & in successiva generis humani propagatione, quin & caritatis atque concordiæ inter homines vinculum ac monumentum esse voluit mirabilem illam totius humani generis ex uno homine velut a radice ortam propagationem, ut naturali sanguinis propinquitate juncti, ac unum in terris patrem Adamum, sicut & unum in cœlis patrem habentes Deum, fraterno invicem amore homines sese complecterentur. Augustinus de bono conj. c. I. statim in principio: *Quoniam unusquisque homo humani generis pars est & sociale quiddam est humana natura, magnumque habet & naturale bonum, vim quoque amicitiæ, ob hoc ex uno Deus voluit omnes homines condere, ut in sua societate non solum similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur.* Lombardus lib. II. sent. dist. 18. lit. B. *Ideo ex uno homine omnes Deus esse voluit, ut dum cognoscerent, se ab uno esse omnes, se quasi unum amarent.* Chytræus in Levit. XVIII. *Ideo duos sexus, marem & fœminam, & quidem fœminam ex mare condidit Deus, ut mutuus & ardens amor esset, quo vir naturam cognatam, & viciſſim mulier maritum complecteretur, &c.*

Personae contrahentes quales esse debeant?

§. CLXXI. Personæ contrahentes conjugium sunt *sponsus* ac *sponsa*, *mas* & *fœmina*. Ut autem in naturalibus non ex quovis fit quodlibet, sed ad producendum effectum requiritur materia apta, determinata & recte disposita: ita quoque non quivis mas, nec quævis fœmina conjugio invicem copulari possunt, sed requiritur, ut materia conjugii sit recte *disposita, præparata & debitis requisitis instructa*. Illi ergo tantum nuptias contrahere possunt, qui contrahendi facultatem habent, hoc est, ut jurisconsulti loquuntur, qui *non prohibentur*, lege scilicet divina, vel humana. Quamvis enim conjugii libertas omnibus sit permissa, ea tamen non vagatur in infinitum, sed certis legibus coercetur ac restringitur, unde libertas a Justiniano definitur, quod *sit naturalis facultas ejus, quod cuique facere licet, nisi quid vi, aut jure prohibetur.* §. 2. Inst. *de jure personar.* Ad hunc igitur locum pertinet doctrina de impedimentis matrimonii, quibus scilicet matrimonium contrahere liceat, vel non liceat, ac quæ personæ invicem conjungi possint, vel non possint. *Canonistæ* duo genera impedimentorum statuunt. Quædam enim *impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractum.* Quædam *& impediunt contrahendum, & dirimunt contractum.* Impediunt, & non dirimunt, quæ non adversantur essentiæ matrimonii, sed solemnitati, aut ornamento alicui accidentario. Impediunt & dirimunt, quæ ipsi essentiæ matrimonii contraria sunt, adeo, ut necessario aliquid essentiale matrimonii desit, ac proinde non sit verum matrimonium, si cum illo impedimento fuerit contractum. Impedimenta, quæ contrahendum matrimonium impediunt, sed contractum non dissolvunt, numerantur *duo*, & comprehenduntur in his versiculis:

Impedimenta matrimonii juxta canonistas.

Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriatum
Impediunt, fieri permittunt, facta teneri.

Impedimenta, quæ contrahendum impediunt, & contractum dissolvunt, numerantur *duodecim*, & his exprimuntur versiculis:

personæ, servitutis, religionis, sanguinis, maleficium
1. 2. 3. 4. 5.
Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
infidelitas, coactio, sacer, alteri ligatus, publica,
6. 7. 8. 9. 10.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, adfinitas, impotentia.
11. 12.
Si sis adfinis, si forte coire nequibis,
Haec jocanda vetant connubia, facta retractant.

§. CLXXII. Bellarminus de hisce matrimonii impedimentis tractans de sacr. matr. cap. XVIII. monet, omnia impedimenta, quæ matrimonium contrahendum impediunt,

&

& contractum dissolvunt, revocari posse, vel ad *consensum conjugum*, vel ad *personas contrahentes*. Ex parte *consensus* sumuntur duo generalia impedimenta, *ignorantia & coactio;* hæc enim duo faciunt involuntarium. Ad ignorantiam pertinet *error personæ*, quod est impedimentum *primum;* neque enim consentire censetur in matrimonium, qui uni personæ jungitur existimans esse aliam. Item *conditio personæ*, quod est *secundum* impedimentum, ut cum quis servam accipit, quam liberam esse credebat. Ad coactionem pertinet *vis* seu *metus*, quod est impedimentum *septimum*. Ex parte *personarum contrahentium* sumuntur reliqua omnia, quorum alia reddunt personam inhabilem *absolute*, & proinde respectu cujuscunque matrimonii, alia reddunt solum inhabilem respectu alicujus matrimonii *cum certa persona* contrahendi, non autem absolute. Ex his, quæ reddunt personam inhabilem absolute, alia sunt *naturalia*, alia *voluntaria*. Naturale impedimentum est *frigiditas & impotentia quævis coeundi* perpetua, sive innata, sive maleficio procurata, & hoc est impedimentum *duodecimum*. Voluntaria impedimenta sunt *votum solemne continentiæ, ordo sacer, & ligamen cum alio conjuge*, quæ sunt impedimenta *tertium, octavum & nonum*. Ea vero, quæ inhabilem faciunt respectu certi matrimonii, non autem absolute, tria sunt, *crimen, nimia conjunctio*, & *nimia disjunctio*. Crimen est impedimentum *quintum*, per quod intelligitur *adulterium mixtum homicidio cum ordine ad futurum conjugium*. Non enim potest, qui cum aliqua adulterium commisit, & ejus viro necem molitus est, illam unquam ducere in uxorem. Nimia disjunctio vocatur *cultus disparitas*, & est impedimentum *sextum;* non enim potest fidelis cum infideli matrimonium contrahere. Nimia conjunctio est *cognatio*, ad quam tria impedimenta revocantur, nimirum *cognatio naturalis*, quæ dicitur proprie consanguinitas, & est impedimentum *quartum*, & ad illud reducuntur *cognatio spiritualis*, qualis est inter baptizantem, seu confirmantem & baptizatum, seu confirmatum, & *cognatio legalis*, quæ fit per adoptionem. Huc etiam pertinet *affinitas*, quæ per carnalem copulam adquiritur, quæ est impedimentum *undecimum*. Et denique *publica honestas*, quæ est adfinitas orta ex sponsalibus, & est impedimentum *decimum*.

§. CLXXIII. Inter impedimenta, quæ contrahendum impediunt, sed non dirimunt contractum, numeratur primo *ecclesiæ vetitum*, per quod intelligitur prohibitio, ne matrimonia clam fiant, cum debeant in facie ecclesiæ & coram testibus celebrari; secundo *tempus feriatum*, per quod intelliguntur certa tempora sacra, ut adventus & quadragesimæ, quibus ecclesia nuptias celebrari vetuit. Monet vero Bellarminus, 1.) Primum horum impedimentorum jam post concilium Tridentinum non esse amplius tantum impediens contrahendum, sed etiam dirimens contractum, quare vel reducendum esse ad *crimen*, vel certe esse impedimentum *decimum tertium*. 2.) Esse quædam alia impedimenta non dirimentia, *ut votum continentiæ simplex, sponsalia, instructio catechumeni per traditionem catechismi, & sex crimina, incestus, raptus alienæ sponsæ, conjugium cum sanctimoniali, cædes uxoris, homicidium presbyteri & baptismus proprii filii*. Hæc, dicit, non poni in numerum seorsim cum illis duobus primis, quia duo illa sunt impedimenta distincta omnino a dirimentibus, hæc autem novem reduci ad *dirimentia*, & cum illis explicari. Nam sex crimina reducuntur ad *crimen*, catechismus *ad cognationem spiritualem*, votum simplex *ad votum solemne*, & sponsalia ad *ligamen*. Hæc omnia Bellarminus. De impedimentis ex parte *consensus* in præcedenti capite dictum fuit. De impedimentis ex parte *personarum contrahentium* in hoc capite dicendum restat; quæ enim in illis canonistarum impedimentis a nobis probentur, vel im-

probentur, ex sequentibus manifestum erit.

Juxta interpretes juris civilis.

§. CLXXIV. *Juris civilis interpretes* sic progrediuntur, ut quosdam prohiberi dicant a nuptiis, 1.) ratione *status*, ut sunt servi. Hi enim si cum liberis conjungantur, non nuptias, aut connubium, sed contubernium faciunt. *l. Proculus.* 67. *de jur. dot. l. si neget.* 7. *de agnosc. liber.* rationem reddunt hanc, *quia servi reputantur pro mortuis & nullis.* Huc pertinet, quod nec adscriptio cum libera muliere connubium est, etiamsi dominus consenserit. 2.) Ratione *patriæ*, ut peregrini, qui cives Romani non sunt, nisi jus civitatis impetrent. §. *justas. Inst. de nupt. l.* 1. *C. de repud.* Romani enim judicati fuerunt, non solum, qui in urbe Roma domicilium habuerunt, sed illi etiam, qui jure civitatis donati rogatione aliqua hoc jus impetrarunt, ut ipsis Romanas ducere, & vicissim filias suas Romanis nuptum dare liceret. Hoc sensu etiam apostolus sese *Romanum* vocat. Act. XVI. 37. XXII. 25. 3.) Ratione *ætatis*, utpote impuberes, qui non sunt ad liberos procreandos idonei; d. §. *justas.* ubi statuitur masculos anno 14. puberes, fœminas 12. completo viripotentes censendas esse. Eadem ætatis ratione prohibetur vir sexagenarius ducere quinquagenariam ex lege Papia, quæ tamen ab imperatore Justiniano postea fuit abrogata, *l. sancimus.* 12. *& auth. sed novo jure C. de nupt.* 4.) Ratione *dignitatis* prohibetur vir senatorii ordinis ejusque liberi ducere libertinam, aut vilem personam histrionicam, mimicam. *l.* 2. §. *fin. de his, qui not. infam.* Item patrona ejusque filia prohibetur nubere liberto, quod ipsum etiam Justinianus abrogavit. 5.) Ratione *administrationis publicæ* provinciarum rectoribus & eorum officialibus, itemque filiis interdictum est, ne inde oriundam, vel ibi domicilium habentem uxorem ducant. *l. si quis.* 38. *de rit. nupt.* 6.) Ratione *potestatis & administrationis quasi publicæ, sive tutelaris.* Nam SCto cautum fuit, ut, qui tutor curatorve pupillam, adultamve suam infra 26. annum in uxorem duxit, filiove suo junxit, infamia notetur, & dotem datam restituat. *l. non est matrim.* 66. *de R. N.* 7.) a nuptiis arcentur *ob animi defectum*, infans & furiosus *l.* 14. *de spons. l. furiosi.* 40. *de R. J.* 8.) Ob *vitium corporis*, qui ad generandum perpetuo sunt inepti, utpote castrati. *l. in caus. C. de repud.* 9.) Ob *delictum*, adulter non potest ducere adulteram. *Nov.* 134. *c.* XII. nec raptor raptam. *l.* 1. *C. de rapt. virg.* 10.) Ob *vitium animi*, christianus cum non-christiana, christiana cum non-christiano nuptias contrahere non potest. *l.* 6. *C. de Judæis.* 11.) Propter *sanguinem*, sive conjunctionem arctiorem. *Non omnes nobis uxores ducere licet*, inquit imperator §. 2. inst. de nupt. *nam a quarumdam nuptiis abstinendum est, propter cognationem*, scilicet ut §. seqq. ibidem exponitur. De his impedimentis in jure civili propositis vide latius differentem Försterum de nupt. c. VII. Mejerum in coll. pandect. lib. 23. tit. 2. cumprimis vero Hilligerum in Don. enucl. lib. XIII. c. XIX. &c. Cæterum, ut de impedimentis illis omnibus rectius judicium fieri possit, in personis matrimonio jungendis duo spectanda esse dicimus, *a.) numerum*, qui pertinet ad quantitatem discretam; *b.) certa quædam requisita*, quæ pertinent ad qualitates, quarum respectu personas conjungendas vel *absolute*, vel *relate*, ipsas autem qualitates vel respectu *animi*, vel *corporis*, vel *exterioris status* docendi causa considerari posse existimamus; ex qua divisione duo principalia membra hujus capitis oriuntur, quorum prius de *numero*, posterius de *requisitis & qualitatibus personarum* matrimonio conjungendarum tractat.

MEM-

MEMBRVM I.

DE NVMERO PERSONARVM CONTRAHENTIVM, VBI DE POLYGAMIA TRACTATVR.

§. CLXXV.

Personae contrahentes debent esse tantum duae.

Personæ matrimonium contrahentes debent esse duæ *tantum*, mas scilicet unus & fœmina una. Probatur hic numerus: 1.) Ex *primæva conjugii institutione*, quæ merito habetur pro norma totius de hoc vitæ statu doctrinæ. Gen. II. 24. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* 2.) Ex *institutionis divinæ in nov. test. repetitione & confirmatione.* Cum enim ab hac divinæ institutionis parte per polygamiam fuisset in vet. test. aliquantisper deviatum, Christus & apostoli in nov. test. ad primam conjugii legem nos revocarunt. Matth. XIX. 4. *Qui fecit hominem ab initio, masculum & foeminam fecit eos, & dixit:* v. 5. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam.* v. 6. *Itaque non sunt duo, sed una caro.* 1 Cor. VII. 2. *Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam, & unaquæque suum virum habeat;* ubi proponimus hanc generalem regulam: Quandocunque in nov. test. legitimi ac Deo grati conjugii fit mentio, duarum duntaxat personarum, maris scilicet ac fœminæ, mariti & uxoris, Spiritus sanctus meminit. Ergo duas tantum & non plures personas ad unius conjugii vinculum admittit. 3.) Ex *evidenti ratione.* Quot personæ sufficiunt ad fines conjugii divinitus institutos, tot etiam, & non plures personæ matrimonio jungi debent. Atqui duæ personæ sufficiunt ad conjugii fines. Ergo etiam duæ tantum, & non plures personæ matrimonio jungi debent. *Adsumtum* constat ex consideratione finium inferius enumerandarum. Ad sobolis procreationem, ad mutui auxilii præstationem, ad præfigurandam mysticam Christi & ecclesiæ conjunctionem, & ad scortationis evitationem duæ personæ sibi invicem sufficiunt, nec ad ullum ex his finibus plurium consortio necessario est opus.

Polygamia.

§. CLXXVI. Pugnat ergo cum numero personarum matrimonio conjungendarum divinitus ordinato *polygamia*, quæ est duarum, vel plurium uxorum uno eodemque tempore in thoro conjugali cum uno marito cohabitatio. Quamvis enim non minus esset polygamia, si una fœmina multis simul nuberet viris, unde Pollux non solum eum, *qui multas uxores duxit, sed etiam eam, quæ multis viris nupsit, πολύγαμον* vocari dicit; tamen historiarum & experientiæ testimonio comprobatur, polygamiam proprie referri ad uxorum pluralitatem, quod enim una uxor simul multis nupserit viris, nulla unquam in regione usu invaluisse fuit compertum. Thomas lib. IV. sent. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 7. Nisi forte quispiam huc referre velit perversos veterum Litvanorum mores, apud quos licebat nobilioribus matronis *matrimonii adjutores* suis maritis adscisscere, teste Ænea Sylvio in descript. Europæ cap. XXVII. cum contra apud plurimas gentes non solum in oriente, sed etiam occidente polygamia plurium uxorum usu invaluerit, adeo ut Corn. Tacitus velut peculiare quid de veteribus Germanis commemoret, quod *una uxore contenti fuerint. Soli fere Germani* (inquit) *singuli singulis uxoribus contenti sunt præter paucos, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.* Vide Arnisæum de jure connub. cap. IV. sect. 3. Quin & in populo Dei non solum Caini progeniem, sed etiam quosdam ex patriarchis & regibus Israeliticis plures uxores simul duxisse, ex historia sacra constat, de quo postea plenius.

An successiva conjugia sint species polygamiae?

§. CLXXVII. De polygamia disputaturus Bellarminus lib. de sacr. matrim. cap. X. distinguit eam *in successivam & simultaneam*, ac utramque unitati matrimonii opponi arbitratur. Sed negamus priorem esse proprie dictam polygamiam, quae matrimonii unitati adversetur. 1.) Aliud enim est δευτερογαμεῖν, vel ἑτερογαμεῖν, priore uxore demortua aliam legitimo conjugio sibi copulare; aliud vero est διγαμεῖν καὶ πολυγαμεῖν, hoc est, uno eodemque tempore κατὰ ταυτὸ, ut Chrysostomus loquitur, pluribus uxoribus conjungi. 2.) Polygamiam proprie sic dictam in nov. test. penitus damnatam esse, paulo post demonstrabimus; sed δευτερογαμίαν, secundas ac iteratas nuptias priore conjuge demortua, vel legitime separata licitas esse, apostolus testatur Rom. VII. 2. 1 Cor. VII. 9. & 39. 1 Tim. V. 14. 3.) Polygamiae successivae, ut Bellarminus loquitur, hoc est, secundis & iteratis nuptiis (quia nomine *secundarum nuptiarum generaliter accepto intelliguntur omnes post primas, sive secundae sint, sive tertiae, sive quartae, &c.* ut notant jurisconsulti ad tit. C. de secund. nupt.) convenit definitio conjugii. Ergo eadem non adversatur conjugii legibus ac unitati. Eadem enim definitio oppositis competere non potest, cum oppositorum proprium sit, quod de uno adfirmatur, de altero negari.

ARTICVLVS I.

DE POLYGAMIA SVCCESSIVA.

An secundae nuptiae sint licitae?

§. CLXXVIII. Quamvis de *polygamia successiva* agere proprie non spectet ad hunc locum, cum ea nequaquam pugnet cum numero personarum matrimonio jungendarum divinitus ordinato, sed potius ad posterius hujus capitis membrum, ubi de impedimentis, per quae a matrimonio quidam arcentur, tractabitur; tamen, cum Bellarmino visum fuerit, duas polygamiae species statuere, & easdem conjunctim tractare, ideo ipsius vestigiis hoc loco insistemus. Primo omnium vero demonstrandum est, successivam duarum, vel plurium uxorum polygamiam, id est, iteratas nuptias post mortem prioris conjugis, vel legitimum divortium institutas esse licitas. Id vero probamus:

Adfirmativa demonstratur.

I.) *A conjugii institutione.* Quando Gen. II. 24. conjugalis ordo instituitur, ejusque leges divinitus feruntur, nequaquam vidui, vel viduae a conjugio excluduntur; sed in genere dicitur: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhaerebit uxori suae.* In Hebraeo est אִישׁ, quod est nomen generale. Unde exponitur, *quilibet, quivis, aliquis, &c.* contineri autem sub hac generali adpellatione etiam viduos, patebit ex sequentibus argumentis. Ad hanc divinam conjugii institutionem in vet. test. promulgatam referri etiam possunt sanctiones divinae populo Israelitico peculiariter datae, in quibus jus secundarum nuptiarum stabilitur: Deut. XXV. 5. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis sine liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus.* Ezech. XLIV. 22. *Sacerdotes viduam & repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel, sed & viduam, quae fuerit vidua a sacerdote, accipient.* Ex quibus sic concludimus: Si viduarum nuptiae divinitus adprobantur, utique iteratae nuptiae non censendae sunt prohibitae, sive a viduo, sive a vidua contrahantur. Sed verum prius. Ergo & posterius. *Connexio* est manifesta, quia vidui & viduae hac in parte est par ratio. Si viduae licet nubere alteri marito, etiam viduo

I.) A conjugii institutione.

licitum erit, alteram uxorem ducere. *Adsumtum* ex adductis locis manifeste probatur. Neve quis excipiat, *aliam esse rationem novi, quam vet. test.* ideo secundum argumentum addimus deductum,

§. CLXXIX. II.) A *Christi institutione*: 1.) Matth. V. 32. XIX. 9. Christus ita prohibet temeraria divortia, ut *causam fornicationis* excipiat; concedit igitur parti innocenti, ut matrimonio per adulterium conjugis soluto ad alias transeat nuptias, ut suo loco latius confirmabimus, inde sic concludimus: Si licitum est, post separationem a priore conjuge propter adulterium institutam transire ad aliud matrimonium; utique etiam licebit, post solutionem conjugalis vinculi per mortem conjugis nuptias iterare. Sed verum prius. Ergo & posterius. *Connexio* probatur, quia mors naturalis longius separat conjuges, quam mors civilis, adulterii scilicet flagitium. 2.) Joh. IV. 18. Christus ipse distinguit *inter maritos*, quibus Samaritana legitimo matrimonio fuerat copulata, & inter *concubinarium*, cui per occultam fornicationem erat copulata. *Bene dixisti, te virum non habere*, (inquit) *quia quinque viros habuisti, & quem nunc habes*, (quo ut marito abuteris, cui copiam tui facis) *non est vir tuus, hoc vere dixisti.* Confirmat igitur iteratas nuptias, dum illos quinque, quibus hæc muliercula successive nupserat, viros ejus vocat, contra vero fornicationem damnat, dum eum, cui occulte cohabitabat, virum ejus esse negat. 3.) Matth. XXII. 29. Christus interrogatus de muliere, quæ septem successive fratribus nupserat, cujus in resurrectione futura esset uxor, non illius repetita vota, sed Sadducæorum ignorantiam & carnales cogitationes, quasi post resurrectionem mortuorum nuptiæ hujus seculi futuræ sint, damnavit. At si damnare voluisset iteratas mulieris illius septemviræ nuptias, promtum fuisset respondere, primo marito tanquam unice legitimo eam fore conjunctam.

II.) *A Christi institutione.*

§. CLXXX. Subjungimus vero argumentum: III.) Ab *apostolica sanctione*, tum *generali*; Hebr. XIII. 4. Τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι. Si in omnibus. Ergo etiam in viduis: Tum *speciali*: apostolus enim non uno, sed pluribus in locis viduorum conjugia Deo adprobari docuit. 1.) 1 Cor. VII. 8. *Dico non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut ego.* v. 9. *Si vero non se continent, nubant, melius est enim nubere, quam uri.* Hic non solum permittitur, sed etiam præcipitur, ut viduæ, quæ continentiæ dono non sunt divinitus instructæ, nubant, γαμησάτωσαν, inquit, & additus præcepti hujus ratio: *Melius enim est nubere, quam uri.* Πυροῦσθαι denotat interiores illas concupiscentiæ flammas, quæ non in superficie tantum pungunt, sed velut incendio quodam cor penetrant, quando ut poeta canit lib. IV. Æn.

III.) *Ab apostolica sanctione.*

1 *Cor. VII. 9. Si viduae non continent, nubant.*

. . *Est mollis flamma libidinis* . .

Sic ergo concludimus ex apostolo: Quicunque uruntur, illis necessitas conjugii, tanquam remedii divinitus ordinati, imponitur. Sed quidam vidui ac viduæ uruntur. Ergo illis conjugii necessitas imponitur; ubi tamen notandum, quando apostolus propter ustiones & incontinentiam matrimonium imperat, nequaquam illud prohiberi propter alias etiam causas ineundum. Quamvis ergo quidam vidui, vel viduæ ob unum illum finem, scortationis scilicet evitationem, non teneantur inire matrimonium; tamen libertas conjugii ob fines reliquos illis non adimitur, quod opponendum est Tertulliano, qui in libr. de monog. scribit: *Quale, quæso, hoc bonum est, quod comparatio mali commendat, ut ideo melius sit nubere, quia deterius sit uri. Sic dicitur, melius est uno oculo carere, quam duobus.* Item Hieronymo, qui in epistola ad Salvinam dicit: *Tolle quod pejus est uri, & per se bonum non erit nubere, &c.*

Atqui

Atqui non solum in illis, qui uruntur, κρεῖττον, *melius est nubere, quam uri;* sed etiam in illis, qui non uruntur, *bonum*, ut ex illo ipso capite manifestum v. 28. *Si acceperis uxorem, non peccasti.* v. 38. *Qui matrimonio jungit virginem, bene facit.* Idem ostendunt causæ & essentialia matrimonii. Cujuscunque enim omnes causæ & omnia essentialia sunt bona, illud per se & sua natura bonum est. Jam vero conjugii iterati omnes causæ & omnia essentialia sunt bona. Ergo etiam conjugium per se & sua natura est bonum, ac per consequens non tantum habito ad ustionem respectu dicitur bonum. Si juxta Tertullianum nubere dicitur *bonum*, quia mali comparatio illud commendat, sequetur, quod conjugium dicatur bonum ideo, quia minus malum est, quam scortatio, & quia *comparativus* præsupponit *superlativum*, erit certe malum. Si conjugium est malum, Deus erit mali auctor, & omnes non solum vidui, sed etiam ἄγαμοι ab eo erunt arcendi. Quin imo si vel maxime tantum *comparate* conjugium diceretur bonum, respectu scilicet ad ustionem & naturæ humanæ post lapsum imbecillitatem habito (quod tamen nemo concesserit, qui in statu innocentiæ conjugium institutum noverit), nihil ex eo decederet nostro argumento. Cum enim negari nequeat, quosdam viduos ac viduas se non continere, id est, dono illo continentiæ peculiari non esse instructos, saltim illis, juxta apostolum, *melius erit nubere*, quam perpetuis ustionum flammis torqueri.

1 Cor. VII. 39. Mulier adligata est lege, quam diu vivit vir ejus.

§. CLXXXI. 2.) In eodem cap. V. 39. *Mulier adligata est lege, quamdiu vivit vir ejus, sed si obdormierit vir ejus,* (per mortem ustitata scripturæ phrasi 1 Cor. XI. 30. 1 Thess. IV. 13. &c.) *libera est ad nubendum, cui velit, tantum in Domino.* Hic diserte testatur apostolus, per mortem conjugale vinculum, quo velut lege quadam uterque conjugum tenetur constrictus, dissolvi, ac parti superstiti potestatem dari ad secunda vota transeundi, idque *in Domino*, id est, Dei voluntate & beneplacito fieri posse adserit. Præscribunt autem hæc verba posteriora simul rationem ac modum, quem superstes conjux in novo conjugio ineundo debeat observare, videlicet *in Domino* nubat, id est, in vero Dei timore, præmissis seriis ad Deum precibus, observato mandato divino de honorandis parentibus, non contrahendo in gradibus prohibitis &c, observata etiam honestate publica, ne scilicet in rogo conjugis maritales accendat faces, sed ut debito tempore prioris conjugis obitum lugeat. Augustinus lib. I. de adult. conjug. cap. XXI. Ambrosius, Theophylactus, Anshelmus in h. l. sic exponunt: *Nubat in Domino, id est, in Domini ecclesia & christianismo*, quo modo hæc phrasis accipi videtur in hoc ipso capite v. 22. sensus igitur est, quod non sit nubendum cum abnegatione fidei & christianismi, quod faciebant viduæ, de quibus conqueritur apostolus 1 Tim. V. 13. Græci patres referunt ad Dei legem, quæ jubet, ut cum temperantia & prolis, non libidinis causa matrimonium contrahatur. Tertullianus lib. de monog. cap. XI. p. 576. negat, licentiam secundi matrimonii hoc loco ab apostolo concedi, alias namque ipsum sibi fore contrarium, cum alibi iteratas nuptias improbet ac damnet; sed id rationibus admodum frivolis probat, ad quas inferius respondebimus. Genuinum autem dicti apostolici sensum ex scopo & circumstantiis illorum temporum colligendum esse addit. *Rationem*, (inquit) *cur apostolus talia scripserit, poterimus in ipsa materia recognoscere. Quæ ista materia apostolo fuit scribendi talia? tyrocinium novæ & quam maxime orientis ecclesiæ, quam lacte scilicet educabat, nondum solido cibo validioris doctrinæ, adeo, ut præ illa infantia fidei ignorarent adhuc, quid sibi agendum esset circa carnis & sexus necessitatem? &c. eam mulierem demonstrat* (apostolus)

stolus) *intelligendam, quæ & ipsa sic fuerit inventa, soluta a viro, quomodo & vir solutus ab uxore per mortem, utique non per repudium facta solutione, quia repudiatis non permitteret nubere adversus præceptum. Itaque mulier, si nupserit, non delinquet, quia nec hic secundus maritus deputabitur, qui est a fide primus, & adeo sic est, ut propterea adjecerit,* tantum in Domino, *quia de ea agebatur, quæ ethnicum habuerat, & amisso eo crediderat, ne scilicet etiam post fidem ethnico se nubere posse præsumeret. Sciamus plane non sic esse in græco authentico, quomodo in usum exiit per duarum syllabarum aut callidam, aut simplicem everſionem. Si dormierit vir ejus, quasi de futuro sonet, ac per hoc videatur ad eam pertinere, quæ jam in fide virum amiserit.* Similia habet Hieronymus in epist. ad Geront. & lib. I. in Jovin. p. 10. *Resp.* negamus, potestatem iterandi nuptias a morte conjugis pertinere duntaxat ad eam, quæ ethnicum habuerat, & amisso eo crediderat; quia verba apostoli sunt generalia ad omnes omnino mulieres, sive ante suam ad Christum conversionem in ethnicismo, sive post suam ad Christum conversionem in christianismo maritis fuerint viduatæ. Postquam enim in præcedentibus suum de virginibus vel matrimonio jungendis, vel in statu cœlibe conservandis proposuerat consilium temporum illorum statui adcommodatum; v. 39. de viduis tractare incipit, eisque non minus, quam virginibus matrimonii iterandi potestatem concessam esse docet; interim tamen *beatiores* eas fore adserit, hoc est, a tribulationibus & adversis liberiores, *si tales permanserint.* Nec in *præterito* dicit apostolus, quod mulier in ethnicismo adligata *fuerit* lege, quamdiu *vixerit* vir ejus; sed in *præsenti* tempore loquitur de mulire ad christianismum conversa, quod lege conjugii prohibeatur alteri nubere, marito adhuc vivente, ἐὰν δὲ κοιμηθῇ, si per mortem postea obdormierit vir ejus, libertatem novi matrimonii eidem concedi verbis clarissimis adserit. Eodem fere modo Augustinus libr. de bono viduit. c. XII. emphasin hujus textus apostolici exponit, ubi observat, apostolum non dixisse: *Si dormierit primus vir, aut secundus, aut tertius, sed indefinite vir ejus, proinde semper nubere licere marito mortuo, quoties tandem fuerit.* Quod Tertullianus d. l. dicit, *non deputari secundum maritum, qui est a fide primus;* id falsum esse hoc argumento demonstramus: Quæcunque mulier post legitimum conjugium morte dissolutum alteri nubit, illa secundas nuptias contrahit, ac per consequens is, cui nubit, deputatur illi secundus maritus. Sed vidua ad christianismum conversa conjugem sibi eligens post legitimum conjugium morte dissolutum alteri nubit. Ergo secundas nuptias contrahit, & per consequens is, cui nubit, secundus maritus illi deputatur. *Adsumtum* constat ex eo, quod etiam apud ethnicos, si leges conjugii servent, sit verum & legitimum matrimonium; ut enim prætermittamus argumenta reliqua, manifestissimum illud est ex v. 12. & 13. hujus capitis, ubi permittit apostolus, ut christianus habens uxorem infidelem sive ethnicam, quæ cum ipso habitare consentit, eam non dimittat, & vicissim, ut christiana uxor habens maritum infidelem sive ethnicum, qui cum ea habitare consentit, eum non dimittat, id est, ut tales personæ religionis disparitate alioquin sejunctissimæ vinculo conjugali maneant conjunctæ. At nisi fuisset inter tales personas verum matrimonium, apostolus eas separandas esse docuisset. Nec est, quod Tertullianus regerat, *a fide ipsam vitam nostram censeri, ac proinde ante fidem soluto ab uxore, non numerari post fidem secundam uxorem, quæ post fidem prima est.* Distinguimus enim inter vitam naturalem, civilem ac spiritualem. A fide censetur nostra vita, non naturalis, nec civilis, sed spiritualis. Jam vero conjugium non pertinet ad vitam spiritualem, sed ad civilem; ergo etiam verum fuit conjugium, quod ante vitam spiritua-

ritualem legitime fuit contractum, & per consequens etiam prima uxor fuit, cui ante fidem maritus jungebatur, cui si qua altera per novum succedit matrimonium, necessario est secunda. Proinde sic inferimus: Si viduo christiano, cujus uxor ante conversionem ad fidem est mortua, licet transire ad secunda vota, utique etiam christiano viduo, cujus uxor post susceptam Christi fidem e vivis decessit, potestas secundi matrimonii competit. Sed prius concedit Tertullianus. Ergo posterius negare non potest. Ratio *connexionis* patet ex dictis, & cumprimis ex vulgata regula, quod *evangelium non aboleat politias*, nec ea, quæ ad statum politicum pertinent, multo minus sanctas & honestas Dei ordinationes.

§. CLXXXII.

1 Tim. V. 14. Volo juniores viduas nubere.

3.) 1 Tim. V. 15. *Volo igitur juniores viduas nubere, liberos parere, domum administrare, nullam occasionem maledicendi adversario dare.* In hoc loco apostolico tria sunt notanda: *a.*) ejusdem ex præcedentibus *illatio* per particulam ὃν. Quia enim graviter conquestus fuerat apostolus de viduis junioribus, quæ ecclesiæ eleemosynis alebantur, & operam suam ad curam pauperum, peregrinorum, afflictorum & ægrotorum conferre debebant, quod cœperint contra Christum lascivire & luxuriari, id est, excusso Dei timore, pietate & fide in Christum, concupiscentiis carnis indulgere: ideo infert, juniores viduas non esse in collegium illud viduarum, quæ in viduitate permanere constituerant, cooptandas, sed in matrimonium elocandas. *b.*) *Apostolica præceptio.* Βέλομαι, inquit, ergo non est nuda quædam permissio, qua minus malum ad majoris evitationem toleratur, sed gravis commonitio, ne juniores viduæ dono continentiæ destitutæ negligant remedium divinitus ordinatum. Chrysostomus in h. l. *Quoniam*, inquit, *ipsæ volunt nubere, volo & ego juniores nubere, liberos gignere, &c. longe enim præstat hæc facere, quam illa* (quæ de damnatis viduis recenset) *oportebat quidem curare, quæ Dei sunt, oportebat fidem servare, quando vero illa non fiunt, melius est hæc fieri, quippe viduitas illa nihil parit boni, ex hisce vero nuptiis multa bona oriuntur.* *c.*) *Præceptioni subjecta ratio*: ideo juniores viduas vult nubere, *ne maledicendi occasio τῷ ἀντικειμένῳ exhibeatur.* Per ἀντικείμενον intelligi possunt tum adversarii & hostes ecclesiæ, ut numerus *singularis* ponatur pro *plurali*, Luc. XIII. 17. XXI. 15. 1 Cor. XVI. 9. Phil. I. 28. quo sensu etiam τῷ διαβόλῳ vocabulum a quibusdam exponitur 1 Tim. III. 6. tum ipse diabolus per illos, tanquam organa, agens, qui ἀντίδικος noster adpellatur, 1 Petr. V. 8. Tunc vero juniores viduæ adversario maledicendi occasionem exhibent, si vestigiis earum, de quibus in præcedentibus apostolus dixerat, insistunt, ac viribus nondum exploratis perpetuæ viduitatis propositum temere sectantur, postmodum autem concupiscentia carnis devictæ excussa pietate ac fide petulanter lasciviunt. Hieronymus in epist. ad Salvinam p. 33. contra iteratas viduarum nuptias urget v. 15. *Jam enim quædam ex ipsis conversæ sunt retro post satanam. Non est res bona*, (inquit) *per quam ita jungimur viro, ut a satana abstrahamur. At secundæ nuptiæ sunt tales, ideo enim permittuntur quibusdam ab apostolo, ne satanæ sese conjungant.* Resp. negamus *majorem* propositionem, vere enim res bona & salutaris est, per quam prohibemur, ne post satanam retro convertamur, quare cum junioribus viduis in conjugio tale remedium sit propositum, merito illud pro re bona ac salutari habendum. Nemo vero cogitet, ideo viduas post satanam dici conversas, quod ad secunda vota transierint, alias enim apostolus juberet retro post satanam eas converti, quando juniores viduas nubere præcipit; sed eo sensu ac respectu post satanam conversæ dicuntur, quia scilicet fuerunt contra Christum luxuriatæ, eo lasciviæ ac petulan-

tulantiæ progreſſæ, ut jugum Chriſti, timorem Dei, fidem & pietatem excuterent, ac tandem prorſus a Chriſto deficerent, ſive fidem ejus abnegando, & ad ethniciſmum, vel judaiſmum, vel pſeudo-apoſtolos, *qui captivas ducebant mulierculas*, 2 Tim. III. 6. ſeſe convertendo, ſive publicis flagitiis ſatanæ laqueis ſeſe involvendo; 2 Tim. II. 26. utroque enim modo illud ὀπίσω τοῦ σατανᾶ ἐξετράπησαν intelligi poteſt, Joh. VI. 66. 1 Tim. IV. 1. Hebr. XII. 13. &c. qua de re inferius plura adferentur. Quamvis vero ex eo recte inferatur, conjugium eſſe rem bonam, quia junioribus viduis eſt remedium, ne a concupiſcentiis victæ in ſcortationem incidant, & a Chriſto penitus deficiant; tamen non hujus tantum finis reſpectu conjugium ipſis bonum & conceſſum, ſed etiam propter fines reliquos, ac cumprimis propter ſobolis procreationem, cujus in hoc ipſo verſiculo apoſtolus mentionem facit, quando juniores viduas vult τεκνογονεῖν καὶ οἰκοδεσποτεῖν, quale autem ac quantum illud ſit bonum, exponitur 1 Tim. II. 15. *Salvabitur mulier* διὰ τῆς τεκνογονίας, *ſi manſerit in fide, dilectione & ſanctificatione cum ſobrietate.* Idem Hieronymus in epiſtola ad Gerontiam pag. 42. urget v. 16. quod *ab eccleſiæ eleemoſyna tales viduæ, quæ ad ſecunda vota tranſierant, fuerint excluſæ.* Reſpondemus, id vero nullam ipſis infamiam, vel culpæ alicujus ſuſpicionem conciliat. Collegium enim illud viduarum inſtitutum erat pro pauperculis; quæ nec parentes, nec liberos, nec amicos, nec rem familiarem habebant, nec opus facere poterant, unde ſuſtentari poſſent; illas eccleſia in ſuam curam recipiebat, ut eleemoſynis eccleſiæ ſuſtentarentur, ac pro illa ſuſtentatione eccleſia viciſſim earum opera ad curam pauperum, ægrotorum, peregrinorum & adflictorum utebatur, ut ex contextu & parallelis locis erudite colligit Chemnitius in exam. concil. Trident. part. III. pag. 56. Si quæ ergo per matrimonium maritum ſibi adſciſcebant, illas publicis eccleſiæ ſumtibus ſuſtentari, nec æquum erat, cum operam ſuam in cura pauperum, ægrotorum, &c. more reliquarum viduarum ἀγάμων eccleſiæ probare non amplius poſſent, ſed in re familiari adminiſtranda marito inſervire cogerentur, nec neceſſarium, cum mariti laboribus ſuſtentari poſſent, ac proinde non fuerit opus, ut eccleſia earum ſuſtentatione gravaretur.

§. CLXXXIII. IV.) Ex *apoſtolica comparatione.* Apoſtolus Rom. VII. 1. & ſequentibus demonſtraturus, credentes in Chriſtum eſſe *legi mortuos per Chriſti corpus*, egregia comparatione illud oſtendit, cujus protaſis a conjugii lege ejusque conditione eſt petita. *Lex* (inquit) κυριεύει, *dominatur*, jus & auctoritatem habet *in hominem, quamdiu vivit;* ἡ γὰρ ὕπανδρος γυνὴ, uxor, quæ ſub viri eſt poteſtate, *vivente marito, adligata eſt lege, ſi autem mortuus fuerit vir,* κατήργηται, hoc eſt, ἠλευθέρωται, *ſoluta ac liberata eſt a lege viri. Igitur vivente viro adultera vocabitur, ſi fuerit cum alio viro,* ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ, ſi poteſtatem ſui corporis alteri faciat; *ſi autem mortuus fuerit vir ejus, libera eſt a lege, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* In hac προτάσει ſimilitudinis expreſſis verbis apoſtolus adſerit, conjugale vinculum per mortem diſſolvi, ut absque adulterii crimine fœmina, quæ prius in matrimonio cum alio vixit, poſſit alteri conjungi, quod ipſum etiam ἀπόδοσις ſimilitudinis demonſtrat, quæ nihil quidquam probaret, ſi viduarum nuptiæ lege divina prohibitæ ſtatuerentur. Tertullianus libr. de monogam. cap. XIII. pag. 578. jubet, ut ſequentia apoſtoli verba adtendantur. *Si mortificari* (inquit) *nos jubet apoſtolus legi per corpus Chriſti, quod eſt eccleſia, quæ ſpiritu novitatis conſtat, non per literam vetuſtatis, id eſt, legis auferens te a lege, quæ non tenet uxorem marito defuncto, quo minus alii viro fiat, ad contrariam* IV.) *Ex apoſtolica comparatione.*

trariam te redigit conditionem, ne amisso viro nubas, quantumque non deputareris adultera facta, alteri viro post mortem mariti, si adhuc in lege agere deberes, tanto ex diversitate conditionis adulterii te præjudicat post mortem mariti alii nubentem, quia jam mortificata es legi, non potest tibi licere, cum recessisti ab ea, apud quam tibi licebat. Resp. in hac exceptione committitur tum *petitio principii*, quia nondum probatum est, iteratas nuptias in evangelio prohibitas, quæ lege divina erant concessæ, tum ψευδερμηνεία textus, quia non *obedientiæ*, sed *maledictionis* respectu legi dicimur mortui, ac per *corpus* Christi, per quod dicimur legi mortificati, non intelligitur corpus *mysticum ac spirituale*, quod est ecclesia, sed *proprium* ac *personale* Christi corpus, ut sit sensus: quia Christi corpus propter nos mortificatum sive in mortem traditum, eo ipso Christus nobis promeruit liberationem a legis maledictione, peccatorum condonationem & Spiritus sancti donationem, per quem etiam carnem nostram mortificamus, ut hac ratione in nos, quasi mortuos, lex non possit vim suam exercere. Conjunge 1Petr. II. 4. Scopus apostoli non est docere, quod ea, quæ ad legem moralem pertinent, in novo testamento sint abolita, sed quod credentes in Christum a damnatione legis sint liberati, ut ipsis tanquam mortuis dominari amplius non possit, ut totus contextus manifeste ostendit. Vidit Tertullianus hujus exceptionis infirmitatem, ideo aliter excipit cap. XIV. in principio: *Si absolute apostolus permisisset in fide amisso matrimonio nubere, perinde fecisset, quemadmodum & cætera, quæ adversus formam regulæ suæ pro conditione temporum gessit circumcidens Timotheum propter superinductitios falsos fratres, & rasos quosdam inducens in templum propter observationem Judæorum, ille, qui Galatas in lege volentes agere castigat. Sed ita res exigebant, ut omnibus omnia fieret, quo omnes lucrifaceret parturiens illos, donec formaretur in illis Christus, & calefaciens tanquam nutrix parvulos fidei docendo quædam per veniam, non per imperium; aliud enim est indulgere, aliud jubere, proinde temporalem licentiam permittens denuo nubendi propter infirmitatem carnis, quemadmodum Moses repudiandi propter duritiem cordis.* Similia occurrunt apud Hieronymum libr. I. contra Jovinian. pag. 13. *Resp.* negamus, apostolum adversus regulæ suæ formam pro conditione temporum nubendi licentiam fœminis dedisse, cum expressis verbis dicat: βούλομαι νεωτέρας χήρας γαμεῖν, 1 Tim. V. 14. cum mulierem a lege matrimoniali per mortem mariti liberari dicat, ut *cui velit*, nubere possit, 1 Cor. VII. 39. Quæ probationis loco Tertullianus adducit, in illis maxima animadvertitur dissimilitudo. Circumcisio & ritus nasiræorum pertinent ad legem cerimonialem, quæ licet in nov. test. esset penitus abrogata, tamen in gratiam Judæorum, ceremoniis istis arcte adhærentium, necdum de christiana libertate plene informatorum apostolus in principio nov. testamenti quosdam ex illis ritibus observare voluit, in quo secutus est exemplum reliquorum apostolorum; Act. XV. 29. sed iteratæ nuptiæ non pertinent ad legem forensem, vel cerimonialem in nov. testamento abrogatam, verum sunt juris naturalis. Addit quidem Tertullianus, *paracletum sustuliſſe, quod Paulus indulserat*, secundum scilicet matrimonium, *sicut Christus sustulit, quod Moses permiserat*, temeraria scilicet divortia. *Regnavit* (inquit) *duritia cordis usque ad Christum, regnavit & infirmitas carnis usque ad paracletum. Nova lex abstulit repudium, habuit, quod auferret. Nova prophetia secundum matrimonium, non minus repudium prioris.* Sed quilibet videt ex spiritu Montanistico ea proferri.

§. CLXXXIV. V.) Ab *interdicti conjugalis ratione.* Antichristo tribuitur Dan. XI. 37. quod *amorem*, sive desi-

V.) *Ab interdicti conjugalis ratione.*

de-

derium *mulierum*, hoc est, conjugalem & legitimum mulierum amorem *non sit curaturus*; sic enim exponit prophetam apostolus 1 Tim. IV. 1. *In novissimis temporibus discedent quidam a fide adtendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum*, v. 3. *prohibentium nubere*: ex quo sic concludimus: Doctrina antichristiana a spiritibus erroris sive fallacibus profecta merito est repudianda ac damnanda. Prohibitio secundarum nuptiarum est talis doctrina. Ergo. Tertullianus de monog. c. XV. p. 579. negat adsumtum. *Notat* (inquit) *apostolus eos, qui in totum nubere prohibebant, qui & de cibis interdicebant, quos Deus condidit. Nos vero non magis nuptias auferimus, si secundas nuptias recusamus, quam cibos reprobamus, si sæpius jejunamus. Aliud est auferre, aliud temperare, aliud legem non nubendi ponere, aliud modum nubendi statuere.* Resp. prohibitio nuptiarum vel est *generalis*, vel *particularis*. Generalis prohibitio hic intelligi nequit, quia nullus unquam hæreticus eo insaniæ progressus est, ut omnibus omnino hominibus absolute & simpliciter matrimonio interdiceret, sed certas personas sub specie & opinione majoris sanctitatis a nuptiis prohibuerunt. Qui generalem matrimonii prohibitionem introducere vellet, ab omnibus merito rideretur & exploderetur, tanquam communis humani generis hostis, cujus legitimam per conjugium propagationem invertere & impedire conaretur. Præterea qualis prohibitio *ciborum*, talis etiam *nuptiarum* prohibitio in textu apostolico intelligenda. At non potest intelligi generalis ciborum prohibitio, quis enim eum audiret, qui ab omnibus cibis abstinendum doceret? Ergo nec generalis nuptiarum prohibitio intelligenda. Denique ut apostolus concludit, non esse certa quædam ciborum genera sub opinione peculiaris cujusdam sanctitatis prohibenda, cum *Deus creaverit eos ad participandum a fidelibus cum gratiarum actione*: ita quoque concludimus, non esse viduos & viduas a matrimonio arcendas, cum Deus matrimonium instituerit, & concesserit omnibus, remedio illo libidinis ac medio propagationis uti volentibus. Si dicas, *non posse intelligi prohibitionem specialem, cum in catholica ecclesia quidam a nuptiis arceantur.* *Resp.* esse hic disparem rationem; quos enim ipsa lex conjugii divinitus promulgata ab hoc vitæ statu, vel propter sanguinis propinquitatem, vel ob immaturam ætatem, vel ob causas alias arcet, illis haud injuria conjugium prohibetur, sed iteratæ nuptiæ non sunt lege divina prohibitæ, ergo ab illis nemo est arcendus.

§. CLXXXV. VI.) Ab *iteratarum nuptiarum conditione.* Si illicitæ sunt secundæ nuptiæ, ideo erunt illicitæ, *vel* quod speciali aliqua novi testamenti dispositione sint sublatæ, *vel* quod honestati ac bonis moribus repugnent. Sed neutrum dici potest. Non *prius*, ut constat ex dictis, & manifestius eluceset ex argumentorum, quæ contra secundas nuptias adferentur, examine. Nec *posterius*, quia pugnarent cum lege morali, præsertim cum præcepto de castitate & pudicitia. At hoc dici nequit, quia in secundis nuptiis nihil quidquam ostendi potest, quod non occurrat etiam in primis nuptiis. Quod si ergo secundæ nuptiæ pugnant cum lege morali, cum præcepto de castitate, adeoque cum honestate & bonis moribus, utique idem de primis nuptiis dici poterit. Bellarminus libr. de clericis cap. XXIV. respond. ad secund. object. disputat, *rationem, cur episcopi, presbyteri & diaconi debeant esse monogami, esse partim moralem, partim mysticam.* Moralem esse dicit *minorem suspicionem incontinentiæ, seu perfectiorem continentiam*, ac postea subjungit: *Etiamsi concubinatus turpior sit, quam digamia, tamen digamiam ex natura sua signum esse incontinentiæ magis diuturnæ firmiusque inhærentis.* Cum vero secundæ nuptiæ sua

VI.) *Ab iteratarum nuptiarum conditione.*

natura sint eædem, sive clerici, sive laici eas contrahant, consequens fuerit, secundas nuptias continere suspicionem incontinentiæ magis diuturnæ firmiusque inhærentis, quam concubinatum, a quibuscunque tandem contrahantur, ex quo promte aliquis inferet, honestati ac bonis moribus easdem repugnare. Sed Bellarminiana illa adsertio 1.) Nititur *hypothesi falsa*, quod scilicet omnes nuptiæ a prioris conjugis morte initæ ex incontinentia & ad restinguendum libidinis impetum contrahantur, cum tamen possint esse alii fines, propter quos matrimonium a viduis expetatur, propagatio scilicet generis ac mutuum adjutorium. De Abrahamo cogitari nequit, quod ex incontinentia post mortem Saræ duxerit Chethuram. Gen. XXV. 1. *Absit*, inquit Augustinus libr. XVI. de civitate Dei. cap. XXXIV. in principio, *ut incontinentiam hic suspicemur, præsertim in illa jam ætate, & in illa fidei sanctitate.* In rege Davide Abisag Sunamitidem in decrepita senectute sibi copulante majoris incontinentiæ suspicio itidem locum non habet, 1 Reg. I. 3. cum expresse negetur eam *cognovisse*, v. 4. 2.) Laborat ἀσυλλογισίᾳ *manifesta*. Demus enim, secundas nuptias arguere, personas, quæ illas expetunt, esse incontinentes, hoc est, non esse peculiari illo continentiæ dono instructas; at ex eo non potest inferri, quod secundæ nuptiæ ob rationem aliquam moralem vel clericis, vel laicis sint prohibendæ, quia hac ratione *propter morbum damnaretur remedium divinitus institutum & ordinatum.* Invertimus potius argumentum. Conjugium præscribitur illis, qui *se non continent*, sed ustiones patiuntur, tanquam remedium, quod sine peccato adhiberi potest. 1 Cor. VII. 8. *Dico non nuptis & viduis, bonum est illis, si permanserint, sicut & ego.* v. 9. *Quod si non continent, nubant, melius enim est nubere, quam uri.* 1 Tim. V. 14. *Volo juniores viduas nubere.* Ergo ab hoc incontinentiæ & ustionis remedio divinitus instituto & ordinato, quodque sine peccato adhiberi potest, non sunt arcendi. 3.) Deduci potest ad *absurda.* Si enim secundæ nuptiæ sunt signum majoris & diuturnioris incontinentiæ, quam concubinatus, fuerit consequens, etiam primas nuptias esse majoris & diuturnioris incontinentiæ signum. Ratio est, quia primæ nuptiæ quandoque durant per annos quinquaginta, sexaginta vel plures, cum a concubinariis concubinæ citius dimittantur. At consequens oppido absurdum, cum Spiritus sanctus piis conjugibus *sanctificationem, castitatem, honorem, &c.* tribuat; contra vero scortationem & concubinatum, etiamsi exiguo duret tempore, ad orcum penitus damnet. Concludimus ergo hoc modo: Illi, qui non se continent, si consilium apostolicum secuti matrimonium contrahunt, aut durante conjugio manent adhuc incontinentes, aut tales esse desinunt. Si prius, etiam primæ nuptiæ erunt concubinatui postponendæ, quia tanto diutius incontinentiæ in conjugio frena laxant, quanto diutius in matrimonio vivunt, cum concubinarii citius abjiciant concubinas, sicque ex hypothesi Bellarmini sint magis continentes. Si posterius, utique eumdem effectum habebit conjugium in viduis, quem habet primum matrimonium in ἀγάμοις, & per consequens non est pro signo diuturnioris & firmius adhærentis incontinentiæ habendum, quam concubinatus. Et quæ per Deum immortalem adferri potest ratio, quod incontinentiæ majoris adcusandus sit, qui in priore conjugio per annum forte unum atque alterum vixit, ac post aliquot annorum decursum in timore Dei ad aliud matrimonium transit, quam is, qui per totidem annos, quibus matrimonium prius, tempus viduitatis & secundum conjugium alterius durat, in uno eodemque matrimonio consenescit? vel ut propius ad Bellarmini absurdum pronunciatum accedamus, quam tandem anti-christiana synagoga confingere potest verisimilem rationem, quod a sacris ordinibus propter majorem incontinentiam arcetur, qui matrimonium

re-

repetivit, nec tamen arcetur concubinarius, qui totidem annis continuis fuit concubinarius, vel qui concubinas sæpius permutavit? Conjugii repetitio diuturnioris & firmioris incontinentiæ signum habetur, quam concubinarum permutatio. O egregium castitatis doctorem! Quanto rectius Hieronymus in comment. Tit. 1. *Multo detestabilius est, fornicatum esse cum pluribus, quam digamum reperiri, quia in alio infelicitas matrimonii est, in alio ad peccandum prona lascivia.*

VII.) *Ex paritatis ratione.*

§. CLXXXVI. VII.) Ex *paritatis ratione.* Quidquid commendat primas nuptias, id ipsum etiam secundas. Primæ nuptiæ gaudent divina institutione, eadem secundis denegari nequit, alias ad viduarum matrimonia non posset adcommodari illud Christi Matth. XIX. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* & per consequens divortium in secundis nuptiis humano arbitrio institui posset. Mirabilis Dei providentia in conciliatione primi matrimonii elucet, eadem secundarum nuptiarum occasionem mirabilem viduis exhibere sæpius conspicitur: propter quos fines primæ nuptiæ contrahuntur, propter eosdem secundas contrahi salutare est, quandoque etiam necessarium. Finis conjugii est *sobolis procreatio.* Idem finis locum habere potest in viduis sobole ex primo matrimonio destitutis. Quod si ergo ante lapsum in statu innocentiæ ob generis humani propagationem absque ulla incontinentiæ suspicione homines matrimonium contrahere potuissent; eccur illi, qui post lapsum ob sobolis procreationem vel primas, vel secundas nuptias desiderant, incontinentiæ suspicione statim gravantur? Finis conjugii est *mutui auxilii præstatio.* Atqui matrimoniali illo auxilio vidui quandoque magis indigent, quam cœlibes. Finis conjugii est *scortationis evitatio.* At huic periculo vidui non minus, quandoque etiam magis, quam cœlibes sunt obnoxii. Neque enim per mortem conjugis peculiare illud perpetuæ continentiæ donum superstiti parti confertur, neque conjuge mortua causa prioris conjugii una moritur & exstinguitur. Nequaquam vero judicandum, quod *tantum ob incontinentiam* & scortationis evidentiam nuptiæ repetantur, sicut Bellarminus præpostere judicat, dum incontinentiæ notam omnibus secundas nuptias contrahentibus judicio corrupto & præpostero inurit; sed interdum conciliatrix secundarum nuptiarum est ipsa necessitas, educatio scilicet liberorum, amplitudo rei familiaris, fraudes domesticorum, & causæ aliæ complures. Denique conjugii finis est *mysticæ desponsationis* inter Christum & ecclesiam *præfiguratio.* Hunc finem in secundis nuptiis quodammodo desiderari Bellarminus autumat, sic enim scribit loco proxime citato: *In secundis nuptiis deest perfecta significatio conjugii Christi cum ecclesia; qui enim secundam uxorem duxit, significat quidem conjugio suo Christi conjugium, sed non ita perfecte, ut is, qui unam solam habuit; non enim significat, Christum ita esse unius ecclesiæ sponsum, ut nunquam habuerit aliam.* Verum hac de re in tractatu de ministerio, cap. de conjugio sacerdotum late fuit disputatum.

VIII.) *Ab exemplorum probatorum inductione.*

§. CLXXXVII. VIII.) Ab *exemplorum probatorum inductione.* *Abraham*, pater omnium credentium, Rom. IV. 11. post mortem Saræ duxit Cheturam, Gen. XXV. 1. neque hoc nomine a Spiritu sancto reprehenditur, sed fœcundum potius matrimonium illud divina benedictione experitur. v. 2. Non est, quod regeras, Cheturam vocari *concubinam*; v. 6. quia פִּילֶגֶשׁ (quam dictam putant quasi פֶּלֶג אִישָׁה diversa uxor) in vet. test. fuit vera quidem uxor, sed secundaria, sic dicta non respectu mariti, sed respectu uxoris primariæ. Unde Chetura diserte dicitur *uxor* v. 1. (& una eademque Levitæ conjux, Judic. XIX. modo vocatur uxor, v. 9.

v. 9. modo concubina, v. 1. 24.). Discrimen ergo fuit inter Saram & Cheturam non ratione *honestatis & juris*, sed respectu *dignitatis & hæreditatis*. Rabbini statuunt, *Cheturam hanc fuisse Hagarem*, quæ Sara adhuc vivente Abrahæ fuit nupta; rabbinis adsurgunt Lyranus & Thomas Angelicus, qui existimant *Cheturam* dictam quasi thurificatam, eo quod Hagar ejecta ex domo Abrahæ pudicitiæ, orationi & cultui divino, cujus symbolum est thurificatio, sese dederit. Sed hoc commentum late refutat Abulensis, ac falsitatis ex eo convincitur, quod non unius, sed plurium concubinarum apud Mosen fit mentio v. 6. quodque Hagaris filius Ismael a Cheturæ filiis manifeste distinguitur, 1 Paral. I. 27. & 32. Calvinus existimat, *Abrahamum duxisse Cheturam Sara adhuc vivente;* qua ratione Abrahæ exemplum non conveniret nostro proposito. Sed nulla necessitas nos cogit, ut a serie historiæ discedentes πρωθύστερον hoc loco constituamus. Moses diserte adserit, Abrahamum *addidisse*, seu perrexisse *uxorem accipere*, ex quibus verbis haud obscure colligitur, priorem conjugem fuisse mortuam. Cumque concubitus cum Hagare ægre a Sara ipsi ob prolis generationem persuaderi potuerit; verisimile non est, ipsum Sara adhuc vivente & promissione in Isaaco jamdum impleta, sicque πολυγαμίας causa deficiente, aliam concubinam habere voluisse. Calvini ratiunculis respondet Gesnerus in comment. illius loci. Abrahæ exemplum secutus est *Boaz*, qui Rutham viduam, scripturæ testimonio sanctam, duxit. Ruth. IV. 11. *Sara*, Tobiæ uxor, post septem viros, quos habuerat, quosque Asmodæus occiderat, septimo nubit marito. Tob. VII. Nicephorus libr. II. histor. eccles. cap. III. ex Hippolyto memorat, *Josephum* ex Salome, priore conjuge, quosdam filios suscepisse, antequam Mariam sibi post obitum Salomes desponderet, eosque propterea Christi *fratres* vocari. Non est, quod regeras, *etiam polygamiæ simultaneæ exempla in veteri testamento exstare, proinde successivam polygamiam non posse ex veteri testamento exemplis stabiliri;* est enim hic diversa ratio, *illa* discedunt a regula divinæ institutionis, ad quam in novo testamento revocati sumus, *hæc* vero cum eadem congruunt.

§. CLXXXVIII. IX.) Ex *patrum testificatione.* Origenes libr. VI. in epistola Rom. *Mulieri crimen non est, si viro priore defuncto suscipiat secunda connubia.* Ambrosius in prioris ad Timotheum III. *Secundam numero uxorem habere, non est prohibitum.* Epiphanius libr. II. tom. I. hæres. 48. col. 340. *Ecclesia virginitati congaudet, unas nuptias honorat, &c. Si vero quis per debilitatem opus habuerit post propriæ uxoris obitum secundas nuptias contrahere, hunc ipsum veritatis regula non interdicit, &c. Hi vero* (Montanistæ) *rejiciunt secundis nuptiis conjunctum, & cogunt secundis nuptiis non copulari; nos vero non necessitatem imponimus, verum cum bono consilio admonemus exhortantes eum, qui potest, &c.* Idem lib. II. tom. I. hæres. 59. col. 413. *Licitum est populo, ut propter imbecillitatem feratur, & ut, qui non possunt in prima uxore contenti esse, secundæ post primæ mortem conjungantur, &c. qui non potuit una mortua contentus esse ob aliquam fortationem, aut adulterium, aut separatione ob aliquam malam causam facta, eum divina scriptura non adcusat, si aut vir secundæ conjungatur uxori, aut uxor secundo viro, neque ab ecclesia, aut via abdicat, sed suffert propter debilitatem.* Chrysostomus homil. XX. in epistola ad Ephes. *Secundas nuptias non posse damnari*, scribit. Hieronymus, quamvis Tertullianum secutus iteratis nuptiis sit iniquior, evidentiam tamen dictorum apostolicorum penitus considerans in apolog. pro libr. adversus Jovin. ad Pammach. scribit: *Non damno bigamos, imo nec trigamos, & si dici potest octogamos.* In epistola ad Geront. *Damnamus secunda matri-*

IX.) *Ex patrum testificatione.*

trimonia? abſit. Abjicimus de eccleſia digamos? abſit? In eadem epiſtola memorat, ſe Romæ vidiſſe duo paria *conjugum, ex quibus maritus viginti ſepelierat uxores, uxor vigeſimum ſecundum habuerat maritum.* In comment. Tit. 1. tom. IX. pag. 153. *Non omnem monogamum digamo putemus meliorem. Eſto quippe, aliquem adoleſcentulum conjugem perdidiſſe, & carnis neceſſitate ſuperatum uxorem ſecundam accepiſſe, quam & ipſam ſtatim amiſerit, & deinceps vixerit continenter, alium vero usque ad ſenectam habuiſſe matrimonium & uxoris uſum, ut plerique exiſtimant felicitatem, nunquam a carnis opere ceſſaſſe, quis vobis e duobus videtur eſſe melior, pudicitior, continentior? utique ille, qui infelix etiam in ſecundo matrimonio fuit, & poſtea pudice & ſancte converſatus eſt, & non is, qui ab uxoris amplexu nec ſenili eſt ſeparatus ætate.* Ibidem librum Tertulliani de monogamia *hæreticum* eſſe adſerit. Auguſtinus libr. XVI. de civitate Dei. cap. XXXIV. ſub finem de Abrahæ Cheturam ducentis exemplo diſſerens tandem ſic concludit: *Quid ſi & hoc proviſum eſt contra hæreticos futuros ſecundarum adverſarios nuptiarum, ut in ipſo patre multarum gentium poſt obitum conjugis iterum conjugari demonſtraretur, non eſſe peccatum.* Idem lib. de bono viduit. c. XII. *Non audeo plus ſapere, quam oportet ſapere, quis enim ſum, qui putem definiendum, quod nec apoſtolum video definiiſſe? Ait enim*, mulier adligata eſt, quamdiu vivit vir ejus. Quod ſi dormierit vir ejus, &c. *Non dicit, primus, vel ſecundus, vel quartus, nec nobis definiendum eſt, quod non definit apoſtolus, unde nec ullas debeo damnare nuptias, nec eis verecundiam inferre numeroſitatis. Dominus autem ſeptemviram non damnavit, nec dicit in reſurrectione non poſſe eſſe, ſed tantum:* neque nubent, neque nubentur; *unde nec contra humanæ verecundiæ ſenſum audeo dicere, ut quotiens voluerint nubant, nec ex corde meo quotaslibet nuptias damnare. Quod dicitur univiræ, hoc & omni viduæ.* libr. II. contra adverſ. leg. & proph. cap. XI. *Deus maſculum & foeminam propagandi generis cauſa nuptiali caſtitate conjunxit, & ſecundas nuptias, quæ in utroque teſtamento permittuntur, licitas eſſe monſtravit.* In quæſtionibus ex utrisque teſtamentis cap. CXV. mentionem facit *mulieris cujusdam in urbe Roma, quæ undecim habuerit maritos, ut & viri alterius, qui duodecim habuerit uxores.* Theodoretus in comm. 1 Tim. III. *Si vis mortis priorem disjunxerit, urgens autem natura, ut ſecundæ uxori conjungeretur, coegerit, non ex voluntate, ſed ex caſu proceſſit ſecundum matrimonium. Hæc conſiderans admitto eorum interpretationem, qui ſic intellexerunt.* Idem lib. V. epitom. div. decretorum cap. de ſecund. nupt. pag. 1000. *Et quid dico primum matrimonium? etiam ſecundam* (apoſtolus) *decrevit conjunctionem.* Dico enim, *inquit*, iis, qui non ſunt conjuncti matrimonio & viduis, ſi non continent, jungantur matrimonio, &c. *Notandum autem eſt, quod non beatam, ſed beatiorem dixit eam, quæ ſe contineat, ea ratione docens, quod etiam ea, quæ ſecundum matrimonium amplectitur, non eſt omnino beatitudine deſtituta, ſiquidem, ut vult lex hic poſita, conjugium ſuſceperit.* Huc referenda ſunt omnia veterum dicta, in quibus illud apoſtolicum, quod *epiſcopus* debeat eſſe μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, interpretantur hoc modo, quod κατὰ ταυτὸ non debeat habere uxores duas. Vide tract. de miniſterio, §. CCCLXVI.

Antitheſis I.) Ethnicorum.

§. CLXXXIX. Opponenda hæc ſunt I.) *Ethnicis*, apud quos, utpote verbi lumine deſtitutos, iteratæ nuptiæ infamia laboraſſe intelliguntur. Apud Diodorum Siculum, qui 60. annis ante Chriſtum natum ſcripſit, libr. XII. bibl. exſtat conſtitutio *Charondæ* legislatoris, in qua ſecundas nuptias damnat. Stobæus ſerm. XLII. ex Charonda hanc adlegat

legat legem: *Qui liberis suis novercam superinduxit, non honore dignus, sed infamis sit, utpote qui dissensionis domesticæ auctor exstitit.* (*) Ibidem adducit sententiam Publii: *Habent locum maledicti crebræ nuptiæ;* ubi tamen nuptias post crebra divortia iteratas quibusdam videtur perstringere, quia additur: *Mulier, quæ nubit multis, multis non placet. Thuriorum* lex erat, ut juvenes primo ætatis flore ad ducendas uxores muneribus honoribusque invitarentur, qui vero prima defuncta alteram superduxisset, is *invisus & exsecrabilis diis hominibusque ab omni honoris aditu & magistratu arcebatur.* Valerius Maximus lib. II. memorab. cap. 1. memorans fœminas, quæ uno contentæ matrimonio fuerant, *corona pudicitiæ honoratas*, subjungit hanc causam: *Existimabant enim eum præcipue matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui post depositæ virginitatis cubile in publicum egredi nesciret, multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes.* Portia, Catonis filia, quibusdam, mulierem, quæ secundo nupserat, laudantibus: *Tacete*, inquit, *nam nec felix, nec bene morata, aut pudica potest esse fœmina, quæ secundo nubit.* Martialis lib. VI. epigr. 7. iteratas nuptias *legitimum adulterium* vocare non erubescit:

Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege est;
Offendor moecha simpliciore minus.

Plura hujusmodi ethnicorum de iteratis nuptiis ethnica judicia enumerant Tiraquellus tract. de nupt. Albericus Gentilis lib. VI. de nupt. c. XXII. Arnisæus de jure connub. cap. V. sect. 3.

§. CXC. II.) *Hæreticis* illis, qui in primitiva ecclesia secundas nuptias damnarunt. II.) *Haereticorum.*

Ut enim prætermittamus *Sadducæos*, qui existimabant, conjugia per mortem non abrumpi, sed duntaxat interrumpi, Matth. XXII. 28. atque eos, qui *apud Corinthios* dubitabant, an viduæ liceat transire ad secunda vota? ut colligitur ex 1 Cor. VII. 39. 1.) De *Cataphrygibus*, Montani sectatoribus (**), ex eo sic dictis, quod in provincia Phrygia hæresin suam sparserint, commemorat Augustinus libr. de hæresibus ad Quodvultdeum cap. XXVI. quod *secundas nuptias pro fornicationibus habuerint, & ideo dixerint, eas permisisse apostolum, quia ex parte sciebat, & ex parte prophetabat; nondum enim venerat, quod perfectum est, hoc autem perfectum in Montanum & ejus prophetissas Priscam & Maximillam perve-*

(*) Patet ex hoc loco STOBÆI, gentiles secundis nuptiis subinde ex rationibus *politicis* posuisse obicem. Nam non tantum dissensiones excitabant domesticas, ut disertis verbis heic dicitur, sed &, ut passim adnotarunt scriptores ethnici, liberis prioris conjugii plurimum erant infestæ. Mutarunt quippe secundo nubentium affectum erga liberos, ut parum abesset, quin & bona & vitam ipsam liberorum prioris conjugii iis, qui ex posteriori erant nati, addicerent.

(**) MONTANI sectatores non tam inter hæreticos stricte sic dictos, quam potius schismaticos referendos esse, alii recte observarunt. Neque enim discedebat ab ecclesiæ doctoribus recte sentientibus in rebus ad fidem pertinentibus, sed in disciplinæ severitate, quam commendabat. Hinc secundas nuptias pro illicitis habebat, virgines velo velandas dictabat, veniam in peccata graviora delapsis ab ecclesia dari vetabat, litterasque humaniores ex civitate christiana proscribendas censebat. Tacemus alia hujus generis plura, quæ omnia egregie ac pererudite illustravit THEOPH. WERNSDORFIVS in *commentario de Montanistis, seculi secundi vulgo creditis haereticis*, Dantisci MDCCLI. in 4. Jungi tamen meretur cel. C. W. F. WALCHIVS, theologus Gœttingensis, in *der ausführlichen Historie der Ketzereien, part. I. sect. IV. p. 611. seqq.* Ex sectatoribus Montani præcipuus olim erat TERTVLLIANVS, vir quidem doctissimus, sed ipsa natura tristis atque austerus, de quo in *dem Versuch einer ausführlichen Kirchenhistorie neuen Testaments, part. II. §. 318-335. p. 825. seqq.* copiose disseruimus.

veniſſe delirarunt. 2.) *Navatiani* (*) ſive *Cathari* itidem ſecundas nuptias damnarunt. Sic enim de illis ſcribit Theodoretus lib. III. de hæret. fab. p. 973. *Succeſſores Navati eos, qui ſecundum matrimonium coiiſſent, a ſacris myſteriis arcebant.* (**) De ipſomet Navato lib. V. epit. decret. p. 1000. *Paulo dicente:* Volo juniores viduas nubere; *Navatus audet dicere, nolo. Sed nos leges Pauli ſequamur. Navati autem arrogantiam valere jubeamus.* Hæc Navatianorum, ſive (ut alii legunt) *Novatianorum* hæreſis damnata eſt in concilio Nicæno can. VIII. ubi definitum, *Novatianos non eſſe recipiendos, cum ad eccleſiam redierint, niſi polliceantur, ſe communicaturos etiam cum illis, qui forte ſecundas nuptias contraxerunt.* 3.) *Syriani*, vel *Surani*, ſeculo XII. in

(*) Quod de Montaniſtis in præcedenti nota obſervavimus, eos non accenſendos eſſe hæreticis, ſed potius ſchismaticis, idem & de *Navatianis*, ſeu (ut alii legunt) *Novatianis*, heic notamus. Vulgo quidem Novatiano varia erronea, immo impia dogmata tribuuntur, quorum nonnulla in epiſtola Dionyſii Alexandrini apud EVSEBIVM *libr. VII. hiſt. eccleſiaſt. cap. VIII.* recenſentur. Verum quemadmodum ea ex Novatiani dogmate principali, de lapſis ex ſocietate eccleſiaſtica penitus excludendis, per ſe non ſequebantur; ita multi non ſine ratione dubitant, Novatianum iſta omnia ſuo calculo adprobaſſe, exiſtimantque, eundem rectius in claſſem *ſchismaticorum*, quos vocant, referri poſſe. Quum enim tempore perſecutionis, ab imperatore Decio adverſus chriſtianos ſuſceptæ multi, deſerta vera religione in gentilium caſtra tranſirent, vel graviorum noxarum rei fierent, poſtea vero, ubi jam lapſi atque e civitate chriſtiana excluſi erant, in eandem redire inque ſinum eccleſiæ recipi optarent, non omnium eadem de eorum receptione fuit ſententia. Fuerunt nonnulli, qui omnibus peccatoribus, adeoque & lapſis, ubi per longum tempus per ſeveram pœnitentiam diſciplinæ eccleſiaſticæ ſe ſubjeciſſent, veniam ab eccleſia dandam eſſe exiſtimarunt. Hancce ſententiam amplectebantur CORNELIVS A. CCL. novus Romanæ eccleſiæ epiſcopus, atque CYPRIANVS, epiſcopus Carthaginenſis. Alii contra in alia omnia abierunt, ſtatuentes, lapſis ac graviorum peccatorum reis, quibus & eos accenſebant, qui ſecundum matrimonii fœdus inierant, communionem ſacrorum penitus denegandam eſſe, licet ejusmodi homines non omni ſpe ſalutis æternæ privandos eſſe cenſerent. Diſtinguebant enim inter veniam peccatorum, quæ ab eccleſia datur, & eam, quam homines vere pœnitentes a Deo impetrant. Atque ab horum partibus ſtabat NOVATIANVS, cui multi alii ſeſe adſociabant, unde calamitoſum ſchisma in eccleſia exortum eſt, quod *Novatianum* adpellari ſolet, variisque conciliis contra Novatianos habitis dedit occaſionem. Non fert inſtituti noſtri ratio, ut ea heic recenſeamus. Evolvat, qui ea noſſe voluerit, STEPHANVM KENKELIVM in peculiari *diſſertat. de haereſi Novatiana, eique oppoſitis conciliis*, quæ Argentor. MDCLI. 4. prodiit. Ut complures alios auctores jam taceamus.

(**) Idem teſtatur EPIPHANIVS *haereſ. LIX. num.* 3. ubi ſequentem in modum de iis ſcribit: *Si quis poſt baptiſmum ſecundam uxorem duxerit, ab illis non amplius admittitur.* Sunt tamen nonnulli, qui ſuſpicantur, non ipſum Novatianum, ſed ejus ſectatores ſecundas nuptias damnaſſe; vid. GVIL. BEVERGIVM in *adnotat. ad canon. concilii Nicaeni primi p. 66. tom. II. pandect. canon.* qui hancce conjecturam ex eo confirmare adnititur, quoniam ne ipſe quidem CYPRIANVS, qui, ut ipſius epiſtolæ teſtantur, calamum contra Novatianum ſtrinxit, ejusmodi quid eidem obiecerit, nec omnes Novatiani hac de re inter ſe conſenſerint, teſte SOCRATE, qui diſertis verbis ſcripſit: *Novatiani, qui Phrygiam incolunt, bigamos non admittunt; qui vero Conſtantinopoli degunt, nec admittunt aperte, nec aperte rejiciunt; verum in occidentis partibus aperte admittunt;* vid. ejus *hiſtor. eccleſiaſt. libr. V. cap. XXII. p.* 288. Plura hanc in rem legi poſſunt in cel. C. W. F. WALCHII *vollſtändigen Hiſtorie der Kezereien, Spaltungen und Religionsſtreitigkeiten, part. II. §. XXVII. p.* 258.

in Syriæ celebri civitate exorti quartas nuptias damnarunt. Jacobus de Vitriaco in hist. Hierosol. cap. XXXVII. cent. Magd. XII. cap. V. col. 854. 4.) Apud *Moscovitas*, qui Græcorum religionem amplectuntur (*), ad secunda vota utcunque transire fas est, tertia non patent, nisi ex causa ardua, quarta vero habentur pro hæreticis. Sigismundus Baro in relig. Moscovit. (**)

III.) *Quorumdam patrum.*

§. CXCI. III.) Incommodis *patrum* dictis, quibus iteratæ nuptiæ in suspicionem *intemperantiæ* vocantur, ac qui eas contrahunt, labem quamdam contraxisse judicantur (***). Clemens Romanus in constitutionibus apostol. (****) lib. III. cap. II. cum dixisset, secundas nuptias post ἐπαγγελίαν, postquam vidua fidem suam ecclesiæ ministeriis firmarit, esse illegitimas, alias vero licitas, subjungit: τριγαμία δὲ ἁμαρτίας σημεῖον, τὸ δὲ ὑπὲρ τὴν τριγαμίαν προφανὴς πορνεία καὶ ἀσέλγεια ἀναμφίβολος, ὁ γὰρ θεὸς μίαν γυναῖκα ἑνὶ ἀνδρὶ ἔδωκεν ἐν τῇ δημιουργίᾳ, ἔσονται γὰρ οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Athenagoras, Justini martyris æqualis, in apolog. pro christianis pag. 4. edit. Henr. Steph. anno 57. scribit: εὐπρεπὴς μοιχεία δεύτερος γάμος. Tertullianus in Montani hæresin prolapsus scripsit librum *de monogamia*, & alium *de exhortatione castitatis ad uxorem*, in quibus multis demonstrare conatur, semel tantum licere matrimonium contrahere, atque hanc esse antiquam & propriam christianorum disciplinam, cujus non tam institutor, quam restitutor sit paracletus, de quo Tertulliani libro Hieronymus in comm. Tit. 1. & in catal. script. eccles. tit. *Tertullianus* scribit, quod *nemo, qui apostolum legit, cum apostolo contra ire ignoret.* Clemens Alexandrinus libr. III. stromat. *Secundo contrahentem non peccare* quidem dicit *contra legem, cum Paulus id ex venia concedat, non tamen implere perfectionem evangelii.* Origenes in Luc. *Non ignoramus, quod tale conjugium* (secundum, tertium, intelli-

(*) Observavimus jam supra in *adnotat.* nostris ad *tom. XIII. loc. XXIV. §. CCCLXIV. p.* 208. Græcos sacri ordinis viris repetitas nuptias haud permittere. Addimus jam paucis, ejusmodi nuptias in aliis quoque, qui nullo munere ecclesiastico fungebantur, a Græcis jam olim fuisse improbatas, observante JO. MICH. HEINECCIO *in der Abbildung der alten und neuen griechischen Kirche, part. III. cap. VII. §. 12. p. 447. seqq.*

(**) Integra hujus libri inscriptio ita se habet: SIGISMVNDI L. B. DE HERBERSTEIN *Russiae, & quae nunc ejus metropolis est, Moscoviae brevissima descriptio.* Continet ea non tantum chorographiam Moscoviæ & subjacentium regionum, sed & ritus Russorum tum domesticos, tum religionem, atque cærimonias publicas egregie expilcat. Seorsim primum illa fuit edita, postea vero cum aliis ejusmodi tractatibus in corpore *autorum rerum Moscovitic.* Francof. ann. MDCLX. recusa.

(***) Duriores quorundam patrum de secundis & tertiis nuptiis sententias congessit JO. BAPTISTA COTELERIVS in notis suis ad *Hermae pastorem, mandat. IV. libr. II. p.* 87. 88. & auctorem *constitutionum libr. III. cap. II. p.* 278, 279. Jungi meretur ALBERTVS CHRISTIANVS RICHTERVS in dissert. sub præsidio illustr. Böhmeri *anno MDCCXXIII.* habita, *de secundis nuptiis praecipue illustr. personarum*, ubi & patrum, & pontificum Romanorum, nec non conciliorum de secundis nuptiis effata in unum congesta legi possunt. Add JOSEPHI BINGHAMI, scriptoris Angli, *origines, sive antiquitates ecclesiast. vol. VII. libr. XI. cap. XI. §. VII. p.* 416. *seqq.* itemque ill. BOEHMERI *jus ecclesiast. protestantium, tom. IV. libr. IV. tit. XXI. p.* 494. *seqq.* ubi & ostenditur, quibus rationibus ducti nonnulli ex antiquissimis cœtus christiani doctoribus nuptias secundas minime probandas censuerint.

(****) De *constitutionibus* hisce *apostolicis*, qui a CLEMENTE *Romano* collecti perhibentur, uberius disseruit GERHARDVS noster in *confession. cathol. libr. I. part. II. cap. VII. p.* 147. luculenterque ostendit, easdem esse apocryphas.

telligit) *rejiciat nos de regno Dei.* Gregorius Nazianzenus in orat. in dict. evang. Matth. XIX. *Videtur mihi hic sermo secundas rejicere nuptias. Si enim duo sunt Christi, duo etiam mariti, duæ quoque uxores. Si autem unus est Christus, unum caput ecclesiæ, & caro una, secundæ respuantur. Quod si secundas prohibeo, quæ ratio erit tertiarum? Primæ legis sunt, secundæ indulgentiæ, tertiæ vero prævaricationis, ultra hæc fuile magis, quam aliud quidquam, multa nequitiæ habens exempla.* Epiphanius libr. II. tom. I. hæres. 59. quæ est Catharorum: *Revera non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi adventum eos, qui a nuptiis, mortua ipsorum uxore, secundis nuptiis sunt conjuncti, propter excellentem sacerdotii honorem ac dignitatem.* Ambrosius lib. I. offic. cap. L. & libr. II. cap. VI. secundis nuptiis itidem videtur iniquior. *Quid tam decorum*, inquit, *quam ut vidua defuncto marito fidem servet?* Idem in com. 1 Cor. VII. sub fine: *Primæ nuptiæ a Deo sunt, secundæ vero permissæ sunt, primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter, secundæ autem & in præsenti carent gloria, concessæ autem sunt propter incontinentiam.* De Hieronymo jure scribit Lutherus in comm. Genes. XLV. tom. VI. Witeb. f. 139. quod *secundis nuptiis admodum infensus fuerit;* ac Ludovicus Vives in comm. libr. XVI. Augustini de civ. Dei cap. XXXIV. quod *eas fuerit abominatus*, uti constat ex epistolis ad Salvinam, Furiam, Gerontiam tom. I. & lib. contra Jovinian. tom. III. Quamvis enim alicubi protestetur, *se non damnare iteratas nuptias* (*), tamen res ipsa ostendit contra-

(*) Exstat iste locus, ad quem digitum heic intendit GERHARDVS, apud AVGVSTINVM *de bono viduitatis, cap. XII. tom. IV. opp. p. 1025.* edit. Basil. *MDLXIX.* Licet is sit longior, eundem tamen bona cum lectoris venia heic adscribemus. Verba ita habent: „De tertiis & de quartis „& de ultrà pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Unde, ut „breviter respondeam, nec ullas nuptias „audeo damnare, nec eis verecundiam „numerositatis auferre. Sed ne cuiquam „brevitas hujus responsionis forte displiceat, uberius disputantem reprehenso„rem meum audire paratus sum. Fortassis enim adfert aliquam rationem, „quare secundæ nuptiæ non damnentur, „tertiæ damnentur: nam & ego non „audeo plus sapere, quam oportet sapere. Quis enim sum, qui putem desiderandum, quod nec apostolum video „definisse? Ait enim, *mulier adligata est, quamdiu vir ejus vivit.* Non dixit, primus, aut secundus, aut tertius, aut „quartus: sed *mulier*, inquit, *adligata „est, quam diu vir ejus vivit: si vero mortuus fuerit vir ejus, liberata est, cui vult „nubat; tantum in domino: beatior autem „erit, si sic permanserit.* Quid huic sententiæ, quantum ad hanc rem attinet, „addi, vel detrahi possit, ignoro. Deinde ipsum quoque apostolorum ac nostrum magistrum & dominum audio *Sadducæis* respondentem, quum proposuissent mulierem non univiram, & biviram, sed, si dici potest, septiviram, in resurrectione cujus futura esset uxor? „Increpans enim eos ait, *erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim nec nubent, nec uxores ducent. Non enim incipient mori, sed erunt æquales angelis Dei.* Eorum „itaque resurrectionem commemoravit, „qui resurgent ad vitam, non quod resurgent ad pœnam. Potuit itaque dicere, erratis, nescientes scripturas neque virtutem Dei; in illa enim resurrectione multinubæ istæ esse non poterunt: deinde addere, quia nec aliqua „ibi nubit. Sed nec ipsam, ut videmus, „tot maritorum mulierem ulla suæ sententiæ significatione damnavit. Quapropter nec contra humanæ verecundiæ „sensum audeo dicere, ut quoties volverit, viris mortuis nubat femina, nec „ex meo corde præter scripturæ sanctæ „auctoritatem quantas libet nuptias audeo „condemnare. Quod autem dico univiræ viduæ, hoc dico omni viduæ, beatior eris, si sic permanseris.„ Satis luculenter, ut arbitror, ex hoc ipso loco patet, AVGVSTINVM iteratas nuptias

trarium. *Tolle, quod pejus est uri*, inquit, *& per se bonum non erit nubere*, in epist. ad Salvinam. Digamos comparat *immundis animalibus & serpentibus in arca Noæ ac vasis dedecoris*, in epist. ad Gerontiam; *nuptias repetentem poenitentia egere*, adserit in lib. I. contra Jovin. &c. Ibidem: *Apostolus concedit viduis secunda matrimonia, melius enim est licet alterum & tertium, id est, unum virum nosse, quam plurimos, id est, tolerabilius est, uni homini prostitutam esse, quam multis, siquidem & illa in evangelio Samaritana sextum se maritum habere dicens, arguitur a Domino, quod non sit vir ejus, ubi enim numerus maritorum est, ibi vir, qui proprie unus est, esse desiit &c. Quæ duos habuit viros, etsi dent annus est & decrepita & egens, ecclesiæ stipes non meretur accipere, si autem panis illi tollitur eleemosynæ, quanto magis ille panis, qui de coelo descendit &c.* (Gratianus caus. 31. q. 1. & Bellarminus de matrim. cap. IX. Hieronymum sic excusant, quod *in exhortationem vidualis continentiæ, non in condemnationem secundarum nuptiarum talia protulerit.* Item, quod *fecerit hoc amore pudicitiæ & ob incontinentiam multorum, qui usque ad vigesimum matrimonium aliquando progrediebantur.* Sed negari nequit, verba esse duriora & minime adprobanda.) Chrysostomus in comm. Tit. I. non quidem simpliciter improbat secundas nuptias, utpote quæ per leges permittantur, *interim post secundas nuptias* ad dignitatem pastoris neminem admittere videtur, addita hac ratione: *Qui defunctæ uxori benevolentiam nullam servasse deprehenditur, quo pacto hic ecclesiæ præceptor esse optimus poterit? nostis enim profecto omnes, quod, etsi per leges secundæ nuptiæ permittantur, multis tamen ea res adcusationibus patet.* Auctor oper. imperf. in Matth. XIX. homil. 32. *Licet ob incontinentiam hominum secundas nuptias præceperit apostolus, re ipsa tamen sunt fornicatio, sed cum permittente Deo publice & licenter committitur, sit honesta fornicatio.* (Recte autem judicat Bellarminus, *opus illud non esse Chrysostomi*, sed hæretici, vel ab hæreticis corruptum, cum multa contineat pugnantia cum doctrina orthodoxa. lib. de matrim. cap. IX. *Minus commode quidam verba illa excusant, quasi per hyperbolen vocaverit secundas nuptias fornicationem, non quod revera sit fornicatio secundo nubere, sed aliquid minus bonum, quam in fornicatione permanere. At hæc glossa diserto textui repugnat. Quidam respondent sermonem esse de nuptiis reiteratis priore conjuge adhuc viva, at nuptias illas apostolus non permisit, nedum præcepit.*) Haymo in evangel. infra octav. nativit. *Discant viduæ secunda & tertia declinare conjugia. Discant post virorum suorum mortem carnis vitare lasciviam.* Zonaras tom. III. annal. de patriarcha Polyeucto refert, quod *non dubitaverit Nicephorum, imperatorem orientalem, a sacro loco tanquam pollutum arcere, ob secundas nuptias cum anteccessoris sui Romani conjuge celebratas.* Huc referri etiam possunt imperatorum christianorum constitutiones, quibus *poenas* secundo nubentibus imposuerunt. *l. Fœminæ, l. cum aliis. C. de secund. nupt. In auth. de nupt.* dicitur, *mulierem nuptias repetentem, si a marito fuerit prohibita, tria negligere & oblivisci, Deum, memoriam defuncti, & amorem erga liberos.* Item *animam defuncti mariti nuptiis secundis contristari.* Nov. 22. cap. XLIII. Andradius citat Constantini Porphyrogenetæ constitutionem, qua tertiis nuptiis *quinquennalis excommunicatio* imponitur. Leo nov. 90. in tertias & quartas satis durus: *Opor-*

nec damnasse, nec ullo duriore nomine adpellasse, nec ullam iis pœnam dictitasse, sed tantum rem consilii hoc fecisse, magnique honoris intuitu impedire eas studuisse.

Oportebat (inquit) *nos, cum divina manu formati, menteque ac ratione prædíti fumus, quorumdam brutorum præſtantiæ non cedere. Non enim illa imbecillitas reprehenſione vacat, neque a juſtis vituperationibus libera eſt, ſed tanto obnoxior, quanto brutali naturæ rationalis prudentia antecellit. Oportebat* [inquam] *homines, cum in aliis, tum præcipue in caſtitate matrimoniali a brutis non vinci. Multa autem brutorum animantium genera conjuge mortuo perpetuam viduitatem amplectuntur, alterisque nuptiis priores velut congeſta terra obtegere nolunt. Verum quoniam hanc imbecillitatem turpem non eſſe, [quamquam turpiſſima ſit] exiſtimans natura primo matrimonio contenta non eſt, ſed nullo pudore tacta ad ſecundum etiam procedit: quin cum illam hic ſaltim ſiſtere deberet, non tamen id facit, & quamquam per ſacram legem non liceat, a ſecundo matrimonio ad tertium prorumpit, haud dubie conſtitutam in tertium matrimonium poenam, quod non exerceatur, contemtui habens, idque eo etiam magis, quod civilis lex, qua neſcio de cauſa, ſpiritus poenam conſtituentis decreto non conſentiat, ſed hos a reprehenſione porro liberat, qui poſt alterum matrimoniale conſortium a matrimoniis abſtinere nolint, idcirco nos, quæ ſpiritui placent, ſequentes ſtatuimus, ut qui ad tertium matrimonium pervenerint, poenæ, quam in ipſos ſacer canon promulgavit, obnoxii ſint.* Tribuitur & hoc Leoni: τὸ πρῶτον συνοικήσιον, νόμῳ, τὸ δεύτερον, συγχώρησις, τὸ τρίτον παρανομία χοιρώδης, τὸ τέταρτον ϑυριώδης βίος.

§. CXCII. IV.) Sed & quædam *concilia* ſecundis nuptiis fuere iniquiora. Concilii *Neocæſarienſis* ſeculo quarto celebrati canon. III. ſic habet: *De his, qui frequenter uxores ducunt, & de his, quæ ſæpius nubunt, tempus quidem poenitentiæ his conſtitutum manifeſtum eſt, ſed converſatio & fides eorum tempus abbreviat.* Canon. VII, *Presbyter convivio ſecundarum nuptiarum intereſſe non debet, maxime cum præcipiatur ſecundis nuptiis poenitentiam tribuere. Quis ergo erit presbyter, qui propter convivium illis conſentiat nuptiis?* Concilii *Laodiceni* eodem ſeculo celebrati canon I. *De eo, quod oportet, ſecundum eccleſiaſticum canonem, eos, qui libere & legitime ſecundis nuptiis juncti ſunt, nec occultam permixtionem operati ſunt, pauco tempore exemto vacare orationibus & jejuniis, & ſecundum veniam reddi eis communionem.* [Bellarminus l. d. ſcribit, *quosdam canonem Neocæſarienſem intelligere de iis, qui plures ſimul uxores habere volunt*, quibus ipſe quoque ſuum addit calculum libr. II. de concil. cap. VIII. Sed hæc interpretatio non poteſt habere locum, quia in adulteria majori ſeveritate animadvertendum erat, ac res ipſa oſtendit, Laodicenum canonem mitigare voluiſſe Neocæſarienſis concilii ſententiam, dum iteratas nuptias legitimas quidem cenſet, interim tamen earum intemperantiam pœnitentia expiandam eſſe decernit. Aliter igitur reſpondet Bellarminus. *Patres ob ſignum incontinentiæ notandos aliqua poenitentia voluiſſe eos, qui ſæpe matrimonia contrahunt;* atqui pœnitentia non niſi de malis agenda, quod ſi ergo ob iteratas nuptias pœnitentia injungitur, easdem eſſe malas neceſſario præſupponitur. Recte igitur etiam hanc reſponſionem Bellarminus deſerit, tandem ſubjungens: *Quæcunque fuerit patrum eorum mens, concilium fuit particulare, cui recte opponi poteſt concilium Nicænum generale can. VIII. in quo ſecundæ nuptiæ apertiſſime adprobantur.* Bucerus in defenſ. reform. Colon. cap. CXVI. p. 390. accipit Neocæſarienſem canonem de tali digamia, *qua alterutra pars injuſta de cauſa divertens, altero adhuc conjuge ſuperſtite alii vel viro, vel mulieri ſe matrimonio jungit.* Noſter Chemnitius part. II. exam. conc. Trid. cap. de matrim. p. 435. intelligit *de ſecundis nuptiis poſt divortium contractis*,

IV.) *Quorumdam conciliorum.*

quas

quas veteres ecclesiastica aliqua reprehensione notaverint, non tamen prorsus damnarint, vel resciderint.]

V.) *Pontificiorum.* §. CXCIII. V.) *Pontificii*, qui & ipsi secundis nuptiis iniquiores, 1.) Quia *duriora veterum dicta contra secundas nuptias in jure canonico adprobant.* Cap. de his 31. q. 1. adlegantur canones concilii *Neocæsarienſis*, quod tempus *poenitentiæ constituendum sit illis, qui frequenter uxores ducunt, quodque presbyter convivio secundarum nuptiarum interesse non debeat.* Cap. Hac ratione caus. & quæst. iisd. *secundam uxorem accipere secundum præceptum apostoli licitum est, secundum autem veritatis rationem vere fornicatio est, sed cum permittente Deo publice & licenter committitur, fit honesta fornicatio.* 2.) Quia eum, *qui plures uxores successive duxit, non admittunt ad ordines sacros.* Cap. si quis. distinct. 34. cap. quisquis. dist. 84. &c. cujus statuti Bellarminus in libr. de cleric. cap. XXIV. duplicem tradit rationem, *moralem* unam, *mysticam* alteram. Moralem dicit esse eam, quod *iteratæ nuptiæ sint signum incontinentiæ magis diuturnæ firmiusque inhærentis;* quin imo eo usque progreditur, *ut secundas nuptias ex sua natura magis diuturnæ incontinentiæ signum esse statuat, quam adulterium & concubinatum.* Mysticam vero, *quod non significet, Christum ita esse unius ecclesiæ sponsum, ut nunquam habuerit aliam*, qua de re quid statuendum sit, in tract. de minist. eccl. cap. de conjug. sacerdotum §. CCCLIX. late fuit expositum. Hoc loco illud urgemus. Iteratæ nuptiæ post obitum conjugis aut sunt *per se piæ, honestæ* ac legitimæ, non minus quam primæ, aut *per se turpes* & inhonestæ. Si prius, ministri ecclesiæ non sunt ab illis arcendi. Si posterius, nemini in ecclesia sunt concedendæ. Non est, quod dicant, *propter majorem perfectionem sacerdotes ab illis prohiberi*, quia perfectio non est præcepti, sed consilii; ab iteratis ergo nuptiis non legalibus prohibitionibus, sed suasionibus forent revocandi, perinde ut apostolus progreditur 1 Cor. VII. 35. negans, se *cuiquam laqueum velle injicere.* Contra vero Bellarminus ex *morali quadam ratione* iteratas nuptias sacerdotibus interdictas statuit. Atqui moralis ratio ad omnes omnino pertinet, nec magis clericos, quam laicos obstringit; proinde, si ob moralem rationem secundæ nuptiæ clericis sunt prohibitæ, utique etiam laicis ob eamdem prohibitæ erunt. 3.) *Secundis nuptiis ecclesiasticam benedictionem denegant.* Bellarminus de matrim. cap. IX. respondet, *causam hujus rei non esse eam, quod secundæ nuptiæ careant sacramento, sed quia benedictio in primis nuptiis data non pereat, neque iterum benedici debeant, qui semel benedicti fuerunt*, quod petitum ex cap. *vir autem extr. de secund. nupt.* Quasi vero quidquam impediat divinæ benedictionis in iteratis nuptiis repetitionem! quasi non sit novum plane conjugium, quod viduus, vel vidua cum persona cœlibe, vel etiam viduus & vidua utpote novi conjuges invicem contrahunt, cum prius matrimonium per mortem penitus sit solutum, ut proinde etiam nova benedictione indigeant! Ac si vel maxime viduus, aut vidua in priore matrimonio benedictionem accepit, cur ea denegatur personæ cœlibi, quæ cum viduo, vel vidua contrahit? Forte cum canonistis respondebit, *eam a persona jam ante benedicta accipere benedictionem, sicut aqua non benedicta adpositа aquæ benedictæ easdem virtutes participat.* Sed hoc nugari est, & fingere. Certe qui secundis nuptiis benedictionem denegat, *oblique* eas adcusat, quod non sint verum, legitimum ac Deo gratum matrimonium, quin & utilem constitutionem ecclesiasticam de cujusque legitimi matrimonii benedictione labefactat. 4.) Qui duas uxores successive ducunt, eos *perfectione quadam sacramenti carere censent.* Bellarminus de cleric. cap. XXIV. §. altera: *Perfecta significatio conjugii Christi cum ecclesia*

ſia non eſt in iteratis nuptiis. Qui enim ſecundam uxorem duxit, ſignificat quidem conjugio ſuo Chriſti conjugium, ſed non ita perfecte, ut is, qui unam ſolam habuit; non enim ſignificat, Chriſtum ita eſſe unius eccleſiæ ſponſum, ut nunquam habuerit aliam. De matrim. cap. IX. §. ult. *Bigami defectu ſacramenti ſacris initiari nequeunt, non quod eorum matrimonium ſacramentum non ſit, ſed quod perfectione ſacramenti careant.* Atqui conjugium proprie & ſpecifice loquendo ſacramentum non eſſe, ſuperius oſtendimus. Sacramenti generaliter adpellati ratio ab apoſtolo monſtrata, quod *ſint duo in carne una* Eph. V. 31. non minus repetitur in nuptiis legitime iteratis, quam in primo matrimonio. Sic autem diſputamus contra Bellarminum: Si clerici propter defectum integri ſacramenti non arcentur ab ordinibus ſacris, multo minus propter defectum perfectionis cujusdam ſacramentalis ab iisdem arcendi erunt. Sed verum prius in eccleſia Romana; qui enim conjugium [quod ſacramentum eſſe ipſimet cenſent] abjurant, ad ſacros ordines admittuntur, cum tamen integro careant ſacramento. Ergo multo magis admittendi, qui perfectione duntaxat ſacramenti carent; niſi velimus dicere, plus valere defectum partis, cujusdam ſcilicet perfectionis ſacramentalis, quam totius, integri ſcilicet ſacramenti. Item: Ubi adſunt omnes eſſentiales ſacramenti partes, ibi eſt verum, integrum & perfectum ſacramentum. Atqui in conjugio bigamorum ſucceſſive talium adſunt omnes eſſentiales ſacramenti partes, ex hypotheſi pontificiorum. Ergo conjugium bigamorum eſt verum, integrum & perfectum ſacramentum. *Minor* probatur, quia docente Bellarmino, *materia* conjugii ſunt perſonæ contrahentes, *forma* ſunt verba conſenſum exprimentia. Atqui ea in conjugio bigamorum inveniuntur. Denique præpoſterum eſt ſtatuere, quod conjugium juxta normam inſtitutionis divinæ contractum [quale eſt illud, de quo hic agimus] careat perfectione quadam ſacramenti; contra vero euchariſtia ſub una ſpecie contra Chriſti inſtitutionem adminiſtrata ſit verum & integrum ſacramentum. Utrumque ſtatuunt pontificii. Sed hac de re ſuo loco plura diximus. 5.) Quamvis Bellarminus videatur improbare duras illas veterum locutiones ſuperius citatas, tamen ſtatuit, *iteratas nuptias eſſe ſignum incontinentiæ diuturnioris & firmius inhærentis, quam eſt ipſe concubinatus.* Item *magis prohiberi in epiſcopo deligendo digamiam* [ſucceſſivam] *quam adulteria & concubinatum* de cleric. cap. XXIV. §. 13. Quo etiam referri poteſt illud Salmeronis tom. IV. tract. 21. pag. 196. *Chriſtus peccata hujus fœminæ* [Samaritanæ Joh. IV.] *detegit, nempe objiciens, quod quinque viros habuerit, quod ſignum erat evidentiſſimum maximæ ſimul & incontinentiæ & impudentiæ;* quæ antichriſtiana pronunciata inſignem ſecundarum nuptiarum contumeliam continere, nemo inficias ire poterit.

Argumenta Montaniſtarum.
I.) *Ex ſcripturæ dictis:*
1.) *Ex vet. teſt.*
a.) *Gen. II. 24.*

§. CXCIV. Argumenta *Montaniſtarum* collegit Tertullianus in libro de monog. in libr. ad uxorem & in exhortat. caſtitatis, ac quædam ex illis repetiit Hieronymus. *Primam* eorum claſſem conſtituunt ex ſcripturæ dictis: I.) ex vet. teſt. 1.) Geneſ. II. 24. *Adhærebit vir uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Tertullianus de monog. cap. IV. *Unam fœminam maſculo Deus finxit, una coſta ejus decerpta & utique ex pluribus.* Sed & in præfatione ipſius operis: *Non eſt,* inquit, *bonum homini ſolum eum eſſe, faciamus adjutorium illi. Adjutores enim dixiſſet, ſi pluribus eum uxoribus deſtinaſſet. Adjecit legem de futuro, ſiquidem prophetice dictum eſt: Et erunt duo in carnem unam, non tres, neque plures.* Ceterum *jam non duo, ſi plures.* Hieronymus libr. I. in Jovinian. *Una coſta a principio in unam uxorem verſa eſt. Et erunt, inquit, duo in carne una, non tres, neque quatuor, alioquin*

quin non duo, sed plures. Resp. polygamiæ simultaneæ, ac proprie sic dictæ, hæc omnia recte opponuntur, nequaquam vero iteratis nuptiis; neque enim is peccat contra conjugii institutionem, qui successive duas uxores ducit matrimoniali vinculo cum priore legitime soluto, sed qui uno eodemque tempore cum duabus, vel pluribus cohabitat. Manifestissimum illud est ex Matth. XIX. ibi enim temeraria divortia Christus damnat argumento ex prima conjugii institutione ducto v. 5. sed priore conjuge ob crimen adulterii dimissa aliam ducere permittit v. 9. at si post divortium propter adulterium institutum ad secunda vota transire licet, multo magis post matrimonii vinculum per mortem solutum iterare nuptias licitum erit. 2.) *Sacerdotes veteris testamenti virginem ducere debebant uxorem, non viduam* Levit. XXI. 14. *Atqui Christus nos omnes fecit sacerdotes* Apoc. I. 6. Tertullianus de monog. cap. VII. Unde Innocentius I. dicit, *scriptum esse, sacerdotes mei semel nubant.* Resp. a sacerdotibus Leviticis veteris testamenti ad spirituales sacerdotes in novo testamento non valet collectio, quia leges cerimoniales in novo testamento sunt abolitæ. Quid quod constitutio illa de non ducenda a sacerdote vidua etiam in veteri testamento exceptionem aliquam admiserit, ut constat ex Ezech. XLIV. 22. ubi de sacerdotibus dicitur: *Viduam & repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel, sed & viduam, quæ fuerit vidua a sacerdote, accipient.* Unde ipse Hieronymus in epist. ad Oceanum Tertulliani commentum refutat, atque illud, quod ab Innocentio adducitur, in tota sacra scriptura non exstat. Proponitur autem in illa lege pulcerrimus typus, quem explicat apostolus 2. Cor. XI. 2. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo;* nimirum Christus est unicus summus sacerdos novi testamenti & sponsus ecclesiæ, quæ debet esse virgo, hoc est, a meretriciis satanæ, mundi & carnis complexibus, ab idololatria & peccatis contra conscientiam debet abstinere, ut sponso suo, cui vera fide sociata est, placere possit. 3.) Levit. XXII. 12. *Sacerdotis filia, cum fuerit viro extraneo, non comedet de oblatione sanctitatum.* v. 13. *Et filia sacerdotis, cum fuerit vidua & repudiata, & semen non ei, & reversa fuerit ad domum patris sui sicut puellæ ejus, de pane patris sui comedet;* ubi sacerdotum filiabus iterum nubentibus pœnæ loco imponitur, ne comedant ex pane sui patris. Hieronymus in epist. ad Geront. *Resp.* si hæc illatio valeret, etiam primas nuptias prohibitas esse colligi posset, quia in genere dicitur, quod filia sacerdotis nubens extraneo non sit ad cibos sacerdotales admittenda. Quod vidua ac repudiata ad eos admittitur, inde est, quia recidit in potestatem patris matrimoniali vinculo soluta, unde etiam familiæ paternæ commodis iterum fruitur.

b.) *Lev. XXI.* 14. c.) *Lev. XXII.* 12.

§. CXCV. II.) Ex novo testamento: 1.) Matth. V. 32. *Qui dimissam sive repudiatam duxerit, mœchatur. Vidua est Dei voluntate per mortem mariti repudiata.* Tertullianus lib. de monog. cap. IX. *Resp.* Christus ipse distinguit inter repudiatam ob causam justam & sufficientem ac inter eam, quæ temere absque justa & sufficiente causa a marito est repudiata. In priore casu matrimonium novum parti innocenti concedit, in posteriori ejusmodi repudiatam ducere prohibet. Quod si ergo marito per divortium ab adultera conjuge separato licet nuptias iterare, multo magis soluto per mortem cum priore conjuge matrimonio idem licebit, ut constat ex manifestis dictis superius citatis. 2.) Matth. X. 16. *Estote simplices sicut columbæ. At columba est avis innocua & pudica, quam unus masculus novit.* Tertullianus de monog. cap. VIII. *Resp.* comparatio non est extendenda ultra tertium,

2.) *Ex nov. test.* a.) *Matth. V.* 32. b.) *Matth. X.* 16.

ad

ad quod adhibetur, jam vero non nisi simplicitatis respectu columbis & prudentiæ ratione serpentibus nos similes esse debere textus ostendit. Hilarius libr. de syn. p. 309. *Serpentinam prudentiam columbæ simplicitas temperet, & simplicitatem columbæ prudentia serpentis instruat, fiatque & simplex sapientia & sapiens simplicitas.* Hieronymus epistol. XIII. ad Paulin. *Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, & serpentis astutiam, ne a malorum supplanteris insidiis.* Si quis præter scopum & mentem Christi comparationem extendere velit, multa absurda ex ea inferre possit. Præterea nondum inter physiologos certo constat, an inter turtures fœmellam unam unus masculus noverit? ac si vel maxime certum hoc esset, tamen non de turturibus in specie, sed de columbis in genere Christus loquitur. 3.) Matth. XVII. 3. *Christus in revelatione gloriæ suæ de tot sanctis Mosen & Eliam sibi conjungit unum monogamum, alterum eunuchum. Ergo & nos, si velimus videre ejus gloriam, oportet alterutri esse similes.* Tertullianus de monog. cap. VIII. *Resp.* ex allegoriis non ducuntur firma argumenta, nisi ipsa scriptura explicationem monstret. Tantum vero abest, ut hæc allegoria Montanistica a scriptura nobis suppeditetur, ut eidem potius adversetur. Rectius ergo pii veteres statuunt, ideo Mosen & Eliam hic adparere, ut intelligatur Christum esse eum, *de quo prophetæ locuti sunt & Moses.* Matth. II. 12. Johan. I. 45. Opponimus autem Tertulliano, quod Josephus libr. II antiquit. Judaic. cap. X. statuit, *Mosen duas habuisse uxores, Zephoram & Tharbin*, filiam regis Æthiopum, quæ dicatur æthiopissa Num. XII. 1. 4.) Matth. XIX. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet. Ergo secundæ nuptiæ sunt illicitæ.* Tertullianus ib. *Resp.* Distinguendum inter separationem factam arbitrio humano inter conjuges adhuc vivos, & inter separationem factam judicio divino per mortem alterutrius conjugis. Dictum Christi oppositum est separationi priori; de separatione posteriore agit apostolus Rom. VII. 2. 1. Cor. VII. 39. 1. Tim. V. 14. ubi expresse adserit, quod alterutro conjugum demortuo pars superstes solvatur lege, qua illi viventi erat obstricta, ut ei liberum sit ad aliud transire matrimonium. 5.) Johan. II. 2. *Christus semel tantum interfuit nuptiis. Toties autem servator nostrer voluit nos celebrare nuptias, quoties ipse dignatus fuit interesse.* Tertullianus de monog. cap. II. Hieronymus in epist. ad Geront. *Resp.* Christus semel tantum nuptiis interfuisse legitur, at ex eo non potest apodictice inferri, quod semel tantum interfuerit, quia in *historicis* non ita, ut in dogmaticis, negative ex scriptura argumentari possumus; Joh. XXI. 25. multo minus ex eo inferri potest, quod semel tantum nuptias celebrare liceat, cum id scripturæ dictis superius adlatis adversetur. Quid quod eadem facilitate inferri posset, licere tantum semel per omnem vitam nuptiis interesse? 6.) Joh. IV. 18. *Quinque viros habuisti, & quem nunc habes, non est tuus. Samaritanæ* [inquit Tertullianus monog. cap. VIII. in fin.] *maritum Christus negat, ut adulterum ostendat numerosum maritum.* Idem repetit Hieronymus in epist. ad Geront. & libr. in Jovinian. *Resp.* ex v. 17. manifeste colligitur, Samaritanam illam fœminam post mortem quinti mariti non transiisse ad sextas nuptias, dicit enim, *virum non habeo*, sed occulte cum quodam fuisse scortatam. Quod Christus v. 16. dicit, *voca virum tuum*, id eo spectat, ut se in luce divinæ omniscientiæ etiam secretissima quæque videre testetur, ac spiritualem sitim peccatorum manifestatione in corde hujus fœminæ excitet, unde etiam v. 19. hæc muliercula dicit: *Video, quod sis propheta.* Invertimus igitur argumentum. Quia Christus ipse hoc loco distinguit inter maritos legitimos successive ductos & concubinarios, ideo iteratas nuptias adprobat. Augustinus

c.) *Matth. XVII.* 3.

d.) *Matth. XIX.* 6.

e.) *Joh. II.* 2.

f.) *Joh. IV.* 18.

tract. XV. in Joh. & in lib. LXXXIII. quæstion. q. 64. refert allegoricam quorumdam expositionem, qui per quinque viros intellexerunt *quinque libros Moſis*, quibus Samaritana hactenus ſervierit, ac verba illa, *quem nunc habes, non eſt vir tuus*, ad Chriſtum retulerunt, ut ſit ſenſus, *quem audiſti, qui loquor tecum, non eſt tuus vir, quia nondum in eum credidiſti.* Hanc expoſitionem Auguſtinus repudiat, ſed quam ipſe adfert, ea non eſt melior. Per quinque viros intelligit *quinque ſenſus corporis*, per virum, quem Chriſtus advocare juſſerit, *ſpiritum intelligentiæ*, qui *animalem adfectionem tanquam conjugem regit &c.*

g.) 1. *Cor. VII.* 27. 7.) 1. Cor. VII. 27. *Solutus es ab uxore, ne quæſieris uxorem. At vidui ab uxore ſunt ſoluti, aliam ergo quærere non debent.* Tertullianus de exhort. caſtit. cap. IV. *Reſp.* apoſtolus v. 28. immediate ſubjicit, *quodſi etiam duxeris uxorem, non peccaſti*, ergo non prohibet iteratas nuptias. Verba igitur præcedentia, *ſolutus es ab uxore, ne quæſieris uxorem*, quidam ſic exponunt, quod continent non præceptum quoddam prohibitorium, quo viduos a matrimonio arceat, [cum contrarium ſæpius in hoc ipſo capite & alibi doceat, cumque non ſolum vidui, ſed in genere omnes cœlibes ſint ab uxore ſoluti, & hac ratione omnibus matrimonium eſſet prohibitum] ſed conſilium ad ſtatum illorum temporum adcommodatum, ſicut v. 25. & 26. exponitur. Atqui hæc quidem recte dicuntur, interim textui propius accedit, ſi hæc verba apoſtoli accipiantur ut generalis quædam dehortatio a nimio rerum terrenarum amore & fruendi illis deſiderio, ſicut v. 29. ſtatim additur: *Qui habent uxores, ſint tanquam non habentes.* Senſus igitur eſt: *Adligatus es uxori, noli quærere ſolutionem, ſolutus es ab uxore, noli quærere uxorem*, id eſt, noli propterea animo nimis angi, quod vel extra conjugium, vel in conjugio vivas, quia matrimonium pertinet ad hanc vitam, quæ citiſſime præterlabitur, ad cœleſtia igitur & ſempiterna elevandus eſt animus, non autem terrenis ac tranſitoriis hiſce adfigendus. Auguſtinus tractat. XL. in Johan. *Vtere mundo, ſed non te capiat mundus. Quod intraſti, iter agis, exiturus veniſti, non remanſurus. Iter agis, diverſorium eſt hæc vita, utere mundo, quomodo viator in diverſorio utitur menſa, calice, urceo, lectulo, dimiſſurus, non permanſurus.* 8.) Epheſ. I. 10. *Per Chriſtum facta eſt* ἀνακεφαλαίωσις *omnium, hoc eſt, per ipſum omnia ad caput, ſive initium ſunt reducta. At ab initio fuit tantum monogamia.* Tertullianus de monogamia cap. V. Hieronymus libr. I. contra Jovinian. *Reſpond.* Chriſtus ut ſacerdos ac mediator noſter ſatisfaciendo ſub unum caput omnia reduxit, quia genus humanum, quod per peccatum ex corpore illo myſtico, cujus membra erant angeli & homines, caput vero Dei Filius avulſum erat, in corpus illud reſtituit, ſicut Theophylactus in comment. ἀνακεφαλαίωσιν illam recte interpretatur, ac Chryſoſtomus eodem fere ſenſu ſcribit, *factum eſſe per redemtionis myſterium, ut cœleſtia & terrena, hoc eſt, angeli & homines unum caput, Chriſtum ſcilicet, habere inciperent, cum antea propter hominum peccata ſejuncta eſſent a terrenis cœleſtia.* De hoc redemtionis myſterio proprie & principaliter ibi apoſtolus agit, ut totus contextus oſtendit. Deinde concedimus, hanc ἀνακεφαλαίωσιν ſecundario etiam eo referri poſſe, quod Chriſtus ut propheta & doctor eccleſiæ ad primum initium, id eſt, ad primævam conjugii inſtitutionem nos in novo teſtamento revocaverit, Matth. XIX. 4. atque ea, quæ contra eam uſu invaleſcere cœperant, emendanda eſſe docuerit; ſed iteratas nuptias cum prima conjugii inſtitutione pugnare, ac proinde a Chriſto in novo teſtamento abolitas eſſe, nondum eſt demonſtratum. 9.) 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6. *Epiſcopi ſint unius uxoris viri, id eſt, unis nuptiis*

h.) *Epheſ. I.* 10.

i.) 1. *Tim. III.* 2.

ptiis contenti. Ergo etiam laici, ex quibus episcopi eliguntur. Si enim hæc disciplina non præcedit in laicis, ex quibus ecclesiæ ordo proficit, apostolicum præceptum servari nequit. Tertullianus de monogam. cap. XI. in exhortat. ad castitat. cap. VII. Hieronymus ad Geront. *Resp.* quo sensu episcopus jubeatur *unius uxoris* esse maritus, expositum fuit in tractat. de minister. eccles. cap. de conjug. sacerdot. §. CCCLXIV. hoc loco illud notari potest, ex Montani schola ortam esse pontificiam illam interpretationem, qua episcopi a secundis nuptiis hac phrasi prohiberi censentur. 10.) 1. Tim. V. 12. *Damnationem habere dicuntur illæ viduæ, quæ primam fidem irritam fecerunt, hoc est, ad secunda vota transiverunt.* Resp. Epiphanius hæres. LXI. p. 222. distinguit inter κρίμα καὶ κατάκριμα, viduas illas κρίμα in judicio ecclesiæ habere concedit, sed κατάκριμα in judicio divino habere negat. Sed ex descriptione addita manifestum, viduas illas, de quibus apostolus loquitur, etiam *in Dei judicio* damnationem habere. Πίστιν πρώτην quidam accipiunt de fide ecclesiæ data, id est, de promissione servitii ac ministerii, qua pauperibus, exsulibus, ægrotis &c. sese inservituras tales viduæ pollicitæ erant, cui expositioni favere videtur v. 10. sed Chemnitius in examin. concil. Trident. in cap. de cœlibatu pag. 59. ex contextu & parallelorum locorum collatione ostendit, intelligi fidem salvificam, cujus naufragium fecerunt tales viduæ non secundas nuptias contrahendo, [earum enim libertatem ibidem v. 14. evidenter apostolus adserit] sed *contra Christum petulanter lasciviendo*, v. 11. *debita ministerii officia negligendo*, v. 12. *petulantia sua occasionem maledicendi & evangelii doctrinam blasphemandi adversario exhibendo*, v. 14. *& deserta via Domini satanam sectando* v. 15. Hac de re pluribus in quæstione de cœlibatu inferius disseremus. Reliqua scripturæ dicta, quæ a Tertulliano adferuntur, facilem habent explicationem, cum ex primo eorum intuitu adpareat, ea violenter contra secundas nuptias torqueri, ac si ullum eis inesset robur, etiam primas nuptias eisdem prohiberi.

k.) 1. Tim. V. 12.

§. CXCVI. *Alteram* classem argumentorum complent ex variis *exemplis*, tum *sacris*, *protoplastorum scilicet*, *Isaaci*, *Noachi*, *Josephi & aliorum in veteri*, *ac Zachariæ*, *Petri*, *Hannæ &c. in novo testamento*, tum *profanis*. Resp. 1.) De quibuslibet exemplis judicandum est ex regula divinitus præscripta. Jam vero ostendimus superius, δευτερογαμίαν verbis scripturæ perspicuis & expressis adprobari. 2.) Distinguendum inter digamiam proprie sic dictam, simultaneam scilicet, & eam, quæ ἀκυρολόγως sic adpellatur, videlicet successivam. Exempla illa principaliter opposita sunt digamiæ simultaneæ, non successivæ. 3.) Distinguendum inter nuptiarum iteratarum libertatem, ac earumdem necessitatem. Exempla illa probant, sanctos quosdam libere a secundis nuptiis abstinuisse, sed lege quadam ab illis eos fuisse prohibitos, non probant. 4.) Opponimus contraria exempla eorum, qui ad secunda vota transiverunt, quæ superius sunt enumerata. 5.) Exempla gentilium suspectam potius reddunt legem secundas nuptias prohibentem; ostendunt enim, ex quo fonte hic error in ecclesiam profluxerit.

II.) *Ex variis exemplis.*

§. CXCVII. *Tertiam* classem adsignant *rationibus*. 1.) Qui *nuptias iterat*, *voluntati divinæ repugnat*. Tertullianus de exhort. castit. cap. II. pag. 563. *Quam modesta illa vox est, Dominus dedit, Dominus abstulit, ut Domino visum est, ita factum est! Ideo si nuptias ablatas restauremus, sine dubio contra Dei voluntatem nitimur volentes habere rursus, quod habere nos noluit, si enim voluisset, non abstulisset &c.* Resp. negamus eum, qui nuptias iterat, divinæ voluntati repugnare. Quod probationis

III.) *Ex rationibus.*
1.) *A divinæ voluntatis significatione.*

tionis loco adducitur, petitum est ex *particulari*. Id enim duntaxat probat, quod Deus cum ea persona, quam per mortem ex hac vita evocat, superstitem conjugem diutius in matrimonio vivere noluerit, ex eo vero nequaquam inferri potest, quod ab omni omnino matrimonio eam exclusam voluerit. Adde, quod regula actionum nostrarum esse debeat voluntas Dei in verbo revelata, nequaquam vero occulta ejus judicia. Augustinus in enchir. cap. CI. *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult bona multo amplius multoque certius voluntate. Nam illius mala voluntas esse nunquam potest, tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona, velut si malus filius velit mori patrem, velit etiam hoc Deus. Nempe ille vult, quod non vult Deus, iste vero id vult, quod vult & Deus, & tamen bonæ Dei voluntati pietas illius potius consonat, quamvis aliud volentis, quam hujus idem volentis impietas. Multum enim interest, quid velle homini, quid velle Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, ut adprobetur, vel improbetur. Potest enim velle bonum, quod non congruat illi velle, & potest velle bonum, quod congruit, sed non refert ad finem rectum, & ideo non est bona voluntas.* Lombardus lib I. sentent. distinct. 48. lit. A.

2.) *Ab incommodorum consecutione.*

II.) *Iteratæ nuptiæ plurima secum trahunt incommoda, præsertim si ex priore matrimonio superstites fuerint liberi.* Graphice ea depingit & exaggerat Hieronymus in epist. ad Furiam. *Superducit*, inquit, *mater filiis non nutricium, sed hostem, non parentem, sed tyrannum; inflammata libidine obliviscitur uteri sui & inter parvulos suas miserias nescientes lugens dudum nova nupta componitur.* Item: *Si evenerit, ut ex secundo matrimonio habeas filios domesticos, oritur pugna, intestinum prælium. Non licebit tibi amare liberos, nec æquis adspicere oculis, quos genuisti. Clam porriges cibos, invidebis mortuo, & nisi oderis filios, adhuc eorum videberis amare patrem. Quod si vir de priore uxore sobolem adhuc habens domum te introduxerit, etiamsi clementissima fueris, omnes comœdi & mimographi in novercam sævissimam declamabunt. Si privignus languerit & condoluerit caput, infamaberis ut venefica, si non dederis cibos, ut crudelis, si dederis, malefica diceris.* Johannes Garonius in tract. de secund. nupt. 49. recitat secundo nubentium incommoda. In jure civili secundæ nuptiæ multis principum constitutionibus multisque jurisconsultorum responsis odio sunt expositæ; dicitur enim per eas *priori marito, ejusque liberis injuria inferri*, inde superstes conjunx omnium eorum, quæ quacunque ratione ex bonis defuncti ad superstitem pervenerunt, proprietatem amittit, solo usufructu retento, ipsa autem proprietas a tempore novarum nuptiarum ad priorum nuptiarum liberos a defuncto non exheredatos transit &c. Nov. XXII. c. XXIII. Ac quamvis Justinianus in Nov. *de non eligend. secund. nupt.* cap. III. omnes pœnas a prædecessoribus suis secundo nubentibus constitutas antiquaverit & sustulerit, tamen in alia Nov. *de nupt.* 22. anno & quatuor mensibus post edita priorem illam abrogavit, & antecessorum suorum constitutiones confirmavit, notante Forstero lib. VII. de succes. cap IX. num. 5. *Resp.* non negamus iteratas nuptias quandoque incommodorum quorumdam secum trahere congeriem, cumprimis si ex priore matrimonio superstites sint liberi; sed ea nec sunt perpetua, cum experientiæ testimonio comprobatum sit, secunda vota esse quandoque satis quieta & felicia, nec efficiunt, ut ipsa nuptiarum iteratio propterea censeri debeat lege divina prohibita, cum de priore etiam matrimonio apostolus pronunciet 1. Cor. VII. 28. *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi.* Alia quæstio est, quid liceat? alia

vero,

vero, quid expediat? 1 Cor. VI. 13. X. 23. III). *Iteratæ nuptiæ habent speciem adulterii.* Tertullianus de monog. c. X. p. 576. *Vidua denuo nubens alium* (maritum) *habebit in spiritu*, (prædefunctum scilicet) *alium in carne*, (cui a morte prioris nupsit) *Hoc erit adulterium unius fœminæ in duos viros conscientia, si alter a carne disjunctus est, sed in corde remanet, illic ubi etiam cogitatus sine carnis congressu & adulterium ante perficit ex concupiscentia & matrimonium ex voluntate. Usque adhuc maritus est illud ipsum possidens, per quod & factus est, id est, animum, in quo si & alius habitabit, hoc erit crimen. Ceterum non est exclusus, si a viliore commercio carnis decesserit. Honoratior maritus est,* [defunctus] *quanto mundior factus est.* Resp. negamus defunctum esse adhuc conjugis superstitis maritum, cum per mortem conjugale vinculum dissolvi, & a lege, qua marito fuit obligata, superstitem liberari apostolus disertis verbis testetur Rom. VII. 2. 1 Cor. VII. 39. Sola ac nuda adfectio efficit, ut inter maritum defunctum & viduam superstitem conjugale vinculum adhuc sit firmum, alias omnes, quibus amica & familiaris adfectio intercedit, essent invicem conjuges. Deducimus autem Tertulliani ratiocinationem ad absurdum. Iteratæ nuptiæ habent speciem adulterii. Iteratæ nuptiæ conceduntur ab apostolo 1 Tim. V. 14. Ergo species quædam adulterii ab apostolo conceditur, quod statuere perquam absurdum.

3.) *Ex secundarum nuptiarum conditione.*

4.) *A minori ad majus illatione.*

IV.) *Si repudiata a viro non potest denuo nubere, multo minus a mortuo relicta.* Tertullianus d. l. *Resp.* est ratio maxime dispar inter eam, quæ temere ac sine sufficientibus causis est repudiata, & eam, quæ a mortuo relicta. Illam enim non esse a conjugali vinculo liberatam, docent Christus Matth. V. 32. & apostolus 1 Cor. VII. 11. hanc vero a conjugii prioris lege per mortem mariti liberari ibidem expressis verbis docetur 1. Cor. VII. 39. Deinde distinguendum inter separationem temerariam & ex sufficiente causa, propter adulterium scilicet factam. Ob priorem non licet alteri parti transire ad secunda vota, sed ob posteriorem illud licet, & per consequens multo magis id licebit ob separationem per mortem factam. Reliquæ Hieronymi & Tertulliani rationes ita comparatæ sunt, ut non solum secundis, sed etiam primis nuptiis adversentur. Vide Tarnovium lib. I. de conjug. c. XXVIII. & seqq.

§. CXCVIII. Antequam vero a polygamia *successiva* [quam ita vocant] ad *simultaneam* transitum faciamus, explicandæ sunt duæ quæstiones: I.) *An viduis intra annum luctus liceat ad secunda vota transire? Iure civili* vidua intra annum luctus nubens *infamia* notatur l. *liberorum de his qui not. infamia. l.* 2. *C. de secund. nupt.* cujus rei duas proferunt rationes: primo, ne fiat *sanguinis turbatio*, sive *seminis confusio;* quia per ἀώρους καὶ πρωίμους præmaturas illas & festinatas viduæ nuptias [ut imperatores eas vocant *l.* 1. *C. de secund. nupt.* Novell. 22. & Nov. 39.] occasio exhiberi potest, ut filius prioris mariti posteriori, vel e contra posterioris priori supponatur, sicque verus & legitimus heres paterna hereditate fraudetur, succedat autem falsus & adulterinus heres in ea bona, quæ alteri jure naturæ & gentium debentur; secundo, ne quid contra *publicam honestatem* agatur, quia uxor debet marito amorem & reverentiam, quod si ergo statim ad secundas nuptias transvolet, prioris mariti amorem & memoriam ex animo statim ejecisse videbitur. Harmenopulus lib. IV. c. 6. διὰ τὸ μὴ σύγχυσιν γίνεσθαι τῆς γονῆς καὶ διὰ τὴν ὀφειλομένην ἀιδῶ καὶ τιμὴν τῷ ἀνδρὶ. Nec solum ipsa *fœmina* intra annum luctus nubens, sed etiam *vir*, qui sciens eam duxit, & *pater*, qui talibus filii nuptiis consensit, ac pater mulie-

Quæstiones de secundis nuptiis.

I.) *An viduis intra annum luctus liceat ad secunda vota transire?*

lieris, qui iisdem consensit, infames fiunt *l. 8. & seqq. de his qui not. inf.*. Quod viduos adtinet, illos lege non cogi dicunt, ut uxores lugeant, ideoque illis statim licere ad aliud matrimonium transire, quod nulla seminis confusio sit metuenda. Harmenopulus lib. IV. tit. VII. l. 9. de his qui not. infam. Quod ad prius adtinet, jure ac merito illud tempus luctus a viduabus observari jubetur ob causas adsignatas, quibus etiam aliæ possunt adjici, utpote quod ipsæ etiam bestiæ post conceptionem a congressu abstineant; quod præproperæ nuptiæ a suspicione stupri, aut veneficii raro absint; quod posteriori marito probari nequeat, quæ prioris memoriam tam cito deposuit; quod legibus & moribus omnium fere gentium præcoces illæ nuptiæ improbentur, ut constat ex Guilielmi Lamberti archæonomia, in qua recenset inter cætera legem *Canuti*, Daniæ regis, ante quingentos annos Danis latam. *Mulieres viduæ bis senos menses exigunto, ac tum demum, cui velint, nubant. Sin quæ ante annum nupserit, dote mulctetur, fortunis omnibus a priore marito relictis privetur, eaque omnia cognatione proximus habeto &c. Romani* veteres decem menses luctus uxori constituerunt. Plutarchus in Numa. *Mulieres a morte maritorum decem menses viduæ permanebant. Quod si quæ intra decimum mensem nupsisset, eam leges Numæ vaccam prægnantem immolare jubebant.* Hisce demum mensibus, qui extremum nascendi tempus determinant *l. Gallos de lib. & posthum.* Valentinianus ac Theodosius duos adjecerunt, sicque annum integrum luctui a fœmina tribui voluerunt *l. 2. C. de secund. nupt.* cujus adjectionis rationem tradit Cypræus de sponsa. c. XIII. §. 91. n. 3. Apuleius lib. VIII. aliam addit rationem, quod *per immaturitatem nuptiarum manes acerbi mariti justa indignatione suscitentur.*

§. CXCIX. *Iure canonico* hæc imperatoria constitutio est abrogata, & viduæ potestas data etiam intra annum luctus nubendi. *cap.* Ephemium 2. q. 3. *Non fiunt infames lege canonum omnes, quos leges seculi infames pronuntiant, quod de ea fateri cogimur, quæ intra tempus luctus nubit, cum matrimonia hodie regantur jure poli, non jure fori, & jure poli mortuo viro mulier soluta est a lege viri, nubat cui vult.* Urbanus III. ad episcopum Exonens. & habetur *cap.* super illa extr. de secund. nupt. *Cum apostolus dicat, mulier viro suo mortuo soluta est a lege viri sui, in Domino nubat, cui voluerit, per licentiam & auctoritatem apostoli ejus infamia aboletur.* Idem repetit Innocentius III. cap. *Cum secundum* tit. eod. vide Covarruviam part. II. de matrim. cap. III. §. ult. Alphonsum de Castr. adv. hæres. in verb. Nuptiæ. Sed hanc juris canonici dispositionem adprobare non possumus, cum repugnet *honestati publicæ, & introducat sanguinis confusionem ac prolis incertitudinem, quin & maleficii suspicionem* confirmet. Neque in apostoli verbis 1. Cor. VII. 39. paratum illi præsidium, quia 1.) libertas matrimonii ex morte prioris mariti orta non tollit leges & honestatem, alias vidua posset etiam illis nubere, qui consanguinitate proxima eam adtingunt. Atqui illud demum nos posse judicemus, quod honeste & juste possumus. 2.) Non tam de *tempore nubendi*, quam de *persona, cui* nubere possit, apostolus agit, neque enim dicit, ὁπότε θέλῃ, *quando voluerit*, sed ᾧ θέλῃ, *cui voluerit.* Quod si illa ipsa indeterminata libertas nubendi, cui velit, necessario ita restringenda est, ut non pugnet cum legibus de prohibitione graduum, utique etiam libertas ratione temporis ex honestate & æquis rationibus determinanda. 3.) Diserte addit apostolus, *nubat, cui velit, in Domino*, quæ pericope etiam hoc complectitur, ut in vero Dei timore novum illud matrimonium contrahatur, neque quidquam contra honestatem Deo gratam & hominibus probatam suscipiatur. Jam vero nuptiæ intra annum luctus a viduæ contractæ arguunt levitatem, procacitatem, libidinis intemperi-

em

em &c. 4.) Idem apostolus Rom. XIII. 1. subditos esse jubet christianos magistratui honesta præcipienti, quod & Petrus 1. epist. II. 13. repetit, jam vero statutum magistratus prohibens intra annum luctus viduas nubere, nititur honestis & justis rationibus. Idem apostolus Paulus Phil. IV. 8. requirit, ut sectemur quæcunque σεμνὰ καὶ εὐφημα: at tales nuptiæ infamia laborant; ut προνοῶμεν καλὰ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων, Rom. XII. 17. quod Lutherus vertit, *befleissiget euch der Erbarkeit*, atqui tales nuptiæ non sunt καλαὶ. §.) Si ob *libertatem* matrimonii ab apostolo sancitam viduæ non sunt intra annum luctus a conjugio arcendæ, cur totum ecclesiasticum ordinem penitus a matrimonio arcent? cur ob cognationem spiritualem matrimonium impediri statuunt? cur in secundas nuptias benedictionem illis denegando sunt injurii? cur tot gradus prohibitos introducunt? &c. Quod si in hisce ac similibus juris canonici statutis nullam libertati matrimonii remoram injici existimant, eccur de prohibitione juris civilis rationibus æquissimis fundata illud adserunt?

§. CC. Quod ad posterius adtinet, etiam *viduos* a morte prioris conjugis a novo matrimonio tempore luctus annui, vel certe semestris, abstinere æquum censemus. Quamvis enim expressa aliqua lege divina, vel civili, ad id forte non obligentur; quamvis etiam prior ratio, turbatio scilicet sanguinis in viris esset, tamen posterior ratio, publica scilicet honestas, in illis locum habet. Neque enim maritali & sincero amore vir eam videtur amplexus, cujus memoriam statim a morte ipsius deponit, nec absque publico scandalo in rogo prioris conjugis novæ maritales faces accendentur. Inter mortem Saræ & secundas Abrahæ nuptias intervallum aliquod temporis fuisse interjectum, Mosaica descriptio ostendit. Quamvis igitur juris infamia non laborent, qui post primæ conjugis obitum ad secunda vota properant, sicut Seneca epist. LXIII. dicit, *viris certum lugendi tempus non præfinitum, quia nullum honestum*: a facti tamen infamia & levitatis atque incontinentiæ suspicione vix possunt esse liberi. Inhumanum est, *iisdem oculis funera suorum, quibus ipsos videre, memoriam eorum cum corporibus efferre, nec commoveri ad primam familiarium divisionem*, inquit idem Seneca, jam vero ille luctus vel maxime continentia a novo matrimonio declaratur.

§. CCI. Quæstio II.) *An probandum sit testamentum mariti, quo uxor a secundis nuptiis arcetur?* Ex superioribus cuivis manifestum est, prohibitionem secundarum nuptiarum pugnare cum libertate matrimonii divinitus concessa, ergo etiam non potest talis prohibitio conscientiam superstitis personæ obligare. Per mortem liberatur mulier *a lege viri* Rom. VII. 2. ergo maritus non potest ei perpetuæ viduitatis legem ponere, quippe quæ non amplius est in ipsius potestate. Quod si tamen certum aliquod legatum cum hac conditione, si a secundis nuptiis abstineat, in testamento ipsi deferat, legati illius beneficium amittere a quibusdam judicatur, si ad secunda vota transeat. Nov. XXII. cap. XLIII. *Lex, quæ vocatur Julia Miscella, lex antiqua, lex vetusta, filiorum procreationis præponens studium permittebat mulieribus, licet vir prohiberet, & aliquid ob hoc relinqueret, quatenus non ad secundas veniret nuptias; tamen & ad virum venire & jurare, quia filiorum causa hoc ageret, & quod relictum erat, acciperet, & hanc quidem in annum dabat licentiam, eo autem transeunte si vellet accipere relictum, non aliter licebat hoc mulieri accipere, antequam cautionem exponeret, quod ad secundas nuptias non veniret.* Sed Justinianus hoc abrogavit ob rationes ibidem additas, & cap. XLIV. hanc constitutionem protulit: *Sancimus, si quis prohibuerit uxorem ad aliud venire matrimonium, sive etiam uxor maritum*, [idem *namque est utrinque*] &

II.) *An probandum testamentum, quo uxor a secundis nuptiis arcetur?*

& pro hoc aliquid reliquerit, unam ex duabus conditionem habere contrahentium alterum, aut ad nuptias venire & abrenunciare præceptioni, aut si hoc noluerit, sed honorat defunctum, omnino abstinere de cetero nuptiis. l. Ambiguitates 2. C. de invicta viduit. tollend. *licere mulieribus etiam maritorum suorum interminatione spreta, quæ viduitatem eis indicit & non dato sacramento procreandæ sobolis gratia tantum ad secundas migrare nuptias & ea percipere, quæ maritus reliquit.*

ARTICVLVS II.

DE POLYGAMIA SIMVLTANEA.

§. CCII.

Atque hæc dicta sint de polygamia improprie sic dicta, *successiva* scilicet, restat, ut ad polygamiam proprie sic dictam, *simultaneam*, accedamus. Bellarminus de matrimonio cap. X. de hac polygamia tractaturus statim ab initio scribit, *nostro tempore Martinum Lutherum ut alios errores innumerabiles, ita etiam hunc errorem, quod duas simul conjuges in christianismo habere liceat, ab inferis revocare conatum fuisse;* quod ut probet, tria ex Luthero adducit loca: 1.) Ex propositionibus de bigamia episcoporum editis anno 1528. prop. 65. & 66. *Nota sunt jura Mosaica de fratris defuncti uxore & de filia corrupta invito patre, quæ cogunt plurium esse uxorum virum, quæ non magis sunt abrogata, quam reliqua omnia, id est, libera, nec prohibita, nec præcepta.* 2.) Ex iisdem propositionibus th. 62. & seqq. ubi dicit, *apud ethnicos fortasse scandalum fore, si christianus plures uxores habeat, tamen inter Judæos non esse scandalum, & ideo non posse ostendi, id esse illicitum.* Ex quo Bellarminus colligit, *quia in tota Europa & Africa vix ulli sunt cum christianis ethnici, sed tantum Judæi & Mahumetani, quibus uxorum multitudinem pseudopropheta concessit, secundum Lutheri sententiam licitum fore in his omnibus regionibus uxores multas ducere.* 3.) Ex comment. in Gen. XVI. anno 1525. edito, ubi non obiter, sed ex professo disputat, *utrum christianis liceat exemplo Abrahæ plures simul uxores habere?* ac tandem respondet, *id esse neque præceptum, neque prohibitum, sed liberum, & se quidem nolle hanc novam consuetudinem introducere, sed nec improbare posse, cum exempla patrum adhuc sunt libera.* Pistorius in Luthero septicipite idem repetit & addit, *Lutherum consensisse in polygamiam simultaneam alicujus principis Augustanæ confessioni addicti* (*), cui responderunt theologi Wirtenbergenses & Hassia-

De polygamia simultanea.

An Lutherus eam adprobaverit?

(*) Provocant Romanenses cumprimis ad bigamiam PHILIPPI, Hassiæ Landgravii, satis notam, contenduntque, eandem a b. LVTHERO nostro laudatiss. principi, posthabita lege divina, permissam fuisse. Atque hanc ipsam objectionem, post VARILLASIVM, BOSSVETVM, GASTINEAV, ARNALDVM, aliosque, nostro hocce ævo cumprimis urget FRANCISCVS SEEDORFIVS, societatis Jesu quondam sacerdos, isque doctissimus, qui anno *MDCCXLVIII.* gallico non tantum, sed & germanico sermone edidit: *Sendschreiben über die strittige Glaubensfragen, worinnen die vornehmsten Beweguʃachen enthalten, kraft deren der Fürst Friederich, Pfalzgraf bei Rhein entschlossen, mit der römischen Kirche sich wieder zu vereinigen*, Manhemii in 8. Verum ex actis huc pertinentibus atque a b. BACMEISTERO nostro anno *MDCCXIX.* evulgatis luculenter patet, b. LVTHERVM bigamiam Hassiæ Landgravii suo calculo neutiquam adprobasse, sed id duntaxat huic principi suasisse, ut si

Haſſiaci in ſcriptis Germanicis anno 1596. Tubingæ, & anno 1597. Francofurti editis. Ungersdorffius ψευδονυμος in gratulatione ad Auſtriacos p. 91. ſcribit, *Lutherum docuiſſe, licere evangelicis plures ſimul uxores, adeoque etiam duas ſorores ſimul in conjugio habere*, quod probare conatur ex lib. de adorat. ſacramenti tom. II. Jen. p. 220. ubi dicit: *Si conjugium patriarchis in officio docendi non fuit impedimento, utique nec nobis impedimento eſſe poterit;* ex quo colligit Ungersdorffius: *Si Jacobo patriarchæ nullum ex eo in pietate & docendi munere objectum fuit impedimentum, quod quatuor uxores & inter has duas ſorores in conjugio habuit, ergo ex Lutheri ſententia evangelicis concionatoribus & chriſtianis idem nullum impedimentum adferet.* Maxim. Sandæus, Jeſuita Herbipolenſis, in themate ſeculari de ſecta proteſtantium deſerenda th. 132. itidem Luthero tribuit, quod polygamiam adprobarit, & adducit ad fidem calumniæ faciendam locum ex comm. in Gen. cap. XVI. ſubjungens: *Et permiſit ſane Lutherus ſuæ ſectæ principi duas uxores ducere, conditione tamen addita, ut prior duntaxat heredes & ſucceſſores in principatu gigneret.*

§. CCIII. Hiſce Lutheromaſtigibus reſpondemus I.) *in genere*: 1.) Quod Auguſtinus lib. II. contra Creſconium c. XXXII. de Cypriano inſigni eccleſiæ doctore & martyre ſcribit, id ipſum de Luthero dicimus: *Nos Lutheri literas non ut canonicas habemus, ſed ex canonicis conſideramus, & quod in eis divinarum ſcripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipimus, quod non congruit, cum pace ejus reſpuimus.* Neque enim eodem loco habemus Lutheri ſcripta, quo propheticos & apoſtolicos libros, qui regulam fidei continent; ſed de illis ex regula fidei in propheticis & apoſtolicis ſcriptis propoſita judicamus, id quod Luthero non ſolum conſentiente, ſed etiam jubente ac mandante facimus, quia in præfatione tom. I. operum German. ſic ſcribit. *Wir müſſen die Propheten und Apoſtel laſſen auf den Pult ſitzen, und wir hiernieden zu ihren Füſſen hören, was ſie ſagen, und nicht ſagen, was ſie hören müſſen.* 2.) Lutherus in aliis ſcriptis mentem ſuam clarius expoſuit, quod neutiquam polygamiæ cuiquam auctor eſſe velit, ac Chriſti in nov. teſt. ordinationem mutare. 3.) Diſtinguendum igitur inter Lutheri ſcripta priora & poſteriora. De illis ipſemet ſic judicat in præfat. tom. I. latin. *Ante omnia oro pium lectorem, & ante omnia oro propter ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut iſta legat cum judicio, imo cum multa miſeratione.* 4.) Diſpiciat Bellarminus, quomodo pontifices illos a polygamiæ adprobatione excuſare poſſit, qui ob infidelitatem legitima conjugia ſeparârunt, & ſeparatis aliarum nuptiarum poteſtatem dederunt? Item quomodo decretum Gregorii III. cap. *Quod propoſuiſti* 32. q. 7. tom. II. concil. p. 441. commode interpretari velit, ne polygamiam introducat? *Quod propoſuiſti*, inquit, *ſi mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? bonum eſſet, ſi ſic permaneret, ſed quia hoc magnorum eſt, ille, qui ſe non poterit continere, nubat magis, non ta-*

ſi in iſto perſiſtere vellet propoſito, copulationem clanculum celebraret, ne ſcandalum in vulgus emanaret. Conferenda, quæ in SECKENDORFFII *hiſtoria Lutheranismi libr. III. §. CXIII. p.* 1861. edit. germ. hanc in rem leguntur. Add. ſi placet, ea, quæ nos hac de re adnotavimus in libro ſine nomine noſtro edito, cui titulus: *theologiſche Sendſchreiben an einen vornehmen Herrn von Adel, in welchen die zwiſchen der evangeliſch- und römiſch-catholiſchen Kirche obſchwebende Religions-Streitigkeiten unterſucht und zugleich des Hrn Pater Seedorffs herausgegebene Sendſchreiben unpartheyiſch geprüft werden, p. 224. ſeqq.* Prodierunt iſtæ epiſtolæ Francofurti & Lipſ. ann. MDCCL. in 8.

tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit, qua de re infra plenius. 5.) Sed & Cajetano suo Bellarminus caveat, qui in comm. in nov. test. f. 196. hæc pronunciata defendit: *Jure divino non fuit prohibita uxorum pluralitas. Multi in primitiva ecclesia habebant duas uxores imitantes patres vet. test. Jure naturæ pluralitas uxorum non est prohibita.*

§. CCIV. II.) *In specie* 1.) Lutheri scopus est demonstrare, quod bigamia non simultanea, sed *successiva* ministris ecclesiæ sit licita, quod si ergo ex quæstione & scopo judicium facere velimus de probatione & argumentis, utique verba Lutheri potius accipienda erunt de bigamia *successiva*, quam *simultanea*. 2.) Si vel maxime ad *simultaneam* polygamiam verba Lutheri aliquis referre velit, notandum tamen erit, quod Lutherus disputet προβληματικῶς & ὑποθετικῶς, præsupponit enim leges Mosaicas de ducenda fratria & constuprata etiam ad eos pertinere, qui in legitimo conjugio jamdum vivebant, sed postea ipse addit ἐπιλυσιν quamdam, prop. 67. *nisi permissam illam pluralitatem uxorum prohiberi dixeris, quæ ex repudio venit etiam a Christo revocatam & damnatam.* 3.) Non pronunciat absolute & simpliciter, christianis esse concessam polygamiam, sed inter *Judæos*, qui Mosaicis legibus eam non solum permissam, sed etiam in certis casibus mandatam arbitrantur, absque scandalo eam locum habituram ex hypothesi modo expositæ pronunciat. 4.) In comm. Gen. XVI. pag. 102. de Abrahæ polygamia disputat, eamque excusat, interim disertis verbis addit, *si quæratur, quomodo Abrahæ factum defendi possit, ut ipse interim maneat christianus?* simplicissime responderi, *polygamiam in evangelio esse sublatam verbis Christi* Matth. XIX. *In principio non erat sic;* & apostoli Pauli 1 Cor. VII. *Quilibet habeat uxorem suam & quælibet maritum suum.* Postea ab hypothesi, a facto scilicet Abrahæ descendit ad thesin, & repudium a Christo & apostolo in nov. test. sublatum ad evitandum majus malum concedere videtur: *Wo nicht Christen, sondern heydnische Leute sind, wollte ich noch, daß man dem Gesetz nachthäte vom Scheiden, daß einer ein Weib möchte von sich thun und eine andere nehmen*; sed diserte addit, *aber dabey müßte man ihnen sagen, daß sie nimmer Christen wären, sondern im heydnischen Regiment, bist du aber ein Christ, must du dich nicht scheiden.* De polygamia ibidem subjungit, *se quidem eam non posse adhuc hodie prohibere*; interim tamen addit, *se nolle cuiquam ejus auctorem esse*, ac tandem concludit, *hæc omnia eo pertinere, ut de solido responso Manichæorum calumniis, quibus patriarcharum facta infectantur, opponendo mature cogitemus.* 5.) In lib. de adorat. sacram. nihil aliud dicit, quam conjugium *in se* ac *per se* non adferre pietati aliquod impedimentum, id quod ex conjugio sanctorum vet. test. probat, sed ex eo inferri non potest, nec debet, quod polygamiam & quidem talem, in qua Jacobus patriarcha cum duabus sororibus vixit, in nov. test. concessam esse judicarit, quia a re ipsa indeterminate accepta ad determinatum ac certum rei modum non potest legitime procedi.

An tempore nov. test. licita sit?

§. CCV. Hac sepia in b. Lutherum effusa de *simultanea* polygamia Bellarminus porro ita differit, ut distinguat inter tempus vet. ac nov. testamenti. Tempore nov. test. inter christianos polygamiam illicitam ac damnatam esse statuit, lib. de matrim. cap. X. idque probat 1.) Ex Matth. XIX. ubi Christus nos revocat ad *primam conjugii institutionem*, quæ polygamiam excludit. 2.) Ex Matth. V. 32. Marc. X. ac Luc. XVI. ubi is, qui *dimissa uxore aliam duxerit, moechari dicitur*, quia scilicet prior non potest legitime dimitti. 3.) Ex 1 Cor. VII. ubi apostolus de uxore loquitur in *singulari*, ac prohibet, ne vivente marito

rito alteri nubat. 4.) Ex *jure naturæ* & ratione matrimonii. §.) Ex *ecclesiæ consuetudine*. Tempore autem veteris testamenti ante Christi adventum ex *divina dispensatione* licuisse plures uxores ducere arbitratur. c. XI. Quod prius adtinet, in eo Bellarminus nostros omnes habet ὁμοψήφους, sed de posteriore non est omnium theologorum eadem sententia, quæ tamen sententiarum diversitas cum non concernat aliquem fidei articulum, non est magni æstimanda, vel odiose urgenda.

§. CCVI. Illicitam igitur ac damnatam esse polygamiam in novo præsertim testamento contra *Anabaptistas* (*), *Turcas* (**) & eorum fautorem, *Bernhardum Ochinum* (***), plenius proba-

Negativa probatur.
I.) *Ex conjugii institutione.*

(*) Paucis notamus, GERHARDVM heic non loqui de Anabaptistis *recentioribus* a MENNONE SIMONIS, Frisio, pontificio antea sacerdote, qui postea ad Anabaptistas transiit eorumque cœtum emendavit, maxime derivandis, unde *Mennonistarum* nomen acceperunt; sed digitum potius intendere ad Anabaptistas *antiquiores*, qui seculo XVI. ex Batavia in Germaniam veniebant, atque, somnio illo, quod ipsos agitabat, de cœlesti Hierosolyma *Monasterii* erigenda, penitus corrupti, amoto magistratu Monasteriensi, imperium urbis capesserunt, turpissimasque ibidem exercebant libidines. Eorum dux & legislator erat JOANNES BOKOLDVS, sartor olim Lugdunensis, qui vero deinceps Monasterii regis personam induit, atque *Jo. Leidensis* fuit nuncupatus. Constat eundem inter alia docuisse, *virum non esse devinctum uni conjugi, at licere, quantumvis multas in matrimonium ducere.* Ipse quoque uno eodemque tempore ternas duxisse dicitur uxores, cujus exemplum alii certatim sunt secuti, ita quidem, ut etiam in laude posuerint frequentem matrimonii repetitionem, prout refert IO. SLEIDANVS *libr. X. commentar. de statu relig. & reipubl. p. m.* 252.

(**) Turcis MVHAMMEDEM, prophetam eorum, liberum polygamiæ exercitium concessisse, inter omnes constat. Nec tamen, quod probe notandum, illimitata est ista apud Turcas nubendi potestas, sed limitata, ut quis non plures, quam ad summum quatuor ducere possit uxores ingenuas, tot vero ancillas in matrimonii societatem admittere queat, quot quis, pro facultatum suarum ratione alere potest, prout in dissertat. nostra *de religione Muhamedica* anno MDCCLXI. edita §. XIV. p. 53. ex Alkorano comprobavimus. MVHAMMEDI tamen, si ejusdem adsecias audiamus, indeterminata uxorum multitudo, tanquam peculiaris quædam præ aliis hominibus prærogativa a Deo fuit concessa, prout observavit b. BAVMGARTENIVS *in der Geschichte der Religions-Parteyen, sect. II.* §. 152. *p.* 917. *seqq.* Nec prætermittendum heic est, MVHAMMEDEM non tantum *polygamiam simultaneam*, sed & commutationem unius uxoris cum alia uxore in Alkorano *sur. IV.* 18. adseclis suis permisisse. Vid. *diss.* nostram modo *excitatam p.* 53.

(***) BERNH. OCHINVS, quem polygamiæ fautoribus heic accenset GERHARDVS, erat gente Italus, ac Capucinæ familiæ olim præfectus, qui vero a Romanensium cœtu ad protestantes transiit. Edidit præter alia *dialogos XXX. divisos in duos libros, quorum primus est de Messia continetque dialogos XVIII. secundus est cum aliis de rebus variis, tum potissimum de trinitate*, Basil. *MDLXIII.* 8. Qui in hisce dialogis ordine vigesimus primus est, in eo cumprimis de *polygamia* disseruit OCHINVS, eandemque ornandam in se suscepit. Atque hic ipse dialogus in linguam Anglicanam postea fuit conversus ac seperatim typis exscriptus Londini MDCLVII. 12. sub titulo: *a dialogue of polygamie.* Confutavit vero eundem THEODORVS BEZA, ecclesiæ Reformatæ olim theologus isque percelebris, edito tractatu *de polygamia, in quo & Ochini apostatae pro polygamia, & Montanistarum ac aliorum adversus repetitas nuptias argumenta refutantur* &c. Prodiit hicce liber Genevæ *MDXCI.* posteaque fuit recusus anno *MDCI.* 4. *Bezae* vestigia heic pressit GERHARDVS noster, quem alii postea sunt insecuti. Non defuerunt tamen, qui de Ochini in hocce argumento sententia in mitiorem partem pronunciarunt, ac si duntaxat de casu necessitatis, si

bamus sequentibus fundamentis. I.) Ex pugnat cum prima conjugii institutione, il-
primæva conjugii institutione. Quidquid lud inter christianos tolerari nec potest, nec debet.

quis ex. grat. uxorem nactus sit sterilem, vel valetudinariam, vel frigidam, nec continentiæ dono polleat, fuerit locutus. Lectu digna sunt, quæ hanc in rem scripsit STRVVIVS in *observat. Hallens. tom. V. obs. I. §. XVI. seqq.* Cæterum de vita & fatis Ochini uberius commentati sunt ZACH. BOVERIVS in *annalib. Capucinorum*, atque ex iis auctor libri: *la guerre Seraphique, ou histoire des perils qu'a couru la barbe des Capucins livr. II. p.* 147. *livr. III. p.* 192. 230. *seqq.* CHRISTOPH. SANDIVS in *biblioth. antitrinitar. p.* 4. *seqq.* inprimis PETR. BÆLIVS in *diction. histor. & crit. tom. III. voc. Ochin. p.* 520. edit. noviss. NICERONIVS in *memoires pour servir à l'histoire des hommes illustres, tom. XIX. p.* 166. itemque ex nostris CHRIST. EBERH. WEISMANNVS in *introduct. in memorabilia ecclesiastica hist. sacr. novi testam. tom. II. p.* 528. *seqq.* edit. secundæ.

Fuerunt vero post Ochinum alii quoque inter christianos, qui polygamiæ defensionem in se susceperunt, ex quibus JO. LYSERVS, rector olim scholæ Portensis, LAVRENTIVS BEGERVS, bibliothecæ electoris Palatini, Caroli Ludovici, quondam præfectus, & SAMVEL FRID. WILLENBERGIVS, professor gymnasii Gedanensis, cumprimis heic nominandi sunt.

De LYSERO ut dicendi faciamus initium, is a comite de *Koenigsmarck*, conjugis suæ, dominæ de *Wrangel* pertæso, ad polygamiam defendendam invitatus, nonnulla de hocce argumento scripta, sub variis nominibus fictis in lucem publicam emisit. Mox enim *Theophili Alethaei* nomen adsumsit, mox vero sub *Vincentii Athanasii*, mox sub *Gottlieb Wahremundi*, vel alio nomine ficto latitare voluit. Vid. PLACCII *theatrum pseudonymorum* num. 97. 277. & 2867. Primum ejus scriptum lingua vernacula prodiit sub titulo: *Kurzes Gespräche von der Polygamie MDCLXXI.* quem dialogum BALTHASAR MENZERVS denuo recudi curavit, atque ad istum refellendum adnotationes adjecit. Inscriptio libri hæc est: *Kurzes Bedenken über eines von sich selbst also genanten Sinceri Wahrenbergs kurzes Gespräch von der Polygamie*, Francof. MDCLXXII. 4. De hocce scripto ejusdemque historia nonnulla adnotarunt PLACCIVS *loc. supra cit. p.* 613. FREYTAGIVS in *analect. litterar. de libris rarioribus p.* 1071. atque inprimis CLVGIVS in *diatrib. de scriptis Jo. Lyseri p.* 3. *seqq.* Prætermittimus reliqua hujus viri scripta germanico sermone edita, atque ad hoc argumentum pertinentia, quæ more suo adcurate recensuit JO. GEORG. WALCHIVS, ΝΥΝ ΕΥ ΑΓΙΟΙΣ, in *biblioth. theolog. selecta, tom. VI. p.* 1150, 1151. Id potius paucis heic commemoramus, libros istos, quibus caussam suam ornare conatus est LYSERVS, passim a viris eruditis solide fuisse confutatos, luculenterque ostensum, auctorem non tantum absurde, sed etiam impie turpiterque orthodoxam ecclesiæ christianæ de monogamia sententiam impugnasse. Inter eos, qui hoc fecerunt, eminet JO. MVSÆVS, theologus quondam Jenensis præstantissimus, qui peculiarem dissertationem *de quaestione controversa: an conjugium, primaeva ejus institutione salva, inter plures, quam duos esse possit? qua cumprimis loca Matth. XIX. 9. 1 Cor. VII. 4. a commentis Theophili Alethaei vindicantur*, Jenæ MDCLXXVI. Musæo ad latus ponimus theologum Vitenbergensem, ABRAH. CALOVIVM, qui eodem anno disputationem *de polygamia* Lysero oppositi, itemque GERHARD. FELTMANNVM, qui librum de *polygamia* Bremæ MDCLXXVI. 8. & germanice Jen. MDCLXXVII. 8. luci publicæ exposuit, nec non SEVERINVM WALTHERVM SCHLVTERVM, cujus exstant *theologische Gedanken von der Polygamia, oder Vielweiberey*, Rostoch. MDCLXXVII. 8. Edidit quoque JO. DIECMANNVS, ecclesiarum per ducatus Bremensem ac Verdensem superintendens generalis, isque doctissimus, *Vindicias legis monogamicae*, Lysero oppositas Stad. MDCLXXVIII. 4. & subsequenti anno contra eundem in aciem processit IO. BRVNSMANNVS, theologus Danus, qui *monogamiam victricem; seu orthodoxam ecclesiae christianae sententiam de unis duntaxat eodem tempore concessis christiano nuptiis, a criminationibus vindicatam quibusvis*, Francofurti MDCLXXIX. 8.

luci

debet. Polygamia repugnat primæ conju- poteſt eſſe dubitatio, quia inſtitutio conjugii inſtitutioni. Ergo. De *majore* nulla gii leges ejusdem complectitur, ac Chriſtus teme-

luci expoſuit publicæ. Nec prætermittendus heic eſt auctor anonymus libri, germanico ſermone editi, cui index: *die göttliche Ordnung des heiligen Ehſtands zwiſchen einem Männlein und Fräulein, gegen die Unfläter der heutigen Vielweibernehmer, oder polygamiſten*, qui Helmſtadii MDCLXXVII. 4. typis fuit exſcriptus. — Quum vero LYSERVS perſpiceret, ſe tot ſcriptis ubique fere oppugnari, cauſſam ſuam denuo perorandam eſſe cenſuit, inque lucem publicam emiſit librum hac inſcriptione inſignitum: *polygamia triumphatrix, id eſt, diſcurſus politicus de polygamia, auctore Theophilo Alethaeo, cum notis Athanaſii Vincentii, omnibus antipolygamis ubique locorum, terrarum, inſularum, pagorum, urbium modeſte & pie oppoſita.* Londini Scanorum, ſeu potius Amſtelodami *MDCLXXXII.* 4. *Diſcurſus politicus*, quem auctor heic exhibet, jam antea ſub nomine *Alethophili Germani*, ſub quo autem LYSERVS latebat, germanico ſermone erat divulgatus, poſtea vero a *Friderico Geſenio*, adſcito *Chriſtiani Vigilis* nomine latine redditus, atque hujus *epiſtolae ad Wahrenbergium* ſubnexus, hacque inſcriptione inſtructus typis exſcriptus: *diſcurſus inter polygamum & monogamum de polygamia, auctore* ALETHOPHILO *Germano* &c. Prima ejus editio prodiit Friburgi MDCLXXIV. ſecunda auctior eodem loco MDCLXXVII. 8. Atque hunc ipſum *diſcurſum* acceſſionibus tamen locupletatum complectitur LYSERI *polygamia triumphatrix*, quam modo commemoravimus, ita tamen, ut notas ſubjecerit LYSERVS ſub ficto nomine *Athanaſii Vincentii* latitans, in quibus ſubinde in adverſarios ſuos invectus eſt. Recenſetur hicce liber, in PETR. BAELII *nouvelles de la republique des lettres MDCLXXXV. p.* 351. BAVMGARTENII *Nachrichten von merkwürdigen Büchern, volum. V. p.* 496. itemque LILIENTHALII *theologiſchen Bibliothek, tom. I. p.* 1016. & CLEMENT *bibliotheque curieuſe, hiſtorique & critique, tom. I. p.* 171. JO. FABRICIVS, theologus quondam Helmſtadienſis, ſummam hujus ſcripti, ſcopumque auctoris paucis hiſce verbis expreſſit: „ejus σκοπος hoc eſt, ut po-

„lygamiam, ſive libertatem plures ſimul „habendi uxores, tanquam rem maxime „naturalem, divinam atque catholicam „commendet, immo viam vitæ prædi„cet, quam qui probent, verè ſint illu„minati. Atque ut eam facilius perſua„dere poſſit, in præfatione id agit, ut „libertatem, tanquam maximum inter „humana bonum, multis laudibus effe„rat, eamque potiſſimum in polygamia „ait conſiſtere, nullum autem pejus ac „deteſtabilius ſervitutis genus eſſe, quam „ſervitutem domeſticam, quæ cum con„jugio unius uxoris perpetuo conjuncta „ſit.„ Vid. *bibliothec. Fabricianam part. IV. num. CLXXIII. p.* 489. *ſeqq.* Quod reſtat, paucis adhuc notamus, LYSERVM libro ſuo, quem & germanice ſub tit. *das königliche Mark aller Länder*, in lucem exire juſſit, nemini magis, quam ſibimet nocuiſſe. Siquidem non tantum ejusdem liber, publico edicto in Dania ſub CHRISTIANO V. fuit prohibitus, quin & Holmiæ A. *MDCLXXIX.* die XV. Julii per carnificem combuſtus, ſed ipſe etiam de officio deturbatus, quin e terris Danicis omnibus proſcriptus, varia peragravit loca miſereque vixit, a fœminis, ut nonnulli referunt, ubique male habitus, omnibusque exoſus, tandem inter Verſalias & Lutetiam in ſumma rerum omnium inopia mortuus eſt, ultimis ejusdem adſiſtente H. G. Maſio, prout in ejusdem epiſtola ad Petr. Allixium exarata memoratur. Vid. *nouvelles de la republique des lettres MDCLXXXV. p.* 370. *ſeqq.* itemque *catalogum bibliothecae theolog. Reimannianae p.* 696. inprimis vero CHR. GOTTLIEB. CLVGII *diatriben de ſcriptis Sſo. Luſeri.* Cæterum adverſariis Luſeri ſupra commemoratis addi meretur JO. MEYERVS, theologus Harderovicenſis, cujus exſtat *uxor chriſtiana, ſive de conjugio inter duos, deque inceſtu & divortiis, diſſertationes tres.* Amſtelod. *MDCLXXXVIII.* 4.

Ordine jam progredimur ad LAVRENTIVM BOEGERVM, aut, ut ipſe poſtea nomen ſcripſit, BEGERVM, primum electoris Palatini, deinde vero Brandenburgici a bibliotheca, gaza, antiquitatibus ac conſiliis, qui variis aliis ſcriptis, iis-

que

temeraria divortia repudiaturus provocat ad ipso ostendens, juxta normam primævæ inconjugii institutionem, Matth. XIX. 4. eo stitutionis causas matrimoniales esse decidendas.

que egregiis, se in orbe erudito reddidit conspicuum. Is, quum bibliothecarii Palatini munere adhuc fungeretur, atque elector Palatinus CAROLVS LVDOVICVS, qui Charlottam, Landgravii Hassiæ Wilhelmi V. filiam, in matrimonio habebat, Degenfeldiam sibi adjungeret, jussus fuit a principe suo, ut polygamiam, seu pluralitatem uxorum defenderet. Hinc in gratiam hujus principis defensorem polygamiæ se præbuit, librumque germanico idiomate scriptum edidit sub titulo: *kurze, doch unpartheyisch und gewissenhafte Betrachtung des in dem Natur- und göttlichen Recht gegründeten Ehstands, in welcher die seither strittige Frage vom Ehbruch, der Ehscheidung und sonderlich von dem vielen Weibernehmen mit allem beyderseits gegebenen Beweisthum dem christlichen Leser vorgestellet werden, MDCLXXIX.* 4. Prodiit hicce liber sub nomine ficto DAPHNÆI ARCVARII; δάφνη enim *laurum* significat, & *arcus* apud germanos *Bogen*; nec quisquam hodie est inter eruditos, qui dubitet, sub hocce nomine Laur. Begerum latitare. Consentiunt quoque in eo viri docti, auctorem hujus opusculi argumentis maxime speciosis & eruditioribus cæteris usum esse, sive ea, quæ ex sacris litteris, sive quæ ex naturali jure, aut Romanis legibus desumta sunt, respicias. Colligunt exinde nonnulli, plures manum huic operi admovisse; quæ & sententia JO. GEORG. KVLPISII est in *collegio Grotiano exercit. IV. §. VI. not.* (*p*) *p.* 46. Notandum tamen, hancce polygamiæ defensionem, utut acutam ac speciosam, ita publice fuisse exceptam, ut auctor sub electoris CAROLI imperio palinodiam canere jussus fuerit, & eam litterarum monumentis commendare, quæ tamen typis non fuit exscripta; prout refertur in *catalogo bibliothecae Reimannianae p.* 696. Plura de hocce libro legi possunt in ANCILLONII *mémoires p.* 436. BAVMGARTENII *Nachrichten von merkwürdigen Büchern, vol. V. p.* 499. CLEMENT *bibliotheque curieuse &c. tom. II. p.* 11. aliosque. Confutatum quoque fuit hoc opusculum a SEVERINO SAMVELE SLVTERO, pastore quondam & superintendente generali Lauenburgensi, qui edidit *Byrrhonii & Orthophili Unterredung von der in den nächsten Jahren unter dem Namen Daphnaei Arcuarii ans Licht gekommene Betrachtung des heiligen Ehestandes*, Francof. MDCLXXX. 8.

Supereſt, ut de tertio polygamiæ defensore, supra a nobis excitato, nimirum SAM. FRID. WILLENBERGIO, JCto Gedanensi, nonnulla subjungamus. Edidit ille *schediasma de finibus polygamiae licitae*, Gedan. MDCCXII. 4. in quo probare conatus est, polygamiam jure divino non esse prohibitam, etsi jure humano recte prohibeatur. Posse vero magistratum, si prægnantes adsint rationes, eandem concedere. Prodierunt vero contra hocce scriptum: *Vindiciae scripturae sacrae a pseudhermenia, quae passim in scriptis patronorum polygamiae, inprimis Jureconsulti Gedanensis, committitur*, Lipsi. MDCCXIII. 4. Auctor harum vindiciarum est JOACHIMVS WEICKMANNVS, senior quondam Dantiscanus; cui vero respondit WILLENBERGIVS in binis opusculis, quorum alterum titulum fert: *praesidia juris divini, quibus tuetur thesin in schediasmate suo de finibus polygamiae licitae*, Francof. ad Viadr. MDCCXIII. 4. alterum vero inscribitur: *iterata praesidia juris divini pro defensione thesium suarum de polygamia simultanea*, Francof. & Lipsi. MDCCXIV. 4. in quibus inprimis WEICKMANNI *justitiam causae in controv. de polygamia* acriter impugnavit. Hanc vero mox defendendam in se suscepit SAMVEL SCHELGVIGIVS, edita *commentatione de polygamia, ab universa Christi ecclesia constanter profligata, adversus Themistium*, id est, Willenbergium, Lipsi. MDCCXIV. 4. Ipse quoque WEICKMANNVS causam suam denuo peroravit in *parte priori apologiae in controversia de polygamia simultanea*, quae Lipsi. MDCCXV. 4. lucem adspexit publicam; cumque WILLENBERGIVS in scriptis germanicis, maxime *in den unpartheyischen Gedanken &c.* Francofurti MDCCXVI. editis, se defenderet, WEICKMANNVS partem posteriorem *apologiae* suæ eidem opposuit, quæ Lipsiæ MDCCXVII. 4 prelo exiit.

Sunt vero & alia scripta, quæ Willenbergio fuerant opposita. Huc pertinet:

LVCII

das. *Minorem* probat textus Mosaicus notanda: 1.) Quod Deus ab initio non *creGen. II. 22.* & seqq. in quibus quatuor sunt *arit* unum masculum & plures fœminas, sed

LVCII VERI, *theologi Romano-catholici, equus effrenis, fallax ad salutem psalm. 32. in stabulo Epicuri enutritus, pluralitati uxorum adhinniens, Sam. Fr. Willenbergius, in auditorio athenaei Gedanensis polygamiae simultaneae propugnator, ex merito castigatus & infrenatus* MDCCXV. Edidit quoque GOTTLIEB WERNSDORFIVS, theologus Vitembergensis, dissertationem peculiarem Willenbergio oppositam lectuque dignissimam, quae inscribitur: *Summa sanae doctrinae de polygamia*, hab. mens. Febr. MDCCXVI. Exstat ea in *volum. I. dissertat. academ. p. 294. seqq.* Plura ut hanc in rem dicamus, vix opus esse videtur, siquidem historiam hujus controversiae copiose atque adcurate enarravit b. JO. GEORG. WALCHIVS *in der Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der evangel. luther. Kirche part. III. p. 105. seqq.* Add. ejusdem *bibliothec. theol. select. tom. II. p. 1154. seqq.*

Sunt vero praeter auctores, quo modo commemoravimus, alii quoque, qui inter polygamiae fautores a nonnullis recenseri solent, velut; HIERONYM. BÄUCKNERVS in *dec. juris matrim. controvers. cap. XIV. §. 61. seqq.* ubi putat in polygamia dispensari posse; itemque auctor libelli, cui titulus: *Kurze Untersuchung einer Schrift, so vor die Chur-Pf. Degenfeldische Bigamie gestellet worden*, cujus brevem recensionem dederunt auctores *der unschuldigen Nachrichten* ad ann. *MDCCXIII. p. 39. seqq.* porro: BRENDELIVS, inspector quondam Thurnavensis, qui libelli germanico idiomate scripti: *Untersuchung der Lehre vom Gewissen*, ann. *MDCCXV.* 4. sine loci mentione impressi, auctor esse dicitur. Vid. rursus *die unschuld. Nachrichten* ad ann. MDCCXVI. *p. 323.* Ut complures alios, maxime recentiores, taceamus.

Historiam polygamiae inde a temporibus Lamechi, qui primus fuit polygamus, ad recentiora usque tempora deductam, in compendio exhibet MICHAEL SIRICIVS, theologus quondam Rostochiensis isque doctissimus, in tractatu, qui inscribitur: *uxor una.* In hujus *cap. I. p. 15. seqq.* ostendere conatur, Lamechum primum fuisse polygamiae auctorem, cujus exemplum alii, ne sanctis quidem exceptis, speciatim *Judaei*, magno numero sint secuti. Pergit deinde *p. 19. seqq.* ad *Muhammedanos*, eosdemque a Judaeis polygamiam accepisse, observat. Hisce subjungit *p. 22. seqq.* illas gentes, apud quas polygamia viget, velut: *Indos, Chinenses, Tartaros*, itemque *Parthos, Persas, Syros, Thraces*, tandemque ostendit, quomodo hic mos ex *orientali* in *occidentalem* mundi plagam migraverit. Speciatim *Romanorum* facit mentionem *p. 23. seqq.* atque quaestionem ventilat: an VALENTINIANVS imperator legem tulerit polygamiae faventem? de qua alibi nonnulla dicemus: subjicit deinceps nonnulla de polygamia CAROLI magni aliorumque imperatorum ac regum. Post polygamiam *Borealium*, commemorat auctor historiam memoratu dignam de comite quodam Thuringiae *a Gleichen*, quam retentis ipsius verbis, bona cum lectoris venia heic adscribemus. Ita vero ille: „Erat hicce comes in *Asiam* contra *Tur*„*cam*, christiani nominis hostem, tem„pore *Friderici Barbarossae* expeditionem „suscipientis, profectus ibidemque factus „est extrema necessitate bigamus. Cum „enim is in civitate Saracenica indigna „multa perpeteretur, Saracenica quaedam „mulier eum adamare, ejusque matrimo„nium, sub promissione liberationis am„bire coepit. Comes, licet probe tene„ret, domi a se relictam legitimam con„jugem, amore tamen libertatis recupe„randae matrimonium promisit, cum alia „evadendi via non pateret. Reversus „comes domum, conjugem vivam offen„dit, eique juxta promissi fidem alteram „Saracenicam superinduxit. Factum etiam „fuit, ut ambae uxores, miro exemplo, „marito uni, in domo una, lecto una, „concordia suavi cohabitarint. Cujus rei „documentum dicitur exstare *Erffordiae* „in aede *D. Petri*, ubi praedictus comes „bigamus, cum duabus uxoribus lapidi „incisus est, testibus *Dressero* & *Christia*„*no Matthiae*.„ Hactenus SIRICIVS *loc. cit. p. 25.* & *26.* Prodiit hicce tractatus cum alio, *de lachrymis Christi*, Giessae Cattorum anno MDCLXXIX. 4.

ſed *unum maſculum & unam fœminam.* Atqui ſi Deus voluiſſet, matrimonium eſſe unius cum multis, creaſſet non unam tantum, ſed plures fœminas, quas Adamus matrimonio ſibi conjungere potuiſſet; neque enim poterat Adamus habere uxorem, niſi quæ cum illo fuiſſet a Deo creata, ſiquidem penitus repugnat naturæ, ut pater ducat filiam, vel neptem. 2.) Quod uni viro non *copularit* plures fœminas, ſed unam tantum fœminam. Ignatius in epiſt. ad Antioch. *Una uni viro, non plures datæ ſunt in exordio creaturæ.* 3.) Quod in *promulgatione* legis matrimonialis dicitur: *Relinquet vir patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit,* non *uxoribus,* ſed *uxori ſuæ* divinitus ſibi per matrimonium copulatæ. 4.) Quod diſerte additur, *erunt in carne una,* quod Chriſtus Matth. XIX. 5. ſic explicat, *erunt οἱ δύο, illi duo in carnem unam,* quæ explicatio ex ipſis viſceribus textus Moſaici eruitur, neque enim tunc plures erant, quam duo, mas ſcilicet unus & fœmina una, proinde quod Geneſ. II. 25. ſequitur, *erant duo illi, ſeu ambo illi, nudi,* hoc Chriſtus refert etiam ad præcedentem ſententiam. *Et erunt duo in carnem unam,* ac majoris emphaſeos cauſa addit articulum *οἱ δύο, duo illi,* ſubjungens illationem adverſativa oppoſitione conſtantem: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro* v. 6. Habemus ergo duorum duntaxat creationem, duorum copulationem, duorum mutuam adhæſionem ac duorum in una carne conjunctionem, ex quibus quatuor membris naſcitur tale argumentum. Quod requirit unius cum una conjunctionem, illi repugnat unius cum multis conjunctio. Prima conjugii inſtitutio requirit unius cum una conjunctionem. Ergo illi repugnat unius cum multis conjunctio, hoc eſt, polygamia. Plura in hanc ſententiam ex prima conjugii inſtitutione petita vide apud Auguſtinum lib. I. de nupt. & concupiſc. cap. IX. Hieronymum, Chryſoſtomum & Theophylactum in Matth. XIX. Pulcre Tertullianus in libro de exhortat. caſtit. cap. V. in principio: *Cum Deus hominem figuraſſet, eique parem neceſſariam proſpexiſſet, unam de coſtis ejus mutuatus, unam illi fœminam finxit, cum utique nec artifex, nec materia defeciſſet: plures coſtæ in Adam & infatigabiles manus in Deo, ſed non plures uxores apud Deum.* Adplicat quidem illud Tertullianus ad evertendam priorem polygamiæ ſpeciem *improprie* ſic *dictam, ſucceſſivam* ſcilicet, ſed vitioſe, ut ſuperius oſtendimus; interim contra alteram polygamiæ ſpeciem *proprie* ſic dictam, recte & convenienter adplicari poteſt.

Exceptiones Ochini.

§. CCVII. Excipit Ochinus in dial. pro polygam. & ejus adſeclæ 1.) *Vocabulum* duo *non eſſe in textu Moſaico. Reſp.* Chriſtus Matth. XIX. 5. Marc. X. 8. & Paulus 1 Cor. VI. 16. Epheſ. V. 31. in prima conjugii inſtitutione illud contineri expreſſe teſtantur, quibus cum Ochinus apertis tibiis contradicat, antichriſtiano ſpiritu ſe agitari probat. Continetur autem ibi, ſi non *κατὰ ῥητὸν*, tamen *κατὰ πρᾶγμα*, quia cum propter generis humani propagationem multitudine uxorum maxime opus videretur, Deus tamen unam duntaxat mulierem formavit, formatam unam uni viro adduxit, adductam unam uni viro copulavit, copulatis benedixit, & hac ratione duos tantum in carnem unam conjunxit, ut prætermittam illud, quod v. 25. expreſſe additur, *erant autem duo illi* ſive ambo *nudi.* 2.) *Si duorum expreſſa mentio omnem omnino pluralitatem excludit, etiam alibi id faceret. Sed conſequens eſt falſum, ut patet* ex Deut. XVII, 6. XIX, 15. Matth. XVIII, 19. Joh. VIII, 17. &c. *Reſp.* Vocabulum *duo* accipitur vel *incluſive,* vel *excluſive.* In locis adductis accipitur incluſive, ut conſtat ex eo, quod additur, *in ore duorum, vel trium teſtium &c. Ubi duo, vel tres congregati &c.* ſed in textu Moſaico accipitur excluſive, ut conſtat ex infal-

fallibili explicatione ipsius Christi Matth. XIX, 5. Marc. X, 8. Priori modo acceptum non excludit omnem pluralitatem, sed tantum posteriori. 3.) *Verba illa*, adhærebit vir uxori suæ, & erunt duo in carne una, *hoc duntaxat requirunt, ut vir diligat uxorem suam, ac si esset una caro cum ipsa, atque unum cum ea corpus, perinde ut quilibet jubetur diligere proximum, sicut se ipsum. Jam vero præceptum de dilectione proximi impleri potest, si vel maxime plures proximos diligamus. Ergo etiam præceptum de diligenda uxore tanquam propria carne impleri potest, si vel maxime plures uxores maritus polygamus diligat.* Item: *Sicut Act. IV, 32. multitudinis credentium potest esse cor unum & anima una, ita quoque unus maritus cum pluribus uxoribus potest esse caro una. Resp.* est dispar ratio inter maritalem conjunctionem & christianam dilectionem. Maritalis enim viri & uxoris conjunctio complectitur non tantum animorum, sed etiam corporum conjunctionem. Animorum quidem conjunctio potest esse inter unum virum & plures sive viros, sive fœminas, sed corporum conjunctio legitima & matrimonialis vi divinæ institutionis non potest esse, nisi inter virum unum ac fœminam unam, unde apostolus infert 1 Cor. VII, 4. *maritum non habere potestatem sui corporis, sed uxorem; nec uxorem habere corporis sui potestatem, sed maritum;* quod si igitur maritus corpus suum etiam alteri fœminæ tradit, peccat in conjugii leges, & per furtum alteri eripit, quod non amplius est in sua potestate. Maritus potestatem corporis sui in uxorem penitus transtulit, ac proinde uni tantum uxori adhærere debet. At si maritus velit pluribus uxoribus in matrimonio cohabitare, tum uxor non haberet potestatem corporis, sed pars ejus una cum uxore una, pars altera cum uxore altera cohæreret, quod in arctissimo illo unitatis matrimonialis vinculo, cui in humanis nullum comparandum est, locum habere nequit. 4.) *Scortator adhærens scorto fit cum illa una caro* 1 Cor. VI, 16. *At maritus potest fieri scortator. Ergo fit cum scorto una caro. Quodsi ergo talis maritus adulter cum scorto fit una caro, multo magis polygamus cum secunda uxore fit una caro, & per consequens polygamia non repugnat verbis illis primævæ institutionis: Erunt in carnem unam, sive una caro. Resp.* concedimus, adulterum cum scorto fieri carnem unam, sed negamus, eum cum conjuge legitima manere unam carnem. Quia enim leges conjugii requirunt, ut maritus unus cum uxore una fiat una caro, ideo si unus multis jungitur, non erit amplius duorum una caro, nec tam unio, quam divisio fit per talem unius cum multis conjunctionem. Inter conjuges vi divinæ institutionis tam arcta est societas, ut maritus non amplius habeat corporis sui potestatem, sed eam in uxorem transtulerit, quod si ergo in aliam mulierem eamdem transfert, disrumpit conjugale vinculum, & arctam illam in unam carnem, sive carnis unius cohæsionem nefarie divellit, adeoque contra intemeratas conjugii leges peccat. Reliquæ exceptiones minoris sunt momenti, utpote 5.) *Quod verba illa*, erunt duo in carne una, *non sint Dei instituentis, sed Adami ad μονογαμίαν suam respicientis verba.* Atqui Christus disertis verbis eadem ipsi Deo tribuit Matth. XIX, 5. vel igitur Adamo tribuuntur duntaxat ὀργανικῶς, utpote qui repletus Spiritus sancti donis ejusdem impulsu & instinctu eadem fuerit prolocutus, vel præcedentia apud Mosen verba quasi per parenthesin posita accipienda sunt, ut monuimus superius. 6.) *Quod vestibus duntaxat pelliceis in communi vita utendum, eucharistia tempore tantum paschatos ac vespertino, & quidem in cœnaculo administranda foret, si ex prima cujusque rei institutione legitima ejusdem ratio petenda.* Atqui distinguendum inter institutionis essentialia & accidentalia, ut plenius docuimus in tract. de euchar.

euchar. §. CLX. quæ de administratione cœnæ adferuntur, ea ad temporis & loci circumstantias, ac proinde ad accidentalia pertinent, sed unius masculi & unius fœminæ conjunctio, cum ad causam materialem conjugii pertineat, est conjugio essentialis. Quod de pelliceis vestibus adfertur argumentum, illud plane friget, ut merito fuisset melius vestiendum, neque enim ulla ibi describitur ritus perpetui institutio, sed duntaxat historica rei gestæ narratio. 7.) *Quod propter adulterium non sint concedenda divortia, si conjuges sunt una caro.* Atqui diximus jam ante, conjugem adulterantem non amplius esse unam carnem cum conjuge innocente, sed fidem datam & unitatem conjugalem nefarie violasse.

II.) *Ex primævæ institutionis repetitione.*

§. CCVIII. II.) Ex *primævæ institutionis repetitione.* Christus Matth. XIX. & Marc. X. de temerariis divortiis apud Judæos usitatis quæsitus, revocat nos ad primam conjugii institutionem. *Ab initio*, inquit, *non erat sic*, non sancit novam aliquam legem, sed fundamentum decisionis petit ex propria hujus doctrinæ sede, & ex verbis institutionis miranda sapientia infert, conjugium esse duorum, unius scilicet maris & fœminæ unius individuam ac divinam conjunctionem. Quidquid igitur sit, sive de permissione & dispensatione, sive de tolerantia Dei in polygamia tempore vet. test. usitata, tamen ex clarissima illa primæ institutionis repetitione & confirmatione adparet, in nov. test. polygamiam penitus esse illicitam & damnatam. Sic enim concludimus: Quidquid cum institutione & legibus conjugii divinitus sancitis Christus ipse pugnare docet, illud apud christianos tolerari non potest, nec debet. Polygamiam cum institutione & legibus conjugii divinitus sancitis pugnare Christus ipse docet. Ergo. Excipiunt: *non de polygamia, sed de repudiis propositam Christo fuisse quæstionem, proinde etiam responsum Christi non polygamiam, sed uxorum dimissionem excludere, Resp.* ex quo principio Christus demonstrat, temeraria divortia esse illicita, ex eodem principio demonstrari etiam potest, polygamiam esse illicitam. Temeraria divortia Christus ideo damnat, quia juxta divinam conjugii institutionem tantum duo, non plures, in unam carnem conjunguntur. Atqui per polygamiam non duo, sed plures in unam carnem conjunguntur. Ergo etiam polygamia pugnat cum conjugii institutione. Qui ab uxore divertit, teste *Christo*, solvit unitatem conjugalem divinitus sancitam, quia scilicet eam, cum qua factus est una caro, deserit, & sic, quod Deus conjunxit, nefarie dissolvit. Qui priori conjugi, cum qua est una caro, alteram superinducit, si non ex toto, tamen ex parte ab ea se separat, quia potestatem corporis priori conjugi in solidum debitam ad aliam mulierem transfert, ergo etiam ex parte separat, quod divinitus erat conjunctum; quin imo cum vi divinæ institutionis maritus unus non nisi cum una conjuge una caro esse possit, utique si alteri adhærere incipit, & per congressum conjugalem fit cum ea una caro, desinit esse una caro cum priore, & hac ratione, quod Deus conjunxit, separans contra leges conjugales peccat. Denique Christus ipse ex primæva conjugii institutione ibidem v. 9. demonstrat, eum *qui ducit repudiatam, adulterium cum ea committere*, ex quo polygamiam illicitam esse, demonstrari posse, paulo post manifestum fiet.

III.) *Ex Christi & apostolorum institutione.*

§. CCIX. III.) Ex *Christi & apostolorum institutione.* Christus & apostoli in nov. test. docuerunt, illicitam esse polygamiam. Ergo ea in republica christiana ferri nequaquam debet. *Antecedens* probatur 1.) in *genere*, 2.) in *specie*. In *genere* producimus hoc argumentum. Quot personas contrahentes Christus & apostoli in conjugio numerant, totidem & non plures in conjugio christia-

no

no vivere debent. Sed Christus & apostoli *duas tantum* personas contrahentes in conjugio numerant ac nominant; ubicunque enim de conjugio loquuntur, semper de uno marito & una uxore in *singulari* loquuntur, ut constat ex enumeratione omnium dictorum: Matth. V, 32. XVIII, 25. XIX, 3. & 29. &c. 1 Cor. VII, 2. & sqq. IX, 5. Eph. V, 28. 31. 33. &c. Ergo. Quod autem Eph. V. 22. Col. III, 18. in *plurali* dicitur, *mulieres viris suis subditas esse debere*, id quilibet videt *distributive* esse dictum hoc sensu, quod quælibet uxor proprio suo marito debeat esse subdita, sicut exponitur 1 Cor. VII, 2.

§. CCX. In *specie* proferimus I.) dictum Christi Matth. V, 32. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchatur;* cum quo conjungimus Matth. XIX, 9. *Dico vobis, quia quicunque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Marc. X, 11. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur* ἐπ' αὐτὴν, *super ea*, reddidit vulgatus, sed rectius vertitur, *adversus eam.* v. 12. *Ac si uxor dimiserit virum suum & alteri nupserit, mœchatur*, quod repetitur Luc. XVI, 18. ex quo ita concludimus: Si is committit adulterium, qui dimissa priore conjuge aliam ducit, multo magis adulterium committit, qui retenta priore alteram ducit, sicque pluribus simul uxoribus commiscetur. Sed verum prius. Ergo & posterius, ac per consequens polygamia a Christo damnatur, cum adulteria damnari nemo dubitare possit. *Connexio* probatur. Ideo enim & inde adulterium committit is, qui priore conjuge repudiata aliam ducit, quia cum se totum deberet uxori primæ, consuescere cœperit cum alia; non enim tam in prioris dimissione, quam in sequente cum alia copulatione adulterii crimen committit. Atqui idem contingit, si vel maxime priorem in mensa ac toro conjugali retineat. Cajetanus in Marc. X. putat, *majoris* connexionem in hoc argumento non esse satis firmam, cum apud Marcum addatur, μοιχᾶται ἐπ' αὐτὴν, quod sic accipit, *is, qui dimissa priore uxore aliam ducit, adulterium committit*, non absolute & simpliciter, sed *secundum quid*, in prioris scilicet uxoris injuriam, quam dimittit injuste, & qua invita aliam ducit, ergo a contrario sensu, qui priore retenta & consentiente, aliam ducit, non committit adulterium. Bellarminus respondet, primo *verba illa ἐπ' αὐτὴν non haberi apud reliquos evangelistas*, sed hæc solutio est parum firma, ut adparebit inferius in quæstione de divortio. Secundo igitur ac melius respondet, *verba illa*, mœchatur super eam, *non tollere adulterium, sed ponere, & aliquid præterea addere, videlicet quod talis polygamus mœchetur cum injuria addita injustæ dimissionis*, id est, verba illa non continent quamdam restrictionem ac limitationem, sed duntaxat ἀύξησιν, ἐξήγησιν & αἰτιολογίαν, ut sit sensus, inde atque ideo is, qui dimissa priore uxore aliam ducit, mœchatur, quia prior legitimo & indissolubili conjugii vinculo ipsi adhuc est ac manet unita, quo modo hunc locum exponunt Augustinus lib. I. de adult. conjug. cap. 10. & Beda in comm. h. l. Quod de consensu prioris conjugis additur, illud non sufficit ad polygamiæ defensionem, quia consensus in conjugio debet esse justus ac legitimus, hoc est, legi divinæ & institutioni conjugii conformis. Jam vero cum legibus conjugii pugnat polygamia. Ergo. Jurisconsulti dicunt, quod *illicita pacta privatorum non possint tollere jus publicum.* Excipiunt alii 1.) *In textu hoc tantum haberi, quod is, qui uxorem dimittit, faciat eam mœchari, id est, occasionem adulterii dimissæ exhibeat, non autem, quod ipsemet mœchetur. Resp.* imo vero diserte additur, quod tum is, qui aliam dimissa

1.) *Matth. V, 32. XIX, 9.*

priore duxerit, tum etiam is, qui dimissam sibi adsociat, adulterium committat. 2.) *Esse disparem rationem inter eum, qui priorem retinet & aliam superinducit, & inter eum, qui priorem repudiat, qui enim priorem retinet, manet cum ea una caro; qui repudiat, disrumpit conjugale vinculum. Resp.* imo vero uterque desinit esse cum priore conjuge una caro, uterque vinculum conjugii dissolvit, quia conjugii institutio hoc requirit, ut duo tantum, non autem plures sint caro una, & ut vinculum unius mariti cum una conjuge non nisi per mortem, vel adulterium dissolvatur. Qui ergo vivente priore conjuge citra adulterii casum aliam ducit, desinit cum priore esse una caro, sive priorem retineat, sive eamdem repudiet. Breviter, non licet priore dimissa aliam ducere, quia licet coram hominibus videatur dimissa, tamen vere coram Deo adhuc est uxor, at multo magis est uxor, quæ non est dimissa, ergo ea vivente extra casum adulterii aliam superinducere licitum non est, neque quidquam interest, sive dimittatur, sive retineatur, quinimo eo gravius peccat, quo pluribus commiscetur.

§. CCXI. II.) Rom. VII, 2. 2.) *Rom. VII, 2. 1 Cor. VII, 10. & 39.* *Mulier ὕπανδρος conjugata viro viventi lege est adligata.* v. 3. *Vivente igitur viro vocabitur adultera, si fuerit cum viro alio.* 1 Cor. VII, 10. *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxor a viro non discedat.* v. 11. *quod si discesserit, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur.* v. 39. *Mulier adligata est legi, quanto tempore vivit vir ejus;* ex quo sic concludimus: Si illicitum est, fœminam vivente marito priore nubere alteri, utique etiam illicitum erit, maritum vivente priore uxore alteram ducere. Sed verum prius, ut patet ex clarissimis dictis apostolicis. Ergo etiam posterius. Excipiunt, *esse disparem rationem mariti & uxoris, polygamiam ex parte fœminarum quidem esse turpem & illicitam, non autem ex parte virorum. Resp.* quamvis magis absurdum sit, ac magis repugnet rationi & juri naturali, si una mulier multis viris, quam si unus vir multis fœminis jungatur, ut ostendit Augustinus de bon. conjug. c. 17. idem tamen lib. I. de adult. conjug. c. 8. recte monet, in conjugio christiano institutionis divinæ legibus conformi quoad *fidem, vinculum & debitum conjugale* partem esse mariti & uxoris conditionem, id enim disertis verbis docet apostolus 1 Cor. VII, 4. ubi ὁμοιότητα & æqualitatem statuit in mutua corporis potestate inter conjuges. Ut ergo mulier est adultera, si corporis sui potestatem vivente marito alteri facit, sic & maritus erit adulter, si corporis sui potestatem vivente uxore alteri faciat.

§. CCXII. III.) 1 Cor. VII, 2. 3.) *1 Cor. VII, 2.* *Propter fornicationem* (evitandam) *unusquisque* τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, *suam uxorem habeat, & unaquæque* τὸν ἴδιον ἄνδρα, *suum virum habeat*, ex quo nascitur nobis tale argumentum: Qui multis uxoribus commiscetur, non habet suam uxorem, sed suas uxores, nec est ἴδιος, *proprius* unius uxoris vir, sed multis communis, ut constat, tum ex ipsa oppositione, tum ex aliorum scripturæ locorum collatione. Genes. XXX. 15. dicit Lea ad Rachelem: *Parumne tibi videtur, quod præripueris mihi maritum*, id est, quod ejus potestatem tibi soli vindicaveris, cum sit utrique nostrum communis maritus? Joh. IV, 18. dicit Christus ad mulierem Samaritanam: *Quem nunc habes, non est vir tuus*, quia videlicet non illi uni, sed aliis pluribus copiam sui faciebat, vel certe non maritali vinculo ac adfectu, sed concubinario consortio ei erat conjuncta. Atqui apostolus diserte requirit, ut quilibet *suam* habeat uxorem, & sit *proprius* uxoris suæ maritus. Ergo prohibet, ne quis pluribus uxoribus commiscetur, & per consequens, polygamiam

miam prohibet. Ἔχειν notat *plenam & integram potestatem*, & quidem talem, ut ne quidem *fraudare* sese invicem possint conjuges v. 5. Jam vero de utroque conjuge illud ἔχειν æqualiter prædicatur. Ergo hic par est utriusque ratio. Ac probe notandum, quod apostolus dicit διὰ τὰς πορνείας, scilicet evitandas, quemlibet debere habere suam uxorem, ubi in *plurali* loquitur ad denotandum quodvis illicitæ commixtionis genus & quamvis libidinosam corporis pollutionem. Ergo unius uxoris usus ad scortationis evitationem sufficit, quia conjugium non debet esse libidinis incentivum, sed remedium. Vanum proinde ac frivolum est, quod propter crebras uxorum infirmitates sine polygamia scortationem vitari non posse impuri homines garriunt.

4.) 1 *Cor.* VII, 4. §. CCXIII. IV.) 1 Cor. VII, 4. *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir. Similiter autem & vir corporis sui potestatem non habet, sed mulier.* Per conjugium talis & tam arcta fit consociatio, ut maritus non minus potestatem sui corporis, adeoque se totum mulieri tradat, quam mulier corporis sui potestatem, adeoque se totam viro tradit. Atqui mulier propterea, quod non amplius habet corporis sui potestatem, non potest sine injustitia, furto ac perfidia se tradere viro alteri. Ergo vir ex eadem omnino ratione non potest sese tradere alteri fœminæ. Id vero cum fiat in polygamia, nec corpus viri amplius sit in potestate unius uxoris, ex eo manifestum, quod polygamia conjugii legibus & præceptis apostolicis repugnet. Quod vir non habet, alteri donare non potest, quod *semel donatum, non potest alteri dari.* Sed vir non habet potestatem sui corporis. Ergo alteri eam dare nequit. Excipiunt: *in contractu matrimoniali posse ab initio utriusque consensu interponi hanc conditionem, quod maritus velit aliam superinducere, & uxorem suo juri hac in parte posse renunciare. Resp.* per inficiationem, quia conditio ipsi formæ contractus repugnans non potest adjici, ac si adjiciatur, habetur pro non adjecta; jam vero conditio de superinducenda uxore altera repugnat ipsi formæ contractus conjugalis, quæ consistit in individua duorum copula. Præterea in illis duntaxat locum habet renunciatio, quæ sunt nostri juris. Atqui ut in conjugio unus duntaxat masculus & fœmina una conjungatur, non est nostri arbitrii, sed juris divini. Denique si in conjugio locum haberet talis renunciatio, possent conjuges vel mutuo utriusque, vel alterutrius partis dissensu sese invicem separare. Sed consequens negat apostolus v. 10. & Christus ipse Matth. XIX, 6. Augustinus de sermon. Dom. in mont. *Non existimandum est, illud, quod ait apostolus, mulierem non habere corporis sui potestatem, sed virum, & contra, in tantum valere, ut permittente uxore, quæ maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena uxor sit, nec a viro disjuncta, concumbere, ne hoc etiam fœmina viro permittente facere posse videatur, quod omnium sensus excludit.*

5.) 1 *Tim.* III, 2. §. CCXIV. V.) 1 Tim. III, 2. Tit. I, 6. *Oportet episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris maritum.* Quicunque non est unius uxoris maritus, ille non est ἀνεπίλημπτος καὶ ἀνέγκλητος. Polygamus non est unius uxoris maritus. Ergo non est ἀνεπίλημπτος καὶ ἀνέγκλητος, sed culpæ ac crimini obnoxius, & per consequens peccat contra conjugii legem, quia crimen & culpa est legis alicujus transgressio. Excipiunt per inversionem. *Cum episcopis & diaconis specialiter ac nominatim polygamia interdicatur, ex eo consequens videri, quod reliquis sit concessa*, argum. l. 12. ff. de judic. *cum prætor unum ex pluribus judicare vetat, ceteris id committere videtur. Resp.* 1.) Deducimus argumentum hoc ad absurdum. Apostolus ibidem in episcopis re-

requirit, *ut sint sobrii, pudici, hospitales* &c. Ergo reliquis, qui non sunt episcopi, concedit, ut sint ebrioſi, impudici, ἄξενοι, quod ἄτοπον. 2.) Distinguendum inter virtutes ministris ecclesiæ cum aliis piis *communes*, & ipsis *proprias*. Esse unius uxoris maritum, id est, abstinere a vagis libidinibus & polygamia, est virtus pertinens ad sextum præceptum communis etiam aliis piis. Ergo hic locum habet illud Christi ad apostolos dictum Marc. XIII, 37. *Quod vobis dico, omnibus dico.* Quare autem in descriptione virtutum episcopalium apostolus etiam communium illarum virtutum mentionem faciat, ejus rei causam exposuimus in tractat. de minist. ecclesiast. 3.) In virtutibus, quæ episcopo cum reliquis ecclesiæ membris sunt communes, non valet consequentia ab inclusione unius ad alterius exclusionem, sed duntaxat in virtutibus episcopo propriis. 4.) Quidam existimant, respectum haberi ad statum illorum temporum, cujus intuitu in conversis ex gentilismo & judaismo πολυγαμία fuerit ad tempus tolerata, cum uxores, quas ante conversionem duxerant, commode repudiare non possent; interim tamen ut abrogationi isti fideles adsuescerent, non fuisse polygamos ad ecclesiæ ministeria admissos, sicque in illis tantum polygamiam penitus fuisse interdictam, Hieronymus in epist. ad Oceanum p. 321. sed præferimus priorem explicationem. 5.) Pontificii respondent, in episcopo peculiariter hic prohiberi polygamiam successivam, quæ reliquis sit concessa. Sed hanc expositionem ex professo refutavimus tractat. de minist. §. CCCLXIV.

IV.) *Ex juris naturalis dispositione.*

§. CCXV. IV.) Ex *juris naturalis dispositione.* Quidquid repugnat juri naturæ, illud inter christianos permitti nequaquam debet. Polygamia repugnat juri naturæ. *Minorem* negant non solum Ochinus & Anabaptistæ, sed etiam Durandus lib. IV. distinct. 33. quæst. 1. & Abulensis in Matth. XIX. quæst. 30. ubi disputant, *polygamiam ex parte uxoris, id est, qua una fœmina multis viris nubit, juri naturæ repugnare, sed polygamiam ex parte mariti, id est, qua unus maritus multas ducit uxores, non repugnare juri naturæ.* Sed illis reliqui ex scholasticis sese opponunt. Thomas lib. IV. sentent. distinct. 33. quæst. 1. distinguit inter jus naturæ *primarium* ex ipsis natura notis principiis ortum, & *secundarium* ex conclusionibus inde deductis originem habens. Polygamiam juri naturæ non quidem primario, sed tamen secundario repugnare censet, unde consuetudine induci potuerit justa plures uxores ducendi licentia. *Sicut cædem naturaliter abhorremus*, inquit Bonaventura lib. IV. sent. dist. 33. q. 1. *ita confusionem quoque & multitudinem mulierum innato quodam odio detestamur.* Repugnare enim polygamiam juri naturali probatur 1.) Ex *finium*, quos natura matrimonio præfixit, *enumeratione*, cui probationis viæ Bellarminus insistit cap. X. de qua paulo post plenius. 2.) Ex *saniorum gentium testificatione.* Quamvis enim in gentibus quamplurimis lex naturæ per inveteratam consuetudinem fuerit obscurata, unde polygamia per totum orientem longe lateque pervagata ipsum etiam occidentem quandoque infecit, ut multis gentilium exemplis, puta Germanorum, Romanorum, Persarum, Scotorum, Indorum, Parthorum, Cyreniacorum, Pœonum, Judæorum, Thracum, Maurorum, Numidarum, Ægyptiorum, Americanorum &c. probat Arnisæus de jure connub. cap. IV. sect. 3. tamen scintillæ quædam lucis naturalis cineribus quasi obrutæ & oppressæ quandoque emicuerunt, ex quibus, utpote principiis omnium cordibus insculptis, longe rectius de jure naturæ judicatur, quam ex corruptis hominum moribus. Laban idololatra, quamvis ipse binas filias Jacobo elocasset, rogat tamen abeuntem, ne *filias suas affligat*, (in Hebræo est עַנֹּה, quod significat hu-

humiliationem, depressionem tam realem, quam verbalem) *neque alias iis superinducat* uxores, Gen. XXXI, 50. quod posterius membrum non absurde accipi potest tanquam ἐξηγητικὸν prioris. Ergo tum ex naturæ lumine, tum ex quotidiana praxi intellexerat Laban, polygamiam multas secum habere adflictiones: Euripides, licet ipse polygamus, tamen in Andromach. polygamian improbat: οὐδὲ γὰρ καλὸν (inquit) δυοῖν γυναικοῖν ἀνδρὶ ἐν νυκὶ ἕχειν. Julium Cæsarem, qui legem promulgaverat, *ut quilibet quas & quot uxores vellet*, duceret, Suetonius propterea vocat *omnium mulierum virum & omnium virorum mulierem* cap. 52. Apud Romanos edicto prætoris notabatur infamia, qui *binas nuptias in eodem tempore constitutas habuerit* l. 1. ff. de his qui not. infam. Diocletianus & Maximianus l. 2. C. de incest. & inutil. nupt. *Neminem, qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse, vulgo patet, cum etiam in edicto prætoris hujusmodi viri infamia notati sint, quam rem competens judex inultam non patietur.* Valerianus & Gallienus l. 18. C. ad l. Jul. de adulter. *Eum, qui duas simul habuit uxores, sine dubitatione comitatur infamia.* Cecrops, Athenienſium legislator, qui polygamiam apud ipsos sustulit, διφυὴς ac biformis ex eo dictus fuit, quod duos tantum in unum conjugium coalescere vellet. Aristoteles tum in politicis, tum in utroque œconomico contra polygamiam disputat. 3.) Ex *zelotypiæ tum mulieribus, tum viris innatæ conditione.* Quemadmodum enim natura parentibus indidit storgas erga liberos ac liberis erga parentes, ita quoque amorem ac zelum quemdam conjugum animis occulte inspirat, ut neuter absque alterius zelotypia copiam sui alteri extraneo facere possit. Atqui si plures in conjugali societate natura voluisset conjunctos, non indidisset mulieribus hunc adfectum, quo maritos alienis amoribus frui animo ferunt longe ægerrimo & vice versa. Nec est, quod Saræ exemplum adferatur, quæ Abrahamo ancillam Hagarem dat viro suo in uxorem, Gen. XVI. 3. id enim ex summo promissi seminis desiderio, quod naturalem in ea adfectum superavit, pronfluxisse constat. 4.) Ex *animalium quorumdam consideratione.* De columbis, cornicibus & aliis animalibus Connanus lib. I. commentar. cap. IV. num. 5. differit, quod unus mas uni tantum fœmellæ conjungatur, ut natura ipsa polygamiam abhorrere videatur. 5.) Ex *æquali juris naturalis obligatione.* Lege naturæ societas conjugalis æqualem obligationem mariti & conjugis requirit, quantum ad potestatem corporum adtinet. Sed cum unus maritus plures habet uxores, non est æqualis obligatio. Maritus non vult uxorem suam pluribus viris nubere. Ergo nec ipse plures fœminas sibi jungat.

V.) *Ex finium matrimonialium enumeratione.*

§. CCXVI. V.) Ex *finium matrimonialium enumeratione.* Quatuor potissimum numerantur fines conjugii, videlicet susceptio & educatio prolis, mutuum adjutorium, vitatio fornicationis, & præfiguratio amoris Christi sponsi erga ecclesiam sponsam, uti infra distinctius explicabitur. Sed finibus hisce omnibus repugnat polygamia non solum ex parte *fœminæ*, quando scilicet una fœmina multis nubit viris, sed etiam ex parte *viri*, quando scilicet unus vir multas simul ducit uxores. De priore polygamia non potest esse dubitatio, ac late illud probat Augustinus lib. de bon. conjug. cap. 17. & lib. III. de doctr. christ. cap. 12. de posteriore idem facile probatur. Primus finis est *generatio & educatio liberorum*, huic fini Bellarminus repugnare quidem concedit polygamiam ex parte fœminæ; (*cum enim mulier non nisi semel in anno parere possit, ab uno viro sufficienter fœtari potest, si vero pluribus jungatur, non solum non pariet sæpius, sed rarius, aut nunquam pariet, cum experientia testetur mu-*

mulieres esse infœcundas) sed polygamiam ex parte viri eidem repugnare negat, cum facile possit unus vir ex multis fœminis liberos procreare & alere. Atqui si rem recte ac penitius expendere velimus, inveniemus etiam huic fini polygamiam plurium uxorum adversari, quod Montecatus lib. II. polit. c. 4. & ex eo Arnisæus de jure connub. cap. 4. sect. 3. n. 8. probant ratione ejusmodi, quod copiosior quidem soboles exspectetur ex pluribus uxoribus in singulis familiis privatis: interim tamen tota respublica pauciores inde cives nanciscatur, quia dubium non est, quin sæpius procreent fœminæ, si singulæ conjungantur singulis, quam si plures uni marito socientur. *Generatio φυσικὴ* ex institutione & præscripto creatoris ad duos duntaxat, marem unum & fœminam unam, fuit præscripta, siquidem & homines & reliqua animantia ita condidit, ut *paria bina & bina* speciem suam propagarent. Gen. I. 24. Ergo inter duos duntaxat, naturaliter & institutioni divinæ convenienter generatio perficitur. Præterea virtus viri finita est, & a natura ad certum terminum contracta, quo ergo pluribus adhæret, eo citius generare desinit. De *educatione* idem dici potest, quis enim tot liberis, quot ex pluribus matrimoniis tolli possunt, genio & ingenio plurimum differentibus recte educandis sufficere, ac necessariam & sufficientem curam singulis impendere valebit? Secundus finis est *mutuum adjutorium*, sive domestica societas & communicatio operum ad vitam necessariorum. Huic fini polygamiam ex parte viri repugnare Augustinus lib. de bon. conjug. cap. 17. negare videtur, quando disputat, *non ita esse contra rationem, ut vir unus plures uxores, sicut unus dominus multos servos habeat;* sed intelligendum hoc est *comparate*, quod scilicet non adeo directe & absolute, nec in eo gradu rationi repugnet, virum unum habere plures uxores, quo eidem repugnat, fœminam unam habere plures maritos; si enim polygamiæ conditionem exactius pensitemus, deprehendetur, quod socialis cohabitatio & domus gubernatio per uxorum pluralitatem itidem detrimenti aliquid capiat. Uxor enim, licet viro sit subjecta, tamen familiæ una cum marito præest, & in consortium principatus œconomici evehitur, jam vero *principatus sua natura singularitatem diligit*, ut Augustinus d. l. demonstrat. Aristoteles etiam libr. VIII. ethic. cap. 6. disputat, *perfectam amicitiam non admittere plures, quam duos*, contra vero molestam eam amicitiam esse, quæ cum multis contrahitur, siquidem amicus amico in adversis condolet, a quibus vix ullo tempore plures amici simul possunt esse liberi. Jam vero conjugium est summus & arctissimus amicitiæ gradus, ergo non debet esse inter plures, quam duos, de quibus dici possit:

Sunt duo, quæ duo sunt, & sunt duo, quæ duo non sunt.

Constans & perfectus amor mariti esse nequit, qui in tot uxores dividitur, nec uxor unice eum redamat, a quo se unice non amari intelligit. Quemadmodum mel, aut vinum, aquosum redditur, cui nimium aquæ admixtum est, sic in plurium uxorum consortio amor, qui inter conjuges summus esse debebat, redditur *ὑδαρὴς*, aquosus, atque imminuitur, dum ad plures se extendit. Tertius finis est *scortationis evitatio* & remedium contra concupiscentiam. Huic fini itidem repugnat polygamia, quia pluralitas uxorum non exstinguet, sed potius incendet libidinem, nec commode poterit unus vir multis uxoribus debitam conjugale reddere; quin potius æquum est, ut mariti & uxoris hac in parte sit par potestas, ac proinde, ut uxor se totam tradit viro, *nec habet corporis sui potestatem*, ita quoque maritus se totum tradat uxori, *nec habeat corporis sui potestatem*, 1 Cor. VII. 4. Quartus denique conjugii finis est *typus Christi & ecclesiæ*. Huic fini polygamiam repugnare nemini dubium.

Ut

Ut enim uni Christo una conjungitur ecclesia, quam solam Christus diligit repudiatis sectis omnibus & populis impiis, ita quoque uni viro fœmina una ad repræsentandam illam Christi & ecclesiæ unionem debet conjungi. Augustinus quidem disputat lib. de bon. conjug. cap. 18. etiam polygamiam veterum continere aliquam significationem. *Sicut* (inquit) *sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis significavit futuram multitudinem Deo subjectam in terrenis omnibus gentibus, sic sacramentum singularium nuptiarum nostri temporis significat unitatem omnium nostrum subjectam Deo futuram in una cœlesti civitate*, sed apostolus Eph. V. 32. & 33. in unius viri cum una fœmina conjunctione typum amoris & unionis inter Christum & ecclesiam unice quærendum esse docet, quod Augustinus ipse ibidem agnoscit, unde etiam propter illud sacramentum in nov. test. polygamiam non esse licitam dicit, sed legitimas nuptias esse *indissolubilem unius viri & unius fœminæ conjunctionem*, ac in libro de fide & operibus cap. 7. scribit: *In ecclesia nuptiarum non solum vinculum, verum etiam sacramentum ita commendatur, ut non liceat uxori virum alteri tradere.*

VI.) *Ex incommodorum consecutione.*

§. CCXVII. VI.) Ex *incommodorum consecutione.* Polygamia plurima omnino secum trahit incommoda, quæ in *familias*, & consequenter in universam *rempublicam* redundant. In familiis enim inter uxores rivales perpetuas æmulationes, odia & rixas alit, ut testantur exempla Saræ & Agaris, Gen. XVI. 5. Rachelis ac Leæ, Gen. XXX. 15. Annæ ac Phenninæ, 1 Sam. I. 6. &c. unde superinductis tribuitur, quod priorem uxorem *adfligant*, Gen. XXXI. 50. *lacessant*, Levit. XVIII. 18. [in Hebræo est צָרַר, quod est *constrinxit, compressit*, & metaphorice *cruciavit, infestavit*, Targum אַעְקַת] & *irritent*, 1 Sam. I. 6. & 7. in Hebræo est כָּעַס in *hiphil* positum, quod est *lacessivit, provocavit ad iram*, unde ibidem Phenninna vocatur *angustiatrix* Annæ, v. 6. צָרָתָהּ *adversaria* ejus, a radice צור, quod significat *urbem hostiliter obsidere & oppugnare*, atque ex Deut. XXI. 15. colligitur in dualitate uxorum plerumque hoc contingere, ut una sit *dilecta*, altera vero *exosa*, ea vero ex re non possunt non oriri inter uxores simultates, ex simultatibus odia, ex odiis jurgia, ut merito hic locum habere censeatur illud:

Semper habet lites alternaque jurgia lectus.

Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt; inquit Seneca in Agamemn. De incommodis istis polygamiæ nervose ac graviter disserit Euripides in Andromacha: οὐδὲ γὰρ καλὸν (inquit) δυοῖν γυναίκοιν ἄνδρ' ὑφ' ἡνίας ἔχειν, ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες ἐυναίαν κύπριν στέργουσιν, ἥ τις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει. Et postea: οὐδέποτ' ἂν δίδυμα λέκτρ' ἐπαινέσω βροτῶν, οὐδ' ἀμφιμάτορας κόρας, ἔριν μὲν οἴκων, δυσμενεῖς δὲ λύπας. Τὴν μίαν μοι στέργέτω πόσις γάμοις ἀκοινώνητον ἔυνοιαν ἀνδρὸς. οὐδὲ γὰρ πόλεσι δίπτυχοι τυραννίδες μιᾶς ἀμείνονες φέρειν, ἀχθῳ τ' ἐπὶ ἄχθει καὶ στάσις πολίταις. Τεκτονων δ' ὑμνοῖσιν ἐργάται δυοῖν ἔριν μᾶσαι φιλᾶσι κραίνειν. Πνοιάιδ' ὅταν φέρωσι ναυτίλας θοαὶ κατὰ πηδαλίων δίδυμα πραπίδων, γνῶμα scilicet ἔριν κραίνει. Σοφῶντε πλῆθῳ ἀθενέστερον, φαυλοτέρας φρενὸς αὐτοκρατὲς ἑνὸς ἀ δύνασις ἀνά τε μέλαθρα, κατὰ δὲ πόλιας, ὁπόταν ἐυρεῖν θέλωσι καιρὸν. *Polygamiam nunquam laudabo, quia nec duo tyranni in urbe, nec duo gubernantes tactum sive chorum in musica, nec duo gubernatores in una navi, nec plures in consiliis & rebus gerendis directores, quidquam laude dignum præstant, sed turbis & confusionibus omnia involvunt.* Durandus quidem & Ochinus ejusmodi rixas per *accidens* oriri scribunt, ex pravitate scilicet fœminarum, sed illa pravitas post lapsum proto-

plastorum muliebri sexui tam arcte adhæret, ut in pauciſſimis emendetur, omnibus enim innatum manet, ut aliam in amore conjugali ſibi præferri ægerrime ferant. Ac ſi nec pietas, nec ſanguinis propinquitas, nec mariti auctoritas illas Rachelis ac Leæ æmulationes cohibere potuere, quid de aliis mulieribus nec tanta pietate inſtructis, nec tantò amoris vinculo conjunctis ſperandum fuerit? Sed enim per accidens illas diſcordias oriri verum non eſt, quia in omni polygamia injuria priori uxori infertur, cum ipſi auferatur, quod *jure matrimoniali* unice & in ſolidum debetur; per ſe igitur polygamia rixas excitat, per accidens autem ex fœminarum ſcilicet convenientia & tolerantia, quæ tamen rariſſima, contingit, ut lites & rixæ non oriantur. Ut autem inter uxores rivales, ita quoque inter liberos ex diverſis matribus natos diſſidia facile oriuntur, quod liberorum Jacobi patriarchæ & Davidis regis exempla abunde comprobant. Qui plura deſiderat, adeat Arniſæum de jure connub. cap. IV. ſect. IV.

VII.) *Ex polygamiæ origine.*

§. CCXVIII. VII.) Ex *polygamiæ origine.* Si polygamia eſſet naturæ conformis, Deus procul dubio eam initio inſtituiſſet, cum eo tempore videretur maxime utilis ac pene neceſſaria ad generis humani propagationem. Jam vero Deus eam initio non inſtituit, nec primi & antiquiſſimi patriarchæ ante diluvium ea leguntur uſi. Primus, qui a regula divinæ inſtitutionis diſceſſit, fuit *Lamechus*, ex impia Caini poſteritate oriundus, Gen. IV. 19. de quo recte uſurpaveris illud: κακὸς κόρακος κακὸν ὠόν. Cainus enim Lamechi atavus non contentus fratris ſanguine ſeſe polluere, *a facie Dei*, hoc eſt, a veræ eccleſiæ conſortio ſeceſſerat, v. 16. ejus veſtigiis inſiſtens Lamechus non ſolum ipſe quoque manus ſuas ſanguine funeſtavit, ſed etiam leges conjugii divinitus ſancitas perrupit, & polygamiæ conſuetudinem introduxit. Tertullianus lib. de exhortat. caſtitat. cap. V. ſub fin. *Numerus conjugii a maledicto viro incepit. Primus Lamech duabus maritatus tres in unam carnem efecit.* Ecquid vero boni ab impia Caini poſteritate & Lamecho homicida exſpectari poteſt? Excipit Ochinus 1.) *In hiſtoricis non poſſe ex ſcripturis negativum duci argumentum. Quamvis ergo de polygamia patriarcharum in Sethi poſteritate a Spiritu ſancto nihil ſit adnotatum, ex eo tamen colligi non poſſe, Lamechum ejus primum auctorem exſtitiſſe.* Reſp. Spiritus ſanctus per Moſen tum ſanctam Sethi, tum impiam Caini poſteritatem recenſet in capite IV. & V. Geneſ. ſed inter Sethi poſteros nullum nominat polygamum, de ſolo Lamecho tanquam peculiare & proprium illud commemorat, quod primus duas uxores duxerit, at ſi inter patriarchas fuiſſet aliquis digamus, cur in genealogia ipſorum Spiritus ſanctus illud tacuiſſet, in Lamecho vero adnotaſſet? Urget Ochinus πολυτεκνίαν *Caini & poſterorum ejus taceri, neque tamen eam propterea negari poſſe, idem eſſe judicium de polygamia illius temporis patriarcharum.* Sed negamus eſſe parem utriusque rationem, nec tacuit Spiritus ſanctus illam impiorum πολυτεκνίαν, ſed ex conſequente intelligendum relinquit antecedens, quando Cainum civitatem exſtruxiſſe, eamque a nomine filii ſui Hanochiam vocaſſe adſerit v. 17. 2.) *Polygamiam Lamechi Deo non diſpliciſſe, cum liberos ex ea natos artium præſtantiſſimarum inventionibus nobilitarit.* Joſephus addit, *Lamechum ex duabus ſuis uxoribus ſeptuaginta ſeptem liberos ſuſcepiſſe*, ex quibus tres a Moſe nominantur *Iabel, Iubal & Thubalcain*, paſtoritia, muſica & fabrili arte nobiles. *Reſp.* bona externa & corporalia, in quibus etiam ſunt πολυτεχνίαι, & inventio artium ad hanc vitam ſpectantium piis atque impiis ſunt communia, neque poteſt ex illis argumentum favoris divini indubitatum peti. Exemplum Jephthæ ac Salomonis docet, Deum quan-

quandoque corporali benedictione cumulare etiam eos, qui ex illegitimo concubitu nati. Adde, quod artes, quarum inventio filiis Lamechi tribuitur, potius ad luxum, voluptates & crudelitatem, quam ad reipublicæ commodum & divini cultus incrementum spectabant, ut recte monet Gesner in comment. Gen. IV. 3.) *Factum hoc Lamechi a Mose enarrari, non autem vituperari.* Resp. quamvis *explicite* & *in specie* illud a Spiritu sancto ibidem non taxetur, tamen *implicite* & *in genere* reprehenditur, tum præcedente conjugalis institutionis divinitus sancitæ expositione, cui ἀντιθετικῶς Lamechi factum opponitur, tum personæ, sive auctoris descriptione, cui sanguinaria crudelitas, profana impietas & Epicuræa securitas tribuitur v. 23.

§. CCXIX. VIII.) *Ex primitivæ ecclesiæ in novo testamento consuetudine.* Postquam enim Christus & apostoli ab exemplis patrum & vulgata in populo Judaico consuetudine ad primævam conjugii institutionem homines nov. testam. revocaverant, polygamiam omnes pii horrere & fugere cœperunt, nec potest probatum aliquod ex historia novi testamenti proferri polygamiæ exemplum. De imperatore *Valentiniano seniore* alioquin christiano referunt Socrates libr. IV. histor. cap. XXXI. ac Nicephorus lib. XI. histor. cap. XXXIII. quod *cum amore cujusdam Justinæ captus esset, eamque vivente adhuc priore conjuge Severa in matrimonium ducere vellet, legem tulerit, ut cuique volenti liceret duas uxores habere legitimas, ut hac ratione colore aliquo intemperantiam suam tegeret;* sed lex illa statim in prima segete fuit exstincta, nec ejus indulgentiam amplexi leguntur alii ex christianis. Justinus martyr, qui secundo post Christum natum seculo vixit, de sui temporis christianis scribit in dial. cum Tryphon. p. 263. *Tanquam agricolæ exercemus veram pietatem, justitiam, humanitatem &c. sub vite quisque sua sedens, id est, sola nupta quisque muliere sua contentus.* Augustinus de bon. conjug. cap. XV. *Non est nunc propagandi necessitas, quæ tunc fuit, quando & parientibus conjugibus alias propter copiosiorem posteritatem superinducere licebat, quod certe nunc non licet. Nam tantum adfert opportunitatis ad aliquid juste agendum sive non agendum temporum secreta distinctio, ut nunc melius faciat, qui, nec unam duxerit, si se continere possit, tunc autem etiam plures inculpabiliter ducebant, & qui se multo facilius continere possent, nisi aliud pietas illo tempore postularet.* Libr. I. de nupt. & concupisc. cap. IX. *Magis pertinere ad nuptiarum bonum non unum & multas, sed unum & unam, satis indicat ipsa prima divinitus facta conjugum copula, ut inde connubia sumerent initium, ubi honestius adtenderetur exemplum.* Theophylactus in Matth. XIX. *Non oportet unum virum multis copulari, nec unam fœminam multis viris, sed, ut initio conjuncti sunt, manere.* Plura hujusmodi contra polygamiam dicta apud veteres ecclesiæ doctores passim occurrunt (*), unde etiam.

VIII.) *Ex primitivæ ecclesiæ consuetudine.*

§. CCXX. Christiani imperatores eamdem expressis legibus prohibuerunt, ex quo nascitur argumentum IX.) ex *legum* scilicet *imperialium sanctione* ductum. Theodosius, Arcadius & Honorius imperatores, quamvis multa Judæis permiserint, polygamiam tamen in illis ferre noluerunt. l. VII. C. de Judæis: *Nemo Judæorum morem suum in conjunctionibus retineat, nec juxta legem suam nuptias sortiatur, nec in diversa sub uno tempore conjugia conveniat.* Conf. §. VII. Instit.

IX.) *Ex legum imperialium sanctione.*

(*) BASILIVS *can. LXXX.* observat, patres *polygamiam silentio prætermisisse, ut belluinam & penitus ab hominum genere alienam.* Vid. quæ de hocce canone adnotavit IOSEPH BINGHAMVS in *origin. sive antiquitatib. ecclesiast. vol. VII. p. 429.*

Instit. de nupt. Novella constitutio Caroli V. in ordin. crim. artic. 121. pœnam polygamiæ (quæ olim erat eadem cum pœna simplicis stupri, *l. eum qui duas. Cod. ad l. Jul. de adult.*) commutavit in *pœnam adulterii*, seu *gladii*, quæ sanctio Carolina constitutione electorali Saxonica non solum confirmata, sed etiam extensa fuit, ut ne quidem remissio conjugis alterutrius locum habeat part. IV. constit. 20. & ibi Mollerus.

§. CCXXI. Opponenda

Antithesis. hæc sunt polygamiæ *Judæorum* (*), qui in novo testamento eamdem sibi adhuc licitam & concessam esse volunt. Justinus in dial. cum Tryph. p. 285. *Magistri vestri ad hoc usque tempus quatuor & quinque uxores unumquemque vestrum habere permittunt.* Sed quia in servitutem christiani magistratus sunt redacti, ideo merito ad leges christianorum servandas coguntur. Majores ipsorum coram Pilato dixerunt: *Non habemus regem, nisi cæsarem Romanum;* Joh. XIX. 15. vivant ergo Romanis legibus juri divino ac naturali conformibus. Hodierni Judæi in plerisque provinciis propter crebra exsilia & adversitates non ducunt plures, sed unam tantum uxorem, secuti constitutionem rabbini Gersonis anno 1040. mortui, qui sancivit, *non nisi unam uxorem esse ducendam.* Christianus Gerson conversus Judæus lib. I. thalm. Iud. cap. XX. II.) *Turcarum.* Mahumetes in alcorano cuilibet potestatem facit *tot uxores ducendi, quot alere possit*; in cap. Elminim. azoar. VIII *quotque in bello captivas ceperit.* Busbequius epist. III. p. 144. *Turcæ hodie, quotquot libet, ad legitimam uxorem pellices adsumunt, quas emunt, aut bello adquirunt, ubi earum tædet, in forum productas vendunt.* Æneas Sylvius cap. XVI. Imperator Turcicus plurimas sive uxores, sive concubinas alit, ex quibus, si quam ad usum conjugalem expetit, illi gynæceum pervagatus sudariolum injicit. III.) *Chinensium*, de quibus Ioh. Mendoca lib. II. de China cap. IX. *Chinenses tot sibi matrimonio jungere fœminas possunt, quot alendis sufficiunt, sed quæ prior nupserit, uxoris, reliquæ concubinarum & ancillarum loco sunt.* IV.) *Anabaptistarum.* Johan. Leidensis Monasterienium Anabaptistarum coryphæus docuit, *virum non esse devinctum uni conjugi, ac licere quantumvis multas in matrimonium ducere;* ipse quoque uno & eodem tempore ternas duxit uxores, quod exemplum alii certatim sunt secuti, ita quidem *ut etiam in laude poneretur frequens matrimonii repetitio.* Sleidanus lib. X. comment. p. 273. *Iohannes Bocholdius, Leidensis*, polygamiam ex professo probavit & ipse simul 12. uxores habuit. Casp. Ulenbergius caus. 9. *Hetzerus Anabaptista* uno tempore simul tredecim uxores duxit, Canus lib. II. cap. XII. *David Georgius* negavit liberum esse, unum uni uxori adstringi, sed alias plures posse habere ad augendam prolem. Bullingerus lib. II. cap. XIV.(**) Eamdem de polygamia doctrinam *Anabaptistis* tribuit Chemnitius part. II. exam. conc. Trident. sess. 24. can. 2. *Recte* [inquit] *& merito damnantur Anabaptistæ, & quicunque sunt, qui contra normam primæ institutionis in principio creationis traditæ & postea a Christo repetitæ & confirmatæ polygamiam in nov. test. vel introducere, vel defendere conantur.* V.) Disputationibus *Bernhardini Ochini*, qui

(*) De polygamia *Judaeorum* evolvi merentur IO. SELDENVS, in opere, quod inscribitur: *uxor ebraea, cap. IX. operum* Londini junctim editorum *vol. II. p. 563. seqq.* atque IACOB. BASNAGIVS in *histoire des Juifs, tom. VI. chap. XXIII. p. 475.*

(**) Theophrastus Paracelsus scribere non fuit veritus, *Deum plures creasse foeminas, quam masculos, multas etiam facere viduas, aequum igitur esse ac necessarium, ut ad vitandam scortationem unus vir decem foeminas ducat.* Item: *Deum instituisse conjugium; sed non determinasse, an unus vir unam conjugem, an plures ducere debeat?* GERHARDVS.

qui polygamiam christianis licitam & concessam esse publico scripto contendit, libr. II. dial. XXI. p. 200. quem Beza in libr. de repud. & divort. insectatur, ut nihil dicamus de veteribus hæreticis; Basilidis & Carpocratis sectatores indifferentes congressus variasque nuptias admiserunt, Irenæus libr. I. cap. XXXII. Hermogenem Tertullianus arguit, quod quotidie nuberet.

Argumenta pro polygamia simultanea. I.) Ex patriarcharum exemplo.

§. CCXXII. I.) Potissimum pro stabilienda polygamia argumentum patroni ejusdem ex *sanctorum patriarcharum exemplo* deducunt. Sed ad illud diversimode responderi solet. Bellarminus de matrimon. cap. X. recenset tres sententias. 1.) Quidam existimant, *patriarchas unam tantum legitimam uxorem habuisse, ceteras vero concubinas eorum fuisse.* 2.) Quidam contra statuunt, *fœminas illas patriarcharum veras & legitimas uxores fuisse*, quin etiam adserunt, *id non esse prohibitum, nisi jure positivo evangelico.* 3.) Quidam via ingrediuntur media, ac *patriarchis ex divina dispensatione licuisse plures uxores ducere*, quam sententiam Bellarminus recte vocat *communem.* Eamdem enim amplectuntur Lombardus & plerique scholastici lib. IV. sent. dist. 33. Turrecremata & alii canonistæ in c. *dixit Sara* 32. q. 4. ex recentioribus Azorius lib. VI. instit. moral. c. XIII. q. 1. Pererius in cap. XVI. Genes. disp. 1. Alphonsus de Castro adverss. hæres. in verb. Nuptiæ, & alii complures. Verum hi iterum in divortia sententiarum abeunt. Quidam enim volunt, *singulis patribus peculiarem adfuisse divinam inspirationem, qua intelligerent licere sibi divina dispensatione pluribus uxoribus jungi*; alii volunt sufficere, *quod primis patriarchis divina inspiratione innotuerit ea dispensatio.* Item alii hanc dispensationem *tantum cum populo Dei*, alii *cum omnibus gentibus factam* docent. Bellarminus igitur suam sententiam sex propositionibus includit: 1.) *Circa polygamiam tam uxoris cum multis viris, quam viri cum multis uxoribus nullus homo dispensare potest, & maxime post evangelium prædicatum.* Rationem adfert hanc: *quia polygamia prohibita est, primum jure divino naturali, & deinde jure divino evangelico, non potest autem inferior dispensare in lege superioris, proinde nec homo in lege Dei.* 2.) *Potest Deus dispensare circa polygamiam unius viri cum pluribus uxoribus, non autem unius uxoris cum multis viris.* Rationem adfert talem: *Duo præceptorum genera ad jus naturæ pertinent, quædam universalia & communissima, quæ sunt velut principia prima juris naturæ, quædam alia, quæ ex primis tanquam conclusiones derivantur. Priora illa continent ita universaliter regulam rectitudinis, ut in nullo casu mentione ulla indigeant, & ideo sunt omnino indispensabilia; qualia sunt præcepta decalogi. Posteriora autem continent quidem regulam rectitudinis, sed aliquando mutatis circumstantiis rerum & personarum utile est legem mutari, ab eo scilicet, qui legem posuit.* Polygamiam unius fœminæ cum multis viris dicit pertinere *ad prima illa principia juris naturæ*, ideoque per nullam mutationem circumstantiarum posse fieri bonam, secus vero se rem habere in polygamia unius viri cum multis uxoribus, quæ ad *posterius genus præceptorum* pertineat, ac dispensationem admittat. 3.) *Ad dispensationem divinam non requiritur externa aliqua locutio, vel scriptura, nec sufficit, quod recta ratio dictet, alicui illam esse licitam, sed requiritur peculiaris inspiratio Dei. Lex enim prohibens polygamiam non erat solum naturalis, quia rectæ rationi conformis, sed quia Deus speciali inspiratione docuerat Adamum, quæ esset natura matrimonii a se instituti, & proinde se velle, ut monogamiam contineret. Ergo ut speciali inspiratione sancita fuerat a Deo lex monogamiæ, ita speciali inspiratione opus erat*

in

in ejus dispensatione. 4.) *Dispensatio circa polygamiam indicata est a Deo primis aliquot patribus, deinde illorum verbo, aut exemplo ad ceteros pervenit.* Probat ex eo, quod *tempore Abrahæ & deinceps res fuerit omnibus nota, cum Sara ad ducendam secundam uxorem eum induxerit, Laban Iacobo duas filias obtulerit, & rursus illæ duas alias uxores eidem obtulerint, cumque Moses* Deut. XXI. *de polygamia tanquam de re nota, & passim licita loquatur.* 5.) *Probabile est dispensationem concessam fuisse omnibus gentibus, non autem solis Hebræis.* Probat id auctoritate Augustini lib. XVI. de civit. Dei cap. XXXVIII. libr. XXII. contra Faustum cap. XXXXVII. & ratione ea, quod *non solum Abraham & Iacob & eorum posteri, sed etiam Esau, qui ad populum Dei non pertinebat, multas uxores duxerit, nec hoc nomine a scriptura reprehendatur, quodque scriptura nuspiam Ismaelitas, vel gentiles propter uxorum pluralitatem reprehendat.* 6.) *Probabile est, dispensationem hanc ante Christi adventum cessasse, sed si non tunc cessaverit, certum est, a Christo omnino esse sublatam, ita ut jam non solum Christianis, sed etiam aliis gentibus omnibus polygamia sit prohibita.* Prius probat ex eo, quod *cessaverat causa dispensationis, videlicet paucitas hominum.* Posterius ex Matth. XIX. Hic est Bellarmini de patriarcharum polygamia discursus.

Nostrorum de polygamia patriarcharum sententia.

§. CCXXIII. Ex nostris itidem quidam statuunt divinam *dispensationem* intercessisse. Censent enim, Deum quidem in prima conjugii institutione sanciviſſe, ut unus tantum masculus ac fœmina una in conjugio sociarentur; sed quia Abrahæ semen multiplicari voluit, ideo eum circa legem istam dispensasse, & ab ejus obligatione Israelitas absolvisse licentia illis facta multas simul uxores in matrimonium adsciscendi, quamvis de tempore dispensationis nihil certi adfirmari posse existiment. Alii contra & quidem plures statuunt, nullam unquam dispensationem divinam circa legem de monogamia esse factam, patriarchas ergo non ex inspiratione, vel dispensatione divina, sed ex prava temporum illorum consuetudine posteritatis latius propagandæ desiderio a divina ordinatione secessionem feciſſe, & hunc in illis nævum fuisse a Deo toleratum & pœnitentiam agentibus remissum, nunquam vero in se ac per se adprobatum. Qui priorem sententiam amplectuntur hæc potissimum fundamenta urgent. 1.) Deut. XXI. 15. talis lex promulgatur: *Si quis habet uxores duas, alteram dilectam, alteram exosam, non potest præferre filium dilectæ filio exosæ in jure primogenituræ.* At quisquis disponit de jure inter liberos polygamorum, is etiam adprobat polygamiam. Deus ibidem disponit de jure inter liberos polygamorum. Ergo. 2.) Deut. XXV. 5. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratri suo.* Jam vero sæpius accidebat, ut frater ille vivus jam ante esset maritus. Ergo is divino mandato jubebatur esse polygamus. 3.) 2 Sam. XII. 8. inquit Deus ad Davidem: *Dedi tibi domum domini tui, & uxores domini tui in sinum tuum.* Ergo polygamia Davidis, qua uxores Saulis sibi copulavit, a Deo ipso originem duxit. 4.) Aut *sciverunt*, aut *ignorarunt* patriarchæ, polygamiam esse peccatum pugnans cum prima conjugii institutione. Posterius dici nequit: a) quia legerunt & audierunt divinam conjugii institutionem verbis perspicuis Gen. II. expositam; b) sæpius cum Deo collocuti sunt, qui patribus hoc revelasset, si polygamia ut peccatum ipsi displicuisset; c) per prophetas & sacerdotes ob polygamiam nuspiam leguntur reprehensi; d) multi ex illis fuere donis prophe-

Argumenta pro inspiratione divina.

pheticis illustres, ut Abrahamus, David, &c. quos legis contra polygamiam latæ penitus ignaros fuisse cogitari vix potest. Nec prius commode adseritur. (α) Si enim sciverunt polygamiam esse peccatum, ac nihilominus ei indulserunt, consequens fuerit, quod ex proposito & destinata malitia peccaverint, ac proinde in peccato mortali perpetuo vixerint, nec Deo placere potuerint. (β) Ubi nulla peccati displicentia, ibi non potest statui vera pœnitentia. At in patribus non fuit polygamiæ displicentia, neque enim abjecerunt superinductas uxores, sed ad finem usque vitæ illis cohabitarunt. Ergo nec veram de hoc peccato egerunt pœnitentiam, & per consequens, in peccato mortali ad extremum usque vitæ spiritum contumaciter perseverarunt. (γ) Ut ignorantia juris non excusat, sic nuda opinio non tollit rationem peccati mortalis. Quod si ergo sciverunt patriarchæ legem conjugii, ac nihilominus polygamiam legi isti repugnantem fuerunt amplexi, peccatum mortale commiserunt, etiamsi opinati fuerint, legem illam non violari per polygamiam. 5.) Permissio illa, qua Deus patribus πολυγαμίαν dicitur permisisse, non potest esse nuda & simplex *tolerantia*, alias non fuisset patribus alia ratione polygamia permissa, quam qua hodie Turcis & gentilibus adhuc permissa: nec potest explicari per *non-imputationem*, quia fuisset in patribus peccatum mortale, utpote plena voluntate & scientia commissum, jam vero pugnat cum divina justitia peccatum mortale non imputari; sequeretur insuper peccata venialia, quæ Deus renatis non imputat, itidem speciatim a Deo permitti, peccatum mortale absque pœnitentia, quæ in patribus de hoc peccato non occurrit, remitti, ac solis piis & sanctis, non in genere omnibus Israelitis polygamiam fuisse permissam, quæ omnia sunt absurda. Nec potest permissio illa per *remotionem pœnæ politicæ* explicari, sequeretur enim, patres omnes fuisse extra forum poli commissum, nec per pœnitentiam deletum: sequeretur quædam peccata, quæ coram Deo vere talia, non fuisse a prophetis reprehensa, quin & mendacium, ebrietatem, sabbati profanationem atque alia, quæ civiliter non puniuntur, a Deo & olim & etiamnum esse permissa. 6.) Absurdum videtur statuere, quod Abrahamus, vir sanctissimus ac parens sanctitatis, a prophetis & Christo ipso nunquam sine honore nominatus, & a justitia & sanctitate ubique commendatus, vel ignoraverit polygamiam esse peccatum conjugii institutioni repugnans, vel scienter, & ex proposito peccatum mortale commiserit. 7.) Nisi dispensatio conceditur, dicendum erit, plurima patrum conjugia fuisse *illegitima*, secundarias uxores fuisse scorta, liberos ex illis susceptos esse spurios, & ex fornicatione natos. Joh. VIII. 41. 8.) Urgentur dicta patrum. Justinus in dial. cum Tryph. circa finem pag. 291. *Non tanquam fornicantes patriarchæ habuerunt plures uxores, sed œconomia quædam id atque dispositio fuit.* Augustinus libr. III. de doctrin. christ. cap. XII. *Sufficiendæ prolis causa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo.* Libr. XVI. de civit. Dei. cap. XXXVIII. *Eo tempore multiplicandæ posteritatis causa multas uxores habere nulla lex prohibebat.* Lib. XII. contra Faustum cap. XLVII. *Peccata alia sunt contra naturam, alia contra morem, alia contra præceptum. Si naturam consulas, patres non lasciviendi, sed generandi causa pluribus mulieribus utebantur; si morem, illo tempore, & in illis locis hoc factitabatur; si præceptum, nulla lege prohibebatur.* Idem: *Quando mos erat, crimen non erat, & nunc propterea crimen est, quia mos non est.* Hieronymus in epist. ad Ocean. *Sciebat apostolus lege concessum, exemplo patriarcharum ac Mosis familiare populo noverat in multis uxoribus liberos spargere.*

§. CCXXIV. Alii contra negant dispensationem circa tum gratiæ propter peccatum mortale in

Responsiones

ad adlata argumenta pro dispensatione.

legem conjugii esse factam, ac velut jurisconsulti dicunt, *legi generali tanquam regulæ tamdiu esse standum, donec specialis exceptio probetur*, ita censent, primævam illam conjugii legem perpetuo mansisse immotam, nec per contrariam dispensationem ab ejus obligatione patres fuisse liberatos, cum certis & immotis scripturæ fundamentis exceptio dispensationis probari nequeat. Ad *primum* igitur argumentum ex Deut. XXI. 15. pro dispensatione stabilienda adductum respondere possunt: 1.) Exosam illam potuisse esse vel repudiatam, vel etiam mortuam, qua ratione maritus non fuerit polygamus simultaneus. 2.) Leges ferri non solum de iis, quæ adprobantur, sed etiam de iis, quæ tolerantur. Mosen igitur hic agere politicum legislatorem in vita civili, non ecclesiæ doctorem in vita spirituali. 3.) Axioma illud, qui disponit de consequente, ille etiam vult antecedens, multas pati ἐνστάσεις in νομοθεσία. Sic vetat Deus *meretricium*, sive prostibuli mercedem, inferri ærario templi, Deut. XXIII. 18. nec tamen meretricium quæstum adprobat. Aliud est factum aliquod publica consuetudine receptum nude recensere, & ex eo casum (ut vocant) formare, aliud vero illud factum tanquam legitimum & divinitus concessum adprobare, quod posterius ex priore deduci nequit. 4.) Non posse ex hoc loco quidquam amplius colligi, quam quod Deus in populo suo polygamiam publica & universali consuetudine receptam, peculiarem ob finem, videlicet Abrahæ posteritatem multiplicandam, toleraverit, licet ipsa sine transgressione legis primordialis non fuerit. Ad *secundum* ex Deut. XXV. 5. respondere possunt, legem illam diversimode explicari, ut adparebit inferius. Hoc loco illud sufficit monuisse, verba in principio legis posita, si *habitaverint fratres* יחדו *pariter*, continere legis explicationem, quod non in genere & indeterminate de quibusvis fratribus, sed in specie ac determinate de fratribus una in ædibus, scilicet paternis, adhuc habitantibus ea sit accipienda. Jam vero filii matrimonium contrahentes ac patresfamilias facti non amplius habitant in ædibus paternis, Gen. II. 24. sed propria quærunt domicilia. Ergo de fratre adhuc cœlibe, non autem marito, constitutio de ducenda fratria erit accipienda. Eadem limitatio colligitur ex hac ratiocinatione: Interpretatio semper ita facienda est, ne ducat ad absurdum. Atqui absurdum est statuere, Deum, qui lege conjugii divinitus sancita polygamiam prohibuerat, quique Levit. XVIII. 18. sororem uxoris ea adhuc vivente *ad adfligendum eam*, sive injuria eam adficiendum sibi copulare, expressis verbis interdixerat, hac lege Mosaica polygamiam voluisse mandare, ac stante prioris prohibitionis causa nihilominus per expressum jubere, ut in quietum & pacatum fratris cum legitima uxore matrimonium adsciscereturfratria, a qua graviores forte metuendæ erant rixarum & dissidiorum occasiones, quam ab uxoris sorore. Quod si apud Judæos usu receptum fuisset, fratriam duci a fratre jam ante nuptiis implicito, certe Sadducæorum quæstio de muliere septemvira Christo proposita fuisset intricatior, nec Sadducæi illam circumstantiam prætermisissent, quod unus, itemque alter ex fratribus binas simul uxores habuisset, Matth. XXII. 25. Neque ex Boozi Ruthæ ducentis exemplo contrarium manifeste colligi potest, cum de eo non exstet adnotatum, an maritus, an vero viduus fuerit? Si dicas, *posito eo, quod majus, poni potest, quod minus. At magis repugnat juri naturæ conjugium fratriæ, quam polygamia, ergo posita dispensatione in conjugio fratriæ potest etiam poni dispensatio in polygamia;* respondere possunt per inficiationem. Polygamiam enim magis pugnare cum essentialibus matrimonii, cum individua scilicet duorum in unam carnem con-

1.) *Ex Deut. XXI. 15.*

2) *Ex Deut. XXV. 5.*

jun-

junctione, cum contra fratriæ conjugium tantum pugnet cum gradibus lege divina prohibitis, in quibus dispensationem pro ratione temporis habere locum, Caini ac Sethi cum sororibus inita conjugia ostendunt. Sed de hac re infra plenius. Ad *tertium* ex 2 Sam. XII, 8. respondere possunt: 1.) Non posse hunc locum de conjugio intelligi, quia David filiam Saulis Michol in conjugium adsciverat, ac proinde erat gener Saulis, utique ergo lege divina prohibitus fuit ducere socrus suas; uxores scilicet Saulis, inter quas Micholis mater erat. Lev. XVIII. 15. *Turpitudinem nurus tuæ non revelabis*, ubi interdicitur socero conjugium cum nuru, ergo vice versa etiam interdictum est conjugium generi cum socru. Nec est, quod dicatur, *novercas Micholis fuisse tantum secundo adfinitatis genere Davidi conjunctas, ac proinde nullam juris divini prohibitionem hic intercedere*, quia generaliter loquitur Nathan de uxoribus Saulis, neque excipit ex illis Micholis matrem. Adde quod ut David cum Michol, ita quoque Saul cum uxoribus suis factus erat per conjugium una caro, quod si ergo David duxisset Saulis uxores, conjugium iniisset cum illis, quas matrum loco habere ipsum oportebat. Neque uspiam legitur, David Saulis uxores matrimonio sibi copulasse, cum reliqua ipsius conjugia diligenter sint adnotata. 2.) Non ergo de conjugio, sed de dominio Davidis in uxores Saulis verba Nathanis sunt accipienda. Propheta enim totus in eo est, ut divina beneficia Davidi exhibita graviter exaggeret, quod scilicet Deus ipsum in regium evexerit solium, & plenam regni potestatem ipsi dederit, adeo ut etiam uxores regis Saulis prædecessoris ipsimet obsequi fuerint coactæ. Quamvis enim phrasis illa *dare in sinum, esse in sinu, cubare in sinu, &c.* de re uxoria sæpius usurpetur; Gen. XVI, 5. Deut. XIII, 6. XXVIII, 56. tamen significatio illa non est perpetua, cum interdum simpliciter pro relativo accipiatur, *dedi in sinum tuum*, id est, tibi, inde 1 Reg. I. 2. de Abisag, quam tamen David non cognovit, dicitur: *dormiat in sinu tuo.* Targum reddidit לְוָתָךְ *apud te.* Si dicas, Abisag etiam absque copula maritali fuisse Davidis conjugem, ac proinde phrasin illam adhuc esse conjugalem, opponi possunt sequentia loca, in quibus phrasis ea non potest de conjugali societate exponi: 1 Reg. I, 20. Psalm. XXXV. 13. LXXIX. 12. Esai. LXV. 7. Cumprimis vero urgeri potest locus Luc. VI. 38. *mensuram superefluentem dabunt in sinum vestrum*, id est, in potestatem & proprietatem vestram. 3.) Quidam concedunt, phrasin illam de consortio maritali posse hoc loco accipi, cum de ovicula *in sinu divitis* cubante v. 3. sic videatur accipienda; sed addunt, *comparate* id esse dictum hoc sensu: Si noluisses iis, quas habes, uxoribus esse contentus, poteras ex toto regno eligere alias, quas velles, solutas scilicet a matrimonio, ac maritatam relinquere viro suo. Verbum enim נתן apud Hebræos non semper usurpatur de *legitima concessione*, sed de tolerantia & conniventia; Gen. XX, 6. Num. XXI, 23. Jud. XI, 19. 1 Reg. XI, 7. qua ratione denotaret non id, quod absolute & simpliciter licitum, sed quod in comparatione minus illicitum. Ad *quartum* ex peccati mortalis natura & conditione petitum respondere possunt, patres ex *ignorantia* peccasse, ideoque polygamiam ipsorum non fuisse peccatum actu mortale, quia peccata ignorantiæ & infirmitatis piis a Deo condonantur, si ex vera in Christum fide cum Davide dicant: *Peccata quis intelligit, ab occultis meis munda me;* Psalm. XIX, 13. Quamvis enim institutio conjugii non fuerit patribus ignota, tamen genuinus ille divinæ institutionis sensus, quod duo tantum & non plures in carne una esse debeant, ipsis ignotus fuit. Quare cum viderent, polygamiam esse publica consuetudine receptam, promissionem de multiplicatione posteritatis sibi factam, θεοῦ

3.) *Ex 2 Sam. XII. 8.*

4.) *Ex natura peccati mortalis.*

ὑπεριδόντος τὰς χρόνας τῆς ἀγνοίας, Act. XVII. 30. Deo tolerante ac dissimulante apud omnes fere gentes illo tempore polygamiam vigere, Deum in conjugio fratrum ac sororum in principio dispensasse, &c. in hanc devenerunt opinionem, quod polygamia non pugnet cum prima conjugii institutione, sed sit res media & adiaphora. Neque hanc ignorantiam quisquam mirabitur, si consideret Evam & Lamechum errasse in persona Messiæ promissi illius seminis, cum tamen prima promissio clare testetur Messiam fore θεάνθρωπον, utpote serpentini capitis conculcatorem; si expendat, Saram matriarcham in hoc ipso facto, quando Agarem ancillam marito Abrahæ conjungit, etiam alia ratione a vero divinæ promissionis sensu aberrasse, quod scilicet non ex ipsius, sed alterius fœminæ cum Abrahamo consortio heres sit exspectandus, si cogitet, quanta sit vis consuetudinis publico quasi consensu receptæ; si in memoriam sibi revocet, non omnia, quæ a patriarchis gesta, a spiritu plenæ cognitionis luce illustrato, sed quædam ex prudentia, timore & errore carnali esse profecta, utpote quando Abraham Saram apud Ægyptios vocat suam *sororem* Genes. XII. 13. & apud Gerarenses uxorem eam esse iterum dissimulat c. XX. 2. Filiæ Lothi dubio procul in omni pietate & honestate a parente institutæ non libidinis explendæ, sed prolis suscipiendæ desiderio stolidum & divinæ legi adversum capiunt consilium c. XIX. 31. Sed hos ac similes nævos, hæc peccata ignorantiæ & infirmitatis Deus vel ob conjunctam, vel sequentem pœnitentiam patribus condonavit, & propter Messiam vera fide adprehensum in gratiam eos recepit. Si dicas, *patres non egisse de polygamia pœnitentiam*, distinguendum erit inter pœnitentiam generalem & specialem. Quamvis patres in *specie* de hoc peccato non egerint pœnitentiam, tamen in *genere* peccata ignorantiæ sibi remitti vera fide petierunt, sicut etiam in lege peculiaria sacrificia pro *peccatis ignorantiæ* fuere ordinata. Proinde licet in polygamia hæserint usque ad finem vitæ, tamen illa non fuit in ipsis peccatum actu mortale, cum non ex certa scientia & deliberata voluntate contra legem peccarint; jam vero peccata ignorantiæ in renatis per pœnitentiam & fidem redduntur venialia. Si urgeas, *prophetas non damnasse polygamiam, cum tamen alia peccata reprehenderint;* recurri posset ad Lev. XVIII. 18. de cujus legis genuino sensu tractabitur inferius, & Malach. II. 14. ubi non solum repudia, sed & polygamiam taxari, non injuria quidam existimant, sed & exemplis quamplurimis demonstrari potest, nec omnium peccatorum reprehensiones esse adnotatas, nec illorum ipsorum peccatorum, quæ in scripturis memorantur, descriptioni specialem aliquam reprehensionem semper esse adjectam, Gen. XIX. 33. 2 Sam. XVI. 4. &c. sed ex lege tanquam generali regula eam esse petendam. Probe etiam dispiciendum erit, an in conjugio Jacobi cum duabus sororibus dispensationem divinam statuere possimus? quod cum videatur vix admitti posse contra expressam legem Mosaicam, Lev. XVIII. 18. quæ etiam est lex naturalis, inde colligere promtum, non esse immediatam oppositionem: Aut in polygamia concedenda est dispensatio, aut patres polygami vixerunt in peccato actu mortali; idem enim de Jacobi polygamia dici potest, in qua tamen divina quædam dispensatio vix possit statui, datur igitur tertium, quod scilicet polygamia in se quidem peccatum fuerit, interim tamen patribus, qui peccatum eam esse ignorarunt, fide in Messiam fuisse remissum. Ad *quintum* & *sextum* responderi potest ex iisdem fundamentis. Magna quidem lux divinæ cognitionis fuit in patribus vet. testamenti, si comparetur ad tenebras ethnicas; interim tamen si ad lucem nov. test. fiat comparatio, illorum tempus confer-

5.) 6.) & 7.) *Ex absurdis, quæ e contraria hypothesi fluunt.*

fertur nocti, novi autem testamenti tempus diei. Rom. XIII. 12. Ad *septimum* responderi potest per distinctionem. Conjugium *legitimum* duplici sensu dicitur, vel quod divinæ institutioni ac legibus divinitus sancitis per omnia & exacte conforme, vel quod a regula quidem institutionis ex ignorantia & errore communi quodammodo recedit, interim tamen statutis ac moribus publicis pro legitimo habetur, quale fuisse patrum cum secundariis uxoribus conjugium dici potest. Ad *octavum* regerere quis potest, ne ipsos quidem pontificios, patronos dispensationis maximos, Hieronymi & Augustini sententiam simpliciter acceptare. Sic enim scribit Bellarminus de matrim. cap. 11. *Est alia sententia aliorum, qui non solum docent, fœminas illas patriarcharum veras & legitimas uxores fuisse, sed etiam affirmant, id non esse prohibitum, nisi jure evangelico positivo, quam sententiam esse volunt sanctorum patrum Hieronymi & Augustini. Hæc tamen sententia* (inquit) *repugnat Innocentio III. cap. Gaudemus. de divort. repugnat Chrysostomo, homil. LVI. in Genes. XXX. repugnat Ambrosio, lib. I. de Abraham. cap. 4. repugnat manifestæ rationi. Si enim solo jure evangelico positivo, non autem jure naturali prohibita esset polygamia, liceret hoc tempore infidelibus plures uxores habere, cum non teneantur particularibus legibus evangelii, antequam christiani fiant.*

8.) *Ex dictis patrum.*

Ἐπίκρισις. §. CCXXV. Atque hæc de polygamia patrum in utramque partem ita disputantur, de quibus sequentes notari possunt aphorismi. I.) Quæstio de polygamia patrum non concernit articulum aliquem fidei, ideo etiam dissensio in illius explicatione unitatem fidei non tollit. Nemo enim ex nostris hodie negat, polygamiam pugnare cum primæva conjugii institutione; nemo negat in nov. test. polygamiam esse penitus illicitam ac damnatam, de eo duntaxat quæritur, quomodo patrum polygamia sit excusanda? *In omnibus controversiis*, inquit Chemnitius in limine disputationis de baptismo Johannis, *ea, quæ necessarium habent usum in exercitiis pœnitentiæ, fidei & pietatis, discernenda sunt ab aliis disputationibus, in quibus opinionum diversitas, vel etiam levis quædam hallucinatio non infert jacturam fidei & salutis.* II.) Quæstionis de polygamia patrum decisio non est simpliciter necessaria ad solvendum Ochini argumentum pro polygamia in nov. test. stabilienda ex eadem deducta. Argumentum Ochini tale est: quod conforme est exemplo sanctissimorum patriarcharum, nec in illis fuit peccatum conjugii institutioni repugnans, illud in nov. test. christianis licitum est & concessum. Polygamia simultanea conformis est exemplo sanctissimorum patriarcharum, nec in illis fuit peccatum conjugii institutioni repugnans. Ergo. Hic commodissime & sufficientissime responderi potest per negationem *majoris* propositionis, quod a Christo & apostolis ad primævam institutionem simus revocati; quidquid ergo sit de polygamia patrum, sive ea in se peccatum fuerit, vel non fuerit, post institutionis repetitionem & confirmationem polygamiæ in nov. testamento non amplius esse locum. Non esse judicandum exemplis, sed legibus, ac in rebus controversis ad initia semper esse recurrendum. III.) In quæstione de polygamia sanctorum in vet. testamento si quis velit ἐπέχειν, nullam merebitur reprehensionem. Video hanc moderationem theologis præstantissimis placere, qui licet in unam quæstionis partem magis propendeant, alteram tamen sententiam non simpliciter damnant. Chemnitius part. II. exam. de matrimon. sess. XXIV. can. 2. *Quidquid sit, sive de dispensatione & permissione, sive de tolerantia Dei in polygamia veterum, hoc certum est, conjugium ex prima sui institutione esse unius maris & unius fœminæ conjunctionem.* Et postea: *Quod de patribus quibusdam*

vet. teſt. leguntur exempla polygamiæ, tribuatur ſane illud vel diſpenſationi Dei, ſicut Auguſtinus diſputat de bono conjugali, propter ſemen benedictum, quod ex illa gente naſci debebat, vel propter ſignificationem futuræ conjunctionis Judæorum & gentium in eccleſia Chriſti, vel tribuatur tolerantiæ Dei, neque enim omnibus vitiis liberi fuerunt patres, & multa in ſanctis ſuis Deus tolerat. Mentzerus tom. IV. diſp. Marpurg. 15. theſ. 72. *Politicum illum morem, quo patriarchæ non ex malitia, ſed communi conſuetudine ducti, reſpicientes in divinam promiſſionem de multiplicatione generis, non turpis libidinis explendæ, ſed augendæ familiæ gratia, plures ſibi uxores adjunxerunt, in populo Judaico Deum permiſiſſe, vel etiam in eo diſpenſaſſe, & polygamiam ad tempus conceſſiſſe nemo mirabitur, qui integram iſtius gentis hiſtoriam prudenter expenderit.* Meiſnerus part. I. ſobr. philoſ. ſect. 2. cap. 5. pag. 645. *De polygamia patrum, an intrinſece peccatum fuerit, nec ne? in utramque partem probabiliter diſputari poteſt, præſertim cum manifeſtam certamque deciſionem in ſcripturis non haberi adpareat.* IV.) Diſtinguendum inter certas demonſtrationes & probabiles conjecturas. Diſpenſatio divina probabilibus quidem conjecturis ac veriſimilibus argumentis perſuaderi forte poteſt, ſed apodicticis rationibus demonſtrari nequit. Incerta enim eſt illa diſpenſatio tum ratione *objecti*, quia nondum conſtat an ſolis Judæis, an vero etiam gentilibus diſpenſatio illa fuerit conceſſa? & ſi ſolis Judæis, an omnibus polygamis in populo Judaico, an vero tantum ſanctis patriarchis ſit facta? Bellarminus adſerit, quod *omnibus gentibus fuerit conceſſa*, ſed hoc ipſi etiam Azorio non probatur lib. VI. inſtit. moral. cap. 13. quæſt. 1. cum ſoli Abrahæ & ipſius poſteris de multiplicatione generis promiſſio fuerit facta, nec de gentilium poſteritate longe lateque propaganda Deus fuerit ſolicitus, ut propter eam jus naturale relaxaverit. Tum ratione *modi*, nondum enim conſtat, an per *externam aliquam locutionem*, an vero per *interiorem Dei inſpirationem* diſpenſatio facta fuerit? Itemque, an ſingulis patribus peculiaris inſpiratio adfuerit, an vero primis duntaxat patriarchis divina inſpiratione diſpenſatio innotuerit, qui eam ad poſteros deinde propagarunt? Tum denique ratione *temporis*, ſi vel *originem* ſpectes, an ſcilicet temporibus Abrahæ, an vero Noahi cœperit illa diſpenſatio? num ante diluvium, an vero poſt diluvium fuerit cognita? vel *durationem*, an ſcilicet ante Chriſti adventum ceſſaverit, an a Chriſto ſit ſublata? Unde Bellarminus toties repetit, *probabile eſt, &c.* V.) Diſtinguendum eſt circa diſpenſationem inter Dei *voluntatem* ac *poteſtatem*. Potuiſſe Deum diſpenſare circa polygamiam facile concedi poteſt, cum ſit legis ſuæ dominus; (quod Bellarminus adſerit, *Deum quidem diſpenſare poſſe circa polygamiam unius viri cum pluribus uxoribus, non autem unius uxoris cum pluribus viris*, id ita comparatum eſt, ut de eo non injuria ulterius quæri poſſit) ſed voluiſſe diſpenſare, vel etiam ipſo actu diſpenſaſſe, non poteſt tam certo ac firmiter demonſtrari. VI.) Qui diſpenſationem divinam hic ſtabilire conantur, ſententiam ſuam ſic exponant atque muniant, ne pontificiis detur occaſio traditiones extra ſcripturam urgendi, cum de diſpenſatione itidem non habeantur expreſſa ſcripturæ teſtimonia; Chriſtum novum legislatorem eſſe ſtatuendi, cum nova lege ſuſtulerit, quod veteri diſpenſationis lege erat conceſſum, & ex matrimonio ſacramentum nov. teſt. confingendi. *Lex nova*, (ſcribit Bellarminus de matrim. cap. 4.) *quæ jugum ſuave & onus leve dicitur, comparata cum veteri, eſſet in hac parte longe durior veteri, niſi gratiam ſacramentalem conjunctam matrimonium in nov. teſt. haberet, ſiquidem Hebræis licebat multas ſimul uxores habere, & impune conjuges per libellum re-*

repudii dimittere, ut proinde gratia illa sacramentali in conjugio non indigerent. VII.) Cavenda sunt utrinque quæstionis extrema. Ut enim absque insigni piorum patriarcharum injuria dici nequit, ipsos ob polygamiam in peccato actu mortali absque pœnitentia & extra statum gratiæ vixisse, ita quoque talem quamdam polygamiæ dispensationem introducere, quæ peculiari Dei inspiratione patribus fuerit indicata, nec solum omnibus Hebræis, sed etiam quibusvis gentibus fuerit concessa, vel etiam statuere, quod polygamia in se ac per se non pugnet cum prima conjugii institutione, sed tantum cum jure positivo evangelico Matth. XIX. demum a Christo promulgato, ad alterum extremum vergit. Apostolus Act. XIII. 18. pulcerrima voce exprimit divinam tolerantiam, qua Deus erga populum Israeliticum usus est, ἐτροποφόρησεν αὐτὰς, inquit. Christus de repudiis differens emphatice inquit, Mosen ut legislatorem politicum illud de repudio statuisse, nec dicit: *Moses vobis* præcepit, (in propria scilicet & stricta significatione apud Marcum cum generali significatione usurpatur) sed *permisit*, & quidem propter *duritiem cordis* permisit, hoc scilicet fine politico, ne quid pejus accederet, ut notanter addit: *Ab initio non fuit sic*, id est, non congruit cum norma & regula justitiæ in Deo æterna, nec cum prima conjugii institutione, sed in foro politico duntaxat ad tempus fuit permissum. Matth. XIX. 8. Idem κατ' ἀναλογίαν ad polygamiam, si quis adplicare velit, non multum aberraverit.

II.) 1 *Cor. VII. 7. Quilibet donum suum habet.*

§. CCXXV. Atque hæc dicta sint de primario Ochini argumento ex patriarcharum exemplis petito. Reliqua minoris sunt momenti, & ex superioribus facilem habent explicationem. II.) Ex 1 Cor. VII. 7. *Quilibet donum suum habet proprium ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic*, concludit hoc modo: *Quidquid moderationem aliquam secundum varia hominum dona recipit, illud non est adeo stricti juris. Conjugium juxta varia hominum dona moderationem recipit. Ergo.* Resp. apostolus non loquitur de conjugio jam contracto, quasi in illo a legibus institutionis pro diversitate personarum discedere liceat, diserte enim addit v. 10. *iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxor a viro non discedat;* sed loquitur de conjugio contrahendo, an satius sit conjugium inire, an vero in cœlibatus statu permanere? ubi respondet apostolus, donum continentiæ non esse omnibus commune, sed unumquemvis proprium habere donum, ideo non posse generalem aliquam de conjugio vel contrahendo, vel non contrahendo, regulam omnibus præscribi. III.) Gal. IV. 24. *Duo filii Abraham significarunt duo testamenta, sive duos populos. Ut enim Abraham habuit duos filios, unum ex libera, scilicet Sara, alterum ex ancilla, videlicet ex Hagar, sic Deus habuit duos populos, unum ex synagoga vet. test. serva, alterum ex ecclesia nov. test. libera. Significavit ergo Hagar synagogam. At synagoga non fuit adulterina conjunctione Deo copulata, sed legitima. Ergo & Agar, si vera est significatio, non fuit adultera, sed legitima conjux Abrahæ.* Resp. argumentum hoc nihil aliud probat, quam in vet. test. polygamiam vel per divinam dispensationem fuisse licitam, vel divina conniventia toleratam, ac conjugium Abrahæ cum Hagare ob publicam consuetudinem fuisse legitimum habitum; ex eo autem inferri nequit, in nov. test. in quo a Christo & apostolis ad primævam institutionem revocati sumus, polygamiam adhuc licitam esse. Adde quod ex typis non ducantur firma & apodictica argumenta, nisi scriptura ipsa monstret adpli-

III.) *Galat. IV. 24. Duo filii Abrahae duo testamenta.*

plicationem. IV.) *In polygamia locum habent fines conjugii legitimi.* Resp. 1.) Ut actio aliqua sit legitima ac Deo grata, non sufficit finem ejus esse bonum, sed requiritur, ut ipsa quoque in se ac per se formaliter sit bona & legi divinæ congrua. Neque enim scortatio ex eo redditur legitima, si prolis suscipiendæ causa suscipiatur. Jam vero ostendimus superius, polygamiam licet non æqualiter, tamen æque ac adulterium ac vagos concubitus pugnare cum primæva conjugii lege. Augustinus lib. XXII. contra Faust. c. 42. *non solum quo fine, sed & quo modo, quodque fiat, videndum.* 2.) Causæ, propter quas Deus in patriarchis polygamiam toleravit, cessarunt in nov. test. Sive enim propter promissionem de multiplicatione posteritatis Abrahæ factam, cum Augustino libr. XVI. de civ. Dei cap. 38. sive propter typum duorum in ecclesia populorum, Judæorum scilicet ac gentium, cum Justino in dialog. cum Tryph. Ambrosio lib. I. de Abrah. cap. 4. bigamiam in sanctis vet. test. a Deo fuisse toleratam, vel etiam circa eam dispensatum statuamus, utraque causa in nov. test. desiit. 3.) Ostendimus superius, polygamiam finibus legitimi matrimonii adversari. 4.) Finis conjugii est non propagatio generis humani absolute sumta, sed legitima propagatio; non quævis cohabitatio cum uxore, sed legitima cohabitatio, non quævis libidinis exstinctio, sed legitima exstinctio. Jam vero hi fines non occurrunt in polygamia divinis legibus repugnante.

IV.) *A fine conjugii.*

V.) *Ex polygamiae commodo.*

V.) *Polygamia est remedium ad prioris conjugis sterilitatem, quæ maledictionis loco in lege divina habetur, tollendam. Ergo non est illicita.* Resp. 1.) Argumentum deduci potest ad absurdum. Si enim propter sterilitatem concedenda est polygamia, utique etiam mulieri concedenda ea erit, cum in marito sæpius causa sterilitatis hæreat, sed consequens illud polygamiæ patroni non concedunt. 2.) Sterilitatis causa non semper hæret in natura, sed ab altiore principio, peculiari scilicet Dei gubernatione ac dispositione, dependet, ut testantur exempla in sacris literis adnotata. Precibus ergo ad amovendum sterilitatis malum pii conjuges utantur, non autem contra conjugii leges quidquam suscipiant. 3.) Opprobrium sterilitatis in nov. test. est sublatum, Esaj. LVI. 3. Matth. XIX. 12. 1 Cor. VII. 40. 4.) Ut fœcunditatis medium, ita quoque sterilitatis remedium non potest Deo probari, nisi sit legitimum & divinæ sanctioni conforme. 5.) Sterilitas est malum *pœnæ*, polygamia in nov. test. est malum *culpæ*, pugnans scilicet cum lege conjugii a Christo repetita & confirmata, jam vero ad evitandum malum pœnæ non debet admitti malum culpæ.

§. CCXXVI. Coronidis loco quæritur: *An Turcis aliisve infidelibus polygamis, si ad ecclesiam christianam veniant, concedendum, ut uxores, quas ante conversionem duxerunt, retineant, an vero cogendi, ut retenta duntaxat prima reliquas abjiciant?* Quidam affirmant prius. 1.) Quia uxoribus illis primæ superinductis magna adferretur injuria, nec pateret ipsis aditus ad secunda vota. 2.) Quia apostoli in primitiva ecclesia videntur in conversis ex judaismo & ethnicismo talia conjugia toleravisse, quod colligunt ex 1 Tim. III. 2. Tit. I. 6. ubi in episcopo peculiariter requiritur, ut sit *unius uxoris maritus.* Hieronymus in epist. ad Ocean. 3.) Theologi adprobarunt conjugium *Comitis a Gleichen*, cum Saracenica fœmina, cujus beneficio ex Turcica captivitate liberatus erat, priori conjugi superinducta. 4.) Si cogantur uxores adamatas rejicere, deterrebuntur reliqui a fidei christianæ receptione. 5.) Liberi ex illis conjugibus suscepti erunt illegitimi censendi, ex quo magnæ nascentur con-

Quaeritur: An conversis ex Turcismo permittenda uxorum pluralitas?

confusiones. Sed pontifex Innocentius III. in c. Gaudemus x. de divortiis videtur statuere contrarium. *Quia* (inquit) *pagani circa plures insimul fœminas adfectum dividunt conjugalem, utrum post conversionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immerito dubitatur. Verum absonum hoc videtur & inimicum fidei christianæ, cum ab initio una costa in unam fœminam sit conversa, & scriptura divina testetur, quod propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in una carne, non dixit tres vel plures, sed duo, nec dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori;* ex quo colligit Bellarminus de matrim. cap. 11. §. Præterea: *Si infidelis polygamus ad baptismum veniat, cogendum eum esse, ut dimittat uxores omnes præter primam, quia solum cum prima conjugium est verum matrimonium.* Nititur hæc adsertio fundamento eo, quod polygamia juri divino ac naturali repugnet; jam vero quæ pugnant cum jure naturæ, ea etiam gentilibus extra ecclesiam constitutis sunt prohibita, nec ullus in eis humanæ dispensationi relictus est locus, cum inferior non possit tollere legem superioris, cui sententiæ utpote conscientiis tutiori adsurgimus.

MEMBRVM II.

DE REQVISITIS ET QVALITATIBVS NVBENDORVM.

§. CCXXVII.

Qualitates personarum matrimonio copulandarum.

Eginus hactenus de *numero* personarum matrimonio copulandarum, quem divina institutione ad *binarium* restrictum esse ostendimus, restat ut de *requisitis & qualitatibus* earumdem inposterum disseramus. Neque enim ad legitimum ac Deo gratum matrimonium sufficit, duas tantum personas, marem scilicet unum ac fœminam unam, in arctam illam ac indissolubilem vitæ societatem consentire, ac hac in parte divinæ institutioni per certum ac determinatum personarum numerum satisfieri; sed requiruntur insuper præter *discretam illam quantitatem*, sive numerum, *certæ qualitates* in personis matrimonio copulandis. Ut autem de qualitatibus illis rectius fieri possit judicium, procedimus hoc modo: personæ matrimonio copulandæ considerantur vel *absolute* vel *relate*. Absolute quælibet persona seorsim & per se consideratur, an scilicet ad matrimonium sit habilis & idonea. Relate consideratur utraque persona matrimonio conjungenda in mutuo ad se invicem respectu. Constituemus igitur duos hujus posterioris membri articulos, quorum prior de *absoluta*, posterior de *relata* personarum conjugio sociandarum consideratione tractabit.

ARTICVLVS I.

DE ABSOLVTIS NVBENDORVM QVALITATIBVS.

§. CCXXVIII.

Distributio qualitatum.

Quemadmodum bona divinitus homini concessa in tres dispescuntur classes, quædam enim *animi*, quædam *corporis*, quædam *exterioris status* & conditionis sive, ut vulgo loquuntur, *fortunæ*, statuuntur bona: ita quoque absolutam qualitatum in personis matrimonio sociandis requisitarum considerationem commode ad tria capita revocari posse existimamus. Quædam enim qualitates (quo nomine generaliter hic utimur) pertinent ad

Qualitates: 1.) *animi.*

1.) *Fatuitas, furor.*

animum, quædam ad *corpus*, quædam ad *vitæ conditionem* & ſtatum exteriorem. *Animi* qualitas in perſonis matrimonium contracturis requiſita eſt mentis integritas. Cum enim ad verum & legitimum matrimonium requiratur *conſenſus*, qui eſt actus liberæ voluntatis a ſano atque integro judicio profectus, cumque conjugium vi divinæ inſtitutionis non tantum corporum, ſed etiam ſuaviſſimam animorum conjunctionem complectatur, ideo a conjugio merito arcentur emotæ mentis homines, fatui, maniaci, furioſi, &c. ac proinde inter impedimenta matrimonii reſpectu animi recte numerantur *fatuitas ac furor*, quamvis certa ratione eadem ad impedimenta reſpectu corporis referri poſſint, cum pravam humorum ac ſpirituum animalium in corpore diſpoſitionem ſibi ſemper habeant conjunctam. Notandum tamen, quod ſuperius etiam monuimus cap. IV. ſect. II. a fatuitate ad extremum gradum perducta diſtinguendam eſſe *levem quamdam deſipientiam ac animi ſtuporem*, qui nondum omnem rationis uſum abſtulit, & a furore perpetuo ac continuo diſtinguendum eſſe eum, qui *habet lucida*, ut loquuntur, *intervalla*. Ut enim extreme fatuis & perpetuo furore correptis matrimonium recte interdicitur, ita leviter deſipientes ac certis duntaxat temporum intervallis furore correpti ad matrimonium admitti poſſunt. Poriſmata hujus aſſertionis ſunto: 1.) Minus recte facere illos principes, qui ob cauſas, neſcio quas, morliones, fatuos & fatuas in deliciis habentes matrimonio eosdem copulant, ne ſcilicet hominum iſtorum commiſeratione potius dignorum, quam ad ludos & jocos adhibendorum, progenies ipſis deſit. 2.) Furioſis, intemperie libidinis agitatis & membris generationi deſtinatis turpiter abutentibus, recte a medicis exhiberi pharmaca, internum illud libidinis incendium per ſeminis exſtinctionem reſtinguentia. 3.) Si perſona quædam ſanæ & integræ mentis cum eo, qui perpetuo & continuo furore correptus eſt, matrimonium inire velit, a chriſtiano magiſtratu id minime permittendum eſſe, ne ſanctiſſimæ conjugii ordinationi per talium perſonarum conjunctiones macula aliqua adſpergatur.

2.) *Votum continentiae.*

§. CCXXIX. Ad impedimenta matrimonii reſpectu *qualitatum animi* a pontificiis refertur *votum continentiæ*, quod duplex ſtatuunt, *ſimplex* & *ſolenne*. Simplex votum adpellant promiſſionem cœlibatus perpetui factam Deo privatim libera voluntate excellentioris alicujus boni (perfectionis ſcilicet & operum ſupererogationis) gratia. Per illud exiſtimant *impediri* matrimonium *contrahendum*, *non autem dirimi contractum*. Solenne votum adpellant promiſſionem caſtitatis, ſive perpetuæ a conjugio abſtinentiæ factam in conſpectu eccleſiæ, cui ſe vovens poſt magnam deliberationem & diuturnam probationem ſponte ſubjicit, ut ipſi Deo, & hoc ipſo ſtatum vitæ mutat adſcendens ab imperfecto ſtatu ad perfectum, id quod voto ſimplici nemo facit. Per illud & *contrahendum* matrimonium *impediri*, & *contractum dirimi* arbitrantur. Sic enim ſcribit Bellarminus de matrimonio cap. XXI. *Apud catholicos* (Romanenſes) *nunquam dubium fuit, quin votum continentiæ ſimplex ſit impedimentum impediens matrimonium contrahendum, non autem dirimens contractum; votum autem ſolenne ſit impedimentum impediens contrahendum, & dirimens contractum*, quod ultimum ſub anathemate definitum eſt in concilio Tridentino ſeſſione XXIV. can. 9. inde poſtmodum format tres propoſitiones: 1.) *Votum ſimplex impedit matrimonium contrahendum.* Hanc probat duobus argumentis. Prius eſt ejusmodi: *Votum perpetuæ continentiæ eſt licitum, ſanctum & Deo gratiſſimum. Ergo ſervandum eſt, cum ſcriptura dicat: Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere*, Deut. XXIII. *At reddi non poteſt votum continentiæ ab eo, qui uxorem ducit, cum teneatur illi petenti debitum*

bitum reddere. Resp. quid de voto perpetui cœlibatus statuendum, suo loco infra dispicietur; hic breviter respondemus, qui perpetuam continentiam voverunt, aut instructi sunt dono continentiæ, aut eodem destituti. Si prius, servent promissum Deo factum, nec temeraria quadam levitate ab eo recedant. Si posterius, expendant mandatum Dei 1 Cor. VII, 2. *Propter fornicationem* (vitandam) *habeat unusquisque uxorem suam & unaquæque virum suum*, ut & consilium apostoli v. 9. *Melius est nubere quam uri*, cui mandato non possunt præjudicare temeraria vota de illis, quæ non sunt in nostra potestate, facta. Pertinent huc dicta piorum veterum. Cyprianus libr. I. epist. 11. *Si virgines perseverare nolunt vel non possunt, postquam decreverunt, melius est, ut nubant, quam ut in ignem deliciis suis cadant. Certe nullum fratribus aut sororibus suis scandalum faciant.* c. Quidam dist. 27. ex August. de bono conjug. *Quidam nubentes post votum adserunt adulteros esse, ego autem dico vobis, quod graviter peccant, qui tales dividunt.* Posterius Bellarmini argumentum sic habet. 1 Tim. V. *B. Paulus de viduis, quæ continentiam voverant, ita pronunciat:* Cum luxuritatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem fecerunt irritam; *ubi damnantur viduæ, quæ nubere volentes primam fidem, Deo videlicet datam, de servanda continentia irritam faciebant, quo modo hunc locum ab omnibus veteribus dicit esse expositum.* Resp. de hoc dicto apostolico egimus superius membro I. §. 95. & in quæstione de voto continentiæ latius disseremus; hic breviter monemus, per *primam fidem* non intelligi votum perpetui cœlibatus, quod scripturæ sacræ ignotum est, nec ullo divino mandato vel probato sanctorum exemplo nititur, sed fidem Christo in baptismo datam, quam tales viduæ nefarie violarunt, non nuptias contrahendo, sed contra Christum luxuriando ac lasciviendo. Sed de hac quæstione in cap. de cœlibatu pluribus dicemus. Secunda Bellarmini propositio sic informatur: *Votum simplex non dirimit matrimonium post ipsum votum contractum.* Hanc probat ex Augustini libr. de bono viduit. cap. 9. & 10. ex c. Consuluit. x. Qui clerici vel voventes, & cap. Rursus eod. c. Unico. de voto in VI. ut & ex hac ratiocinatione: *Promissio, qualis est votum simplex, obligat quidem in conscientia, tamen non transfert dominium rei promissæ ab eo, qui promisit, in eum, cui promissa est, ideo si is, qui promisit, sententiam mutet, & rem alteri re ipsa donet, ille quidem peccat, tamen donatio vim suam habet, nisi tale sit votum simplex, quod hominem in statu religioso constituat.* Resp. hanc propositionem, remota adpendicis cauda, acceptamus, sed quam tertio loco eidem subjungit, videlicet, quod *votum solenne dirimat matrimonium post ipsum votum celebratum*, eam totis viribus negamus, cujus negationis nostræ fundamenta producemus inferius in quæstione de causis divortii, ad quem locum proprie hæc controversia pertinet, ubi etiam quæstionem de ligamine sponsaliorum sequens matrimonium dirimente a Bellarmino hic insperſam pertractabimus. Hoc loco tria duntaxat monemus. 1.) Nostram sententiam niti expressa Christi decisione Matth. XIX, 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, ergo fas non est eam deserere, cui fides conjugalis de individua vitæ societate data est. 2.) Bellarminum pro adsertione suæ sententiæ non potuisse producere vel unicum scripturæ dictum, sed cumulare duntaxat decreta conciliorum, responsa pontificum & dicta patrum, sed hæc omnia nondum possunt satisfacere conscientiæ, quæ expressum & disertum Dei verbum requirit. 3.) Ipsummet Bellarminum fateri, ne ipsos quidem pontificios scriptores in hac propositione inter se consentire. *Multi*, inquit, *iique graviſſimi theologi, Thomas, Bonaventura, Albertus, Richardus, Durandus & Dominicus*

nicus a Soto in lib. IV. sentent. distinct. 38. *contendunt, votum solenne jure divino ac naturali dirimere matrimonium. Sed Scotus & Paludanus in lib. IV. sentent. distinct.* 38. *Cajetanus in lib. II. quæst.* 88. *artic.* 7. *& teste Panormitano omnes interpretes juris canonici statuunt, solo ecclesiæ decreto factum esse, ut votum solenne dirimat matrimonium*, quorum sententiæ Bellarminus adsurgere videtur, ac probare conatur quibusdam ratiunculis, *ecclesiam potuisse hoc impedimentum constituere.* Atqui hoc vere est ecclesiam præferre Christo & consuetudinem ecclesiasticam expresso Dei verbo de perpetua & indissolubili matrimonii firmitate.

3.) *Infidelitas & hæresis.*

§. CCXXX. Ad impedimenta matrimonii respectu qualitatum animi refertur a quibusdam etiam *infidelitas & hæresis.* Verum cum nulla sit dubitatio de quæstione absolute formata, an infidelis matrimonium contrahere possit, sed duntaxat de quæstione relate formata, an scilicet infidelis cum fideli, & hæreticus cum orthodoxo matrimonium inire possit; ideo ad posteriorem articulum de relata qualitatum in personis matrimonio jungendis requisitarum consideratione quæstionis illius decisio referenda est, ac proinde a qualitatibus animi, jam recta transitum facimus ad *qualitates corporis.* Duæ sunt corporis qualitates, quæ in persona matrimonium contractura requiruntur: 1.) *Habilitas* sive aptitudo ad usum conjugii; 2.) *Iusta ætas* sive pubertas, quæ & consentire in matrimonium legitime possit, & officiis matrimonii propriis præstandis sit idonea. Impedimenta igitur matrimonii respectu qualitatum corporis sunt itidem duo: 1.) *inhabilitas* ad usum sive consuetudinem conjugalem; 2.) *ætatis immaturitas* sive impubertas. Inhabilitas illa tum in *viris* tum *in fœminis* esse potest. In utrisque vel a *natura* vel *a casu.*

II.) *Qualitates corporis.*

A natura, ut in frigidis. A *casu* bifariam, vel a *morbo* vel a *violentia externa*, ut in veneficiis & fascino, in genitalium partium privatione; in muliebrium nimia coarctatione, in partium generationi inservientium insigni læsione, de quibus omnibus latius tractant medici & anatomici.

Quæstio I.) *Vnde pubertas æstimanda.*

§. CCXXXI. Quæritur hoc loco I.) *Vnde æstimanda sit pubertas, sive ætatis maturitas conjugio idonea?* Iure civili justa nuptiarum ætas definitur *quatuordecim annis* in *masculis*, duodecim vero *in fœminis;* qui ad eam ætatem non pervenerunt, nuptias non legitimas, sed præmaturas contrahunt, sive patresfamilias sint, hoc est, sui juris, sive filiifamilias, hoc est, sub patria potestate constituti. §. I. Instit. quibus modis tut. finitur. l. minorem. ff. de rit. nuptiar. l. final. C. quand. tutor. vel curat. esse desinant. Causam hujus diversitatis gloss. in l. 2. C. de his, qui veniam ætat. impetr. adsignat ridiculam, *quia mala herba citius crescat.* Baldus in cap. III. de desponsat. impub. *quod fœmina citius consumatur, & ideo citius perficiatur.* Macrobius libr. I. somn. Scip. cap. VI. p. 57. causam adfert *votorum festinationem.* Cypræus de sponsalibus, cap. IX. §. 2. num. 7. *periculum pudicitiæ, ne in proprium corpus peccent.* Clemens Alexandrinus libr. VI. strom. ex Solone notavit, mutationem ætatis in masculo regulariter fieri per septenarium, in fœmina per senarium. Carerius de sponsal. libr. I. cap. IX. adfert hasce, *quia fœmina in utero tardius formatur; siquidem principium generationis ejus est debilius, extra uterum citius perficitur, cum enim sit imbecillioris & brevioris ævi, citius crescit, citiusque decrescit*, teste Aristotele libr. IV. de generat. animal. cap. VI. Simplicissime respondetur, fœminas citius reddi viripotentes, & ad concipiendum idoneas, quam masculos ad generandum. Guibertus de matrimonio cap. III. num. 30. Jure canonico pu-

pubertas non tam annorum numero, quam *corporum habilitate & generandi poteſtate* æſtimatur, unde maſculis ante 14. fœmellis ante 12. annum nuptiæ permittuntur, ſi ſcilicet *malitia ætatem ſuppleat*, c. Puberes cum ſeqq. x̃ de deſponſ. impub. ſuppletio illa in duobus requiritur, in diſcretione ſcilicet ad conſenſum obligandi, & potentia ſive habilitate ad uſum conjugii. Covarruvias part. II. cap. V. num. 4. & ſeqq. Pro adſtruenda deciſionis hujus æquitate adferunt canoniſtæ exempla eorum, qui ante quatuordecim annorum ætatem puberes effecti. Hieronymus in epiſt. ad Vitalem memorat, *puerum quemdam, qui usque ad decimum duntaxat pervenerat annum, nutricem ſuam conſtupraſſe & imprægnaſſe;* & in eadem epiſtola ex chronologica ſupputatione demonſtrare conatur, *Salomonem & Acham undecimo ætatis anno Roboam & Ezechiam procreaſſe.* (de quo tamen eruditi chronologi recentiores aliter diſputant. Vide Connanus libr. VIII. comment. cap. IV. num. 3.) Hoſtienſis etiam in c. final. de eo, qui cogn. conſang. uxor. ſuæ, teſtatur, *quemdam puerum annorum undecim vim procreatricem habuiſſe.* Albericus in lexic. in verbo matrimon. *puellam quamdam novennem peperiſſe*, refert. Foreſtus lib. XXVIII. obſerv. I. ex Sylvio & Capella memorat, *puellam novem annorum uterum geſtaſſe.* Sed cum hæc exempla ſint *ſingularia*, ex quibus jura conſtitui non debent, l. jura. de legib. cumque ex corporis inſpectione pubertatem æſtimare turpiculum ſit, ideo Juſtiniani deciſioni rectius ſtatur.

II.) *Quæ ætas conjugio maxime idonea.*

§. CCXXXII. Quæritur II.) *Quæ ætas conjugio maxime ſit idonea?* Plato lib. VI. de legib. maribus ab anno 30. usque ad 35. fœminis ab anno decimo ſexto uſque ad vigeſimum nuptiarum tempus præſcribit. Ariſtoteles lib. VII. politic. cap. XVI. viris 37. mulieribus 18. ætatis annum definit, hujus ſententiæ rationem hanc ſubjungit. *Nam horum conjugium* (inquit) *erit corporibus vigentibus & apte conveniet temporibus opportunis ad ceſſationem liberos procreandi. Succeſſio præterea evadet liberum tum ætatis vigentes initio, ſi conſentanea ratione ſtatim procreatio exiſtat, tum effæta jam ætate ad numerum octoginta annorum.* Heſiodus libr. II. oper. & dier. ὡραῖον γάμον tempeſtivas nuptias viro circa annum trigeſimum, fœminæ circa annum decimum quintum determinat. Hi omnes eo reſpiciunt, ne præmatura Venere corporis vires atque habitus in maſculis enerventur, quæ ratio ceſſat in fœminis, quæ paſſivum generandi ſunt principium, ac citius generare incipiunt, citius etiam deſinunt. Leges autem civiles ſtatim poſt decimum quartum ætatis annum maſculo nuptias permittentes eo ſpectant, ne laqueus injiciatur illis, qui libidinum flammis agitantur. Certa & generalis quædam regula non poteſt omnibus hac in re præſcribi, cum & *temperamenta & vitæ ſtatus* in hominibus plurimum varient, præmaturas tamen nuptias & ipſis contrahentibus & reipublicæ pernicioſas eſſe, multis demonſtrari poteſt. Educatio liberorum, & œconomiæ adminiſtratio, quæ conjugibus ſuſcipienda, requirunt & corporis & animi aliquod robur, proinde qui ad juſtam ætatem nondum pervenerunt, conjugio non ſunt implicandi. De priſcis Germanis, majoribus noſtris, Cornelius Tacitus ſcribit: *Sera juvenum Venus, eoque inexhauſta pubertas, nec virgines feſtinantur. Eadem juventa, ſimilis proceritas. Pares validique miſcentur, ac robora parentum liberi referunt.* Sed quantum ab hac majorum virtute & continentia degeneraverit ætas poſterior, ipſa experientia manifeſtum facit, hinc

Terra malos homines nunc educat atque puſillos.

III.) *An probanda ſenum conjugia?*

§. CCXXXIII. Quæſtio III.) *An probanda ſenum conjugia?* Diſtinguendum hic eſt inter ſenes. Galenus libr. V.

de sanit. tuend. cap. XII. in fin. triplicem constituit senectutem: *Prima pars*, inquit, ὠμογερόντων *crudam viridemque senectutem viventium dicitur, propterea quod adhuc obire civilia negotia possunt. Altera autem cui apte nomen ipsum inditur, eo quod ipsa sit, de qua dicitur:*

Ut lavit, sumsitque cibum, det membra sopori.

Quod tamen in tertiam non convenit, in qua Telephum grammaticum bis terve mense lavari auditum est. Propter enim virium infirmitatem adsiduum hi balnei usum non sustinent, accedit quod per habitus frigiditatem mordacia hi excrementa minime pariunt. Nominant eum, qui ad hanc partem pervenit, græce πέμπελον, sicut ajunt, *qui vocabulorum etymologiis gaudent, ab eo, quod est* πέμπεσθαι τὴν εἰς ᾅδε πομπὴν, *mittendo in pompam, quæ ducit ad manes.* Quidam ad duas species senilem ætatem revocant, distinguendo eam in senectam *crudam & extremam*, sive capularem. Qui in viridi ac declinante senecta constituti sunt, illis nuptiarum adyta non sunt occludenda, sed decrepitorum ac capularium silicerniorum nuptiæ non sunt admodum probandæ, ut adparet 1.) ex *ipsa decrepitæ ætatis conditione.* Senes capulares capite in terram defixo & obstipo incedunt, ut ab ipsa natura moneri videantur, de tumulo potius, quam de nuptiali thalamo ipsos debere esse solicitos, ac de funeralibus potius, quam nuptialibus facibus cogitare. Quid magis præposterum est, *quam quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere?* dicebat Cicero in Catone majore de senectute; sic quid magis præposterum censendum, quam ætatis spatio ad extremam usque lineam decurso ad carceres quasi redire & de vitæ subsidiis solicitum esse? Gen. XVIII. 12. Sara audiens filium ex se natum iri, dicit intra sese: *Postquam senui & Dominus meus senuit, num voluptas mihi erit?* Ruth. I. 12. inquit Ruth vidua: *Senui abesse viro*, id est, ut non sim viro apta, vetulas & effœtas conjugio idoneas non esse docens. 2.) Ex *finium conjugalium remotione.* Finis conjugii primarius est *sobolis procreatio*, at quorum corpora senili marasmo emarcuerunt, illi ad generandum non amplius sunt idonei, proinde ludos, non rem seriam agere minister videtur, quando in novorum conjugum benedictione ecclesiastica ad eos, qui per ætatem procreare ac parere non possunt, dicit: *Crescite & multiplicamini.* Clemens Alexandrinus lib. II. pædagog. cap. X. *Non coire ad procreationem, est injuriam naturæ facere. Itaque natura pueris nondum concessit uxores, senibus negat ducere.* Proferuntur quidem exempla quorundam senum, qui in extrema ætate liberos procrearunt, sed ea cum sint rara & extraordinaria, non possunt constituere generalem regulam. Adde, quod soboles non solum procreanda, sed etiam educanda. At si vel maxime senes sobolem aliquam genuerint, quæ, ob senilis seminis frigiditatem & siccitatem, ut plurimum solet esse imbecillis ac languida, ut notat Lyra in Gen. XXXVII. tamen ad eam educandam, si superstes maneat, ætatis non habent satis reliquum. Simplicius in Epictet. disputat, *seni non esse ducendam uxorem, ne cum tempus hinc discedendi adfuerit, vocatus sarcinis onustus deprehendatur, & recens ductam uxorem & liberos lamentetur.* Finis conjugii est *mutuum adjutorium* non absolute ac simpliciter, sed cum respectu ad usum conjugalem in generatione & educatione liberorum, in administratione rei familiaris, sicut Augustinus libr. IX. de Genes. ad lit. cap. III. recte monet. *Si quæritur*, inquit, *ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, sicut adjutorium femini terra est, ut virgultum ex utroque nascatur. Hoc enim & in prima rerum creatione dictum erat*: Masculum & fœminam fecit eos, dicens: Crescite & multiplicamini. *Aut si ad hoc adjutorium gignendi filios non*

est

est facta mulier viro, ad quod ergo adjutorium facta est? Si ut simul operaretur terram, nondum erat labor, ut adjumento vir indigeret, & si opus esset, melius adjutorium masculus fieret. Hoc & de solatio dici potest, si fortasse solitudinis tædebat. Quanto enim congruentius ad vivendum & colloquendum duo amici pariter, quam vir & mulier habitarent? Atqui tale adjutorium non potest decrepitus senex vel effœta vetula alteri parti præstare. Finis etiam conjugii est *libidinis exstinguendæ remedium.* Sed nec is in decrepitorum conjugiis locum habet, cum eorum libido in conjugii usu magis irritetur quam sedetur, atqui *luxuria cum omni ætati tum vel maxime senili turpissima est*, ut docet responsum Solonis apud Ciceronem de senect. Cumprimis vero si sint conjugia imparia & inæqualia, senis scilicet cum juvencula vel juvenis cum vetula, graviter periclitari consuevit *conjugalis fides*, quam tribus conjugii bonis Augustinus adnumerat. 3.) Ex *juris civilis decisione.* Lege Julia & Papia viri *sexagenarii*, & fœminæ *quinquagenariæ* nuptiæ olim fuere prohibitæ, l. penult. C. de Nupt. Judicatur enim vir anno sexagesimo ad generandum, mulier anno quinquagesimo ad concipiendum non amplius idonea, unde partus post illam ætatem editus dicitur *mirabilis*, l. si major. C. de legit. heredit. quod tamen abrogatum postea fuit a Justiniano, qui, cum senatusconsulto Claudiano jam ante jus nuptiarum maribus sexagenariis esset datum, idem in fœminis quoque valere jussit, antiquam legis Juliæ & Papiæ observationem corrigens. l. Sancimus. 27. C. de nuptiis. l. si. major. 12. C. de legit. heredit. Ulpianus in fragm. tit. 16. in princ. Ad legem illam Papiam adludit Lactantius lib. I. instit. cap. 16. ex Seneca in libris moralibus philosophiæ. *Quid ergo est*, inquit, *quare apud poetas falacissimus Iupiter desierit liberos tollere? utrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit?* Septitia mulier effœta seni nupserat exheredatis liberis. Augustus *& nuptias mulieris & testamentum improbavit*, ac dotem, quia non procreandorum liberorum causa interesserat, ad virum pertinere noluit. Suetonius libr. II. cap. VII. IV. Ex *communi omnium fere gentium consensione*, quæ juris naturalis dictamen arguit. Plutarchus in Solone decrepitorum senum nuptias vocat ἀώρους καὶ ἀχαρίστους, iisque tria deesse dicit: χάριν, ἔργον γαμήλιον καὶ τέλος. Ibidem memorat, Dionysium matri effœtæ petenti, ut se marito alicui elocaret, respondisse, *leges quidem civitatis per tyrannidem se evertisse, sed non posse legem naturæ violare ipsa in matrimonium collocanda,* τῆς φύσεως ἐκ εἶναι δυνατὸν βιάζεσθαι. Apud comicum in Adelphis actus V. scen. 8. dicit Mitio: *Pravum, ineptum, absurdum atque alienum a vita sua se facturum, si novus maritus anno demum quinto & sexagesimo fiat.*

Est in canitie ridiculosa venus,

inquit glossa juris canonici c. cum in juventute verb. frequentius, de præsumpt. cum quo congruit illud Ovidii:

Turpe senilis amor.

Nec est, quod vel *Abrahæ*, Cheturam anno ætatis centesimo quadragesimo ducentis, Genes. XXV. vel *Davidis*, Abisag Sunamitidem a proceribus sibi adductam, ne in extremo quidem senio repudiantis 1 Reg. I. exempla proferantur, quia illi vis generandi divinitus fuit restituta, cum ex Sara Isaacum susciperet, hic vero non tam ad conjugii usum, quam ad corporis senilis ministerium ac fomentum eam admisit. Atque hæc & alia contra senum decrepitorum ac capularium nuptias ab Erasmo in libr. de christ. matrimon. Cypræo de sponsalib. cap. IX. §. 8. Arnisæo de jur. conn. cap. II. sect. 4. & aliis recte disputantur; interim tamen cum expressa prohibitione divina hic destituamur, cumque conjugii ineundi causæ & contrahentium personarum conditiones & ætatum differentiæ plurimum varient, non potest generalis quædam regula hic præscribi.

§. CCXXXIV.

IV.) *An pumilis matrimonium concedendum:*

§. CCXXXIV. Quæstio IV.) *An pumilis ac nanis potestas matrimonii facienda?* Resp. si monstrosæ sint figuræ ac parvitatis, non probandæ illorum nuptiæ, nisi graves causæ eas suadeant. Plutarchus in libro de educatione liberorum memorat, Athenienses ducem suum fœmellam pumilam conjugio sibi copulantem mulctasse, quod non βασιλέας sed βασιλίδια ipsis relinquere vellet. Ac tales naturæ παρεκβάσεις potius videntur coercendæ ac restringendæ, quam per conjugium propagandæ; interim tamen cum ob fornicationis evitationem & libidinis extinctionem conjugium ejusmodi personis quandoque sit necessarium, non audemus laqueum cuiquam hic injicere.

V.) *An eunuchis ac spadonibus?*

§. CCXXXV. Quæstio V.) *An eunuchis ac spadonibus matrimonium permittendum?* Matth. XIX. 10. cum discipuli audita Christi doctrina de indissolubili conjugii firmitate subjicerent: *Si tale est negotium hominis cum uxore, non expedit uxorem ducere;* respondet Christus: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de utero matris nati sunt, & sunt eunuchi, qui castrati sunt ab hominibus, & sunt eunuchi, qui castraverunt se ipsos propter regnum cœlorum, qui potest capere, capiat.* Hic Christus duo eunuchorum involuntariorum genera constituit, quos a conjugio non obscure removet; (de tertio voluntariorum eunuchorum genere suo loco inferius dicetur) primum est eorum, qui *ex utero matris* tales nati, qui absque virilitate progeniti sunt & editi, sicut Hostiensis in tit. de frig. & malef. refert, *se vidisse quendam, qui virilia magnitudine verrucæ & testes instar cicerum habuerit;* alterum eorum, qui ab hominibus castrati, qui iterum variorum sunt generum; vel enim virilitas sive membra, quibus viri sumus, prorsus ipsis sunt demessa; de quibus Horatius libr. I. serm. sat. 2.

. . . . *Quin etiam illud*
Accidit, ut quidam testes caudamque salacem
Demeteret ferro. . . . .

qua pœna adulteros apud Ægyptios mulctatos fuisse, Diodorus Siculus refert, & hi dicuntur ab Hebræis כְּרוּתֵי שָׁפְכָה, quibus veretrum abscissum, Deut. XXIII. 2, a Græcis ἀπόκοποι βάκηλοι, a Latinis *evirati*, *&c.* vel testiculi ipsis sunt evulsi, qui dicuntur Hebræis נְתוּקִים Levit. XXII. 24. Græcis ἐκτομίαι, vel testiculi ipsis sunt fracti aut comminuti, qui Hebræis dicuntur פְּצוּעֵי־דַכָּא *læsi adtritione*, Græcis θλάσιαι ac θλίβιαι, ἀπὸ τῦ θλίβειν, quod est *adterere & frangere;* vel cremasteres, hoc est, nervi, a quibus colei dependent, ipsis sunt convulsi; (quibus adnumerandi illi, qui vel herbis vel sectione arteriarum, quæ post aures sunt, ad generandum penitus inhabiles se reddiderunt) duas eunuchorum species Moses conjungit Lev. XXII. 24. מָעוּךְ וְכָתוּת וְנָתוּק וְכָרוּת *compressum, contusum, evulsum & excisum non facietis adpropinquare Domino.* Atque hi omnes a conjugio merito arcentur, cum principalis conjugii finis sit generatio, ad quam castrati non sunt idonei. In quem sensum quidam Hebræi, ut & Vatablus, accipiunt legem mosaicam Deut. XXIII. 1. *Non ingredietur adtritis testiculis aut abscisso veretro in cœtum Domini*, id est, non habeat commercium cum populo Dei, nec jus ducendi fœminam Israelitidem. Exstat hac de re præclara constitutio Leonis ad Stylianum const. 98. *Rerum conditor cum initio marem & fœminam consociaret ad largum, quod inde exiturum esset, incrementum respiciens consociationem illam faciebat. Quin & naturæ (quæ tanquam famula, quantum potest, a conditore tradita præcepta observat) ut in hoc matrimonii consuetudo ineatur, quo sobolis procreatio procedat, quoad quidem ab ipsa tale*

tale miniſterium conditor præſtari velit, propoſitum eſt. Si igitur vel hic, quod naturæ conditor ipſaque natura voluit, adparet, quod prohibendum ducimus, non prohibeatur. Sin minus (ut certe nihil iſtiusmodi eſt, ſed contraria omnia & nulla ad implendam Domini voluntatem vis & ejus generis, quod natura non agnoſcat) quare non omnibus modis prohibeatur? Poſtea reſpondet Leo duplici argumento, quod pro eunuchorum conjugiis objiciebatur. Prius ſic habet: *Si propter ſterilitatem eunuchi a conjugio ſecluduntur, multis etiam aliis conjugium interdici debet, cum non omnes, quicunque in conjugium coeunt, fœtificos ſe præſtent.* Reſpondet Leo: *Tametſi nullus ex iis fœtus gignatur, non tamen in hoc congregati ſunt, ne quam communi vitæ utilitatem conjugalis copulæ adferant, cum potius contra procreandorum liberorum deſiderio congregatos conſtet, quos effectum deſiderio reſponſurum opinantes in eventu ſpes fefellerit, hic vero ut tale aliquid dici poſſit, permultum abeſt, cum qui ad peregrinam illam commixtionem convenerunt, liquido ſcientes ſe ſteriles ac ad gignendum inutiles convenire, naturæ quaſi inſidiati ſint. At ſane ob hoc duntaxat odio etiam ambo digni ſunt; mulier, quod cum conjugalis conſuetudinis cupida fœcundo ſe jungere potuiſſet, infœcundum & ſterilem prætulerit; eunuchus vero, quod, ut invacuum Dominus benediceret, impotentia ſua effecerit. Si quis porro fundum, ex quo alias aliquis fructus metat, vaſtet & incultum relinquat, at non hunc tanquam malum atque perniciosum odio habemus, ejusque, ſi fieri poteſt, inſtitutum reprimemus; illi vero, qui fundum, ex quo ratione præditum germen pullulet, deſolat & inutilem reddit, tanquam nihil indignitatis committat, id facere permittemus?* Poſterior objectio ſic inſtituitur: *Paulus apoſtolus inquit, matrimonium contrahere, quam uri ſatius eſt, quapropter naturalis ſervoris contemplatione illa conjunctio prohiberi non debet.* Reſpondet Leo: *tu qui Paulum laudas, ad Pauli verba adtende. Matrimonium contrahere, inquit, id eſt, per matrimoniale commercium cum muliere conjungi. Si igitur tua cum muliere commiſtio, conſociatio matrimonialis & benedictione, quæ in matrimonium coeuntibus debetur, digna eſt, matrimonium illam nomina & obſerva uxorem: ſin ne tantillæ quidem benedictionis unquam capax fueris (quæ enim aut qualis conſecratio in iis, qui ſimul contra conditoris decretum ſimul contra naturæ legem conjunguntur, locum habeat?) quid Paulum in adprobationem cœlibis tui & peregrini matrimonii adſumere audes? (quod ſi vel maxime quidam eunuchi, quibus ſcilicet teſticuli exſecti, congredi cum uxore poſſint, tamen commixtio illa tantum abeſt, ut libidinem exſtinguat, ut eamdem potius in fœmina accendat.)* Unde tandem ſub pœnæ comminatione eunuchorum nuptias ipſi naturæ adverſas Leo prohibet, conſtitutionem ſuam ſic concludens: *Propterea ſancimus, ut, ſi quis eunuchorum ad matrimonium procedere comperiatur, & ipſe ſtupri pœnæ obnoxius ſit, & qui ſacerdos iſtiusmodi conjunctionem profanato ſacrificio perficere auſus fuerit, ſacerdotali dignitate denudetur*) (ſi ſcilicet ſciens ac prudens id fecerit.) Ex quo facile adparet, quid reſpondendum ſit ad quæſtionem: an permittendum ſit mulieri, ut eunucho nubat? quod enim præceptis legum & fini conjugii adverſatur, & magnum ſecum trahit periculum, ne in adulterii peccatum fœmina poſtmodum prolabatur, id ei permittendum non eſſe, quilibet animadvertit. Bidenbachius quidem in libr. de cauſ. matrim. pag. 102. memorat, in conſiſtorio Wirtemb. 22. Jan. anno 1596. & 29. Mart. anno 1599. permiſſum fuiſſe mulieribus, ut frigidis & impotentibus nuberent, cum Abiſag Sunamitis Davidi ſe adſociari fuerit paſſa, a quo tamen non eſt cognita. Sed præſtat ejusmodi mulieres graviter monere, ne in pœni-

pœnitendas & innuptas illas nuptias, adeoque in scortationis periculum, sese præcipitent. Distinguendi tamen sunt ab *eunuchis* ac castratis *spadones* proprie & specialiter sic dicti, qui membris quidem generationi inservientibus integris prædita sunt; interim tamen ob vitium aliquod sanabile non generant, vel fascino, vel veneficio illigati a commixtione conjugali arcentur; cum enim utrisque Dei benedictione & medicorum ope succurri possit; ideo non sunt a conjugio prohibendi, nisi malum penitus insanabile esse constet. Ulpianus l. si serva. 39. ff. de jur. dot. *Si spadoni mulier nupserit, distinguendum arbitror, castratus fuerit, necne; ut in castrato dicas dotem non esse, in eo, qui castratus non est; quia est matrimonium & dos & dotis actio est.* An vero malum sit sanabile vel desperatum, ad illius explorationem leges triennii tempus præstituerunt, qua de re infra plenius. De nuptiis *androgynorum* videatur Cypræus de sponsal. cap. 9. §. 13. n. 45. ubi disputat, a potiori sexu eos censendos, & conjugium illis permittendum.

§. CCXXXVI. Quæstio VI.) *An leprosis, epilepticis & simili morborum contagiosorum, abominabilium & incurabilium genere adfectis matrimonium concedendum?*

VI.) *An leprosis matrimonium concedendum?*

Diximus superius, ob tales morbos alterutri vel utrique parti supervenientes sponsalia dissolvi posse, ex quo promte colligitur, iis, qui tali morborum genere adfecti sunt, non esse matrimonium concedendum: 1.) *a sanctionis divinæ autoritate.* Deus ipse leprosos ab hominum consortio remotos vivere voluit, Lev. XIII. 4. cui sanctioni conformia sunt exempla *Miriam*, sororis Mosis, Num. XII. 10. regis *Oziæ*, 2 Paral. XXVI. 19. eademque in bene constitutis rebuspublicis adhuc hodie merito observatur, cum non sit mere forensis constitutio, sed aliquid morale contineat. Herodotus libr. I. *Apud Persas, qui lepra aut vitiligine infecti sunt, eos urbem ingredi non conceditur, & cum aliis Persis consuetudinem habere.* 2.) *A multiplici talium conjugiorum incommoditate*, tum respectu ipsorum *conjugum*, tum respectu *liberorum*, ex tali copula progenitorum. Inter conjuges cohabitatio illa non potest non esse abominabilis, & cum perpetuis jurgiis conjuncta. In liberos tales morbi utplurimum propagantur, quod cum manifesto reipublicæ detrimento est conjunctum. Refert Hemmingius in loc. de conjug. p. 165. *Coronæ civem quemdam epilepsia laborantem duxisse uxorem, & ex ea duodecim liberos sustulisse, in quibus omnibus paternus morbus ut hereditarius hæserat.* Nec est, quod urgeatur, *leprosos propter continuum impuri sanguinis pruritum in Venerem propensiores esse, ideoque remedium libidinis ipsis esse concedendum.* Qui enim lepra, elephantiasi, lue gallica vel aliis ejusmodi contagiosis morbis correpti sunt, illi agnoscant, se per pœnam illam divinitus immissam a conjugio excludi, & ad cœlibatum vocari; agnoscant igitur peccata sua, eademque in vera pœnitentia deplorent, continentiæ donum divinitus sibi dari petant, jejuniis & abstinentia carnem mortificent, & peccandi occasiones studiose devitent, memores versiculi:

Ores, casta legas, jejunes, otia vites,
Si servare velis corpora casta Deo.

Quamvis vero jus canonicum cap. Quoniam. 2. X. de conjugio leprosorum, conjugium sani cum leproso permittendum censeat, si scilicet sanus libera voluntate in illud consentiat, in quam sententiam etiam abit Bibendachius de caus. matrimon. pag. 103. tamen recte statuunt Mentzerus de conjug. pag. 108. & Cypræus de sponsalib. cap. XIII. §. 65. non esse a christiano magistratu tale conjugium concedendum, cum Deus ipse hanc conjunctionem aversetur, dum leprosum solitariam vitam agere jussit, cum reipublicæ interfit, nuptias ejusmodi prohiberi, ne contagium illud latius serpat

ac

ac propagetur, tandemque universam civitatem contaminet, denique cum *perire volens non sit audiendus*, l. 13. de adpellat. quibus rationibus etiam illud addi potest, quod periculum sit, ne pars sana, nuptiarum illarum, quas nimis incaute adprobavit, tandem pertæsa ad alienos amores animum adjiciat, & adulterii peccato illaqueetur. Si tamen morbi non sint contagiosi nec hereditarii, poterit conjugii ineundi facultas illis, qui ejusmodi malis correpti sunt, permitti, in quam sententiam Ludov. Vives in lib. de christ. fœm. sic scribit: *Etsi morbi quidam tetri sint horrendi & insanabiles, tamen si is sit utriusque affectus & benevolentia erga alterum, ut conjugium cupiant; impediendos esse non arbitror, dummodo a contagione nihil sit periculi.*

III.) *Qualitates status.*

§. CCXXXVII. Ab impedimentis matrimonii respectu *qualitatum corporis* transitum facimus ad impedimenta respectu qualitatum *in vitæ conditione & statu exteriori*. Jure canonico impedimentum matrimonii est *ordo ecclesiasticus;* qui enim in majoribus ordinibus & ecclesiæ ministerio constituti sunt, illis matrimonii ineundi facultas lege ecclesiastica est ademta; sed ostendimus in tractat. de minist. ecclesiastic. impedimentum illud matrimonii non esse legitimum. Jure civili in iis, qui matrimonium contrahere cupiunt, requiritur status libertas, quia a justis nuptiis excluduntur servi, l. Proclus. 67. de jur. dot. l. cum ancillis. C. de incest. & inutil. nupt. l. 7. de agn. lib. quorum conjunctio ad individuam vitæ consuetudinem vocatur *contubernium*, l. 12. §. 7. de instr. leg. interim tamen jure gentium justum matrimonium contraxisse dicuntur, licet jure civili non sit justum, hoc est, non sortiatur effectus jure civili justis nuptiis concessos, atque eo respicit jus canonicum, quando inter servos justas nuptias agnoscit, tot. tit. X. de conjug. serv. Sed cum servitus illa, de qua jus civile tractat, in republica christiana fere tota exoleverit, ideo inter impedimenta matrimonii servitus non potest numerari. *Ut in Christo non est servus nec liber*, Gal. III. 28. ita quoque ad verum & Deo gratum matrimonium nihil quidquam interest, sive servus sit, sive liber, qui illud contrahit, modo *in Domino* illud contrahat. Wesenbecius in parat. ff. de rit. nuptiar. num. 4. *Iure Romano nuptias justas & civiles constituere nequeunt, nisi qui cives Romani ac juris hujus participes sunt. Atqui civitatis jus penes servos non est, non igitur jure civili cum servo servave matrimonium constitit, maxime cum ex servo ventre ingenui familiæ heredes nasci non possint; jure tamen gentium & naturæ ejusmodi prohibitionem non esse, exemplum Abrahæ docet, cui cum ancilla Agar vere fuit conjugium.*

ARTICVLVS II.

DE RELATIS NVBENDORVM QVALITATIBVS.

§. CCXXXVIII.

Qualitates personarum relate consideratæ.

Vidimus hactenus qualitates personarum matrimonio conjungendarum *absolute* consideratas, hoc est, quid in qualibet persona per se & seorsim requiratur, ut matrimonio habilis & idonea censeatur, quibus qui destituuntur, ab omni penitus matrimonio excluduntur. Sic eunuchi non solum a matrimonio cum certa aliqua persona contrahendo, sed in genere ab omni omnino conjugio cum quacunque persona arcentur. Consequens est, ut qualitates personarum matrimonio copulandarum considereremus *relate*, hoc est, quid in personis invicem conjungendis ob mutuum earum respectum requiratur, ut legi-

time & honeste matrimonio jungi possint, quibus qualitatibus, si qui destituuntur, illi non ab omni penitus matrimonio, sed duntaxat a conjugio cum certis quibusdam personis ineundo arcentur. Sic qui ob gradum aliquem cognationis cum certa quadam persona, cui nimia propinquitate junctus est, conjugium inire prohibetur, is non statim ob omni penitus matrimonio arcetur, sed liberam cum alia persona contrahendi potestatem retinet. Tales qualitates in personis matrimonio copulandis relate consideratis requisitæ revocari possunt ad duo generalia capita, ne scilicet ejusmodi personæ, de quarum maritatione quæritur, sint *nimis propinquæ*, nec *nimium dispares*. Ac proinde duo matrimonii impedimenta hic constitui possunt, *nimia* scilicet *propinquitas*, ac *nimia disparitas*. Nimiam propinquitatem esse impedimentum matrimonii, constat ex manifesta divini codicis sanctione, Levit. XVIII. 6. *Nullus ad propinquam carnis suæ accedat ad revelandam nuditatem ejus;* quam sanctionem juris non solum forensis & mosaici, sed etiam moralis ac perpetui, inferius suo loco demonstrabimus. Cum enim conjuges per matrimonii vinculum fiant *una caro*, Gen. II. 24. Matth. XX. 6. inde divinæ sapientiæ conveniens visum non est, eos qui propinquitate carnis jam ante conjuncti erant, per conjugium in unam carnem copulari. Nimiam disparitatem esse matrimonii impedimentum, itidem constat ex divina sanctione Deut. VII. 3. *Non junges te adfinitate Cananæis populis, filiam tuam non dabis filio ejus, & filiam ejus non capies filio tuo*, quæ constitutio, quamvis sit juris forensis ad Israeliticum populum proprie spectans, tamen morale illius legis est perpetuum, ut suo manifestum fiet loco. Duæ proinde hujus articuli statui possunt partes, quarum prior de *propinquitate* matrimonium impediente, posterior de *disparitate* legitimo matrimonio adversa tractabit.

PARS I.

DE GRADIBVS PROHIBITIS.

§. CCXXXIX.

Nimia propinquitas.

Cæterum ut de *propinquitate* matrimonium impediente rectius fieri possit judicium, ac clarius eluceſcat, quæ & qualis propinquitas matrimonio adverſetur, cum ſententiæ plurimum ea de re varient, ideo docendi gratia propinquitatis illius ſtatui poſſunt certæ quædam diviſiones. Propinquitas juxta quosdam eſt triplex, vel νόμε vel πνέυματος vel σαρκὸς ἢ φύσεος, *legalis*, *ſpiritualis*, *naturalis*. Legalis eſt ex *adoptione*, ſpiritualis ex *compaternitate*, naturalis ſive carnalis eſt vel ex *carnis propagatione*, unde conſanguinitas; vel ex *carnis copulatione*, unde adfinitas. Nos paulo plenius ſic enumeramus. Propinquitas perſonarum, de quarum matrimoniali conjunctione quæritur, eſt vel *honeſta*, vel *inhoneſta*. Honeſta eſt vel *naturalis*, vel *voluntaria*. Naturalis quæ ab ipſa natura originem habet, & in naturali conjunctione fundatur. (*) Voluntaria, quæ a libera hominis voluntate originem trahit. Propinquitas naturalis ſpectatur in *conſanguinitate*. Voluntaria propinquitas eſt vel *matrimonialis* vel *alterius generis*. Propinquitas voluntaria matrimonialis eſt & dicitur *adfinitas*. Propinquitas alterius generis

(*) Eſt enim conſanguinitas quaſi ſanguinis *unitas*, quæ germanice *die Bluts-Freundſchaft* adpellari ſolet.

neris est vel *spiritualis* & *ecclesiastica*, vel *legalis* & *politica*. *Spiritualis* & ecclesiastica propinquitas est vel *communis* omnium vere piorum ex uno eodemque Dei verbo & initiationis sacramento regenitorum, vel *specialis* inter susceptos ex lavacro baptismi & susceptores. *Legalis* & politica est in *adoptione* inter adoptantem & adoptivam. Inhonesta est vel ex *scortatione* & *adulterio*, vel ex *alio crimine*, de quibus propinquitatis speciebus omnibus & singulis porro differendum erit.

Propinquitas naturalis.

§. CCXL. A propinquitate *naturali*, cum ea vel maxime in impedimentis matrimonii spectanda sit, merito tractationis sumitur initium. Consistit ea, uti diximus, in *consanguinitate*, cujus simulacrum est *adfinitas*. Consanguinitas definitur a scholasticis, quod sit *vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum*. *Blutfreundschaft*, *Mogschaft*. Notandum hoc loco, *propinquitatis* nomen hic paulo generalius accipi; quando enim proprie & distincte loquimur, tum *in linea adscendentium & descendentium* duntaxat est propinquitas. In *collateralibus* vero dicitur συγγένεια, & quando illa συγγένεια oritur ex linea *masculina*, dicitur *agnatio*, quando autem ex *fœminea* linea, vocatur *cognatio*, sicque *agnati* mihi sunt consanguinei patris mei, quia ex eodem sanguine per patrem descendunt, Germanice: *Schwerdmagen*, *die vom Schwerd* (*); *cognati* mihi sunt consanguinei matris meæ, quia ex eodem sanguine per matrem descendunt, Germanice: *Spielmagen*, *die von der Spindel*. Sed hæc vocabula plerumque confunduntur & generaliter usurpantur, præsertim in jure canonico; cognati enim generali adpellatione sæpe dicuntur, qui & agnati, non contra. Junius in adp. explic. super Levit. thes. 17. consanguinitatem sic definit, quod sit *inita necessitudo ex communi fonte vel radice, ut scriptura vocat, sanguinis per se citra voluntatem a natura obligans communiter*. Dicitur consanguinitas a communi sanguine, cum sit quasi unius & ejusdem sanguinis communio. Bellarminus definitioni consanguinitatis a scholasticis formatæ addidit hanc restrictionem, *ita ut omnes eumdem sanguinem participent, & ad unum stipitem reducantur*, de matr. cap. XXV. Quamvis vero hæc verba sano sensu accepta admitti possint, tamen dubio procul ex Bellarmini intentione hoc in recessu habent, quod cognatio extendat se usque ad quartum gradum *inclusive*, in quo eadem penitus exspiret, qua de re quid statuendum sit, infra videbimus. Consanguinei ergo sunt, qui ab uno communi parente tanquam stipite orti & prognati sanguinis necessitudine invicem junguntur, ac *lineis & gradibus* discernuntur, Germanice: *Blutsfreunde*, *Blutsverwandten*. *Stipes* sive *stirps* est persona, a qua illi, de quorum naturali propinquitate quæritur, originem ducunt, vel est communis ille parens, qui cognationi ac propinquitati aliquorum causam præbuit, Germanice: *ein Stamm;* ubi notandum juxta jurisconsultorum regulam, *masculinum genus etiam complecti fœmininum;* neque enim tantum communis aliquis pater, sed etiam mater cognationi originem præbet. Stipitis sive stirpis adpellatio, uti cuilibet manifestum, communi illi parenti *metaphorice* tribuitur. Ut enim ab uno stipite sive trunco plures oriuntur rami, ex quibus alii postmodum subnascuntur, qui omnes ejusdem cum stipite sunt naturæ, & succum ac vitam ab eodem participantes naturali propinquitate eidem conjunguntur; sic ex uno communi

(*) Dicuntur etiam germanice *Vettern*. Cæterum singula argumenta, quæ in hocce capite occurrunt, in *supplementis*, quæ huic tomo subjungemus, uberius suo tempore pertractabimus.

ni patre filii & ex his nepotes propagantur, qui carnis propinquitate sive consanguinitate invicem juncti censentur; ex qua metaphora etiam originem ducit illud, quod propinquitas illa consanguinitatis *arbor* adpellatur. Quidam monent, stipitem esse triplicem, vel communem *omnium hominum*, qualis est Adam, vel *alicujus gentis ac familiæ*, qualis est Jacobus respectu populi Israelitici, vel *duorum aut plurium proxime cognatorum*, de quorum propinquitate quæritur; ubi notandum, non ob propinquitatem ad stipitem communem omnium hominum vel certæ alicujus familiæ, sed duntaxat ob proximam duorum vel plurium cum particulari quodam stipite propinquitatem matrimonium prohiberi; unde Baldus in l. Lucius. ff. de pet. hered. & ex eo Carerius libr. II. de sponsal. & matrim. cap. II. consanguinitatis definitioni hoc adjiciunt, quod sit vinculum personarum ab eodem stipite *propinquo* descendentium, quæ propinquitas, quam late se extendat, ex tractatu de prohibitione graduum manifestum erit.

I.) *Graduum supputatio.*

CCXLI. Duo enim ad impedimentum hoc matrimonii recte explicandum & pernoscendum sunt necessaria. *Graduum* scilicet *supputatio* & *graduum prohibitio*. De *prohibitione* graduum nihil tradi vel cognosci potest, nisi prius eorum *supputatio* (*) cognoscatur.

Gradus.

Gradus, διάστημα, *est personarum singulis generationibus propagatarum mutua distantia*. Canonistis gradus vel est *habitudo distantium personarum, qua cognoscitur, quota generationis vel cognationis distantia duæ personæ inter se differant*, vel *est intervallum, quo cognoscitur personarum, de quarum cognatione quæritur, inter se propinquitas & distantia*. Iurisconsultis est *series generationis & cognationis*, vel est *generatio personæ*, Germanice *ein Glied*; ubi neminem turbet, in descriptione gradus mentionem fieri *generationis*. Agimus enim hic de propinquitate consanguinitatis, quæ per generationes oritur; qui vero in adfinitate statuuntur gradus, (de quibus inferius disputabimus) illi non propagatione generis ac sanguinis, sed factis nuptiis contrahuntur. Adpellatio graduum metaphorica est a similitudine scalarum deducta. Quemadmodum enim scalas conscensuri non ab infimo gradu ad summum transilimus, sed certo ordine progredientes a gradu infimo ad proximum, & sic consequenter ad summum adscendimus, eodemque ordine iterum descendimus: sic propinquitatem personarum, de quarum conjunctione quæritur, investigaturi, a persona, de qua instituitur quæstio ad generationem proximam, & sic consequenter usque ad communem stipitem adscendimus, ac vicissim per gradus generationum ad personam alteram, de cujus matrimonio agitur, ordine descendimus. l. Jurisconsultus. 10. §. 10. *Gradus dicti sunt, a similitudine scalarum, locorumve proclivium, quos ita ingredimur, ut a proximo in proximum, id est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus.*

§. CCXLII. Quia vero generationis & cognationis est certus ordo, cum consanguinei sint, vel *majores* vel *posteri* vel *collaterales*, inde ad commodiorem graduum supputationem statuuntur certæ lineæ, *juxta* quas regulæ de supputatione & prohibitione graduum informantur. Definitur linea, quod sit *ordinata collectio personarum consanguinitate conjunctarum ab eodem stipite descendentium diversos gradus continens, &*

Lineae.

(*) Totum hocce argumentum de computatione graduum egregie pertractavit penitusque exhausit illustris Jureconsultus IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS, in opere præstantissimo, quod inscribitur: *Ius ecclesiasticum protestantium tom. IV. libr. IV. tit. XIV. p. 126. seqq.*

& numeros graduum monſtrans, l. Jurisconſultus. §. ſed ex laterib. ff. de gradibus; vel quod ſit *perſonarum, de quarum cognatione quæritur, juſta & ordine per generationes diſpoſita ſeries*, vel quod ſit *ſeries graduum*. Metaphoram petitam eſſe volunt a lineis fabrorum. Ut enim illi lineas pingunt, quarum ductum in ædificando ſequuntur, ne aberrent: ſic in cognationis examine ordines cognatorum deſcribimus, ut eos intuiti & gradibus & numero abſque errore eosdem diſcernamus. Ea omnium conſenſu ſtatuitur duplex: *recta & obliqua*. Recta alias *perpendicularis eſt, quæ recta progreditur ſive ſurſum ad perſonas ſuperiores, ſive deorſum ad perſonas inferiores;* eſt enim vel *adſcendens* vel *deſcendens*. Adſcendens linea eſt, *quando ſurſum recta progrediendo ab aliqua perſona generata ad majores adſcenditur*. Adſcendentes perſonæ ſunt 1.) *pater & mater*, 2.) *avus & avia*, 3.) *proavus & proavia*, 4.) *abavus & abavia*, 5.) *atavus & atavia*, 6.) *tritavus & tritavia*, 7.) *quadritavus & quadritavia*. Qui ultra hos gradus adſcendunt generali adpellatione vocantur *majores, Vorfahren, Voreltern*. Deſcendens linea eſt, *quando deorſum recta progrediendo a perſona aliqua generante ad inferiores, quæ per generationem ex ea originem traxerint, deſcenditur*. Deſcendentes perſonæ ſunt 1.) *filius & filia*, 2.) *nepos & neptis*, 3.) *pronepos & proneptis*, 4.) *abnepos & abneptis*, 5.) *atnepos & atneptis*, 6.) *trinepos & trineptis*, 7.) *quadrinepos & quadrineptis*. Qui infra hos gradus deſcendunt, generali adpellatione vocantur *poſtevi vel minores, Nachkommen*. Luc. III. ponitur recta linea genealogiæ ſeu majorum Chriſti in ſerie *adſcendentium*, uſque ad Adamum; Matth. I. ponitur linea *deſcendentium* ab Abrahamo & Davide uſque ad Chriſtum. Obliqua linea alias *tranſverſa* ſeu *collateralis* dicta eſt, *quæ ad duo latera dextrum & ſiniſtrum ſe diffundit*. Quando enim ex uno ſtipite duo vel plures filii oriuntur, & ex illis rurſus in ſuas diſtinctas lineas propagantur poſteri, tunc illi inter ſe mutuo collati, vocantur *collaterales*. Dividitur linea collateralis in *æqualem & inæqualem*. Æqualis eſt, *cum latera utrinque ſunt æqualia, vel cum eſt æqualis diſtantia a ſtipite*, hoc eſt, cum utraque perſona collateralium a communi ſtipite pari intervallo diſtat. Sic Dina & Joſephus, ſoror ac frater æquali diaſtemate a parente Jacobo diſtant. Inæqualis linea eſt, *cum latera ſunt inæqualia, vel cum eſt inæqualis diſtantia a ſtipite*, hoc eſt, cum alter collateralium a communi ſtipite longius, alter propius abeſt, ut Manaſſe Joſephi filius a Jacobo avo longius abeſt, quam Dina. In linea æquali eſt diſtantia æqualis, in linea vero inæquali eſt diſtantia inæqualis. Diſtantia inæqualis notatur adpellatione *gradus ſimplicis*, diſtantia æqualis notatur adpellatione *gradus duplicati*. Sic patrueles dicuntur diſtare gradu ſecundo duplicato. Patruus & fratris filius diſtant gradu ſecundo ſimplice. In linea etiam collaterali inæquali alii dicuntur *ſuperiores*, alii *inferiores*, quorum illi parentum, hi liberorum vicem ſuſtinere dicuntur.

Adfinitatis genera.

§. CCXLIII. Proximum jam eſſet, expoſitis graduum ac linearum tum definitionibus tum diviſionibus ad *ſupputationem graduum* accedere; ſed duo prius præmittenda videntur. Primo *adfinitatis definitio* ac *diviſiones*, quia adfinitas eſt veluti quoddam ſimulacrum conſanguinitatis. Secundo *conſanguineorum & adfinium adpellationes*. Adfinitas definitur, *quod ſit vinculum certarum perſonarum novis nuptiis contractum*. Alii definiunt hoc modo: Adfinitas eſt *neceſſitudo adquiſita voluntate & conſenſu contrahentium ad voluntariam naturæ obligationem per conjugium obſtringens ſingulariter & conſanguinitatem imitans*. Germanice: *Schwägerſchaft*. Thomas part. III. quæſt. 53. artic. 3. ſic definit: adfinitas eſt *proximitas*

ex

ex conjunctione maris & fœminæ orta omni parentela sive cognatione carens. Adpellationis ratio inde deducta est, quod duæ cognationes, quæ inter se diversæ sunt, per nuptias copulantur & altera ad alterius fines accedit, Modestinus. l. Non facile. 4. §. sed quoniam. ff. de gradibus & adfinibus. Adfines ergo sunt, qui non *sanguinis*, sed *sola nuptiarum necessitudine*, non per propagationem, sed per unionem duorum in carnem unam junguntur. Qui enim unius conjugum, mariti scilicet vel uxoris consanguinei sunt, nuptiis contractis alteri conjugum fiunt adfines, hoc est, consanguinei mariti fiunt adfines uxoris, & consanguinei uxoris fiunt adfines mariti; ratio pendet ex eo, quia maritus & uxor per conjugium fiunt *una caro*. Proprie igitur adfinitas matrimonium impediens est tantum inter unum conjugem & alterius consanguineos. Quamvis enim cognati mariti & cognati uxoris, sive utriusque conjugis consanguinei habeantur & dicantur inter se adfines, tamen adfinitas illa non est ita comparata, ut matrimonium impedire possit, unde in descriptione adfinitatis & adfinium notanter additum fuit, *consanguineos mariti vel uxoris per nuptias alteri conjugum*, non autem consanguineis alterius conjugis, *adfines fieri*. Interim tamen in generali adfinitatis acceptione tria numerari solent ejusdem genera, de quibus usitata ac celebrata est regula canonistarum: *Persona addita personæ per carnis copulam mutat genus attingentiæ, sed non gradum.* Et apud Thomam exstat hic versiculus:

Mutat nupta genus, sed generata gradum.

Ex tribus illis adfinitatis generibus primum duntaxat est adfinitas proprie dicta matrimonium impediens: duo posteriora, nec adfinitatem proprie dictam conciliant, nec nuptias impediunt. Primum adfinitatis genus est, quod *mediante una persona contrahitur*, vel ut alii definiunt, quod una persona per matrimonialem conjunctionem alteri personæ addita constituit. Quando enim quispiam matrimonium contrahit, tunc illius personæ, cum qua contrahit, consanguinei redduntur ipsi adfines. Sicque mediante una persona, conjuge scilicet, inter maritum & uxoris consanguineos, ac vice versa inter uxorem & mariti consanguineos adfinitas contrahitur. Sic nuptiis inter Jacobum & Rachelem contractis frater Jacobi Esavus fit Rachelis adfinis in primo adfinitatis genere, & vicissim soror Rachelis Lea fit adfinis Jacobi itidem in primo genere adfinitatis. Secundum genus adfinitatis est, quod *mediantibus duabus personis contrahitur*, vel quod *per personam primo generi adfinitatis redditam constituitur*. Tertium genus adfinitatis est, quod *mediantibus tribus personis contrahitur*, vel quod *per personam secundo generi adfinitatis additam constituitur*. Ex Græco Mahalon & Chelion, duo fratres duxerunt uxores Moabiticas, Chelion Orpham, Mahalon Ruth. Ruth. I. 4. Per hoc conjugium Ruth facta est adfinis Chelionis in primo genere adfinitatis mediante una persona, scilicet Mahalone. Mortuo Mahalone Ruth nupsit Boozo. Ruth. IV. 10. Booz igitur fit adfinis Chelionis, in secundo genere adfinitatis mediantibus duabus personis, Ruth scilicet & Mahalone. Quod si mortua Ruth Booz aliam duxisset conjugem, tunc illa fuisset adfinis Chelionis in tertio genere adfinitatis mediantibus tribus personis, Booz scilicet, Ruth & Mahalone. Sic ergo, si frater meus uxorem ducat, illa fit mihi adfinis in *primo genere* adfinitatis. Si fratre meo demortuo relicta ejus vidua nubat alteri, atque ita primo generi addatur alia persona per copulam, id vocant *secundum genus* adfinitatis. Si secundo generi adhuc alia persona addatur, utpote si, relicta vidua fratris mei mortua, maritus ejus secundus ducat aliam, ea fit adfinis in *tertio* adfinitatis *genere*.

§. CCXLIV. De primo adfinitatis genere omnes consentiunt, sed de secundo & tertio genere quidam paulo aliter differunt.

Existi-

Existimant enim secundum adfinitatis genus nasci ex eo, quando uxoris meæ consanguineus primo genere adfinitatis mihi junctus nuptias contrahit; tunc enim ipsius uxor secundo adfinitatis genere secundum illorum sententiam mihi jungitur. Sic Ruben & Dina sunt fratres. Hemor ducit Dinam, sicque Ruben est Hemori in primo adfinitatis gradu junctus. Ruben vero ducit Saram, quam Hemori in secundo adfinitatis genere volunt conjungi, cum adjungatur persona per matrimonialem conjunctionem primo adfinitatis generi. Quidam sic distinguunt adfinitatis genera. Primum est, quo *cognati uxoris sunt viro adfines, & cognati viri sunt adfines uxoris.* Secundum, quo *adfines uxoris ex aliis nuptiis jam sunt viro adfines, & ita adfines viri sunt uxoris adfines.* Tertium, quo *adfines adfinium inter se adfines dicuntur*, ut secunda uxor ejus, qui uxorem habuit meam privignam, tertio adfinitatis genere mihi adjacet. Est enim adfinis privigna mihi in primo genere, privignæ vir secundo. Nam quia adfinis privigna est, vir est adfinis, & altera hujus uxor est adfinis mihi in tertio, quia vir ejus in secundo adfinis est. Juxta quorumdam sententiam oritur etiam in eo casu *secundum adfinitatis genus*, quando pater viduus filium habens ducit viduæ filiam, tunc enim filium vidui fieri adfinem novercæ filiæ in secundo genere adfinitatis statuunt, mediantibus scilicet duabus personis, patre & superinducta noverca. Sed cum inter liberos vidui ac viduæ novis nuptiis conjunctorum deficiat novum matrimonium, quod omnis adfinitatis est principium, ideo novum genus adtingentiæ & adfinitatis hic oriri alii negant; commodius igitur censent statuere, quod eodem genere & gradu adfinitatis, quo adfinis primi generis me adtingit, etiam uxor ejus me adtingat, cum uxor illa facta sit cum ipso una caro. Sic quia uxoris frater est mihi adfinis in primo genere, ideo etiam ipsius uxor est mihi adfinis in primo genere. Quidquid sit, cum secundi & tertii generis adfinitas nullum objiciat nuptiis ἐμπόδισμα, ideo non est, quod de ea pluribus agatur. De gradibus etiam & lineis in adfinitate non est, quod multum simus soliciti, quia ut Modestinus d. l. inquit §. 5. *Gradus adfinitati nulli sunt, quia adfines ab adfinibus non generantur.* Quia tamen adfinitas est simulacrum quoddam consanguinitatis, ideo similitudine quadam gradus & lineæ in adfinitate statuuntur, ac eodem modo, quo in consanguinitate numerantur, ubi traditur hæc generalis regula: *Quo gradu quis est consanguineus uxori, eo gradu fit adfinis illius marito; & vice versa: quo gradu quis est consanguineus marito, eo gradu fit adfinis illius uxori.*

Adpellationes consanguineorum & adfinium.

§. CCXLV. Adpellationes *consanguineorum & adfinium* nosse utile est, tum ut legentes, vel audientes, adpellationem aliquam cognationis recte statuere possimus, quotus sit gradus? tum ut de gradu aliquo cognationis quæsiti commoda adpellatione eum exprimere possimus. Prius autem consanguineorum, postea adfinium adpellationes præcipuas enumerabimus. Consanguinei uti dictum, vel in linea *recta*, vel *collaterali* sunt positi. Linea *recta* est vel *adscendentium*, vel *descendentium*. In linea adscendentium occurrunt hæ adpellationes. 1.) *Pater* a Græco ὁ πατὴρ, quod grammatici quidam dictum volunt, quod σπατὴρ a σπείρω, quidam παρὰ τὸ παῖδας τηρεῖν, quidam παρὰ τὸ πατεῖν ἐν συνουσίᾳ, quorum omnium ματαιοπονίαν Henricus Stephanus merito irridet. Hebraice אָב a propenso in filios adfectu sic dictus, radix enim est אָבַה *voluit, delectatus fuit*; ἀββᾶ, quod exstat Marc. XIV. 36. Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. est ex Arabico אבאי *pater meus.* Germanice *Vater.* *Mater* ex Græco ἡ μήτηρ, Dorice ματηρ, quod Eustathius deducit a μάω, quod est ζητῶ, ὅτι μήτηρ ἐστὶν

I.) *In linea recta*

I.) *Adscendentium.*

ἐςὶν ἡ μαςτεύουσα τὰ πρὸς τὴν τροφὴν τοῖς κυηθεῖσι; Hebraice אֵם, Germanice *Mutter*. Notandum hoc loco *patris matrisque* nomine apud Hebræos interdum vocari *avum & aviam*. Sic Dan. V. 2. vocatur Nabuchodonosor pater Balthasaris, cum tamen esset ejus avus, ut notat Hieronymus in comm. cujus observationis usus infra sese offeret non contemnendus. 2.) *Avus* πάππος a πάππα, quæ est vox puerorum balbutientium, qua patrem compellant. Rabbinice זָקֵן, *Senex*, Arabice גֵּד, Germanice *der Grosvatter*, *Anherr*, *Herrlein*. *Avia*, ἡ μάμμη, vel μαμμία ἡ τήθη. Rabbinice זְקֵנָה, Arabice גְּדָה, *die Grosmutter*, *Anfrau*, *Fræulein*. Est autem avus duplex, *paternus*, patris scilicet pater, πάππος ὁ πρὸς πατρὸς, προπάτωρ, πατροπάτωρ, πατρὸς πατὴρ Homero dictus, *der Grosvater vom Vater her*. *Maternus*, matris scilicet pater, πάππος ὁ πρὸς μητρὸς, μητροπάτωρ, *der Grosvater von Mutter her*. Sic & *avia paterna*, πατρομήτηρ, *avia materna*, μητρομήτηρ. Πάππος absolute positum censetur de avo paterno potius dictum. 3.) *Proavus*, avi pater, πρόπαππος, ὁ πάππου πατὴρ (Plato de leg.) παππεπίπαππος (apud Philonidem, quod vocabulum tamen Pollux improbat) τριτοπάτωρ, *Eltervater*, *Oldtvater*, *Vhranherrlein*. *Proavia*, avi mater, προμάμμη, προτήθη, *Eltermutter*, *Anfræulein*. Huc usque adscendunt *die vier Ahnen*, ut in vernacula nostra lingua series generationum adpellantur. 4.) *Abavus*, ἀπόπαππος, ἐπίπαππος. Arabice תָּאלֵת גֵּד avus tertius, *Obereltervater*, *Oberherrlein*, *Eltervaters Vater*, *des Gros Vaters Grosvater*. *Abavia*, ἐπιτήθη. Pollux, ἡ δὲ πάππου ἢ τήθης μήτηρ, inquit, προτήθη καὶ οἱ τούτων γονεῖς ἐπίπαππος τε καὶ ἐπιτήθη. *Obereltermutter*, *Oberfræulein*. 5.) *Atavus*, pater abavi, δίσπαππος, vel ut alii volunt διόπαππος, *Vorobereltervater*, *Eltervaters Grosvater*, *des Grosvaters Uhröhne*. *Atavia* διοτήθη, *Vorobereltermutter*, *der Eltermutter Grosmutter*. 6.) *Tritavus*, abavi avus, tertii avi pater, τρίπαππος, *des Obereltervaters Grosvater*. *Tritavia*, abavi avia, tertii avi avia, *des Obereltervaters Grosmutter*. 7.) Quidam addunt *quadritavum*, tritavi scilicet patrem. Qui ultra hos gradus adscendunt, vocantur generali adpellatione, *majores*, πρόγονοι, πρόπατρες, γενάρχαι, *die Vorfahren*, *Voreltern*.

§. CCXLVI. In linea *descendentium* habentur ejusmodi adpellationes: 1.) *Filius*, υἱὸς, τέκνον, בֵּן a בָּנָה *ædificavit*, quia est quasi ædificium & structura parentum quoad generationem & educationem, quam metaphoricam adpellationem pluribus diducit Plautus in Mostellar. Item בַּר a radice בָּרָה *elegit*, ut notet delectum & dilectum filium, נִין Gen. XXI. 23. *der Sohn*. *Filia* θυγάτηρ. Heb. בַּת pro בֶּנֶת eliso נ *die Tochter*. 2.) *Nepos*, υἱωνὸς, ἔγγονος, ἔκγονος, ἀπόγονος. נֶכֶד Gen. XXI. 23. *ut non intendas fallaciam mihi & filio meo*, וּלְנֶכְדִּי *& nepoti meo*. Targum וּלְבַר בְּרִי *& filio filii mei*. Arabice: חַפִּים *Neffe*, *Kindssohn*, *Sohnskind*, *Tochterkind*, *Enkel*, quod est a Græco ἔγγονος. *Neptis*, υἱωνὴ, ἐκγόνη, ἐγγόνη, *Neffin*, *Nifftel*, *Kindstochter*. Notandum hoc loco, Hebræos per *synecdochen* בֵּן vocare *nepotem* & בַּת *neptim*, qui enim patrem genuit, etiam filium, sive filiam ejus genuisse censetur. Gen. XXIX. 5. *nostisne Laban* בֵּן, *filium Nahor*, hoc est, nepotem, fuit enim filius Bathuelis. 2 Sam. XIX. 24. Mephiboseth dicitur בֵּן *filius Saulis*, cum fuerit filius Jonathan filii Saulis. Exod. II. 1. *abiit quidam de domo Levi*, *& duxit* בַּת, *filiam Levi ex posteritate Levi ortam*. 2 Paral. XI. 18. uxor Rehabeami Abihael vocatur *filia Eliabi Isaidæ*, cujus

2.) *Descendentium.*

jus erat neptis. (*) Est vero observationis hujus usus longe maximus in quæstione de prohibitis gradibus. 3.) *Pronepos*, nepotis filius, προέκγονος, *Unter Neffe, Enkelsſohn, Kindeskinder Sohn. Proneptis*, nepotis filia, προεκγόνη *Unter Neffin, Enkelstochter, meines Sohns oder Tochter Sohns Tochter Kinder.* 4.) *Abnepos*, nepotis nepos, ἀπέγγονος, *Nachneffe, Enkels Enkel, der dritte Enkel. Abneptis*, nepotis neptis, ἀπεγγόνη, *Nach Neffin.* Hebræis pronepotes & abnepotes dicuntur שְׁלִשִׁים — וְרִבֵּעִים *tertii & quarti*, sive ut Targum reddidit, *tertia & quarta generatio.* Exod. XX. 5. 5.) *Atnepos*, pronepotis nepos, διτέγγονος, *Vornach Neffe, der vierdte Enkel. Atneptis*, proneptis neptis, διτεγγόνη, *Vornach Neffin.* 6.) *Trinepos*, abnepotis nepos, τριτέγγονος. *Trineptis*, trinepotis neptis, τριτεγγόνη. 7.) Quidam addunt *quadrinepotem.* Qui infra hos gradus descendunt, generali adpellatione vocantur *minores, posteri*, μεταγενέστεροι, ἐπίγονοι, ἀπόγονοι, אַחֲרִית, *posteritas, die Nachkommen, Nachkömling, Unterkinder, Kindskinder.*

§. CCXLVII. In linea *collaterali æquali* quidam gradus habent peculiares adpellationes, quidam periphrastice describuntur. In *primo* collateralis lineæ æqualis *gradu* occurrunt

II.) *In linea collaterali.*

1.) *Æquali. fratres & sorores, Geschwister. Frater*, quasi fere alter, ἀδελφὸς nomine generaliter accepto, אָח a *conjunctione* sive *consociatione* dictus, *Bruder. Soror*, dicta quasi seorsim nascens, quod separetur ab ea domo, in qua nata est, Labeo apud Gellium lib. III. cap. 10. Græce ἀδελφὴ, ὅμαιμος, ὁμαίμων, συνομαίμων, κάσις, quod & fratrem & sororem significat, אָחוֹת mutata ה radicali tertia in ו *Schweſter.* In sacris literis fratres dicuntur potissimum sex modis: 1.) *natura*, quæ sunt ejusdem parentis; Gen. IV. 2. 2.) *cognatione*; Genes. XIV. 14. 2 Reg. X. 13. Matth. XIII. 55. 3.) *gente*; Levit. XIX. 17. Num. XXV. 18. Deut. III. 18. 4.) *spirituali conjunctione*; Psalm. XXII. 23. Jer. XXXI. 34. 5.) *jure humanitatis, patriæ, vicinitatis*; &c. Gen. XIX. 7. Exod. X. 23. 6.) *disciplinæ communione*; 1 Chron. XXV. 7. sed hic agitur de fratribus, qui natura tales sunt. Illi vero sunt triplices: 1.) *Germani*, ἀμφιθαλεῖς, αὐτάδελφοι, αὐτοκασίγνητοι, ὁμογενεῖς. *Brüder von voller Geburt.* 2.) *Agnati* ex eodem patre, ὁμοπάτριοι, ὁμοπάτορες, πατράδελφοι, *Halbbrüder vom Vater.* 3.) *Uterini* ex eadem matre, ὁμογάστριοι, ὁμομήτορες, ὁμομήτριοι, μητράδελφοι, κασίγνητοι, & vocabulo proprie ac specifice accepto ἀδελφοὶ, est enim ἀδελφὸς formatum a δελφὺς, quod uterum significat, *Halbbrüder von der Mutter.* Qui dichotomiis delectantur, dicere possunt, fratres sunt vel ὁμογενεῖς, καὶ ἀμφιθαλεῖς, *consanguinei* ex utroque parente, vel ἑτεροθαλεῖς καὶ ἑτερογενεῖς, qui alterutrius tantum parentis sunt germen, iique vel sunt πατράδελφοι, *ex uno patre*, sed diversis matribus, vel μητράδελφοι, *ex una matre*, & diversis patribus. Idem de sororibus judicium. Est enim aliqua alteri soror vel *ex toto*, vel *ex parte.* Ex

(*) Gen. XXIV. 48. vocatur *filia fratris Abrahae*, id est, Nahoris, cum tamen fuerit filia Bathuelis, Nahoris vero neptis v. 24. & 47. *Filii filiorum* habentur ut *filii*, ac nepotes avorum potius, quam filiorum, id est, patrum dicuntur *filii*, præsertim quando avi erant patribus notiores. Gen. XXXI. 28. *Non permisisti, ut osculari filios meos*, id est, nepotes, & filias. *Athalia* vocatur *filia Amri*, 2 Reg. VIII. 26. cum fuerit ejus neptis, quia erat filia Achabi v. 18. Achabus autem erat filius Amri 1 Reg. XVI. 29. Serubabel Esdr. III. 2. dicitur *filius Sealthielis*, cum fuerit ejus nepos. 1 Paral. III. 19. GERHARDVS.

Ex toto, id est, ex patre & matre simul, vocatur αὐτοκατασιγνήτη. Ex parte vel *patris tantum*, quæ dicitur ὁμοπατρία ἀδελφή, vel *matris tantum*, quæ dicitur ὁμομητρία ἀδελφή. Cajetanus verba Abrahæ de conjuge sua Sara Gen. XX. 12. *Vere soror mea, filia patris mei est, veruntamen non filia matris meæ*, exponit de fraternitate secundi generis, quod Sara ex eodem patre proximo, Thare scilicet, sed ex alia matre fuerit genita, de qua interpretatione quid sit statuendum, inferius dispiciemus. Notandum hoc loco *fratris* nomen accipi quandoque pro filio fratris, sive, ut loquuntur, nepote ex fratre, Gen. XIII. ac *sororis* nomen accipi pro patruelis filia, sive, ut loquuntur, nepti ex patruele, Gen. XXVI. 7. cujus observationis in exemplis contra prohibitionem graduum pugnare visis est usus maximus. In *secundo gradu* lineæ æqualis occurrunt fratrum & sororum liberi, *Geschwister Kinder*, generali adpellatione sic vocati. Et quidem duorum fratrum liberi vocantur *patrueles*. Liberi masculi, *patrueles fratres*, fœmellæ *patrueles sorores*. Duarum sororum liberi dicuntur *consobrini*, quasi consororini. Fratris & sororis liberi vocantur *amitini*, vel *matrueles* ex fratre matris progeniti. Ludov. Vives in comment. lib. XV. August. de civit. Dei. cap. XVI. Hemmingius pag. 62. statuit, si sint ex duobus fratribus masculo & fœmina, illum *consobrinum*, hunc *amitinum* dici. Vulgus autem communi adpellatione illos omnes vocat *consobrinos*. Græcis ἀνέψιοι, αὐτανέψιοι, ἐξάδελφοι. Consobrina, vel patruelis vocatur ἀνεψιά. (*) Utuntur etiam quandoque periphrasi, ὁ πρὸς πατρὸς ἀνεψιός, ὁ πρὸς μητρὸς ἀνεψιός. Matrueles Ulpianus l. 1. ad leg. Pompon. de parricid. vocat ἀδελφιδεῖς ἐκ γυναικῶν. Dicuntur etiam ἀνέψιοι ἐκ μητραδέλφων. Patrueles dici possunt, ἀδελφιδοὶ ἐξ ἀνδρῶν, Nomen ἀνεψιὸς ab apostolo Col. IV. 10. usurpatum Lutherus reddidit *Neffe*. Hebraice generaliter adpellantur דּוֹדִים ab *amoris adfectu* sic dicti. Patruelis dicitur וְלַד עַמִּי. In *tertio gradu* lineæ æqualis sunt patruelium & consobrinorum liberi, qui vocantur *sobrini*, ἀνεψιάδες, Arabice אַחְפִּיד, *die andern von Geschwister Kinder, Nechstvorgeschwister Kinder, Geschwister Nefften*. In *quarto gradu* lineæ æqualis sunt liberi sobrinorum, vel consobrinorum nepotes, *Nechstgeschwisterunterkinder, Geschwister Unternefften*, qui ut & reliqui inferiores non habent proprias adpellationes, sed periphrastice circumscribuntur.

§. CCXLVIII. In linea collaterali *inæquali* potiores adpellationes hæ sunt: 1.) In *secundo gradu* inter *agnatos* proprie dictos (hoc est, paterni sanguinis conjunctione nobis propinquos) patris mei frater vel avi paterni filius vocatur *patruus* ex eo sic dictus, quod sit loco patris θεῖος πρὸς πατρός, πατράδελφος, πατρωὸς, πατροκασίγνητος, Hebraice דוֹד 1 Sam. X. 15. דוֹד *patruus Saulis*. Targum אַחְבּוּהִי *frater patris ipsius*. Jer. XXXII. 12. *Ante oculos Hannaniel* דּוֹדִי *patrui mei*. Targum אָח אַבָּא *frater patris mei*. Chaldaice חַבִּיב, Germanice *Vetter*. Patris mei soror vel avi paterni filia vocatur *Amita*, quasi dicat a me tertia, a patre meo amata, παραδέλφη ἡ πρὸς πατρὸς θεῖα, τηθὶς πατρῶα, Hebraice דּוֹדָה, Exod. VI. 20. *Accepit Amram Iochabed*, דּוֹדָתוֹ, Targum אַחְתָּה אִבּוּהִי *sororem fratris sui sibi in uxorem*, item עַמָּה, Germanice *ein Base, oder Wase*. Inter *cognatos* proprie dictos, hoc est, materni sanguinis conjunctione nobis propinquos matris meæ frater vel avi materni filius vocatur *avunculus*, θεῖος πρὸς μητρός, μητράδελφος μητρωὸς. Hebræis מְכֻרָּף dictus

2) *Inæquali.*

(*) Tob. I. 24. dicit Tobias de Achiacharo: ἦν δὲ ἐξάδελφός μου, *erat meus patruelis.* GERHARD.

dictus ex eo, quod pararet olim regi rogum, tanquam præcipuus ex cognatis, cum reges olim comburerentur, ut conveniat cum radice שָׂרַף *incendit*. Amos VI. 10. Germanice *Oheim*. Matris soror, vel avi materni filia, vocatur *matertera*, ex eo sic dicta, quod sit matris loco, *mater altera*. Μητροκασιγνήτη, μητραδέλφη, θεῖα πρὸς μητρὸς, τηθὶς μητρῶα. Germanice *Muhme oder Medder*. 2.) In *tertio gradu* inter agnatos avi mei frater vocatur *patruus magnus*, *Grosvetter*, ubi nota, patrui magni filium peculiari adpellatione vocari *sobrino propiorem*. Avi mei soror vocatur *amita magna*, *Groswase*. Inter cognatos aviæ frater dicitur *avunculus magnus*, *Gros-Oheim*. Aviæ soror vocatur *matertera magna*, *meine Grosmume oder Medder*. 3.) In *quarto gradu* inter agnatos proavi mei frater vocatur *propatruus*, vel *patruus major*, *mein Obervetter*. Proavi soror est *proamita*, vel *amita major*, *Oberwase*. Inter cognatos proaviæ frater vocatur *proavunculus*, seu *avunculus major*, *der Oberoheim*. Proaviæ soror vocatur *promatertera*, seu *matertera major*, *Ober-Muhme*, *Ober-Medder*. 4.) In *quinto gradu* inter agnatos abavi mei frater vocatur *abpatruus*, vel *patruus maximus*, *Voroberveter*, *Vhroberveter*. Abavi mei soror adpellatur *abamita*, *vel amita maxima*, *Vhroberwase*. Inter cognatos abaviæ frater adpellatur *abavunculus*, *vel avunculus maximus*, *Vhroberoheim*. Abaviæ meæ soror vocatur *abmatertera*, vel *matertera maxima*, *Vhrobermuhme oder Medder*. Ulterius speciales adpellationes desiderantur, sicut etiam in correlativo respectu peculiares adpellationes non habentur, sed periphrastica circumscriptione utimur. Sic qui me vocat patruum, eum adpello fratris filium, qui me vocat avunculum, eum voco matris filium. Qui me vocat patruum magnum, eum adpello fratris mei nepotem, qui me adpellat avunculum magnum, eum voco sororis meæ, vel ex sorore nepotem, & sic consequenter; ubi tamen notandum, etiam fratris filium quandoque vocari ex fratre nepotem, & sororis filium nepotem ex sorore, quod a Latinæ linguæ proprietate paulo alienius esse quidam censent.

§. CCXLIX. Enumeratis potioribus consanguineorum adpellationibus, consequens est, ut etiam *adfinium* nomina recenseamus. Modestinus *l. Non facile. 4. §. Nomina. ff. de gradibus & adfinibus* hasce adfinium adpellationes adfert: *Socer*, *socrus*, *gener*, *nurus*, *noverca*, *vitricus*, *privignus*, *privigna*, *levir*, *glos.* 1.) In linea *adscendente*. Viri pater, uxorisque; mater eorum *socrus* adpellatur, cum apud Græcos viri pater ἑκυρὸς, mater ἑκυρὰ, uxoris pater πενθερὸς, & mater πενθερὰ vocetur. Dicitur etiam socer ἑδνωτὴς, κηδεστὴς. Hebræis socer dicitur חוֹתֵן *a desponsatione filiæ*, Chaldæis חָמָה, quòd tantum cum adfixis usurpatur, Rabbinis נָשׂוּא, ex eo sic dictus, quod filiam suam alteri elocaverit, vel in uxorem dederit. Socrus dicitur חוֹתֶנֶת, Chaldaice חֲמוּרְתָּא, Germanice: *Schweervatter*, *Schwiegermutter*. Mariti, vel uxoris avus vocatur *prosocer*, *socer magnus*, *Elterschweer*, *Grosschweer*. Avia vero *prosocrus*, *vel socrus magna*, *Elterschwieger*, *Grosschwieger*. Hebræi retinent priorem adpellationem. Num. X. 29. *Dixit Moses ad Hobab filium Reguel Midianitæ* חוֹתֵן *socerum Mosis*, ut referatur ad Hobabum, vel etiam *soceri*, ut referatur ad Raguelem. Hobab, qui & Jethro dictus, fuit filius Reguelis, ejus filiam duxit Mosis, fuit igitur Jethro socer, seu pater, & Reguel socer magnus, seu avus uxoris Mosis, vocatur pater, quia etiam avus Hebræis pater dicitur sponsi ac sponsæ, parentes Hebræis dicuntur מְחֻתָּנִים ὁμοπάθεροι, *consoceri*. 2.) In linea *descendente* filii uxor vocatur *nurus*, ἐννυὸς, νύμφη, νυὸς. Hebraice כַּלָּה

כַּלָּה sponsa, quæ post septem nuptiarum dies a parentibus sponsi vocatur *nurus*. Gen. XXXVIII. 11. Lev. XX. 12. Arabice كنة, *Sohnsweib oder Schnur*. Filiæ maritus vocatur *gener*, γαμβρὸς, חָתָן, Gen. XIX. 14. *locutus est Loth* אֶל־חֹתְנָיו, *ad generos suos*, לְקֹחֵי בְנֹתָיו est exegesis prioris adpellationis, qui *acceperant*, vel *accepturi erant filias suas*. Est חָתָן *sponsus, gener & adfinis*. Sponsus respectu כַּלָּה sponsæ per septem nuptiarum dies, gener respectu parentum sponsæ post nuptias, adfinis respectu cognatorum sponsæ. Germanice: *Tochtermann, Eydam*. Nepotis *uxor* vocatur *pronurus*, apud Ovidium in epist.

Pronurus & magni Laomedontis ero.

Unterschnur. Neptis maritus vero *progener, Untereydam*. Has adpellationes sic conjungit Modestinus d. l. *Socer est uxoris meæ pater, ego illius sum gener. Socer magnus dicitur uxoris meæ avus, ego illius sum progener. Et retro pater meus uxoris meæ socer est, hæc illi nurus, & avus meus socer magnus est, illa illi pronurus. Item prosocrus mihi uxoris meæ avia est, ego illius sum progener. Et retro mater mea uxoris meæ socrus est, illa huic nurus, & avia mea socrus magna est, & uxor mea illi pronurus est.* 3.) In linea *collaterali* mariti frater vocatur *levir*, apud Græcos δαὴρ ἀνδράδελφος. Hebraice: יָבָם, unde verbum יָבַם in Piel, *leviritare*, Deut. XXV. 5. *Levir ejus ingrediatur ad eam, & accipiat sibi eam in uxorem*, וְיִבָּמָהּ, *leviritet eam*. Germanice: *Schwager, Mannesbruder*. Mariti soror vocatur *glos*. Græce: γάλως, γαλὶς, γάλωσ. *Mannesschwester, Schwägerin*. Fratris uxor dicitur *fratria*, canonistis *fratrissa*, Hebræis יִבְמָה Rabbinis גִּיסָה *Bruderweib, Geschwey*. Sororis maritus dicitur *sororius*, Rabbinis גִּיס, *Schwestermann*. Duarum sororum mariti vocantur *congeneri*, גִּיסִים. Duorum fratrum uxores *connurus*. Modestinus d. l. vocari dicit εἰνατέρες, ac probat adducto ex Homero versiculo. Alexander Papa. c. *Quod autem. 35. quæst. 5. janitrices* adpellat, quæ vocula procul dubio formata est ex Græca Latinis literis scripta, ineptum igitur est, quod Alexander addit, *vocari janitrices, quasi eamdem januam tenentes, vel per eamdem januam intrantes*. Apud Germanos vocant se *Schwestern*. Soror uxoris itidem *glos* dicitur γυναικαδέλφη, Rabbinis גִּיסָה *Weibsschwester*; frater uxoris Rabbinis גִּיס γυναικάδελφος *Weibsbruder*. 4.) Posterioris matrimonii superinductus maritus liberorum ex priore matrimonio susceptorum vocatur *vitricus*, alter matris maritus ἐπιπάτωρ, μυτρυὸς, πατρωὸς, Arabice عم vel وَنْ عَمّ *Stiefvater*, quasi *gestifteter Vater*. Superinducta uxor liberorum prioris matrimonii dicitur *noverca* μητρυιὴ, ἐπιμήτωρ, πατρωὴ. Lev. XX. 11. אֵשֶׁת אָב *uxor patris*. Arabice אַמְרַאת ולדי In Syr. 1 Cor. V. 1. itidem periphrastice אֲנַהַת אֲבוּהִי *uxor patris*, Germanice *Stiefmutter*, quasi *gestiftete Mutter*. Vitrici pater dicitur *provitricus*, novercæ mater *pronoverca*. Liberi prioris matrimonii masculi vocantur *privigni*, q. d. πρόγονοι, ἀμφίγονοι, ἐπίγονοι, fœmellæ vocantur *privignæ*. Rabbinice: חוֹרְנָא & in fœm. חוֹרְנָא Item רַבִּיב & in fœm. רַבִּיבָא *Stiefsohn, Stieftochter*. Modestinus d. l. *Uxor liberis ex alia uxore natis noverca dicitur, matris vir ex alio viro natis vitricus adpellatur, eorum uterque natos aliunde privignos privignasque vocant.*

Quotuplex graduum computatio.

§. CCL. Expositis consanguineorum & adfinium *adpellationibus*, restat, ut ad graduum tam consanguinitatis, quam adfinitatis *supputationem* descendamus: supputationi illi inservit justa & ordinata personarum, de quarum cognatione quæritur, in lineis & gradibus collocatio, quæ in linea recta sive perpendiculari juxta generationis seriem in-

instituenda & ordinanda est. Sic quando quæritur, quoto gradu Noachus distet ab Enocho, generationum series ab Enocho usque ad Noachum in linea perpendiculari oculis subjicienda, hoc modo:

Henoch,
Mathusalem,
Lamech,
Noah.

In linea collaterali, quando de duarum personarum cognatione quæritur, primo omnium utriusque personæ nomen in linea transversali ponatur, postea juxta generationum seriem per utriusque parentes adscendatur, usque ad communem stipitem intermedio loco ponendum, hoc modo:

Thara,

Abraham, *Nahor*,
Isaac, *Bethuel*,
Rebecca.

Supputatio sive computatio graduum duplex est, alia *juris civilis*, alia *juris canonici*. Juris civilis hæc est regula perpetua: *Persona generata semper adjicit gradum*, hoc est, *quot sunt generationes, tot sunt gradus*. Proinde in linea recta, tam adscendentium quam descendentium jubet initio ab eo, de cujus cognatione quæritur, facto numerare generationes, ac pronunciat singulas generationes singulos gradus constituere. l. *Jurisconsultus*. 10. §. 9. ff. de grad. & aff. *Quoties quæritur*, ait Paulus, *quoto gradu quæque persona sit, ab eo incipiendum est, cujus de cognatione quærimus, & si ex inferioribus, aut superioribus gradibus est, recta linea sursum versum, vel deorsum tendentium, facile invenimus gradus, si per singulos gradus proximum quemque numeramus, nam qui ei, qui mihi proximo gradu proximus est, secundo gradu est mihi, similiter enim accedentibus singulis crescit numerus*. E. e. quando quæritur, quoto gradu Dina distet ab Abrahamo? ibi enumero generationes, & quia tres intermedias generationes deprehendo, Abrahamus enim genuit Isaacum, quæ est prima generatio; Isaacus Jacobum, quæ est secunda generatio, Jacobus Dinam, quæ est generatio tertia, ideo pronuncio tribus gradibus Dinam ab Abrahamo distare. In linea transversa, tam æquali, quam inæquali, jus civile itidem jubet numerari generationes, sed in utroque latere, ita ut per stipitem transeatur, hoc est, quia personæ in uno latere, juxta certam seriem collocatæ, non sunt generatæ a personis, in altero latere constitutis, sed utrinque a communi aliquo stipite originem habent, ideo in uno latere a persona illa, de cujus cognatione quæritur, jubet adscendere ad stipitem seu parentem communem, atque ab eodem in opposito latere rursus descendere ad personam alteram, de qua ipsa quoque quæritur, ac *quot utrobique deprehenduntur generationes intermediæ, tot gradibus personas illas, de quibus quærebatur, distare pronunciat*, d. l. 10. §. 9. & 16. ff. *de grad. & affin.* ꝛ. *gratia*. Si quæratur, quoto gradu distet Rebecca ab Isaaco? primo a Rebecca adscendo usque ad stipitem communem Thare, & invenio tres generationes, quia Rebecca genita est a Bethuele, Bethuel ex Nachor, Nachor ex Thare, postea ulterius a communi stipite Thara descendo, usque ad Isaacum, & invenio duas generationes. Thare enim genuit Abraham, Abrahamus Isaacum, ut patet ex schemate antea præmisso. Computatis igitur generationibus in utroque latere occurrentibus, invenio quinque generationes intercedere, proinde, juxta regulam juris civilis Rebeccam ab Isaaco quinto gradu distare pronuncio. Sic Ambrosius lib. VIII. epist. 66. patrueles *quarto* sibi sociari *gradu* adserit, juxta computationem scilicet juris civilis.

I.) *Iuris civilis.*

§. CCLI. Juris vero *canonici* de computatione graduum regulæ, c. *ad sedem*. 35. *quæst*. 5. propositæ paulo aliter se habent. In recta enim linea, tam adscendentium quam descendentium, hæc traditur regula:

II.) *Juris canonici.*

la: *Quot sunt personæ, tot sunt gradus, persona distat a stipite, totidem etiam una demta sive sublata.* Ideo autem una persona demenda est in graduum computatione, quia personæ hic non considerantur *absolute*, sed *relate* in mutuo respectu, quatenus aliæ alias generant, ac aliæ ab aliis generantur, proinde in linea descendente demendus est stipes, a quo supputatio inchoatur, in linea adscendente demenda est persona infima, a qua itidem supputationis fit initium, quia stipes consideratur ut generans, non etiam ut generatus, ac persona infima consideratur ut genita, non etiam ut generans, intermediæ considerantur ut genitæ respectu superiorum, ut & generantes respectu inferiorum, inde regulam illam juris canonici quidam paulo plenius sic exponunt: *Tot sunt gradus, quot personæ, scilicet in ipsa generatione. In linea descendente tot sunt gradus, quot personæ generatæ. In adscendente tot sunt gradus, quot personæ generantes.* Verbi causa quando quæritur, quoto gradu Dina distet ab Abrahamo? ibi enumero personas in generatione Dinæ ab Abrahamo intermedias Jacobum, Isaacum, Abrahamum, & demta persona infima invenio tres personas remanere, ideo pronuncio Dinam ab Abrahamo tertio gradu distare. Ex quo adparet, in linea recta juris civilis & canonici computationem coincidere; quot enim gradibus juxta juris civilis supputationem in linea recta persona una ab altera distat, tot etiam gradibus juxta juris canonici supputationem ab eadem distare deprehendetur. Sed in linea collaterali, sive transversa occurrit differentia. Unde versiculi circumferuntur:

Per rectum filum concordant utraque jura.
Per transversalem superant legalia jura.

Cum enim linea collateralis sit vel *æqualis*, vel *inæqualis*, ideo de utraque jus canonicum distinctas tradit regulas. De linea collaterali æquali traditur hæc regula: *Quot gradibus in linea collaterali æquali una persona distat a stipite, totidem etiam gradibus inter se distant*, τὰ γὰρ τῷ αὐτῷ ἴσα καὶ ἀλλήλοις ἐστὶν ἴσα, ut habet Euclidæum principium lib. I. pag. 3. Quia vero proprie & adcurate loquendo non quæritur aut supputatur, quot gradibus inter se personæ illæ distent? sed quot gradibus a communi stipite absint? propter cujus vel propinquitatem, vel distantiam conjunctiones vel prohibitæ, vel permissæ sunt, ideo regulam illam canonistarum quidam sic informant: *Quæ personæ æqualiter a stipite distant, toto gradu distant, quanto quælibet a stipite distat, vel in ordine transverso, si duæ personæ æque distent a stipite, tot gradibus distare dicuntur, quot a stipite quælibet illarum distat;* sed res eodem redit. Atque hic occurrit diversitas inter juris civilis & canonici computationem. Verbi causa quæritur, quoto gradu distent Esau & Rebecca?

Thare,

Nachor	*Abraham*
Bethuel	*Isaac*
Rebecca	*Esavus.*

Secundum *juris civilis* computationem distare dicuntur *gradu sexto*, quia tres sunt generationes adscendendo a Rebecca ad Thare & tres sunt generationes descendendo a Thare usque ad Esavum. Sed secundum *juris canonici* computationem distare dicuntur *tertio gradu*, quia quælibet harum personarum tertio gradu distat a communi stipite, ut constat ex regula prima, quæ de linea recta fuit tradita. De linea collaterali inæquali in jure canonico traditur hæc regula: *Quæ personæ inæqualiter distant, toto gradu distant, quoto remotior a stipite distat;* vel ut alii efferunt: *In linea transversa inæquali tot gradibus inter se distant, quot gradibus distat ille, qui a stipite est remotior.* Item: *Denominatio graduum in linea inæquali sumenda est a persona remotiore.* Verbi causa quæritur, quoto gradu distent Jacob & Rachel?

Tha-

Thare

Nachor	*Abraham*
Bethuel	*Isaac*
Laban	*Jacob*
Rachel	

Secundum juris civilis computationem *septem gradibus* distant, quia tot generationes intercedunt, a Rachel usque ad Thare adscendendo quatuor, a Thare usque ad Jacobum descendendo tres; sed juxta canonici juris supputationem *quarto gradu lineæ inæqualis* distare dicuntur, quia tot gradibus remotior videlicet Rachel a communi stipite Thare distat.

Gradus adfinitatis.

§. CCLII. Atque hæc de computandis gradibus *consanguinitatis* dicta sint. *Adfinitatis* gradus proprie nulli sunt, quia non intercedit generatio; interim tamen, quia maritus & uxor per conjugium fiunt *una caro*, inde est, quod consanguinei unius conjugis fiunt proximi & adfines alterius conjugis, & quidem in eo gradu, in quo sunt alteri consanguinei. De adfinitatis ergo gradibus traduntur hæ duæ regulæ: *Consanguinei mariti in eo gradu fiunt adfines uxoris, in quo gradu sunt consanguinei mariti.* Sic quia pater mariti est ejus consanguineus in primo gradu, ideo etiam est uxori adfinis in primo gradu, & sic consequenter. Vicissim *consanguinei uxoris in eo gradu fiunt adfines mariti, in quo gradu sunt consanguinei uxoris.* Sic quia soror uxoris est ejus consanguinea in primo gradu, ideo etiam est marito adfinis in primo gradu, quarum regularum fundamentum pendet ex pronunciato divino: *Conjuges non amplius sunt duo, sed una caro.* Gen. II. 24. Matth. XIX. 6. De gradibus in secundo & tertio adfinitatis genere non est, quod simus solliciti, cum talis adfinitas non impediat matrimonium.

Quae computatio præferenda?

§. CCLIII. Quæstio hoc loco movetur, *an canonica, an civilis supputatio in matrimonialibus locum habere debeat?* Canonici juris computationem improbant, ac civilem eidem præferunt. (*) Beza lib. de div. pag. 22. Hotomannus de cast. nupt. pag. 1. cap. III. Albericus Gentilis lib. V. de nupt. cap. VI. Borcholtus in tractat. de grad. pag. 10. Zepperus de legibus Mosaic. libr. IV. cap. XIX. pag. 493. Cypræus de matrimon. cap. VI. p. 695. Hunnius resolut. juris civ. lib. I. tract. 3. quæst. 20. *Gradibus venit jus civile, & gra-*

(*) Hic ipse FRANCISCVS HOTOMANNVS, gente Silesius, & quidem Uratislavienſis, vir de jurisprudentia simul & litterarum omni genere longe meritissimus, præcipuus est scriptor, qui novam istam graduum computationem ab ALEXANDRO II. ecclesiæ romanæ præsule, in concilio anno 1065. celebrato confirmatam, atque pro *lege ecclesiastica* omnibus impositam, vehementer exagitavit. Fecit id in tractatu lectu dignissimo *de gradibus cognationis & adfinitatis* in quo ipsius ALEXANDRI, antistitis Romani, argumenta refellere haud dubitavit. Lectu digna sunt quæ de hocce viro adnotavit laudatissimus BOEHMERVS *loco excitato, tom. IV. libr. IV. §. XVI. p.* 144. *seqq.* Evolvi quoque de eo meretur IO. FABRICIVS in *historia bibliothecae suae, part. III. p.* 315, 316 ubi & alios auctores, qui de vita celeberrimi hujus viri commentati sunt, recenset. Quod restat, hoc unicum, data hac occasione paucis heic adjungimus, hunc ipsum HOTOMANNVM auctorem quoque esse libri illius attentione nostra dignissimi, cui titulus est: *P. Sixti V. brutum fulmen.* Prodiit hocce scriptum sine loci & anni mentione, eoque comparatum est, ut ostendat, fulmen SIXTI V. contra HENRICVM, Navarræ regem, evibratum, non alio habendum esse loco, quam quo ἀστραπὴν ἐκ πυέλης, sive *fulgur ex pelvi*, habere alias solemus. Dignum illud visum est MELCHIORI GOLDASTO, *quod tom. III. monarchiae imp. Rom. p.* 68. *seqq.* inseri curaret hacque ratione illud ab interitu vindicaret. Is enim eo magis erat extimescendus, quod exempla hujus libri sensim sensimque evaderent rariora.

graditur, inquit Albericus, *sed canon saltu præcipitat.* Contra vero canonici juris computationem præferunt non solum canonistæ & pontificii, Bellarminus lib. I. de matrimon. cap. XXVI. Henriquez, Sanchez, &c. sed plerique etiam nostratium, Hemmingius de conjug. pag. 70. Chytræus in Levit. XVIII. Selneccerus in exam. Zehnerus de grad. pag. 25. Chemnitius part. III. loc. de conjug. pag. 537. Menzerus de conjug. p. 32. Tarnovius lib. I. de conjug. cap. LII. Unde in consistoriis communiter ea observatur, (quod testantur Beustius de nupt. pag. 236. Mauserus de nupt. pag. 75. Schneidewinus lib. I. instit. tit. 10 de arbore consang. & manifestissimum est ex constit. eccleslast. elect. Saxon. fol. 109.) quorum sententiæ & nos subscribimus, ubi tamen in formatione status notandum. 1.) Non esse quæstionem, an supputatio civilis in controversiis *de successionibus*, *hereditatibus*, *tutelis* & similibus rebus sit observanda? id enim libenter concedimus, cum ibi proprie non quæratur, quam prope & procul personæ distent a communi stipite, sed quam prope personæ, de cujus cognatione quæritur, altera persona sit conjuncta, ac Deus ipse in adeunda hereditate hanc supputandi rationem monstrare videtur. Num. XXVII. 8. Sed quæstio tota instituta est de causis *matrimonialibus*, utra supputandi ratio in illis debeat observari? 2.) Juris canonici supputationem non recipi a nobis propter auctoritatem pontificis; sed quia facilis est & expedita, ac quæstionibus matrimonialibus de gradibus propinquitatis maxime adcommodata. 3.) Non negari a nobis, quod regulæ juris canonici de supputatione graduum verbis minus propriis ac perspicuis a canonistis sint conceptæ; unde non tam de verborum proprietate, quam de re ipsa hic sumus soliciti. 4.) Denique addimus, parum referre, sive canonicam, sive civilem computationem quispiam sequatur, modo sciat, qui gradus legibus divinis & humanis prohibiti sint censendi; interim, quia in *consistoriis* canonica computatio retinetur, ideo non debet ea simpliciter repudiari.

Pro computatione canonica.

§. CCLIV. Fundamentum canonicæ supputationis in eo consistit, quod in casibus matrimonialibus, sive in quæstionibus de contrahendis inter propinquos nuptiis proprie & principaliter non consideretur, quantum persona una distet ab altera, si *absolute inter se ac per se* considerentur, quod in hereditatibus & tutelis recte fieri concedimus, sed id potius spectatur, quantum persona utraque distet *a communi stipite*, in qua cognatio fundatur. Quia enim in quibusdam gradibus sunt prohibitæ nuptiæ propter communium parentum propinquam cognationem & reverentiam sanguinis ex eo ortam, ideo ante omnia inquirendus est communis stipes, utpote fons cognationis ac pro ratione propinquitatis, vel distantiæ a communi illo stipite personarum, de quibus quæritur, propinquitas, vel distantia recte statuitur. *In legibus* (inquit Alexander c. ad sedem 35. q. 5.) *ob nihil aliud ipsa graduum mentio facta est, nisi ut hereditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur, usque ad quotam generationem & consanguineorum nuptiis sit abstinendum; ibi præscribitur, ut hereditas propinquis modo legitimo conferatur: hic vero, ut rite & canonice inter fideles nuptiæ celebrentur.* Chemnitius d. l. *Non quæritur proprie aut supputatur, hac ratione, quot gradibus inter se personæ illæ, de quarum cognatione, vel distantia quæstio instituitur, distent? sed quot gradibus a communi stipite, propter cujus vel propinquitatem, vel distantiam conjunctiones prohibitæ, vel permissæ sunt, distent?* Propinquitas ac distantia personarum hoc loco non aliter statuitur, nec statui etiam debet, quam respectu habito ad communem stipitem,

tem, in quo utraque persona concurrit, & quodammodo unum fit, ob unius scilicet sanguinis communionem. Nec a *Romanis pontificibus* hæc computatio primo fuit inventa & ecclesiæ obtrusa, sed exstant ejus vestigia in antiquissimis scriptoribus. Apud Pindarum pronepotes dicunt se τρίταισι ἐν γονάις φυτευθέντας. Pythag. Od. 4. apud Ovidium lib. XIII. metamorph.

Est a Jove tertius Ajax,
Qui Jovis est pronepos,

cui Ulysses respondet:

Quia rettulit Ajax,
Esse Jovis pronepos, nostri quoque sanguinis auctor,
Jupiter est, totidemque gradus distamus ab illo.

Contra computationem canonicam.

§. CCLV. Hoc fundamento probe observato facilem habent explicationem, quæ contra juris canonici computationem proferuntur. Diximus autem tres haberi in ea computatione regulas. Prima pertinet ad lineam *rectam*. Secunda ad lineam *collateralem æqualem*. Tertia ad lineam *collateralem inæqualem*. In singulis aliquid improbant, qui juris civilis computationem illi præferendam existimant.

1.) *Contra primam regulam.*

Prima regula sic habet: *In linea recta tot sunt gradus, quot personæ una demta.* Hanc inepte dicunt conceptam, *cum non possit dari ratio, quare una persona sit demenda.* Resp. imo vero dedimus superius, quia persona hoc loco non consideratur *absolute*, sed *relate*, cum respectu generationis, qua vel generavit aliam in linea *descendente*, vel generata est ab alia in linea *adscendente*. Gradus est *unius personæ ab alia distantia*, una igitur persona non constituit gradum. *Prima persona*, inquit Bellarminus, *est velut punctum, a quo ducitur linea, per quam distat secunda persona a prima, & illa linea intermedia est primus gradus, qui incipit a prima, & terminatur in secunda, proinde non potest dici gradus, nisi cum producta fuerit secunda persona.* Carerius lib. II. de matr. c. III. *Hereditas deferri nequit, nisi ex una persona in altam, ideo secundum leges in singulis personis sunt singuli gradus, sed nuptiæ fine duobus fieri nequeunt, propterea canones duas in eodem gradu statuunt personas.* Secunda regula sic effertur: *In linea collaterali æquali, quot gradibus una persona distat a stipite, tot gradibus utraque distare intelligitur.* Hanc itidem ineptam & falsam esse statuunt, cum *natura ipsa ostendat, tot statui oportere gradus, quot sunt generationes, nec posse perveniri a fratre ad fratrem, nisi transitu per communem parentem facto.* Bellarminus respondet, *in linea recta, ideo per unam personam transiri ad aliam, quia una persona procedit ab alia. Sic nepos duobus gradibus distat ab avo, quia non potest a nepote ad avum adscendi, nisi per patrem: a fratre autem ad fratrem non transiri, nisi per patrem, cum nulla sit processio fratris a fratre, nec mediata nec immediata, cum contra frater uterque in patre conjungatur, nec habeat conjunctionem, vel habitudinem, nisi quatenus est unum cum patre.* Ex fundamento superius posito simplicissime responderi potest, in causis matrimonialibus non quæri proprie, quot gradibus personæ inter se distent? sed quot gradibus a communi stipite absint, propter cujus vel propinquitatem, vel distantiam conjunctiones matrimoniales, vel prohibitæ, vel permissæ judicantur? Regerunt, *confundi nihilominus cognationem inter patrem & filium & inter fratrem & fratrem.* Nam juxta computationem canonicam eodem & æquali gradu fratres distare dicuntur, quo pater & filius, videlicet primo. Jam vero negari nequit, filium esse patri propinquiorem, quam frater est fratri, cum inter patrem & filium sit & *amor vehementior & obligatio major*, quam inter fratres. Quare cum filius uno gradu

2.) *Contra secundam regulam.*

distet a patre, commodius fuerit statuere, quod frater a fratre longius, quam uno gradu distet, & per consequens præferenda sit juris civilis computatio, juxta quam frater a fratre duobus distat gradibus. Bellarminus respondet, *majorem esse propinquitatem filii ad patrem, quam fratris ad fratrem intensive, non extensive, cum non distet longius frater a fratre, quam filius a patre, interim in æquali distantia majorem esse conjunctionem, & proinde majorem obligationem, cum gradus illi non sint ejusdem rationis, filius enim cum patre jungitur, ut effectum cum causa proxima, at frater cum fratre jungitur, ut effectus a communi causa procedens.* Ex fundamento superius adducto simplicissime respondetur, non proprie hoc loco quæri, quoto gradu inter se distent fratres? sed quoto gradu absint a communi stipite, propter cujus propinquitatem nuptias quasdam sanguinis reverentia prohibet? cum ergo non nisi unus gradus inter communem illum stipitem & fratrem ex eo ortum intercedat, ideo primo duntaxat gradu fratres ex eodem patre, vel matre geniti distare dicuntur. Distinguendum igitur erit inter lineam *rectam* & *collateralem*. Major esse potest *necessitudo* inter personas in linea recta, quam in collaterali, licet idem utrobique sit gradus, ibi enim est major reverentia, veluti inter superiores & inferiores, hic minor, utpote inter æquales. Quidam monent, adcurate loquendo non esse *cognationem* inter patrem & filium, sed *propinquitatem*, ideo ad evertendam regulam, de gradibus cognationis traditam, non debere adferri exemplum propinquitatis inter adscendentes & descendentes. Quamvis enim a canonistis & in vulgata loquendi consuetudine discrimen inter propinquitatem & cognationem, itemque inter propinquos & cognatos tam exacte non observetur; res ipsa tamen ostendit, discrimen aliquod propinquitatis & cognationis recte statui, filii enim parentibus cognati non nisi καταχρηστικῶς dicuntur, cum cognati dicantur, quasi *simul*, sive *ex eodem nati*, quæ adpellatio proprie non competit filio in respectu ad patrem, sed in respectu ad fratrem, cum quo ex eodem parente natus, & sic ejusdem cognatus est.

§. CCLVI. Tertia regula informatur hoc modo: *Quæ personæ inæqualiter distant, toto gradu distant, quoto remotior a stipite abest.* Ex ea maximum illud absurdum consequi putant, *ut una persona distet æqualiter a multis inæqualiter distantibus.* Verbi causa Thare sit stipes communis, ab eo descendunt in uno latere *Nahor, Bethuel, Laban, Rachel:* in altero *Abraham, Isaac, Jacob.* Schema sit tale: 3.) *Contra tertiam regulam.*

Thare

Nahor	*Abraham*
Bethuel	*Isaac*
Laban	*Jacob*
Rachel.	

Si jam quæratur, quoto gradu distet *Jacobus a Rachele*, respondebitur juxta juris canonici regulam, distare *quarto*, quia remotior persona videlicet Rachel quarto gradu a stipite distat. Si ulterius quæratur, quoto gradu *Isaacus a Rachele* distet, respondendum itidem erit, *quarto*, quia Rachelis a stipite eadem manet distantia. Si quærendo pergatur, quoto gradu *Abraham a Rachele*, eadem danda erit responsio, quod *quarto* distent. At *vehementer absurdum videtur, eamdem personam æqualiter distare ab illis tribus, quæ inter se singulis gradibus distant.* Resp. denuo repetendum est fundamentum superius adductum, videlicet distantiam hic adtendi ratione *stipitis*, a quo pendet cognatio, non ratione *personarum inter sese;* absurdum proinde non esse, ut persona una distet æqualiter a multis inæqualiter distantibus, cum ratione communis stipitis eadem semper maneat remotioris personæ distantia. Verbum igitur *distat* in hac supputationis regula exponendum est per remotionem seu nega-

negationem contrarii, ut *distat* positum accipiatur pro *non propius adtingit*. Bellarminus responsionem hisce verbis effert: *Qui sunt in uno latere, non habent habitudinem ad eos, qui sunt in altero, nisi ratione stipitis, in quo uniuntur, & ideo per accidens est, quod inter se distent, vel non distent, quantum ad habitudinem ad personas alterius lateris.* Rachel tantum distare dicitur ab Abrahamo, quantum ab Isaaco, quantum a Jacobo, quia tres illi licet inter se gradibus singulis distinguantur, tamen non respiciunt Rachelem, nisi eatenus, quatenus omnes tres uniuntur in uno communi stipite, videlicet Thare, a quo Rachel quatuor gradibus distat. Ex quo etiam adparet ratio, *cur in linea inæquali adpellatio fiat a persona remotiore*, quia scilicet tota hæc ratio numerandi dependet a distantia stipitis, in quo personæ conjunguntur. Quod si distantiam æstimare vellemus a persona propinquiore, sequeretur hoc absurdum, quod persona remotior sit personæ alteri collaterali vicinior, quam ipsi stipiti. Sic *Rachel* distat *a Thare* abavo suo *quarto gradu*, a quo eodem Thare tanquam communi stipite Jacobus distat *gradu tertio*. Quod si a propiore, Jacobo scilicet, adpellationem velis sumere, dicendum erit *Jacobum a Rachele* distare *gradu tertio*, quia scilicet Jacobus a Thare proavo distat tertio gradu. Atqui Rachel distat a Thare abavo suo *gradu quarto*, erit igitur Rachel propinquior Jacobo propatrui sui filio, nempe in tertio gradu, quam Thare abavo suo, nempe in gradu quarto, quod est ἀδύνατον & absurdum; antequam enim a Rachele pervenias ad Jacobum, deveniendum prius est ad Thare, tanquam communem stipitem, a quo cognatio unice pendet, & æstimanda est. Vid. Mentzerus de conjug. pag. 35.

II.) *Graduum prohibitio.*

§. CCLVII. Exposita graduum *supputatione*, descendendum est ad eorumdem *prohibitionem*. Tota enim de graduum computatione tractatio unice eo spectat, ut explicari ac pernosci possit, in quibus consanguinitatis & adfinitatis gradibus matrimonia vel concedantur, vel prohibeantur. In quibus cognationis gradibus concessa sint matrimonia, facile intelligitur, si cognatum ac perspectum fuerit, in quibus gradibus sint prohibita, *quod enim prohibitum non est, concessum intelligitur.* Prohibitio illa vel est *juris divini*, vel *humani ac positivi.* Juris humani prohibitio est vel *ecclesiastica*, *canonica* alias dicta, vel *politica.* Prohibitio politica est vel *juris civilis communis*, vel *provincialis ac municipalis.* Nuptiæ in gradibus lege divina prohibitis contractæ vocantur *incestæ ac nefariæ*, *Blutschand*, quæ vero in gradibus lege tantum humana prohibitis contrahuntur, *illicitæ* adpellantur. §. *ergo non omnes. instit. de nupt.* Incestas nuptias Isidorus in lib. etymol. dictas existimat, quod *minime castæ sunt*, cum enim in justis nuptiis sit castitas, Heb. XIII. 4. 1 Tim. II. 15. quæ in hisce contra legis divinæ prohibitionem contractis desideratur, inde incestæ merito adpellantur. Alii incestas dictas rectius arbitrantur, quasi ἀκίστους *sine cesto.* Erat autem *cestus* cingulum Veneris ex lana confectum, quo nova nupta præcingebatur, quod vir solvebat boni ominis gratia, ut in suscipiendis liberis felix esset. *Nefariæ* eædem dicuntur ex eo, quod contra fas, hoc est, jus divinum & naturale, sive jus gentium sint contractæ. Varronius libr. I. de vit. pop. Rom. eas sic dictas putat, quod *qui tales nuptias contrahunt, farre, hoc est, vita sint indigni.* Quamvis vero apud jurisconsultos incestæ & nefariæ nuptiæ promiscue dicantur, quæ sunt contra leges divinas contractæ; Aldobrandinus tamen notat, *nefarias nuptias proprie dici, quæ inter adscendentes & descendentes contrahuntur, incestas vero, quæ inter collaterales in vetitis gradibus coeunt.* De singulis hisce prohibitionis speciebus ordine tractabimus.

SECTIO I.

DE GRADIBVS PROHIBITIS IN IVRE DIVINO.

§. CCLVIII.

De prohibitione juris divini.

Prohibitio *juris divini* exstat Lev. XVIII. ex quo capite quædam repetuntur Levit. XX. & Deut. XXVII. ubi pœnæ in transgressores statuuntur. Commode autem dividi potest in regulam prohibitionis *generalem* & prohibitionem certorum graduum *specialem*.

Regula generalis.

Generalis regula prohibitionis statim ab initio præmittitur, v. 6. *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus Deus vester;* cujus scilicet præceptis obedientiam debetis, quique præceptorum suorum transgressores ad meritas, easque gravissimas pœnas pertrahet. Verba Hebræa sic habent: אִישׁ אִישׁ אֶל־כָּל־שְׁאֵר בְּשָׂרוֹ לֹא תִקְרְבוּ לְגַלּוֹת עֶרְוָה quæ κατὰ πόδα sic reddi possunt: *Vir vir ad omnem carnem carnis suæ non accedetis ad revelandam nuditatem.* אִישׁ bis repetitum recte redditur *omnis vir*, sive *quilibet;* substantivum enim in singulari numero continuo repetitum *distributionem*, & consequenter *universalitatem* notat. Buxdorffius in thesaur. lib. II. p. 16. LXX. rediderunt ἄνθρωπος ἀνθρώπου, qua generali quorumvis hominum circumscriptione tollitur omnis personarum in hac prohibitione respectus. *Quilibet ad propinquam carnis suæ non accedat*, id est, *nullus homo*, cujuscunque sit sortis vel conditionis ad propinquam carnis suæ per matrimonialem copulam accedat. (*) שְׁאֵר descendit a radice שָׁאַר *reliquus, residuus fuit.* 1 Sam. XVI. 11. Ezech. IX. 8. Ideo Arias Montanus vertit, *ad reliquias*, alii *ad relictionem carnis suæ.* Sed quando שְׁאֵר pro reliquiis ac residuo usurpatur, tunc sub א est *cametz* vel *patach*, Esaj. X. 20. XIV. 22. hic vero sub א in ultima syllaba est *zere*, quo modo punctatum significat *carnem* Ps. LXXIII. 26. Prov. XI. 17. De verbo igitur ad verbum reddendum fuerit: *Nemo ad carnem carnis suæ accedat;* id est, ad propinquam carnis suæ, ad carnem carni ejus propinquitate generis & sanguinis proxime adhærentem, inde Targum ubique reddidit per קָרִיב *propinquum*, ut abstractum pro concreto, scilicet caro sive propinquitas secundum carnem pro fœmina secundum carnem propinqua, sive consanguinea, poni intelligatur. LXX. rediderunt πρὸς οἰκείᾳ σαρκὸς, vel ut alii codices legunt οἰκείαν, *ad domesticam carnis suæ.* בָּשָׂר variis modis in scripturis accipitur, proprie autem significat *carnem*, juxta quam acceptionem שְׁאֵר בָּשָׂר *propinquus*

(*) Eandem interpretandi rationem inierant quoque judaicæ gentis doctores. Existimarunt nimirum vocem אִישׁ heic ob emphasin repeti, ut summa prorsus indigitetur universalitas, & sub eadem & *gentes*, & *judaei* comprehendantur. Loca ex eorum scriptis diligenter collegit JO. SELDENVS *de jure nat. & gent. secundum disciplinam ebraeor. libr. V. cap. XI. oper.* junctim editorum, *tom. I. p. 549. seqq.* Jungi meretur JO. MEYERVS, theologus quondam Harderovicensis, in *uxore christiana, cap. III.* §. 2. *seqq. p. 14.* qui & *loc. cit.* nec non *cap. XIV.* §. 3, 4. *p. 196.* laudat ABEN ESRAM, idem sentientem, qui vero hoc habet peculiare, quod existimat, gentibus hos incestus duntaxat prohiberi in terra sancta, ne illam polluant. Vid. quæ de hac Aben Esræ sententia adnotavit b. cancell. PFAFFIVS in peculiari diss. *in legem divinam Lev. XVIII. 6. de non adpropinquando ad carnem carnis suae ad revelandam nuditatem*, quæ Tubing. *MDCCXXXII.* prodiit, lectuque dignissima est. Plura hac de re dicemus suo tempore in *supplementis* ad GERHARDVM.

quus carnis erit propinquus sive cognatus secundum carnem consanguineus. Sic Gen. XXXVII. 27. fratres Josephi de hoc fratre suo dicunt, *frater noster est* בְּשָׂרֵנוּ *& caro nostra.* Gen. XXIX. 14. Laban ad Jacobum sororis suæ filium dicit: *Os meum es* וּבְשָׂרִי *& caro mea.* Atque hac ratione generalis illa prohibitionis regula pertineret duntaxat ad consanguineos. *Propinquitas carnis meæ*, inquit Hemmingius de conjug. pag. 84. *est, quæ me sine intervallo adtingit, idque vel superne, ut pater & mater, vel inferne, ut filius & filia, vel ad latera, ut fratres ac sorores.* Sed quia postea in speciali certorum graduum prohibitione non solum a nuptiis consanguinearum, sed etiam adfinium abstinere jubemur, ideo rectius generaliter accipitur pro quavis carnis propinqua, sive per *consanguinitatem*, sive per *adfinitatem* proxime aliquem adtingente, quo modo usurpari videtur Jud. IX. 2. ubi Abimelech ad fratres matris suæ, & ad omnem cognationem familiæ patris matrisque suæ dicit: *Os vestrum sum* יִבְשַׂרְכֶם *& caro vestra.* Ne vero quis excipiat, *non ad adfines, sed tantum ad consanguineos Abimelechum locutum esse*, ideo adducimus locum alium, qui nullam patitur ἔνστασιν, de *filia enim privigni & filia privignæ*, quæ non nisi adfinitate me adtingit, dicitur Levit. XVIII. 17. שְׁאֵרָה *caro tua sunt.* Quoniam igitur maritus cum uxore fit *una caro*, ideo etiam consanguinei uxoris, qui scilicet secundum carnem eidem sunt propinqui, & mariti adfines redduntur, ejus caro vocantur. קָרַב in genere significat *adpropinquare*, hoc loco specialiter usurpatur pro congressu matrimoniali, estque verbum nuptum conjugalem concubitum per εὐφημισμὸν describens, quo sensu etiam usurpatur Gen. XX. 4. Esa. VIII. 3. LXX. reddiderunt ἐκ προσελεύσεως ad sensum accedet, velut alii codices ex Hebræo ad verbum reddunt προσελεύσεσθε, *accedetis.* עֶרְוָה significat proprie *nuditatem, denudationem*, a radice עָרָה *nudavit*, per antiphrasin usurpatur pro *verendis* sive *pudendis*, quæ pudoris gratia non nuda, sed tecta esse debent, *revelare* igitur *nuditatem* de carnali copula per verecundam metalepsin usurpatum ἐξηγητικῶς explicat, quid per accessum sive adpropinquationem hoc loco sit intelligendum, sicut Deus ipse exponit in his ipsis prohibitionis legibus. Quod enim Lev. XVIII. 8. dicitur: *Nuditatem uxoris patris tui non revelabis;* id Levit. XX. 11. sic exponitur: *Non esse concumbendum cum uxore patris.* LXX. reddiderunt, ἀποκαλύψαι ἀσχημοσύνην. Lutherus in Germanica versione reddidit: *Niemand soll sich zu seiner nechsten Blutfreundin thun, ihre Scham zu entblösen.*

Regulæ speciales.

§. CCLIX. Hæc generalis regula est fundamentum *prohibitionum specialium*, ideo enim certi quidam cognationis gradus prohibentur, quia ad *carnem carnis*, sive ad propinquam carnis carni meæ proxime adhærentem non est accedendum, de qua phrasi sic disserit Chemnitius part. III. loc. de conjug. pag. 545. *Pontifices quidam* (inquit) *prohibitionem illam, quod nullus ad proximam carnis suæ accedere debeat, male intellexerunt, quasi ab omnibus consanguineis, quousque cognatio cognosci potest, abstinendum; sed emphasis vocabulorum Hebræorum ostendit, prohiberi, ne quis ducat propinquam, quæ proxime carni suæ adpropinquet, vel prohiberi carnem carnis suæ, hoc est quæ vel ex mea carne propagata est, vel ex cujus carne ego propagatus sum, vel quæ mecum ex eadem carne propagata est, ut hac ratione omnes personæ carnis meæ mihi sint prohibitæ. Ita caro meæ carnis supra me est mater, avia, infra est filia, neptis; ad latera, frater, soror, item patris & matris soror, & illa propinquitas carnis hoc modo enumeratur* Levit. XXI. 2.

Num.

Num. XXVII. 8. *unde oſtendi poteſt, quos Deus intelligi velit proximos carnis ſuæ, nimirum omnes, qui ex eadem carne proxime mecum ſunt orti. Hinc etiam judicium ſumi poteſt de adfinitate, quatenus etiam in illa nuptiæ ſunt prohibitæ. Vir & uxor ſunt una caro. Ergo utrique eſt* שְׁאֵר, *hoc eſt, habet reliquias carnis ſuæ in conjugis cognatis, & illa adfinium propinquitas eſt ipſi prohibita.* Hæc Chemnitius. Cum enim בָּשָׂר Eſa. LVIII. 7. & alibi generaliter uſurpetur pro quovis homine, qui ejusdem nobiſcum eſt naturæ, ideo additum fuit diſcretionis loco, quod non ſit accedendum ad קְרוֹבַת בָּשָׂר vel שְׁאֵר *ad carnem carnis*, ſive *propinquam carnis*, id eſt, quæ proxime carnem meam adtingit, ne prohibitio cognationis in infinitum extendi judicetur; inde etiam ſpeciales quidam grad enumerantur, qui exempli loco decla t, quæ perſonæ, & qui gradus propinq rum *carnis* nomine veniant. *Non prohibetur homo*, inquit Radulphus in comm. h. l. *ad quamlibet propinquam accedere, ſed ad eam ſolum, quam ſequens ſermo determinabit.*

§. CCLX. Specialis illa prohibitio complectitur tum *conſanguinitatis*, tum *adfinitatis* gradus, qui certarum perſonarum enumeratione exprimuntur. In jure canonico c. *literas extr. de reſtit. ſponſal.* perſonæ, quarum in prohibitione illa divinæ legis fit mentio, comprehenduntur his verſiculis :

1.) *In gradibus conſanguinitatis.*

Nata, ſoror, neptis, matertera fratris & uxor,
Et patrui conjunx, mater, privigna, noverca,
Vxorisque ſoror, privigni nata, nurusque,
Atque ſoror patris, conjungi lege vetantur.

Numerantur ibi tredecim perſonæ, ſed in Levitico ſedecim proponuntur, ſeptem in conſanguinitate, ut 1.) *mater*, 2.) *ſoror ex utroque parente*, 3.) *ſoror ex altero tantum parente*, 4.) *neptis ex filio*, 5.) *neptis ex filia*, 6.) *ſoror patris, amita*, 7.) *ſoror matris, matertera.* Novem in adfinitate, ut 1.) *uxor patris, noverca*, 2.) *uxor patrui*, 3.) *uxor filii ſeu nurus*, 4.) *uxor fratris*, 5.) *uxoris mater ſeu ſocrus*, 6.) *privigna ſeu filia uxoris nata ex priore marito*, 7.) *filia privigni*, 8.) *filia privignæ*, 9.) *ſoror uxoris.* Alii numerant in univerſum novendecim, quia diſtincte recenſent *uxoris aviam* ex patre & matre, item *uxoris neptem ex filio vel filia.* Quidam adhuc plures perſonas numerant, nimirum, quia non ſolum eas, quarum expreſſa fit mentio, recenſent, ſed etiam conjungunt eas, quæ per conſequentiam prohibitæ intelliguntur.

§. CCLXI. Age vero in ſpecie percurremus divinæ prohibitionis leges. Ac primo quidem leges de conſanguinitate. Primo loco ponitur mater. *Nuditatem patris tui & nuditatem matris tuæ non revelabis, mater tua ipſa, non revelabis turpitudinem ejus*, Levit. XVIII. 7. Prohibentur hic nuptiæ in primo gradu conſanguinitatis in linea recta inter patrem ſcilicet & filiam, ac inter matrem & filium, ac emphatice additur, *mater tua eſt*, id eſt, ſuperne tibi proxima eſt, ideo non debes *retegere nuditatem ejus*, ſive cum ea concumbere, quæ ratio ſimul intelligenda eſt de parte prohibitionis priore, *pater tuus eſt*, ideo non debes *retegere nuditatem ejus* ſive cum eo concumbere. Inde Ezech. XXII. 10. inter graviſſima peccata, quibus Hieroſolymitani cives excidium promeruerunt, numeratur etiam illud, quod *verenda patris diſcooperuerint.* Notandum hoc loco, expreſſam fieri & *patris* & *matris* mentionem, ex quo colligitur, in prohibitionibus hiſce non adtendi diſcrimen ſexus. Quamvis enim in ſequentibus legibus tantum fœmellarum mentio fiat, qui ſcilicet maſculi, cum quibus fœminis non debeant matrimonium contrahere, tamen ex hac prohibitione primo loco poſita recte infertur, nullam hic ſtatuendam eſſe ſexuum differentiam, ſed ſicut in linea recta æque prohibentur nuptiæ inter matrem & filium, quam inter patrem & filiam, ita quoque in

1.) *Mater.*

linea

linea collaterali eamdem esse prohibitionis rationem; sic quia soror patris masculo prohibetur, ideo etiam frater patris fœminæ prohibitus intelligitur. Rabbini quidem in priore legis membro vocem עֶרְוָה accipiunt *passive*: *Nuditatem patris tui non revelabis*, id est, non concumbas cum matre, quam pater tuus nudavit, vel quæ est nuditas patris tui, sicut de noverca postea dicitur, qua ratione etiam in prima lege tantum fieret fœminei sexus mentio, ac copulativum acciperetur ἐξηγητικῶς, sed nihil quidquam impedit, quo minus verborum proprietati insistamus. Deinde & illud observandum, adpellatione patris ac matris etiam *avum & aviam*, *proavum & proaviam*, adeoque omnes majores, ac vicissim adpellatione filiæ etiam *neptem*, *proneptem* & omnes inferiores intelligi, unde vulgo dici consuevit, *Adamum si adhuc hodie viveret, non posse in toto genere humano uxorem invenire, cum omnes ab ipso in linea recta descendant.* Gloss. in l. *Nuptiæ* ff. *de rit. nupt.* Si enim patri non licet filiam ducere, multo minus licebit nepti avo nubere, cum major reverentia ipsius naturæ instinctu debeatur & exhibeatur remotioribus parentibus, quam proximis, cumque ipsa experientia testetur, ardentiores storgas esse in avo erga neptem, quam in patre erga filiam. Sed ne ulla sit hac de re dubitatio, patris scilicet nomine etiam avum & filiæ nomine etiam neptem in hac prohibitione venire, ideo postmodum expressa & specialis hac de re prohibitio datur, quod non liceat *neptim ex filio, vel ex filia* ducere. Fundamentum prohibitionis hujus inter personas in linea recta constitutas potest etiam peti ex prima conjugii institutione: Gen. II. 24. *Relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ;* ubi ostenditur, conjugium extra domum, sive lineam paternam & maternam quærendum esse, cum quo congruit illud Psal. XLV. 1. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscet rex pulcritudinem tuam.* Exemplum nefariæ commixtionis contra hanc prohibitionis regulam proponitur in *Lotho* cum filiabus suis consuescente. Gen. XIX. 30. in *Thyeste & Pelopeia*, in *Oedipo & Locasta*, in *Nerone & Agrippina*. *Indos*, *Æthiopes ac Medos* cum matribus & filiabus concumbere solitos, testis est Hieronymus lib. II. contra Jovinian. *Persæ* a matrum concubitu non abstinuerunt. Harmenopolus lib. I. epitom. tit. 1. *Honoratiores Persarum* (scribit Philo lib. de special. legib. ad 6. & 7. præceptum p. 494.) *cum matribus contrahunt matrimonia, & natos inde arbitrantur nobilissimos, regioque, ut ferunt, dignantur solio, quo nihil excogitari potest magis impium.* Apud *Mauros*, *Babylonios*, *Assyrios*, *Ægyptios* & alios populos parentum & liberorum conjugia, vel potius contagia, turpia habita non sunt, ut ostendit Tiraquellus lib. VII. connub. num. 22. Inde apud Ovidium lib. X. metam. Myrrha sic loquitur:

Gentes tamen esse feruntur,
In quibus & nato genitrix & nata parenti
Iungitur, & pietas geminato crescit amore.

Semiramis, *Assyriorum regina*, *filio suo nupsit*, & ne videretur incestuose fecisse, lata lege parentum & liberorum matrimonia inter se permisit. Orosius lib. I. cap. IV. Epiphanius in lib. de compend. doctrin. fidei cath. & apost. de Chrysippo, νόμους ἀθεμίστους ἔγραψε, ἔλεγε γὰρ δεῖν μίγνυσθαι ταῖς μητράσι τὰς παῖδας, τοῖς δὲ πατράσι τὰς θυγατέρας, καὶ τέλος πάντων τὸ ἡδυπαθὲς ἔθηκεν.

§. CCLXII. 2. Soror ex utroque parente. *Nuditatem sororis tuæ, filiæ patris tui, vel filiæ matris tuæ, quæ genita est domi, vel foris, non revelabis turpitudinem earum.* Lev. XVIII. 9. *Nuditatem filiæ uxoris patris tui, quæ genita est patri tuo, soror tua est, non revelabis.*

2.) *Soror ex utroque parente.*

v. 11. *Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit nuditatem ejus, & ipsa viderit nuditatem ejus, opprobrium hoc, & succidentur in oculis filiorum populi sui, nuditatem sororis suæ revelavit, pœnam iniquitatis suæ portabit.* Levit. XX. 17. *Maledictus, qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ.* Deut. XXVII. 22. Ex his legibus duplici ratione colligi potest, connubium cum sorore germana esse prohibitum, vel ut nomen sororis primo loco positum generaliter accipiatur, cui per distributionem subjectæ intelligantur quædam species, sororis scilicet *agnatæ* & sororis *uterinæ*, quibus additur tertia species, sororis scilicet *germanæ*, qua ratione Levit. XVIII. 9. acciperetur de sorore ex altero tantum parente, sive ἑτεροθαλεῖ v. 11. de sorore ex utroque parente, sive αὐτοκατασιγνίτῃ, vel ut a minori ad majus argumentum ducatur. Si prohibitum est conjugium cum sorore uterina, quæ ex eadem quidem matre, sed ex alio patre nata, itemque cum sorore agnata, quæ ex eodem quidem patre, sed ex alia matre nata, multo magis prohibitum censendum conjugium cum sorore germana. Augustinus q. 59. in Levit. *Si non licet turpitudinem sororis revelare ex quolibet parente natæ, quanto magis ex utroque?* Prohibitio hæc pertinet ad *primum gradum lineæ collateratis æqualis.* Ratio prohibitionis patet ex regula generali: *Nullus ad propinquam carnis suæ accedat.* Ut enim nihil propinquius est filio superne, quam mater, ita nihil propinquius fratri ad latera, quam soror. Fabulæ poetarum inter *deos ethnicos* talium matrimoniorum exempla suppeditant. Sic apud Ovidium lib. X. metamorph.

Dii nempe suas habuere sorores,
Sic Saturnus Opin junctam sibi sanguine junxit,
Oceanus Thetin, Iunonem victor olympi.

Apud Virgilium lib. I. Æneid. Juno dicitur

Iovis & soror & conjunx.

Quamvis vero hæc mythologice accipiant de cœli, terræ, aeris & maris conjunctione, tamen homines existimarunt sibi non esse turpe, vel illicitum, quod de diis audiverunt a poetis cantatum. Sic *Isis fratri Osiridi* nupsit. Pausanias memorat, *Ptolemæum sororiis amoribus sese implicasse* exemplo *Opis & Saturni*, item *Rheæ* cujusdam, quæ fratri nupserat. *Ptolemæus Philopater* sororem *Eurydicen* duxit. *Ptolemæus Physcon* sororem *Cleopatram &c.* Ægyptiorum istorum regum exempla secuti sunt vicini reges. *Alexander, Pyrrhi Epirotarum regis filius, Olympiadem sororem* duxit; *Mithridates, rex Ponti, Laodicen sororem* duxit; *Darius postremus sororem uxorem* habuit. *Mausolus, Carum rex, Artemisiam sororem* in matrimonio habuit. *Dionysius Syracusanus Sophrosynam sororem* sibi adsociavit &c. Simile exemplum nefariæ illius commixtionis inter fratrem ac sororem germanam proponitur in *Ptolemæo Philadelpho*, rege Ægyptio, & *Arsinoe*, cui cum a Sotade diceretur, εἰς ὀστέον τρυμαλίαν τὸ κέντρον ὠθεῖς, in carcerem eum conjici, & in mari submergi propterea curavit. Plutarchus de lib. educ. in *Cambyse & Cyri filia.* *Ægyptios* sororum amoribus implicari & cum illis matrimonia inire solitos fuisse refert Herodotus lib. I. & Diodorus lib. I. c. 2. *Apud Athenienses* etiam sororum matrimonia injusta habita non sunt, referente Arnobio lib. VIII. adversf. gentes. De *Persis* Theodoretus q. 24. in Lev. & Brissonius lib. de regn. Persico p. 230. memorant, quod ut matribus & filiabus, sic etiam sororibus nuptiarum lege misceantur.

§. CCLXIII. 3.) *Soror ex altero tantum parente.* Prohibitio talis conjugii in iisdem legibus exstat: *Nuditatem sororis tuæ, filiæ patris tui, vel filiæ matris tuæ, quæ genita est domi, vel foris, non revelabis &c.* Levit. XVIII. 9. *Nuditatem filiæ uxoris patris tui, quæ genita est patri tuo, soror tua ipsa est, non revelabis nuditatem ejus* v. 11. de

3.) *Soror ex altero tantum parente.*

de cujus versiculi genuino sensu dicetur inferius. Manifestum est ex hac lege, prohiberi conjugium cum sorore, sive ea sit *filia patris mei*, id est, soror agnata, quæ communem patrem mecum habet, licet non communem matrem, sive sit *filia matris meæ*, id est, soror uterina, quæ communem matrem mecum habet, licet non communem patrem. Hæc prohibitio itidem pertinet ad *primum gradum lineæ collateralis æqualis*. Quod additur, *sive ea sit domi genita, sive foris*, diversimode ab interpretibus exponitur. Quidam enim existimant, hæc verba esse ἐξηγητικὰ priorum, ita ut מוֹלֶדֶת בַּיִת *domi genita*, dicatur eadem, quæ prius dicta fuit *filia patris*, id est, nata ex eodem patre, licet non ex eadem matre, ac מוֹלֶדֶת חוּץ *foris genita* dicatur eadem, quæ prius dicta fuit *filia matris*, id est, nata ex eadem matre, licet non ex eodem patre, quæ interpretatio confirmari videtur ex v. 11. ubi *genita domi* dicitur *genita patri*, & ex phrasi scripturæ, qua domus pro *cognatione paterna* usurpatur. Ita vertit Targum Onkelos דִּלְדָּא מִן אֲבוּךְ מִן אִתָּא אָחֳרִין אוֹ מִן אִמָּךְ מִן גַּבַּר אָחֳרָן & hoc sensu accipit Rabbi Kimchi, item Augustinus quæst. 59. in Levit. *Foris nata, quæ de priori viro susceptа, cum matre in domum venit.* Eodem respiciens Piscator reddidit, *cognationis domesticæ, aut exteræ cognationis, ut* מוֹלֶדֶת accipiatur positum non in *benoni*, sed in *toar*, non *participialiter*, sed *nominaliter*. Quia vero in verbis præcedentibus jam ante illud prohibitum erat, ideo Lyranus, Radulphus, Abulensis & alii accipiunt de sorore sive *ex legitimo matrimonio*, sive *ex fornicatione nata* sit, cum & is, qui *scorto adhæret*, fiat cum illo una *caro*, 1 Cor. VI. 16. atque hanc expositionem amplectuntur quidam ex veteribus Rabbinis, quos sequitur Rabbi ben Ezra, eademque magis probatur Chemnitio de conjug. p. 551. & Fagio in not. ad paraph. Chald. Lev. XVIII. Alb. Gentilis lib. V. cap. VIII. addit tertiam expositionem, qua per *foris genitam* intelligitur *filia genita non ex Israelitide* Num. XXI. 16. Deut. XXI. 10. Sensus igitur erit, non esse concumbendum cum sorore, quocunque modo sit soror, sive ex eisdem parentibus, sive ex alterutro parente, sive legitime, sive illegitime sit nata, sive ex *matre libera*, sive *serva & in bello capta*, sive ex *primaria uxore*, sive ex *secundaria* sive *concubina* sit suscepta. Exemplum nefariæ illius conjunctionis proponitur in Ammon & Thamar 2 Reg. XIII. fuit enim Thamar Ammonis soror agnata ex eodem scilicet patre Davide, sed non ex eadem matre.

§. CCLXIV. 4.) Neptis ex filio. 5.) Neptis ex filia. *Nuditatem filiæ filii tui, vel filiæ filiæ tuæ, non revelabis nuditatem earum, quia nuditas tua ipsa.* Levit. XVIII. 10. Prohibetur conjugium cum nepte, sive ex filio, sive ex filia sit suscepta, ac pertinet hæc prohibitio ad *secundum gradum* in linea recta, ubi tamen notandum, quemadmodum in prima lege nomine *matris* intelligitur etiam avia, proavia & omnes majores, ita hoc loco nomine *neptis* prohiberi proneptem, abneptem & omnes inferiores, quia prohibitio in linea recta & sursum & deorsum in infinitum se extendit. Quod rationis loco additur, *ideo non revelabis nuditatem filiæ filii tui, vel filiæ filiæ tuæ, quia tua nuditas ipsa;* id quidam accipiunt *metonymice* dictum, sunt *nuditas tua*, id est, ex tua nuditate ortæ. Piscator in Levit. XVIII. Alii accipiunt hoc sensu: *Nuditas tua ipsæ* sunt, id est, *sunt tuæ consanguineæ*. Fagius in eumdem locum. Sed quia עֶרְוָה significat etiam *rem foedam, turpem & pudendam*, ideo commode verti potest, *non revelabis nuditatem neptis ex filio, ex filia*, quia tale quid faciens rem pudendam ac fœdam ageres, atque ignominiam nepti tuæ inferres, quæ in tuam

4.) *Neptis ex filio.*
5.) *Neptis ex filia.*

ignominiam redundabit. Eodem fere sensu Abulensis: *Si ejus partibus inhoneſtis abutaris, tam indigne agis, ac ſi tuis abutaris.* Generalis prohibitionis ratio peti potest ex lege generali; *Nullus ad proximam carnis ſuæ accedat.* Neptis est proxima carnis. Ergo. Item ex lege prima speciali: *Filia non accedat ad patrem, ut revelet ejus turpitudinem.* Neptis habetur filiæ loco. Ergo. Hemmingius hanc legem sic reddit: *Pudorem nepotis tui, aut neptis tuæ non revelabis, ut intelligatur, utrumque expreſſis verbis prohiberi, tum ne avia nubat nepoti, tum ne avus neptem ducat in uxorem*, sicut in prima lege utrumque expressis verbis interdicitur, tum ne mater nubat filiæ, tum ne pater filiam in uxorem ducat, sed in Hebræo utrobique est בַּת fœmininum, *filiam* significans.

§. CCLXV. 6.) *Soror patris*, amita. 7.) *Soror matris*, matertera. *Nuditatem ſororis patris tui non revelabis, caro, ſive propinqua patris tui ipſa.* Levit. XVIII. 12. *Nuditatem ſororis matris tuæ non revelabis, quia caro, ſeu propinqua matris tuæ ipſa. v.* 13. *Nuditatem ſororis matris tuæ & ſororis patris tui non diſcooperies, quia carnem ſuam nudavit, pœnam iniquitatis ſuæ portabunt.* Levit. XX. 19. Pertinent hæ prohibitiones ad *ſecundum gradum* in linea *collaterali inæquali*, ac merito conjunguntur, cum eadem sit utrobique consanguinitatis propinquitas, maternæ ac paternæ lineæ discrimine duntaxat differens. Quoto enim gradu in linea *agnationis paternæ* me adtingit amita, toto etiam gradu in linea *cognationis maternæ* me adtingit matertera. Ratio prohibitionis additur, *amita eſt caro patris*, id est, proxima propinqua patris, ipsius scilicet soror, *matertera eſt caro matris*, id est, proxima propinqua matris, ipsius scilicet soror, ac proinde mater tua altera; quisquis ergo nuditatem amitæ, vel materteræ suæ detegit, *carnem ſuam nudat*, ut lex divina loquitur, hoc est, nudat eam, quæ matris, vel patris est propinqua carnis proxima, & consequenter etiam ipsius est propinqua. Pater & amita ab uno parente & una carne quasi decisi sunt, cujus unam partem habet parens, alteram ejus soror, quæ respectu filii fratris est amita. Intelligitur autem ex hac lege, non eas solum carnis propinquas prohiberi, quæ sine intervallo nos adtingunt, quales sunt sursum in *linea adſcendente* mater, deorsum in *linea deſcendente* filia, ad latus in *linea collaterali* soror; sed etiam eas, quæ mediante patris ac matris propinquitate nobis conjunguntur, ut soror patris ac soror matris. Potest & hæc prohibitionis ratio dari, quod amita ac matertera sint mihi *loco matris*, quia amita patrem, matertera matrem proxima laterali propinquitate adtingit. Exemplum hujus commixtionis nefariæ est in *Archidamo*, *Spartanorum rege*, amitam suam ducente, apud Herodotum in Erato.

6.) *Soror patris.* 7.) *Soror matris.*

§. CCLXVI. 8.) A quibusdam additur *ſororis filia.* Quod enim Lev. XVIII. 11. dicitur: *Nuditatem filiæ uxoris patris tui, cognationis patris tui ſoror tua ipſa eſt, non revelabis nuditatem ejus*, id de filia sororis ἑτεροθαλοῦς dictum volunt. Cum enim jam ante v. 9. fratribus & sororibus, sive ex utroque, sive ex alterutro parente susceptis, conjugio fuerit interdictum, ideo improbabile existimant, in adcurata illa prohibitorum graduum enumeratione idem denuo iisdem verbis repeti, id quod divinæ cœlestis nomothetæ sapientiæ minus congruere existimant. Quare cum in versu proxime præcedente ad *ſecundum gradum* in *linea recta* prohibitio descenderit, existimant hanc prohibitionem proxime sequentem ad *ſecundum gradum* in *linea collaterali inæquali* pertinere, & sensum esse eum, ne quis ducat sororis ὁμοπατρίας vel ὁμομητρίας filiam, hoc est, ne quis neptem ex sorore ἑτεροθαλεῖ sibi jungat.

8.) *Sororis filia.*

jungat. Neptis enim phrasi hebraica dicitur *filia*, jam vero quæ patri pro filia, ea patris filio recte censetur pro sorore, ac proinde, quando *nuditatem filiæ uxoris patris mei detegere* prohibeor, neptem uxoris patris mei, hoc est neptem ex noverca a patre meo susceptam ducere prohibeor, qua de re in quæstionibus plura sequentur.

§. CCLXVII. Leges speciales de *adfinitate*. Primo loco ponitur *uxor patris*, noverca. *Nuditatem uxoris patris tui non revelabis, nuditas patris tui ipsa.* Lev. XVIII. 8. Per uxorem patris intelligi posset etiam germana mater; sicut quidam accipiunt hanc periphrasin v. 11. *Nuditatem filiæ uxoris patris tui, quæ genita est a patre tuo, non revelabis, quia soror tua ipsa*, id est, germanam tuam sororem, quæ & patris & matris respectu soror tua est, non duces in uxorem, cum v. 9. mentio fuerit factæ sororis agnatæ & uterinæ, id est, quæ vel patris tantum, vel matris tantum respectu soror est. Sed cum v. 7. expressa prohibitio germanæ matris præcesserit, ideo per *uxorem patris* v. 8. rectius intelligitur noverca, quo sensu etiam commode accipi potest v. 11. ut sit repetitio prohibitionis v. 9. propositæ, quamvis quidam de *filia novercæ* ex alio marito & non ex patre meo susceptæ hanc legem exponant, *von zusammen gebrachten Kindern*, ut inferius videbimus. Conjungenda hic est legis hujus repetitio, eidemque addita pœnæ comminatio. Lev. XX. 11. *Vir, qui concubuerit cum uxore patris sui, nuditatem patris sui revelavit, moriendo morientur ambo ipsi, sanguines eorum super eos.* Deut. XXII. 30. *Non accipiat quisquam uxorem patris sui, neque discooperiat alam patris sui.* Deut. XXVII. 20. *Maledictus, qui coierit cum uxore patris sui, quia discooperuit alam patris sui.* Amos. II. 7. inter gravissima Israelitarum peccata refertur, quod *vir & pater ejus iverint ad puellam ad violandum nomen Dei sanctum,*

II.) In gradibus adfinitatis, 1.) Vxor patris.

id est, quod pater & filius cum una eademque fœmina incestuose commixti fuerint, id quod ex ה emphatico in voce הנערה adparet. LXX. πρὸς τὴν αὐτὴν παιδίσκην. Chytræus in comm. Levit. XVIII. refert, hanc legem ex Levitico adductam ad *gradus consanguinitatis*, cujus sententiæ suæ quamvis non adsignet aliquam rationem, tamen non videri debet plane absurda, quia per matrimonialem copulam noverca cum patre meo fit una caro, & liberi, qui ex conjugio patris & novercæ nascuntur, sunt mei consanguinei, fratres scilicet uterini ac sorores meæ uterinæ, quin & filialis reverentia videtur requirere, ut novercam, quæ in matris locum succedit, non pro adfini habeam, cum non a latere me adtingat, sicque ad fines agnationis meæ accedat, sed in lineam rectam adscendentem per matrimonium cooptetur, & cum patre meo una caro facta mater mea fiat, unde etiam honorifico matris nomine compellatur. Quemadmodum igitur supe-rius monuimus, cognationem proprie pertinere ad collaterales, non autem ad eos, qui parentum ac filiorum locum in linea recta occupant, ita quoque hoc loco dicendum foret, adfinitatem proprie pertinere ad collaterales, non autem ad eos, qui per matrimonium in parentum ac filiorum locum in linea recta succedunt. Sed hac de re pie eruditi latius cogitent, si enim generalem adfinitatis definitionem, quod sit *vinculum personarum non per carnalem propagationem, sed per matrimonialem copulationem, sive novis nuptiis contractum*, retinere velimus, negari nequit, etiam novercam in linea adscendente non minus ac nurum in linea descendente ad adfines pertinere, ideo etiam a sententia communiter recepta secessionem facere religio nobis fuit.

§. CCLXVIII. Pertinet igitur hæc prohibitio ad *primum gradum* adfinitatis in *linea recta*. Quo enim gradu consanguinitatis pater mihi conjunctus est, eo gradu adfinitatis ipsius uxor mihi est conjuncta. Jam vero pater conjunctus mihi est primo consangui-

nitatis gradu. Ergo etiam ipsius uxor primo gradu adfinitatis mihi erit conjuncta. In lege divina additur hæc prohibitionis ratio: *Non revelabis nuditatem uxoris patris tui, quia ipsa est nuditas patris tui.* Rabbini sic exponunt: *est nuditas patris tui*, id est, pater tuus eam nudavit, conjugalem consuetudinem cum ea habuit, & per illam copulam factus est cum ea una caro, ideo non debes nuditatem ejus detegere. Quidam sic exponunt: *Est nuditas patris tui*, id est, nuditas illa est in potestate patris tui, ut sit genitivus adjuncti, patri tuo, non tibi, licet eam retegere. Sed quia non solum patre vivo, sed etiam mortuo copula cum noverca est prohibita, ideo rectius accipitur generaliter: *est nuditas patris tui ipsa*, id est, rem pudendam ac turpem in copula cum noverca peragens, ipsum patrem tuum ignominia adficeres, sicut Gen. XLIX. 4. de Rubenis cum noverca incestu dicit Jacobus: *Adscendisti cubile patris tui,* חִלַּלְתָּ יְצוּעִי, *polluisti stratum meum.* Quod Deut. XXVII. 20. rationis loco videtur additum, *maledictus, qui concumbit cum uxore patris sui,* כִּי *quia discooperuit* כְּנַף *alam patris sui*, id Pagninus accipit ἐξηγητικῶς, *& discooperuit alam patris;* continet enim honestam circumscriptionem concubitus seu revelationis nuditatis, cujus in præcedentibus facta erat mentio. כָּנָף methaphorice significat *fimbriam, extremitatem vestis inferiorem*, Deut. XXII. 12. *Discooperire alam vestis ad revelandam*, scilicet *nuditatem*, est phrasis nupta, quæ ex antecedente intelligendum relinquit consequens, in qua significatione etiam usurpari videtur Ruth III. 9. LXX. reddiderunt, ἀποκαλύπτειν συγκάλυμμα τῦ πατρὸς, Lutherus: *den Fittig des Vaters aufdecken.* Ex lege generali potest hæc addi ratio: Pater tuus & noverca sunt *una caro*, perinde ut pater tuus & mater tua fuerunt, ergo ut a matre tua propter proximum consanguinitatis gradum, ita a noverca tua propter proximum adfinitatis gradum debes abstinere. Exempla nefariæ conjunctionis inter novercam & privignum proponuntur in *Ruben & Bilhah*, Gen. XXXV. 22. in *Absolone cum Davidis* patris sui *uxoribus* concumbente, 2 Sam. XVI. 22. in *Corinthio incestuoso*, 1 Cor. V. 1. in *Antiocho, Seleuci regis filio*, & *Stratonice, Demetrii filia, Seleuci uxore*, quam a nefario isto concubitu cum privigno abhorrentem jubet Seleucus doceri, *honesta & justa esse, quæ regi placent, & regno utilia* esse videntur, Valerius Max. lib. V. cap. 7. Alexander ab Alexandro lib. I. genial. c. 24. in *Bassiano Caracalla Iuliam novercam* suam ducente. Aurelius Victorinus in Anton. Carac. Apud Ovidium in epist. *Phædra Hippolitum* privignum suum de concubitu sollicitat:

Viderit amplexus aliquis, laudabimur ambo.
Dicar privigno fida noverca meo.

§. CCLXIX. 2.) Vxor patrui. *Nuditatem fratris patris tui non revelabis, ad uxorem ejus non accedes, uxor patrui tui ipsa est.* Levit. XVIII. 14. *Vir qui concubuerit cum uxore fratris patris sui*, hoc est, patrui sui, *nuditatem patrui sui revelavit, peccatum suum portabunt, sine liberis morientur.* Levit. XX. 20. Rabbini itidem, ut in prima lege consanguinitatis, *nuditatem patrui* exponunt passive de uxore patrui, quam patruus nudavit, vel quam patruo tuo nudare ac retegere fuit licitum, ut sic verba sequentia, *ad uxorem patrui tui non accedes*, sint ἐξηγητικὰ præcedentium, *nuditatem fratris patris tui non revelabis.* Sed nihil impedit, quo minus verborum proprietatem retineamus, ac priorem partem prohibitionis accipiamus de *filia fratris*, quod illa non debeat nubere patruo suo, posteriorem de *filio fratris*, quod ille non debeat ducere uxorem patrui sui. Pertinet hæc prohibitio *ad secundum gradum adfinitatis in linea collaterali inæquali.*

2.) *Vxor patrui.*

æquali. Ratio prohibitionis additur, *ipsa enim est* דּוֹדָה *uxor fratris patris tui*, id est, facta est una caro cum patruo tuo, qui est proximus patris tui cognatus ac parentis loco tibi habendus. Præterea cum דּוֹד significet patruum, דּוֹדָה potest verti per amitam; sensus igitur erit: abstineas ab uxore patrui tui, quia cum per conjugium facta sit una caro cum patruo tuo, ideo est tibi loco amitæ, ac proinde non minus ab ea abstinendum, quam ab ipsa amita, quæ peculiari lege duci prohibetur v. 12. Denique sic procedi potest: *Vxor patrui mei*, cum sit una caro cum patruo, debet abstinere a consanguineis sui mariti, proinde non potest nubere mihi, qui sum filius fratris mariti ipsius, ergo nec mihi eam in uxorem ducere licebit. Quod si non licet patrui uxorem ducere propter adfinitatem, multo minus licebit patruo fratris filiam ducere propter consanguinitatem. Exempla nefariæ illius commixtionis inter patruum & fratris filiam sunt *Darius*, rex Persarum, fratris Atarnis filiam *Phrataginem* ducens, *Leonides*, rex Spartanus, *Gorho*, filiam fratris Cleomenis, sibi jungens, *Tyro*, Salmonei filia, nupsit patruo *Cretheo*, *Andromeda*, Cephei & Cassiopeæ filia, patruo *Phineo* desponsata fuit. *Claudius* imperator *Agrippinam*, filiam fratris Germanici, sibi socians, quod conjugium Cornelius Tacitus describens addit: *Nullo exemplo deducta in domum patrui fratris filia.* Pœnæ comminatio Levit. XX. 20. addita hæc est: *Morientur* עֲרִירִים *steriles, sine liberis*, ἄτεκνοι, ut LXX. reddiderunt, vel quod *nullos procreaturi sint liberos*, vel quod *eorum funera intueri vivi cogentur*, vel quod *liberi ex tali matrimonio nati sint pro illegitimis & incestuosis habendi.* Quidam ut Rabbi Salomon apud Lyranum & alii existimant, incestuosas illas nuptias non subjici pœnæ magistratus, sed Dei judicio relinqui, qui per immissionem sterilitatis benedictionem duntaxat talibus nuptiis sit subtracturus, non autem vel mediate per magistratum, vel immediate per se ipsum contrahentes puniturus. Augustinus quæst. LXXVI. in Lev. *Quid est, sine filiis morientur, cum filii ex hujusmodi conjunctionibus & ante nati sint hodieque nascantur? an hoc intelligendum est lege Dei constitutum, ut quicunque ex eis nati fuerint, non deputentur filii, id est, nullo parentibus jure succedant?* quem videtur sequi Bellarminus de matrim. cap. 27. sic exponens, quod *filii illorum non sint in genealogiis adscribendi*; verum expresse additur, *portabunt peccatum suum*, hoc est, pœnam hujus sui peccati, ita enim Hebræum חֶטְאָ accipitur Job. XXXV. 3. Thren. IV. 6. &c. quibus verbis magistratus pœnæ personæ, quæ tales nuptias contrahunt, subjiciuntur. Quibusdam videtur mitiori pœnæ, quam *capitali* tales personas subjici, quia non additur, quod *moriendo mori*, id est, capitali pœna adfici debeant, quæ pœna statuitur in eos, qui in primo gradu adfinitatis contrahunt, ut si quis ducat novercam, v. 11. nurum, v. 12. privignam, v. 14. sed cum in eum, qui *uxorem fratris sui*, quæ itidem primo adfinitatis gradu ipsi conjuncta est, duxerit, eadem pœna statuatur v. 21. ideo vix potest diversitas quædam in genere pœnæ capitalis statui, sensus igitur erit, quod contrahentes ejusmodi incestuosas nuptias per magistratum e medio sint tollendi, ne ex illis nascantur liberi. Qui *cum menstruata* concumbit, jubetur exscindi e populo, Lev. XX. 18. at qui in gradibus illis prohibitis contrahit, jus naturæ atrocius violat, vix ergo minori pœna fuit adfectus. Quidam igitur illud Mosaicum, *sine liberis morientur*, sic exponunt, ne quidem gravidis parcendum esse, donec incestuosum fœtum enitantur, sed ipsas etiam ante partum e medio tollendas. Sed cum hoc regulæ justitiæ videatur adversum, ideo rectius sic exponitur, quod *liberi non sint ad successionem admittendi.*

§. CCLXX.

§. CCLXX. 3.) *Vxor filii*, nurus. *Nuditatem nurus tuæ non revelabis, uxor filii tui ipsa, non revelabis nuditatem ejus.* Levit. XVIII. 15. *Vir, qui concubuerit cum nuru sua, moriendo morientur ambo ipsi, confusionem fecerunt, sanguines eorum in eos.* Levit. XX. 12. Pertinet hæc prohibitio ad *primum gradum* adfinitatis in *linea recta descendente*, ac prohibetur soceri cum nuru conjugium. כַּלָּה proprie significat sponsam a כָּלַל, *absolvit, consummavit*, quia sponsa tempore nuptiarum est omnibus ornamentis induta, sed quæ tempore nuptiarum est sponsa illa, postea a parentibus sponsi vocatur nurus, sicut etiam apud Græcos νύμφη sponsam & nurum significat. Ratio prohibitionis additur: *est uxor filii tui*, id est, facta est cum filio tuo una caro, ut ergo a filia tua abstinere debes, quia est proxima carnis tuæ propinqua, in primo scilicet gradu consanguinitatis tibi conjuncta, sic a filii tui uxore, quæ cum ipso est facta una caro, abstinere debes, quia per conjugium filii in primo gradu adfinitatis tibi juncta est. Item uxor filii mei debet abstinere a consanguineis sui mariti, ergo mihi utpote mariti sui patri non debet nubere, ergo & ipse filio mortuo non possum eam ducere. Denique inter parentes & liberos in linea recta matrimonia prohibita sunt in infinitum, jam vero uxor filii per conjugium in lineam rectam adsciscitur, & fit filia mea, ergo ab ejus nuptiis debeo abstinere. Ratio comminationi pœnæ capitalis adjecta hæc est, *fecerunt* תֶּבֶל *confusionem*, σύγχυσιν τῆς γονῆς, illicitam seminis confusionem & permixtionem, quia hac ratione pater & filius cum una fœmina consuescunt. Exemplum nefariæ illius commixtionis, cui hæc prohibitio est opposita, proponitur in *Iuda cum Thamar*, nuru sua consuescente, Gen. XXXVIII. 18.

3.) *Vxor filii.*

§. CCLXXI. 4.) *Vxor fratris*, fratria. *Non revelabis nuditatem uxoris fratris tui, nuditas fratris tui ipsa.* Levit XVIII. 16. *Vir, qui acceperit uxorem fratris sui, fœditas est, nuditatem fratris sui revelavit, absque liberis erunt.* Lev. XX. 21. Tertullianus lib. de monogam. cap. 7. per fratrem *quemvis Iudæum* hic intelligendum statuit, ac legem istam hoc sensu accipit, quasi *prohibeat Iudæi mortui uxorem ab alio quopiam Iudæo duci, sicque monogamiam stabiliat.* Sed dubitari nequit, *fratris* nomen proprie accipiendum esse, alias dici posset, etiam matris, filiæ, sororis &c. nomina translate accipi. Pertinet igitur hæc prohibitio ad *primum gradum* adfinitatis *in linea collaterali*, ac impedit, ne qua fœmina duobus fratribus successive nubat, vel quod idem est, ne quis viduam fratris sui matrimonio sibi jungat. Ratio prohibitionis additur: *est enim nuditas fratris tui*, id est, frater tuus eam nudavit, cum ea consuevit, & hac ratione cum ea factus est una caro, ergo propter illam carnis propinquitatem ab ejus conjugio debes abstinere; vel *est nuditas* sive turpitudo fratris tui, id est, si nefarias cum vidua fratris contrahis nuptias, ignominia redundat in tuum fratrem cognatione collaterali tibi proxime propinquum. Item: Uxor mea debet abstinere a consanguineis meis proximis. Ergo etiam a fratre meo; & per consequens frater meus non potest eam sibi sociare. In comminatione pœnæ Levit. XX. 21. additur, quod *is, qui accipit uxorem fratris sui, scelus ac fœditatem operetur.* In Hebræo est נִדָּה *remotio*, quidquid per immunditiem removetur; *abominatio* tale quid, quod omnes fugiunt & aversantur. LXX. rediderunt, ἀκαθαρσία ἔστι. Exempla incestuosæ ejusmodi conjunctionis proponuntur in

4.) *Vxor fratris.*

in *Herode*, *Herodiadem*, uxorem Philippi fratris sui, ducente, Matth. XIV. 3. in *Archelao*, qui *Glaphyram*, Alexandri fratris sui conjugem & liberorum ex eo susceptorum matrem, contra leges Judæorum uxorem duxit. Josephus lib. VII. antiq. cap. XV. in *Crasso*, qui defuncti fratris viduam duxit. Ac seculo proxime elapso Henricus VIII. Angliæ rex, Catharinam fratris Arcturi viduam matrimonio sibi junxit. Quomodo vero cum hac lege concilianda sit ea, quæ de ducenda fratria extat, Deut. XXVIII. dicetur inferius.

§. CCLXXII. 5.) *Uxoris mater*, socrus. *Vir, qui acceperit mulierem & matrem ejus, scelus est, igne comburent eum & eas, & non erit scelus in medio vestri.* Levit. XX. 14. *Maledictus, qui concumbit cum socru sua.* Deut. XXVII. 23. Prohibitio hæc pertinet ad *primum gradum* in linea *recta adscendente*. Ratio prohibitionis est, quia vir & uxor sunt una caro, ergo vir abstineat a proximis consanguineis uxoris, inter quos vel maxime est mater. Item, socrus est loco matris, ergo ab ejus conjugio non minus, quam a matre germana abstinendum. Qui socrui suæ commiscetur, dicitur patrare *scelus*. In Hebræo est זִמָּה *cogitatio prava, malitia*, a radice זָמַם cogitavit, in specie accipitur de fornicatione & incestuoso concubitu. LXX. reddiderunt ἀνόμημα ἔστιν. Chaldæus: *Consilium peccatorum est*, quod Rabbi Salomon ita explicat, *consilium est, quod suggerit tibi malus genius, ut faciat te peccare.* Pœna ignis statuitur in eum, qui socrum suam ducit, & in utramque conjugem, si scilicet in nefariam illam commixtionem utraque consenserit.

5.) *Uxoris mater.*

§. CCLXXIII. 6.) *Filia uxoris*, privigna. *Nuditatem uxoris & filiæ ejus non revelabis.* Lev. XVIII. 17. Prohibitio hæc spectat *primum gradum in linea recta descendente*. Ratio prohibitionis est manifesta, vir & uxor sunt una caro, ergo abstineat a proximis consanguineis uxoris, inter quos est ipsius filia. Item filiæ uxoris sum loco patris, ergo ab ea mihi non minus abstinendum, quam a filia ex me genita. 7.) *Filia privigni.* 8.) *Filia privignæ. Filiam filii uxoris & filiam filiæ uxoris non accipies ad revelandum nuditatem ejus, caro tua sunt, nefas est.* Levit. XVIII. 17. Pertinet hæc prohibitio ad *secundum gradum in linea recta descendente*. Ratio prohibitionis est manifesta, ut enim adpellatione patris etiam avus, sic adpellatione filiæ etiam neptis continetur. Ergo ut conjugium cum *privigna*, uxoris meæ filia, sic etiam cum *privignæ filia*, seu uxoris meæ nepte mihi prohibitum. Item nepti uxoris sum loco avi, quia uxor est ipsius avia, ergo ab illius nuptiis abstinendum.

6.) *Filia uxoris.*

7.) *Filia privigni.* 8.) *Filia privignæ.*

§. CCLXXIV. 9.) Soror uxoris. *Uxorem cum sorore ejus non accipies ad lacessendum eam, ad revelandum nuditatem ejus super eam in vita ejus.* Lev. XVIII. 18. Prohibitio hæc pertinet ad *primum gradum in linea collaterali æquali*. Ratio prohibitionis est, quia a proximis consanguineis uxoris mihi abstinendum, jam vero in propinquitate collaterali soror sororem proxime adtingit. Item non licet uni fœminæ duobus fratribus nubere, ut ex lege speciali quarta manifestum. Ergo nec licebit, viro duas sorores ducere. Clausula illa בְּחַיֶּיהָ *in vitis ejus*, diversimode exponitur. Fagius in c. XVIII. Lev. Bellarminus de matrim. cap. XXVII. arg. III. & quidam alii eam volunt esse *restrictivam*, ut sit sensus: Tum demum hanc prohibitionem de non ducenda uxoris sorore locum habere debere, quando *uxor adhuc est in vivis*, ea vero defuncta prohibitionem exspirasse, qua de re quid statuendum sit, inferius disquiretur.

9.) *Soror uxoris.*

§. CCLXXV. Hæc ergo de *specialibus* prohibitionis divinæ *Prohibitionem com-*

plecti gradus, non personas tantum.

vinæ *legibus* tum *consanguinitatem*, tum *adfinitatem* concernentibus dicta sint, quæ omnia tribus includi possunt regulis: 1.) *In linea recta inter adscendentes & descendentes prohibita sunt matrimonia in omnibus, quotquot numerari possunt, gradibus.* 2.) *In linea collaterali prohibita sunt matrimonia in gradu primo lineæ æqualis & gradu secundo lineæ inæqualis.* 3.) *Quæ prohibitio valet in consanguinitate, eadem etiam locum obtinet in adfinitate.* Consequens jam est, ut de prohibitionum harum latitudine videamus, ea vero consistit in duobus capitibus: 1.) ut demonstretur, eas *non ad personas tantum* expresse nominatas, *sed ad gradus* pertinere; 2.) non ad *populum duntaxat Judaicum*, sed *omnes* omnino *homines* spectare. Adprime enim hoc loco notandum, non tantum ad illas *personas*, quarum apud Mosen expressa fit mentio, prohibitionem illam referendam & coarctandam esse, sed ad reliquas personas, quæ in æque propinquis *gradibus* reperiuntur, dilatandam atque extendendam esse, quod cum a quibusdam negetur, sequentibus confirmatum damus argumentis. 1.) *A prohibitionis generalitate.* Ante specialem personarum certarum consanguinitate, vel adfinitate junctarum prohibitionem præmittitur lex generalis: *Nullus ad carnem carnis suæ accedat;* quibus verbis in genere prohibetur, ne quis ducat *propinquam*, quæ carni suæ proxime adpropinquet, vel *carnem carnis suæ*, id est, quæ vel ex mea carne propagata est, vel ex cujus carne ego propagatus sum, vel quæ mecum ex eadem carne propagata est: hoc est, prohibentur proximi gradus *consanguinitatis*, item, quæ propter carnalem commixtionem cum proximis consanguineis facta est carnis meæ caro: hoc est, prohibentur proximi gradus *adfinitatis*, ut latius ostensum fuit superius. Sic ergo concludimus: Quicunque generaliter prohibet, ne quis accedat ad propinquas carnis suæ, is non agit stricte & in specie de certis personis, sed late & in genere de æqualibus gradibus. Jam vero Deus per Mosen generaliter prohibet, ne quis ad propinquas carnis suæ accedat, sive sint propinquæ carnis per *carnalem generationem*, id est, ratione consanguinitatis, sive per *carnalem copulationem*, id est, ratione adfinitatis, sive sint *caro carnis supra*, ut mater & avia, sive *infra*, ut filia & neptis, sive *ad latera*, ut soror, item patris & matris soror. Ergo non agit stricte & in specie de certis personis, sed late & in genere de æqualibus gradibus, & per consequens specialis illa certarum personarum enumeratio non est ad illas duntaxat personas restringenda, sed ad eas, quæ in æquali gradu propinquæ sunt, extendenda. 2.) *A rationis paritate.* Ubi par ratio, ibi idem jus. Atqui est par ratio personarum, quæ disertis verbis in Levitico sunt expressæ, & earum, quæ eodem ac pari gradu sese invicem contingunt. *Uxor* enim *avunculi* eodem, scilicet secundo lineæ collateralis inæqualis gradu mihi juncta est, quo *uxor patrui*, nec ullum hic subest discrimen, nisi quod adfinitas cum uxore avunculi ex linea cognationis maternæ, adfinitas cum uxore patrui ex linea agnationis paternæ descendit. At linea paternæ, vel maternæ cognationis non variat consanguinitatis gradus. Ergo idem jus utrobique recte statuitur. Moses in sua computatione pro exemplo prohibitionis adducit marem, & describit fœminas, a quarum conjugio abstinere debet. pari igitur ratione licet ponere fœminam, & quærere κατ' ἀναλογίαν, a quorum conjugio illa sibi debeat temperare, cum utrobique sit par ratio, idem gradus, idem jus. Regula juris est æquitati naturali consentanea, ut *in pari cognationis gradu par idemque jus statuatur*, sicque quæ personæ in verbis legis omissæ sunt, eæ legis sententia tacite comprehendi intelligantur. 3.) *A consequente absurditate.* Si personas tantum, quarum expressa in lege Mosaica fit mentio, non autem æque distantes gradus prohibitio illa concerneret, nuptiæ forent concessæ inter

ter *nepotem* & *aviam*, inter *avum* & *proneptem*, inter *fratrem* & *sororem germanam*, [juxta quorumdam interpretationem] inter *filiam sororis* & *avunculum*, in consanguinitate; inter *privignum* & *pronovercam* in adfinitate, quia talium personarum non fit expressa in hisce legibus mentio. Sed consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Quin imo si quis, juxta Rabbinorum sententiam, v. 7. per *nuditatem patris* intelligere velit matrem a patre ad cognoscendum denudatam, ac v. 14. per *nuditatem patrui* uxorem patrui ad cognoscendum ab eo denudatam ac denudari concessam, consequens foret, ne quidem filiæ cum patre, vel patruo nuptias expressis verbis esse prohibitas, ac proinde juxta datam hypothesin concessas. 4.) *A veterum auctoritate*; ubi primo producimus *patres*, secundo *Rabbinos*. Ambrosius epist. 66. ad Paternum tom. III. op. col. 173. *Tu copulare paras filium tuum & neptem ex filia, id est, ut accipiat sororis suæ filiam diversa licet matre quam socrus editus sit &c. Prætendis in tuis literis, quod permissum hoc divino jure connubium hujusmodi pignoribus existimetur, eo quod non sit prohibitum. Ego autem & prohibitum adsero, quia cum leviora interdicta sint de patruelibus fratribus, multo magis hoc, quod arctioris est plenum necessitudinis, interdictum arbitror. Qui enim leviora adstringit, graviora non solvit, sed adligat. Quod si ideo permissum putas, quia specialiter non est illud prohibitum, nec illud prohibitum sermone legis reperies, ne pater filiam suam accipiat uxorem. Nunquid ideo licet, quia non est prohibitum? minime. Interdictum enim est jure naturæ, interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum. Interdictum est inviolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis. Quanta hujusmodi invenies non interdicta lege per Mosen edita, & tamen interdicta sunt quadam voce naturæ?* Et postea: *Si etiam ab iis nos revocat apostolus, quæ non ædificant, quomodo faciendum putamus, quod & non licet legis oraculo, & non ædificat discrepante pietatis ordine?* [Bellarminus libr. de matrim. cap. XXIV. dicit, *Ambrosium memoria esse lapsum in eo, quod negat, expresse prohiberi in lege conjugium patris cum filia.* Sed in iis quæ in 3. membro hujus §. dicta sunt, Ambrosio paratum est patrocinium.] Augustinus in quæst. sup. Levit. q. 59. tom. IV. col. 221. *Videtur Moses tantum prohibuisse sororem ex altero parente cognatam, & prætermisisse sororem ex utroque parente. Verum quis non videat etiam hoc prohibitum esse multo maxime. Si enim non licet sororis turpitudinem revelare ex quolibet parente natæ, quanto magis ex utroque?* q. 76. tom. IV. col. 225. *Quicunque dormierit cum cognata sua, turpitudinem cognationis suæ revelavit &c. Quæritur, quousque sit intelligenda ista cognatio, cum ex longo gradu liceat utique accipere uxorem, semperque licuerit. Sed intelligendum est ex his gradibus, quos prohibuit non licere & secundum ipsos dictum:* Quicunque dormierit cum cognata sua; *ubi & aliqua non commemorata intelligenda dimisit, sicut sororem de utroque parente, sicut uxorem fratris matris, id est, avunculi. Nam de uxore patrui primum prohibuit, quamvis hæc non cognatio, sed adfinitas perhibetur.* Lyranus in c. XVIII. Lev. *Eodem modo, quo fratris filius amitam ducere prohibetur, etiam prohibetur matrimonium inter fratrem & filiam ejusdem, quia idem gradus est.* De Rabbinis testatur Munsterus in annot. quod *gradus* in Levitico prohibitos esse statuant. De iisdem sic scribit Fagius in c. XVIII. Levit. *Placet hic obiter indicare, quomodo Hebræi istos prohibitos gradus consanguinitatis intelligant atque explicent &c. sicut non licet viro ducere materteram suam, ita non licet mulieri nubere avunculo suo, qui est frater matris, quia hæ personæ habentur loco parentum. Eadem ratione etiam prohibentur, magna amita & magna matertera.* Et postea: *Scribæ mulieribus in lege prohibitis adhuc*

plures species addiderunt, nempe viginti, & sunt istæ: 1.) *mater matris suæ*, 2.) *mater patris matris suæ*, 3.) *mater patris sui*, 4.) *mater patris patris sui*, 5.) *uxor patris patris sui*, 6.) *uxor patris matris suæ*, 7.) *uxor fratris patris ex matre*, 8.) *uxor fratris matris, sive ex patre, sive ex matre*, 9.) *nurus filii sui & nurus filii filii sui*, 10.) *nurus filiæ suæ*, 11.) *filia filiæ filii sui*, 12.) *filia filii filii sui*, 13.) *filia filiæ filiæ suæ*, 14.) *filia filii filiæ suæ*, 15.) *filia filiæ filii uxoris suæ*, 16.) *filia filiæ filiæ uxoris suæ*, 17.) *mater matris patris uxoris suæ*, 18.) *mater patris patris uxoris suæ*, 19.) *mater matris matris uxoris suæ*, 20.) *mater patris matris uxoris suæ*. Hactenus illi. 5.) Accedat *pontificiorum consensus.* Tostatus statuit, in Levitico prohiberi a pari matrimonium *patrui cum nepte*, sicut prohibetur matrimonium amitæ cum nepote, cum *sit idem utrobique consanguinitatis gradus.* Potest & hoc contra pontificios urgeri, 1.) Quod vulgata versio, quæ ipsis vigore decreti Tridentini est authentica, Levit. XX. 20. patruo conjungit *avunculum*, cujus in textu Hebræo non fit expressa mentio. At si personas tantum, non autem gradus prohibitio spectaret, non potuisset avunculi nomen interjici. 2.) Quod Bellarminus statuit cap. XXVIII. §. 2. *inter adscendentes & descendentes omnia conjugia jure naturæ esse prohibita*, cum tamen enumeratio prohibitorum graduum ultra secundum in Levitico se non extendat. 3.) Quod idem cap. XXIX. §. 3. scribit, *ipsam naturam docere, quod parentibus, & consequenter aliis consanguineis & adfinibus debeatur peculiaris reverentia, cui repugnat maxime conjugalis actus.* Atqui hæc reverentia non terminatur in personis Levit. XVIII. expressis, sed ad æquales gradus se extendit.

§. CCLXXVI. Opponenda *Antithesis.* hæc sunt, 1.) *Iudæis recentioribus*, qui referente Chemnitio p. 3. loc. de conjug. p. 545. disputant, *quæcunque personæ non sunt expressæ, earum nuptias non esse prohibitas.* 2.) *Pontificiis quibusdam* eamdem hypothesin tuentibus. Cajetanus in cap. XVIII. Levit. Cornelius a Lapide ibid. & Bellarminus de matrim. cap. XXIV. sic disserit: *Moses in Levitico cap. XVIII. præfixit duos gradus tantum, primum videlicet & secundum. Prohibuit enim in recta linea conjugium patris cum filia & cum nepte & similiter matris cum filio & cum nepote: in transversa prohibuit conjugium fratris cum sorore, sive ex uno sive ex utroque parente, & nepotis cum amita vel matertera, non tamen prohibuit conjugium e contrario patrui, vel avunculi cum filia fratris, vel sororis. Et hæc quoad consanguinitatem, ubi sunt duo gradus secundum canones & tres secundum leges. Quoad adfinitatem prohibuit conjugium filii cum noverca, & patris cum nuru, & rursus patris cum privigna, vel cum ejus filia, & hæc in recto ordine. In transverso autem prohibuit conjugium cum uxore fratris & cum sorore uxoris, uxore vivente & cum uxore patrui, ubi etiam sunt duo gradus secundum canones & tres secundum leges.* Idem cap. XXVII. arg. 3. *Lex Levitici prohibet conjugium nepotis cum amita & matertera, & non prohibet conjugium patrui, vel avunculi cum nepte ex fratre, vel ex sorore, cum tamen sint in eodem gradu nepos & amita, patruus & neptis. Præterea lex prohibuit conjugium cum uxore fratris etiam defuncti, & non prohibet conjugium cum sorore uxoris, nisi ea vivente, ac proinde non prohibet cum sorore uxoris jam defunctæ, & tamen est idem prorsus gradus adfinitatis cum sorore uxoris & cum uxore fratris.* Hæc Bellarminus, quæ quo fine ab ipso disputentur, facile adparet, nimirum ut caveat suo pontifici, qui in gradibus, quos lege divina prohibitos esse, ex analogia colligi potest, pecuniæ interventu dispensat, & ut fundamentum sternat suæ adsertioni, quod *prohibitiones illæ Mosaicæ non sint omnes de jure naturæ.* 3.) *Illis omnibus*, qui τῷ ῥητῷ Mosaico unice standum esse existimant, ac gra-

gradus ultra personas nominatim expressas per analogiam extendendos esse negant.

Argumenta pro personarum duntaxat prohibitione.

§. CCLXXVII. Argumentis utuntur potissimum tribus. *I.) Seculum illud, quo Moses vixit, computationem, quæ apud nos in usu est, plane ignoravit.* Resp. diversitas computationis non mutat propinquitatem naturalem, quæ a carnali propagatione vel copulatione originem ducit, inque ea unice fundatur. Quamvis igitur tempore Mosis de civilis & canonicæ computationis diversitate nihil quidquam forte notum fuerit, tamen eadem fuit propinquitas personarum consanguinitate, vel adfinitate sibi invicem conjunctarum, ac proinde vis prohibitionis eadem semper mansit. *II.) Si prohibitio ad gradus est extendenda, nec circumscribenda personis nominatim expressis, cur enumerantur personæ, quæ eodem propinquitatis gradu sibi sunt conjunctæ?* Sic uxoris soror eodem gradu adfinitatis mihi conjuncta est, quo fratris uxor. Cur igitur expressa lege prohibeor ducere uxoris sororem, cum jam ante ex lege de non ducenda fratria id constare potuerit, si ad gradus æque distantes prohibitio extendenda? Pari ratione soror patris, sive amita, ac soror matris, sive matertera, eodem propinquitatis gradu me adtingunt, *quod si ex graduum æquali distantia de prohibitione judicandum, utique sufficere potuisset alterutrius duntaxat facta mentio.* Resp. ratio illius repetitionis & expressioris declarationis potest dari multiplex: *tum* ut omnis tolleretur legis obscuritas, & manifestum omnibus redderetur, a quibus propinquis abstinendum; *tum* ut divinæ prohibitionis conspiceretur severitas, quæ ex repetita inculcatione elucet; *tum* ut ingenii humani imbecillitati divina consuleret bonitas, neque quisquam ad ignorantiæ confugere posset excusationem; *tum* denique ut exemplorum, quæ specie quadam in contrarium adduci poterant, elideretur auctoritas. Si quis enim diligenter advertit, plerasque prohibitionis leges exemplis incestuosæ commixtionis a Spiritu sancto adnotatis oppositas esse intelliget. Sic lex de *non revelanda nuditate patris* opposita est exemplo filiarum, Lothi Gen. XIX. 30. lex de *non revelanda nuditate novercæ* opposita est Rubenis cum Bilha incestui, Gen. XXXV. 22. lex de *non ducendis sororibus* opposita est connubiis, quæ protoplastorum liberi necessitate compellente invicem contraxerunt, Gen. IV. 17. ac forte etiam respectus habetur ad verba Abrahæ Saram pro sorore sua venditantis, Gen. XII. 19. lex de *non superinducenda uxoris sorore*, eadem adhuc vivente, opposita est exemplo Jacobi patriarchæ. Gen. XXIX. 28. Reliquæ prohibitiones Ægyptiorum & Cananæorum incestis nuptiis Israelitarum oculis perpetuo obversantibus oppositæ sunt, ne easdem sibi licitas esse existimarent, ut colligitur ex Lev. XVIII. 3. III.) *Lutherus in primo scripto de vita matrimoniali itidem statuit ad personas duntaxat pertinere illam prohibitionem. Sic enim scribit* tom. II. German. Jen. fol. 152. *GOtt rechnet nicht nach den Gliedern, wie die Juristen thun, sondern zehlet strak die Personen, sonst weil Vaters Schwester und Bruders Tochter in gleichem Glied seyn, müst ich sagen, daß ich entweder meines Brudern Tochter nicht nehmen könnte, oder auch meines Vaters Schwester nehmen möchte. Nun hat Gott Vaters Schwester verboten und Bruders Tochter nicht verboten, die doch in gleichem Glied seynd.* Ad hoc Lutheri scriptum provocat Petrus Wesenbeccius consil. 23. *Resp.* Lutherus post aliquot annos illud, quod sub reformationis initium, anno scilicet 1522. scripserat, *revocavit*, & prohibitiones Mosaicas ad gradus reduxit; sic enim scribit in libr. de caus. matrim. anno 530. edito tom. V. Jen. germ. f. 257. *Der Sippschafft halber und Gliede der Freundschafft, wäre mein Rath, man liesse es bey weltlichen Rechten bleiben*, & in cygnæa cantione in cap. XX. Gen. p. 250. in tom. VI. Witeb. est p. 157. *Si statuamus, Saram*

fuisse privignam Harani, præcisa est disputatio, an potuerit Abraham fratris filiam ducere? nam fratris privignam ducere, non est lege prohibitum. Atqui si Lutherus adhuc in illa sententia perstitisset, lege divina non esse prohibitum ducere fratris filiam, cum ad personas duntaxat, non ad gradus pertineat prohibitio, non fuisset opus de commoda responsione Abrahæ ac Saræ nuptiis adhibenda. Posteriora proinde Lutheri scripta derogant prioribus Ignoscendum autem Luthero, qui in hanc sententiam, quod personæ duntaxat in Levitico prohibeantur, pertractus fuit exemplis patriarcharum, de quibus quid statuendum sit, suo loco videbimus.

Regulae de prohibitionibus graduum.

I.) Non additur in illis prohibitionibus sexuum differentia.

§. CCLXXVIII. Postquam igitur demonstratum est, prohibitionem Mosaicam non tantum *personas* expresse nominatas, sed etiam *gradus* æque distantes complecti, [quod nobiscum agnoscunt Chemnitius part. III. locor. de conjug. p. 549. Brentius in cap. XVIII. Levit. f. 84. Selneccerus part. IV. examin. p. 443. Osiander in Levit. XVIII. Bidenbachius de caus. matrimon. p. 44. & ex jurisconsultis Beustius de conjug. f. 196. Molradius de matr. f. 76.] restat ut proponamus certas regulas, quibus κατ' ἀναλογίαν καὶ ἀκολουθίαν gradus prohibiti investigari possunt. Ejusmodi regulæ sunt vel *generales*, tam *consanguinitatem*, quam *adfinitatem* concernentes, vel *speciales*, quarum quædam ad *consanguinitatem*, quædam ad *adfinitatem* pertinent. Regulæ potiores, prout a Chemnitio recensentur, hæ sunt, *I.) In prohibitionibus illis divinis non additur differentia inter sexum masculinum & femininum, sed in quo gradu fœminæ prohibentur masculis propter carnis propinquitatem, in eodem gradu masculi prohibentur fœminis propter eamdem carnis propinquitatem.* Exstruitur hæc regula ex v. 7. in quo expresse prohibentur nuptiæ inter filiam & patrem, & inter filium ac matrem. Quamvis igitur in sequentibus prohibitionibus tantum fiat mentio fœmellarum, cum quibus scilicet fœminis masculo conjungi licitum sit, tamen cum in prima speciali lege statim ab initio distincta fiat mentio *patris & matris*, ex eo colligitur, quidquid de fœminis in sequentibus prohibitionibus additur, idem etiam de masculis esse intelligendum. Eadem regula colligitur ex v. 14. in qua fit mentio *patrui*, cui sororis filia non debeat conjungi. Chemnitius eamdem regulam confirmat ex eo, quod *patris soror æque ac matris soror, neptis ex filio æque ac neptis ex filia prohibeatur* v. 12. 13. 17. Ex hac regula sic concludimus: Prohibetur privigno, ne ducat suam novercam v. 8. ergo etiam prohibitum censendum, ne privigna nubat vitrico. Prohibetur frater, ne ducat sororem, sive sit *germana* ex utroque, sive *agnata* ex patre, sive *uterina* ex matre, v. 9. ergo etiam prohibetur soror, ne nubat fratri suo, sive *germano*, sive *agnato*, sive *uterino*. Prohibetur avus ducere neptem, v. 10. ergo etiam nepos prohibetur ducere aviam. Prohibetur masculo, ne ducat amitam, vel materteram, v. 12. 13. ergo eadem ratione prohibetur fœmellæ, ne nubat patruo. Prohibetur socero, ne in conjugales amplexus nurus suæ ruat, v. 15. ergo etiam prohibetur socrui, ne genero consuescat. Prohibetur masculo, ne fratriam suam ducat, v. 16. ergo etiam fœminæ prohibetur, ne nubat sororio. Prohibetur masculo, ne privignam, vel privignæ suæ filiam ducat, v. 17. ergo etiam fœminæ prohibetur, ne privigno, vel privigni sui filio nubat. Prohibetur masculo, ne sororem uxoris suæ ducat, v. 18. ergo etiam prohibetur fœminæ, ne fratrem mariti sui in conjugem accipiat. Excipiunt quidam ex pontificiis, *esse disparem rationem inter matrimonium filii fratris cum amita, ac inter matrimonium filiæ fratris cum patruo, cum enim vir sit caput uxoris, si nepos duceret amitam, oporteret eam subesse nepoti, quod est indecens, in altero autem, patruo subest*

fubeſt neptis, quod decentius. Reſp. hoc quidem evincit, magis indecens eſſe matrimonium filii fratris cum amita, interim tamen cum ratione propinquitatis ſit idem gradus, etiam matrimonium filiæ fratris cum patruo indecens & prohibitum eſſe cenſendum. Expreſſe prohibitum eſt avi cum nepte matrimonium, quod ex hac pontificia hypotheſi decentius, quam nepotis cum avia matrimonium, quod non eſt expreſſe prohibitum, qua de re in examine argumentorum Bellarmini plura dicentur inferius.

II.) *Prohibitiones ſunt reciprocae.*

§. CCLXXIX. *II.) Prohibitiones ſunt reciprocæ.* Ex reciproco enim inter conjuges reſpectu mulier, quam ego non poſſum ducere, illa etiam mihi non poteſt nubere. Hotomannus de caſt. nupt. cap. VII. hanc regulam ſic effert: *Propinquorum nomina relativa ſunt, neque alterum ſine altero intelligitur.* Correlativa autem ſe mutuo ponunt & tollunt, & prohibitio facta in uno, cenſetur etiam facta in alio arg. l. fin. *de acceptilat.* Deducitur hæc regula ex v. 6. *nemo ad carnem carnis ſuæ accedat*, jam vero acceſſus ille prohibitus verſatur ad minimum inter duas perſonas propinquitate carnis ſibi jam ante conjunctas, inter maſculum ſcilicet ac fœminam. Sic quia filia non poteſt nubere patri, v. 7. ita nec pater poteſt ducere filiam. Si frater non debet ducere ſororem, v. 9. ergo nec ſoror debet nubere fratri. Si privigno prohibetur noverca, v. 8. ergo nec noverca poteſt nubere privigno. Si avus non poteſt ducere neptem, v. 10. ergo etiam neptis non poteſt nubere avo. Si fratris filius non poteſt ducere amitam, ſororis filius non poteſt ducere materteram, v. 12. 13. ergo etiam amita, vel matertera non poteſt nubere fratris, vel ſororis filio. Si ſocer non poteſt ducere nurum, v. 15. ergo etiam nurus non poteſt nubere ſocero. Si frater non poteſt ducere fratriam, v. 16. ergo nec fratria poteſt nubere mariti ſui fratri. Si vitricus non poteſt ducere privignam, vel privignæ filiam, v. 17. ergo etiam privigna, vel privignæ filia prohibetur nubere vitrico. Si maſculus non poteſt ducere uxoris ſororem, hoc eſt, ſorores duas, v. 18. ergo duæ ſorores non poſſunt nubere uni maſculo.

III.) *Prohibitio eſt eadem in ordine adſcendentium & deſcendentium.*

§. CCLXXX. *III.) Prohibitio in linea recta eſt eadem tum in deſcendentium, tum in adſcendentium ordine*, hoc eſt, qui gradus in linea adſcendente prohibetur, idem etiam in deſcendente prohibitus intelligitur, qua lege tenentur adſcendentes erga *inferiores*, eadem tenentur deſcendentes erga *ſuperiores*. Deducitur hæc regula ex. v. 8. & 17. inter ſe mutuo collatis. Ut enim in priore verſiculo prohibetur privignus ducere ſuam novercam, quæ ipſi eſt in linea *adſcendente primo adfinitatis gradu* conjuncta, ſic in poſteriore verſiculo prohibetur vitricus ducere ſuam privignam, quæ in linea *deſcendente primo adfinitatis gradu* eidem conjuncta. Adparet etiam manifeſta hujus regulæ ratio ex gradus æqualitate, quo enim gradu inferiores a ſuperioribus diſtant in linea adſcendente, eodem gradu ſuperiores ab inferioribus diſtant in linea deſcendente. Sic ego filius non debeo ducere matrem, v. 7. ergo nec mihi patri debet nubere filia. Noverca prohibetur privigno, v. 8. ergo privigna prohibetur vitrico. Avo prohibetur neptis, v. 10. ergo & nepoti prohibetur avia.

IV.) *Prohibitio complectitur propinquitatem ex alterutro vel utroque parente ortam.*

§. CCLXXXI. *IV.) Prohibitio complectitur utrumque genus propinquitatis, ſive ex utroque, ſive ex alterutro tantum parente originem trahat.* Deducitur hæc regula ex v. 9. *Nuditatem ſororis tuæ, filiæ patris tui, vel filiæ matris tuæ, non revelabis;* ubi prohibetur ſoror, ſive ex utroque parente ſit ſoror, id eſt, germana, ſive ex alterutro tantum parente ſoror ſit, id eſt, vel agnata, vel uterina. Ergo etiam reliquæ propinquitates prohibitæ ſunt cenſendæ, ſive oriantur ex utroque parente, ſive ex alterutro tantum. Sic ergo ſi prohibetur maſculo

fculo, ne ducat ſororem vel ex utroque, vel ex altero tantum parente, utique etiam prohibetur fœminæ, ne ducat fratrem, ſive ex utroque, ſive ex altero parente. Prohibetur avus ducere neptim, ſive ea ex filio, vel privigno ſit nata.

§. CCLXXXII. V.) *Prohibitiones ſunt intelligendæ de cognationibus, ſive ex matrimonio, ſive ex fornicatione ortæ ſint.* Deducitur hæc regula ex eodem v. 9. ubi prohibetur ſoror, ſive *domi*, ſive *foris* ſit *genita*, hoc eſt, ſive ex legitimo matrimonio, ſive ex fornicatione ſit ſuſcepta, ut Aben Ezra, Lyranus & alii quidam interpretantur. Baldus eam ſic effert: *Ut communis eſt & indifferens in ſpuriis & legitimis natura, ſic eadem eſt amborum in nuptiis cenſura.* Ac notat Fagius in Levit. XVIII. primam prohibitionis legem, ne *ſcilicet filius ducat matrem*, a Rabbinis ſic accipi, quod non tantum comprehendat eam, quæ eſt *legitima patris uxor*, ſed *& omnes alias, cum quibus quovis modo pater conſuevit, ſive violenter eam oppreſſerit, ſive perſuadendo eam cognoverit.* Nec obſcura poteſt eſſe hujus regulæ ratio, ſi quis conſideret dictum apoſtolicum 1 Cor. VI. 16. *Qui adhæret meretrici, eſt unum corpus cum ea;* proinde etiam per fornicarium & adulterinum concubitum propinquitas contrahitur, nec tam *generationis qualitas*, an ſit legitima vel illegitima, quam *ex copulatione carnali orta propinquitas*, ſive *ſanguinis communitas* in his prohibitionibus adtenditur. Sic filius non debet ducere uxorem patris, ſive legitime ſive illegitime pater cum ea conſueverit, frater non debet ducere ſororem, ſive ex legitimo ſive ex illegitimo congreſſu ex patre ſit genita, avus non debet ducere neptim, ſive filius, ex quo neptis ſuſcepta, in matrimonio vel extra matrimonium fuerit genitus, ſocer non debet ducere nurum, ſive filius legitime, ſive illegitime cum ea conſueverit.

V.) *Prohibitio complectitur propinquitatem ex fornicatione ortam.*

§. CCLXXXIII. VI.) *Qui gradus prohibetur in adfinitate, ille multo fortius prohibetur in conſanguinitate.* Ratio eſt manifeſta, quia adfinitas inde atque ideo prohibitionem inducit, quia eſt *ſimulacrum* quoddam conſanguinitatis, hic ergo locum habet illud vulgatum: *Propter quod unum quodque eſt tale, illud magis eſt tale.* Sic quia privigno prohibetur *noverca* propter adfinitatem in primo gradu in linea recta adſcendente, v. 8. ergo multo fortius prohibetur filio germana mater propter conſanguinitatem in primo gradu ejusdem lineæ. Quia *patrui uxor* prohibetur patris filio, v. 14. ergo multo fortius patruo fratris filia prohibetur. Quia ſocero prohibetur *nurus*, v. 15. ergo multo fortius patri prohibetur filia. Quia prohibetur *uxor fratris*, v. 16. & *ſoror uxoris*, v. 18. ergo multo magis prohibetur germana ſoror. Quia prohibetur vitrico *privigna*, v. 17. ergo multo magis patri prohibetur filia.

VI.) *Qui gradus prohibetur in adfinitate, idem multo magis prohibetur in conſanguinitate.*

§. CCLXXXIV. VII.) *Nomine patris ac matris in prohibitione intelliguntur, quotquot ſunt in linea recta adſcendente, nomine filii & filiæ intelliguntur, quotquot ſunt in linea recta deſcendente.* Deducitur hæc regula ex eo, quod non ſolum pater prohibetur ducere *filiam*, v. 7. ſed etiam avus prohibetur ducere *neptim* v. 10. Sic ergo ſi pater non poteſt ducere filiam; ergo nec avus, nec proavus, nec abavus, nec tritavus eam ducere poteſt, & viciſſim: ſi pater non ducere poteſt filiam; ergo nec neptim, nec proneptim, nec abneptim, nec atneptim, nec trineptim, item: mater non poteſt nubere *filio*, ergo nec avia, nec proavia &c. In linea adſcendente mater non poteſt nubere filio, ergo nec nepoti, nec pronepoti &c. in linea deſcendente. Huc referri poteſt, quod phraſi ſcripturæ, ut ſuperius monuimus, avi

VII.) *Nomine patris ac matris omnes ſuperiores intelliguntur.*

pa-

patrum & nepotes *filiorum* adpellatione quandoque veniunt. Bellarminus de matrim. cap. XXIV. §. *ex quo intelligimus*: ſcribit, *id quod communiter dici ſolet, in linea recta in infinitum prohiberi connubia, quod primus forte ſcripſit* Cajus l. nuptiæ 2. ff. de rit. nupt. *a multis negari.* Sed hujus negationis nullum adducit fundamentum, ac quamvis non ſit æqualis graduum propinquitas inter patrem & filiam ac inter avum & neptim, tamen major eſt reverentia neptis erga avum, utpote patre ſuperiorem, quam filiæ erga patrem, quod ergo propinquitati gradus deeſt, id reverentiæ incremento compenſatur, unde Bellarminus ipſe ſubjicit: *Quamquam non eſt*, (inquit) *cur de hac re valde ſoliciti ſimus, cum vix contingere poſſit, ut cupiant aliqui matrimonium inire in gradu quinto aut ulteriore in recta linea. Aut enim non inveniuntur homines vivi, aut ſunt ita inæquales quoad ætatem, ut abſurdiſſimum ſit, eos inter ſe matrimonium velle contrahere, nam ut demus, in aliqua linea ſingulos gignere, cum primum per ætatem licet, id eſt, cum ad annum 15. pervenerint, quod tamen raro aut nunquam accidit, ſi deberent in quinto gradu conjungi, haberet unus annos* 90. *alter* 15.

§. CCLXXXV. VIII.) *Patrum & filiorum nomine in prohibitione veniunt non ſolum adſcendentes & deſcendentes in linea recta, ſed ſuo etiam modo collaterales in linea obliqua inæquali.*

VIII.) *Patrum & filiorum nomine veniunt ſuo modo collaterales.*

Deducitur hæc regula ex eo, quod a conjugio *amitæ* ac *materteræ* fratris ac ſororis filius arcetur, v. 12. 13. non minus ac filius a conjugio matris, cujus prohibitionis hæc eſt ratio, quod amita, utpote patris ſoror, ſit illi loco matris, & quod matertera, utpote matris ſoror, itidem ſit illi matris loco, item quod fratris filia prohibetur nubere patruo, v. 14. cujus prohibitionis ratio itidem hæc eſt, quod patruus, utpote patris frater, ſit illi loco patris. Diximus autem *ſuo modo* collaterales patrum ac filiorum nomine venire, quia hoc non poteſt adfirmari de omnibus collateralibus, ſed de illis duntaxat, qui *uno tantum gradu a ſtipite ſunt diviſi*, illi enim reliquis inferioribus utrinque ex oppoſito exſtantibus ſunt loco parentum, qua de re pluribus inferius dicemus.

§. CCLXXXVI. IX.) *Quæ mulier mihi prohibita eſt ob propinquitatem carnis, illius mulieris frater prohibitus eſt meæ ſorori.*

IX.) *Quae mulier mihi prohibita ob propinquitatem carnis, illius mulieris frater prohibitus eſt meae ſorori.*

Ratio eſt manifeſta, quia eodem gradu, quo propinquam illam carnis meæ ſive cognatam proximam adtingo, eodem etiam illius frater adtingit meam ſororem. Sic quia amita ac matertera prohibetur, v. 12. 13. ergo etiam meæ ſorori patruus & avunculus prohibitus intelligitur. Item, *quæ mulier mihi prohibita eſt ob propinquitatem carnis, ejus mulieris maritus etiam ſorori meæ eſt prohibitus;* ratio eſt, quia, quo gradu conſanguinitatis mulier illa me & ſororem meam adtingit, eodem gradu adfinitatis ipſius maritus nos adtingit, quippe cum quo cognata noſtra facta eſt una caro. Sic prohibeor ducere amitam, ergo maritus amitæ meæ prohibetur ducere meam ſororem; prohibeor ducere materteram, ergo maritus meæ materteræ prohibetur ducere meam ſororem.

§. CCLXXXVII. X.) *Cui mea uxor ratione adfinitatis prohibita eſt, illius uxor etiam mihi prohibita intelligitur*; & viciſſim: *cujus uxor mihi prohibita eſt, illi etiam mea uxor eſt prohibita.*

X.) *Cui mea uxor prohibita, illius uxor etiam mihi prohibita.*

Ratio pendet ex prohibitionis reciprocatione & graduum æqualitate. Sic quia privigno noverca eſt prohibita, v. 8. ideo etiam privigni uxor vitrico eſt prohibita. Quia ſocero prohibetur nurus, v. 15. ergo etiam genero pro-

hibetur ſocrus. Item fratris filio prohibetur uxor patrui, v. 14. ergo viciſſim patruo prohibetur uxor filii fratris. Vitrico prohibetur privigna, ergo maritus privignæ prohibetur novercæ.

§. CCLXXXVIII. XI.) *Qua ratione & ex quo fundamento frater & ſoror ſive patris ſive matris prohibetur, eadem ratione avi & aviæ frater & ſoror prohiberi intelliguntur;* ratio pendet ex eo, quod illi ſint ſibi loco parentum & filiorum. Quando enim duæ vel plures perſonæ ex eadem carne proxime absque intervallo ſeu limite transverſo propagatæ ſunt, qua ratione una perſona prohibetur, eadem ratione etiam reliquæ prohibitæ intelliguntur, ut neptis non poteſt nubere avo, ergo nec fratri avi ſive patruo magno, quia eſt illi loco avi, nepos non poteſt ducere aviam, ergo nec aviæ ſororem ſive amitam magnam, quia eſt illi loco aviæ. XII.) *Denique ſi remotior gradus prohibetur, multo magis ille, qui propior eſt, prohibitus intelligitur.* Ratio eſt manifeſta, quia prohibitio major eſt, ubi propinquitas major, quippe quæ eſt unica prohibitionis cauſa. Sed in gradu propinquiore eſt major propinquitas, ergo etiam major prohibitio. Ambroſius epiſt. 166. *Qui leviora adſtringit, graviora non ſolvit, ſed adligat.* Sic quia *avus* non poteſt ducere *neptim*, v. 10. ergo multo minus pater poterit ducere filiam, quia fratris filius non poteſt ducere amitam, ergo multo minus ducere poterit ſororem, quia prohibeor ducere ſororis filiam, ergo multo magis ſororem ipſam, illa enim ſecundo, hæc primo gradu mihi conjuncta.

XI.) *Qua ratione frater & ſoror patris prohibetur, eadem avi frater & ſoror prohibetur.*

XII.) *Si remotior gradus prohibetur, multo magis propinquior.*

§. CCLXXXIX. Hiſce regulis a *Chemnitio* adnotatis addi poſſunt aliæ, quæ vel ad analogiam graduum inveſtigandam, vel ad auctoritatem harum prohibitionum adſerendam, vel ad uſum earumdem monſtrandum aliquid facere poſſunt. XIII.) *Prohibitiones hæ ſunt univerſales tum objecti tum temporis ratione.* Univerſalitatem *objecti* monſtrant verba: אִישׁ אִישׁ, *vir vir*, ſive *omnis vir*, quicunque ſit, ſive ex humili ſive ex nobili genere natus, *non accedat ad propinquam carnis ſuæ.* Deus enim non eſt προσωπολήπτης, qui alias leges tradat inferioris, alias eminentioris ſortis ac conditionis perſonis. Univerſalitatem *temporis* monſtrant redargutiones illegitimorum congreſſuum ex fundamento harum legum in nov. teſt. petitæ Marc. VI. 18. 1 Cor. V. 1. qua de re paulo poſt dicetur uberius. Errant igitur, qui exiſtimant vel ob *generis nobilitatem* vel ob nov. teſt. *libertatem* ſibi licere matrimonio illis jungi, a quibus per divinam prohibitionem hoc loco arcentur. XIV.) *Qui gradus prohibiti ſunt in conſanguinitate, iidem etiam prohibiti ſunt in adfinitate;* [primi ſcilicet generis & proprie ſic dicta] ratio pendet ex eo, quia maritus & uxor ſunt *una caro*, a quibus ergo fœminis abſtinere cogor ob *conſanguinitatem*, ab ejusdem gradus maſculis uxor mea cogitur abſtinere ob *adfinitatem.* Sic quia non licet mihi ducere *amitam*, ideo uxori meæ non licet nubere meo patruo: quia non licet mihi ducere *materteram*, ergo etiam uxori meæ non licet nubere meo avunculo. Deducitur hæc regula ex Lev. XVIII. 14. *Nuditatem patrui tui non revelabis, ad uxorem ejus non accedes,* דּוֹדַתְךָ הִוא *amita tua ipſa*, id eſt, cum ſit patrui tui uxor, & una caro cum ipſo, ideo eſt tibi loco amitæ, nec minus ab ea, quam ab amita tua abſtinere debes. XV.) *In linea tam recta quam obliqua quod uni non licet, id nec alteri licet æqualiter a ſtipite diſtanti.* Sic quia mihi non licet ducere matrem, ergo nec ſorori meæ licet nubere patri. Quia mihi non licet ducere ami-

Aliae quaedam regulae de prohibitionibus Chemnitii regulis adjectae.

amitam, ergo nec sorori meæ licet nubere patruo. Duobus fratribus non licet unam uxorem ducere, ergo duabus sororibus non licet uni marito consociari. XVI.) *Cognationis ratio est eadem, sive ex paterna sive ex materna linea descendat*, cum proximitas cognationis naturalis, non vero civilis & politica aliqua ratio inter agnatos & cognatos hic pro fundamento ponatur. Sic non minus prohibeor a conjugio materteræ, quam a conjugio amitæ, quamvis illa sit patris, hæc vero matris soror; neptis non minus prohibetur a conjugio avi materni, quam paterni, quamvis enim paternæ cognationis linea sit dignior, tamen consanguinitatis respectu non est materna propinquior, unde vulgata versio Levit. XX. 20. patruo adjecit *avunculum*, cujus in textu Hebræo non fit expressa mentio, quia eodem gradu avunculus sororis filio conjunctus, quo patruus filio fratris, licet illa propinquitas ex linea cognationis maternæ, hæc vero ex linea agnationis paternæ originem trahat. XVII.) *Propinquitas non exspirat, si vel maxime in vivis esse desinat persona, per quam vel carnali propagatione consanguinitas, vel carnali copulatione adfinitas fuit contracta.* Sic prohibeor ducere *materteram*, si vel maxime exspiravit mater, per quam consanguinitas inter me & materteram coaluit; prohibeor ducere *uxorem patrui*, si vel maxime in vivis desierit esse patruus, cujus interventu adfinitas inter me & patrui uxorem cœpit. XVIII.) *In gradibus divina lege prohibitis nulla dispensatio locum habet.* c. Literas extr. de restitut. spoliat. Ratio pendet ex eo, quod *inferior non potest tollere legem superioris*, quodque hæ leges sint juris non forensis ac Levitici, sed moralis & perpetui, ut paulo post demonstrabitur. XIX.) *In gradibus divina lege prohibitis matrimonium & prohibetur contrahendum, & dirimitur contractum*; ratio est, quia tales nuptiæ sunt incestæ ac nefariæ, alia vero ratio est matrimonii in gradibus jure duntaxat positivo prohibitis contracti. Illud enim propter transgressionem municipalium prohibitionum non dirimitur. XX.) *In linea recta prohibitum est matrimonium in infinitum, sive nota sit intermediæ generationis series, sive ignota.* Sic quamvis non constet exacte, quot generationes inter Noachum & quasvis ejus posteras intercesserint, tamen Noachus quamvis ex posteris ducere prohibetur. XXI.) *Conjugum propinquitas proprie & adcurate loquendo nec consanguinitas est nec adfinitas, sed fundamentum consanguinitatis per carnalem generationem, ac fundamentum adfinitatis per carnalem copulationem*; unde etiam maritus & uxor nec consanguinei nec adfines proprie dicuntur. Sicut unitas proprie non est numerus, sed principium numeri, punctum proprie non est magnitudo, sed principium magnitudinis; sic conjugium sive conjugum propinquitas proprie non est consanguinitas nec adfinitas, sed utriusque principium & fundamentum. XXII.) *Adfinitas inter uxorem & mariti consanguineos, itemque inter maritum & uxoris consanguineas matrimonium impediens contrahitur, sive ex conjugio nati fuerint liberi, sive minus.* Neque enim fundamentum adfinitatis consistit in liberorum procreatione, sed in matrimoniali duarum personarum copulatione. Sic nemo potest ducere uxoris defunctæ sororem, sive ex priore conjugio susceperit liberos, sive minus. XXIII.) *Adfinitatis impedimentum est perpetuum.* Quamvis ergo maritus tempore intermedio conjugem ex alia familia oriundam habuerit, ea tamen immo & tertia vel quarta defuncta ipsi non conceditur, ut ad primæ consanguineas redeat, atque ex illis sponsam sibi deligat. XXIV.) *In adfinitate perinde, ut in consanguinitate nihil interest, sive ex uno tantum, sive ex utroque parente origo cognationis descendat.* Sic nemo potest ducere prioris conjugis suæ consanguineam proximam, quamvis alterum

rum tantum parentem communem habuerint. Sane in jure Saxonico discrimen statuitur inter sorores ex uno latere tantum conjunctas, & eas, quæ utrinque conjunctæ sunt, sed hoc in successionibus tantum, non autem in matrimoniis observatur. XXV.) *Ut adfinitas est similitudo & simulacrum consanguinitatis, sic simulacrum aliquod fraternæ ac sororiæ propinquitatis est inter filium vidui & filiam viduæ matrimonio invicem copulatorum.* Ut enim noverca est filio vidui instar matris, sic filia novercæ est illi instar sororis, & vicissim, ut vitricus est filiæ viduæ instar patris, sic filius vitrici est illi instar fratris. Quamvis vero ex tali adfinitate non nascatur aliquod impedimentum nuptiarum, si strictum legis rigorem velimus respicere, tamen quod XXVI.) & ultimo loco addimus: *In nuptiis non solum quid liceat, sed etiam quid honestum sit, respiciendum*, quæ regula a Modestino proponitur *l. semper 42. ff. de rit. nupt.* ac pulcre Augustinus dicit lib. XV. de civ. Dei cap. XVI. *Factum licitum ob vicinitatem horretur illiciti.*

Prohibitiones Mosaicas etiam ad nov. test. pertinere.

§. CCXC. Demonstratum fuit hactenus, prohibitiones Mosaicas non tantum ad *personas* nominatim expressas, sed etiam ad *gradus* æque distantes pertinere, jam porro demonstrandum restat, easdem non ad populum duntaxat *Judaicum*, sed *omnes* omnino *homines* spectare, hoc est, non ad leges forenses ac judiciales, sed naturalem ac moralem referendas esse, in utroque enim isthoc cardine harum prohibitionum latitudo versatur. Gravis hac de re cum pontificiis intercedit nobis controversia. Illi enim totis viribus propugnant, *non omnes gradus Levit. XVIII. interdictos jure naturali & perpetuo contractum matrimonii impedire, sed aliquos tantum ex illis jure naturali interdictos* volunt, videlicet conjugium *filii cum matre, patris cum filia, fratris cum sorore germana, fratris cum sorore ex altero tantum parente, privigni cum noverca & vitrici cum privigna;* in reliquis ecclesiæ, id est, pontifici Romano dispensationem esse relictam volunt, unde Innocentius III. in *primo gradu adfinitatis in linea transversa* dispensavit cap. final. de divort. Alexander VI. *in secundo gradu consanguinitatis* dispensationem concessit teste Cajetano in 2. 2. q. 154. art. 9. Carolus, archidux Austriæ, sororis filiam in uxorem duxit, nimirum filiam ducis Bavariæ, qui in matrimonio sibi copulatam habuit Ferdinandi imperatoris filiam, ejusdem Caroli sororem. Rex Hispaniæ itidem in uxorem duxit sororis filiam. Emanuel, Portugalliæ rex, duas sorores in matrimonium duxit. Idem fecit Sigismundus, rex Poloniæ. Catharina, Angliæ regina, Arturo & Henrico VIII. duobus fratribus nupsit. Ferdinandus, rex Neapolitanus, amitam suam duxit. Si quæras quo jure? Proferunt dispensationem pontificis magno ære comparatam. Cajetanus d. l. disputat, *pontificem justis de causis in omnibus gradibus prohibitionem relaxare posse, præterquam in connubio patris & filiæ, filii & matris.* Sed & quidam extra Romanæ ecclesiæ gremium constituti prætextu christianæ & evangelicæ libertatis in gradibus jure mosaico prohibitis contrahere sibi licitum esse arbitrantur, sicut Sarcerius & ex eo Chemnitius p. 543. de conjug. referunt, *circa initium reformationis quemdam Hamburgi duxisse uxorem patrui, qui prætendit se hoc facere ex libertate christiana, cum lex Mosis nihil ad nos pertineat.*

An nostrates in hac quæst. dissentiant?

§. CCXCI. Nos contra statuimus, *prohibitiones graduum omnes ac singulas Lev. XVIII. expressas non esse mere Leviticas, ad jus positivum tantum pertinentes, quæ Judaicum duntaxat populum, tempore tantum vet. test. obligent, sed esse juris naturalis, quæ Christianos etiam in nov. test. obligent, ideoque dispensationi humanæ in illis nul-*

lum

tum relictum esse locum. Antequam vero nostræ sententiæ fundamenta proferamus, videndum prius, quo jure, quave injuria multiplicem dissensionem in hac quæstione Bellarminus ecclesiis nostris tribuat. *De quæstione illa*, [scribit libr. de matrim. cap. XXV.] *intra quos gradus cognatio sive etiam adfinitas matrimonium jure impediat, quinque invenio hæreticorum sententias. Prima est Johannis Wiclephi, qui in IV. libro trialogi cap. XX. adfirmat, cognationem in primo solum gradu impedire conjugium, idque in recto ordine, in transverso autem nullam esse prohibitionem, ex quo colligit, inter fratres & sorores matrimonium posse conjungi, cum id non sit prohibitum jure divino, sed tantum per humanam inventionem.* Resp. si vere hoc Wiclephus statuit, quod Bellarminus illi tribuit, nihil nobis cum ipsius opinione est commercii; an vero Wiclephus id statuerit, haud immerito dubitatur, cum Alex. Carerius lib. II. de matrim. cap. V. aliam opinionem Wiclepho tribuat, quod scilicet *nullum prorsus ex consanguinitate nascatur cognationis vinculum*, eumque fatente ipsomet Bellarmino Dominicus a Soto lib. IV. sent. dist. 40. art. 3. plane contrariam sententiam eidem tribuat, videlicet *prohibitiones, quæ habentur in Levitico, vim suam jure divino etiam apud Christianos retinere. Secunda est Lutheri in lib. de capt. Babyl.* c. de matr. & in serm. de matr. edit. Argent. anno 1525. & *Martini Buceri* in comm. Matth. XIX. qui *solos gradus cognationis* Levit. XVIII. *prohibitos matrimonii impedimenta agnoscunt, cæteros ab ecclesia additos omnino rejiciunt. Itaque nolunt in gradibus in Levitico expressis ullo modo licere matrimonia contrahere, neque ullam admittunt ecclesiæ dispensationem, cum lex illa divina sit, non humana, & contra volunt, in omnibus aliis gradibus libere posse contrahi, non obstante humana lege vel consuetudine, cum Deus optime noverit, quid prohibendum, quidve non prohibendum fuerit.* Resp. distinguendum est inter *prohibitionem pontificiam* a tyrannide Romani pontificis introductam, quæ est rete pecuniarum & laqueus conscientiarum, & inter *prohibitionem civilem* a potestate magistratus politici profectam, quæ est sepimentum ac vallum legis divinæ, & nititur rationibus probabilibus. Non posteriorem sed priorem ex ecclesia eliminatam *Lutherus* voluit, ut ex contextus serie manifestum. Conjunge ea, quæ in lib. de causis matrim. anno 1530. edito Lutherus postea scripsit tom. V. Jen. Germ. p. 257. *Der Sipschaft halben und Glieder der Freundschaft, were mein Rath, man liesse es bey weltlichen Rechten bleiben, oder wil man ja nach dem geistlichen Rechte das dritte und vierte Glied auch verboten halten, laß ichs geschehen, doch soll man schaffen, daß denen, so ins dritte und vierte Glied gegriffen haben, oder noch greiffen, kein Gewissen für GOtt gemacht werde, sonderlich wo es sonst gute, fromme, vernünftige Leute sind, weil es im Keyserlichen Recht und in der Schrift nit verboten ist, und am Tage ist, daß der Bapst und die Geistlichen selbst das Verbot im dritten und vierten Glied nicht halten, sondern nehmen Gelt und verkaufen beyde, das vierdte und dritte Glied, das ander wol darzu, &c.* Eadem fuit *Buceri* sententia, cum legi divinæ per Mosen traditæ leges imperatorum de incestis & inutilibus nuptiis diserte addat in comm. Matth. XIX. pag. 148. *Tertiam* sententiam dicit esse *Philippi Melanchthonis* in loc. tit. de conjug. & *Chemnitii* in II. part. exam. concil. Trid. p. 1230. *qui conveniunt cum Luthero & Bucero, quod præcepta Levitica circa gradus cognationis naturalem justitiæ normam contineant, & per hoc etiam apud Christianos vim habeant, & omnino immutabilia sint; sed discrepant quoad alios gradus in Levitico non expressos. Dicunt enim aliquos alios gradus ab ecclesia anti-*

qua recte fuisse prohibitos, modo id fiat servata libertate conscientiæ, id est, ut non sit peccatum in conscientia, si secus fiat. Resp. Philippus Melanchthon & Chemnitius idem omnino cum Luthero statuunt, præcepta scilicet Levitica esse juris naturalis, ac proinde dispensationem nullam admittere. Quod de *libertate conscientiæ* in prohibitionibus humanis addunt, id vel de prohibitionibus pontificiis accipiendum, quæ conscientiam non obligant, vel de prohibitionibus magistratus, si ad eas accedit *dispensatio*, per quam prohibitio in casu speciali relaxatur, vel de prohibitione matrimonium contrahendum quidem impediente, contractum tamen non dirimente, cum divinæ prohibitiones & contrahendum impediant, & contractum dissolvant, vel de transgressione prohibitionis ex plena & certa scientia profecta, cum divinæ prohibitiones conscientiam obstringant, sive ex præresi sive ex ignorantia violentur.

Chemnitii vindicatio.

§. CCXCII. Præter hunc dissensum tribuit Jesuita *Chemnitio* tres contradictiones & unum mendacium. I.) *Præcepta Levitici de gradibus cognationis Chemnitius dicit esse mandata naturalia, quæ ad omnes homines & omnia tempora pertineant, tanquam normæ justitiæ in mente & voluntate divina immutabiles*, p. 1231. *& tamen* p. 1230. *dixerat, Deum dispensasse cum filiis Adami, ut fratres cum sororibus copularentur, qui est primus gradus in linea transversa in Levitico expresse prohibitus.* Resp. exceptio non tollit regulam, ac dispensatio in particulari quodam casu non abolet interdicti universalitatem. Præcepta illa Levitici pertinent ad omnes homines & omnia tempora, exceptis solis Adæ filiis & primis illis mundi temporibus, qua de re postea uberius dicetur. II.) *Matrimonia, quæ non pugnant contra divinas prohibitiones, esse a Deo conjuncta, & ideo non dirimi posse adserit* p. 1238. *ibidem tamen concedit, posse ecclesiam cum magistratu gradus aliquot constituere proximos, quos lex divina constituerat. At si omnia matrimonia, quæ non pugnant cum divina prohibitione, sunt a Deo, & dirimi nequeunt, ergo nulla matrimonia prohiberi possunt, quæ Deus non prohibuit, neque ulli gradus constitui, quos Deus non constituit, nisi prohibere velimus ac dirimere matrimonia, quæ Deus conjunxit.* Resp. distinguendum inter prohibitionem matrimonii contrahendi, & dissolutionem matrimonii contracti. Magistratus non possunt ferre ejusmodi leges, quæ conjugium in gradibus divino jure non prohibitis contractum penitus dissolvant, id enim pugnaret cum dicto Christi, *Quod Deus conjunxit &c.* possunt tamen ferre ejusmodi leges, quæ matrimonium contrahendum impediant, quod non existimandum est pugnare cum determinata prohibitione in Levitico, quia distinguendum est inter concessionem *plane absolutam* ac *limitatam*. Deus extra gradus in lege prohibitos matrimonii libertatem dedit, sed ea libertas non est absoluta, ac plane illimitata, quia magistratui honesta præcipienti obedire jussit; proinde cum magistratus in quibusdam gradibus, qui expressa Dei lege prohibitos proxime contingunt, a nuptiis abstinere jusserit, huic magistratus ordinationi obedientiam præstare Deus ipse jussit. III.) *Per leges humanas certos constitui posse gradus adserit, intra quos non sint legitima matrimonia, sed tamen salva libertate conscientiæ, at ista manifeste pugnant. Nam vel matrimonia intra gradus lege humana præscriptos contracta erunt legitima, vel illegitima. Legitima esse non possunt, cum sint contra legem, ergo erunt illegitima, ergo in conscientia malum erit illa contrahere, nisi forte non sit malum, in conscientia nomine conjugii fornicationem committere, ergo lex illa, quamvis humana, in conscientia obligat.* Resp. an & quatenus transgressio legum positivarum in conscientia obliget, in tract. de magistr.

magistr. §. 267. plene exposuimus, quæ sunt hoc loco repetenda. Violatio legum positivarum in matrimonio in prohibitis gradibus contracto obligat conscientiam non *directe & immediate*, sicut legum & prohibitionum divinarum violatio, sed *indirecte & mediate*, nec *absolute & simpliciter*, sicut legum divinarum violatio, *sed certo respectu*, si scilicet ex certa ac plena scientia procedat, nec a magistratu obtineatur dispensatio, denique violatio legum positivarum in prohibitis gradibus non efficit nuptias *nefarias & incestas*, sicut legum divinarum violatio, sed *inutiles & illicitas*, quæ omnia si probe observentur, in fumum abit contradictionis jesuiticæ structura. Mendacium, quod Chemnitio tribuit, sic habet: *Chemnitius adserit, Romanum pontificem velle conscientias pontificiis prohibitionibus non minus teneri, quam divinis. At hoc mendacium esse perspicuum est, cum summus pontifex in pontificiis prohibitionibus sæpe dispenset, in divinis nunquam.* Resp. qui dispensat in prohibitionibus divinis, ille eodem loco habet prohibitiones pontificias & divinas, ut tacite hoc loco concedit Bellarminus. Pontifex dispensat in prohibitionibus divinis. Ergo eodem loco habet prohibitiones pontificias & divinas. *Adsumtum* probatur, quia dispensat in gradibus prohibitis lege divina Levit. XVIII. ut multis exemplis confirmari potest. Bellarminus regerit, *eas apud Christianos non esse divinas*, sed contrarium paulo post demonstrabimus.

§. CCXCIII. *Quartam* sententiam tribuit *Brentio*, qui in comm. Lev. XVIII. *non tantum falsas illas hypotheses adstruat, quod Romanus pontifex non habeat auctoritatem leges ferendi, quodque gradus, qui prohibentur simul a Mosis & imperatoris lege, sint jure naturæ prohibiti, sed etiam duo pugnantia statuat, leges scilicet Romanas perdidisse auctoritatem, & tamen obligare. Si enim leges civiles Romanæ auctoritatem perdiderunt, nullum jam obligare possunt, ac proinde non erunt illegitima matrimonia, nisi quæ prohibentur lege naturali.* Resp. Brentius non *absolute & simpliciter* leges Romanas auctoritatem amisisse statuit, sed *secundum quid & certo respectu*, quatenus scilicet sese subjecerunt canonibus pontificiis, *tantum*, inquit, *leges Romanæ valere videntur, quantum valent canones Romani pontificis, quibus se subjecerunt;* sed postmodum diserte addit, *adpellandum esse ab imperatoribus fraude pontificum deceptis ad eosdem recte edoctos aut a legum administratoribus ad ipsas leges.* Bellarminus exclamat, *huic adpellationi locum relictum esse nullum, cum adhuc hodie imperatores leges suas canonibus pontificiis subjiciant, cumque a principe, qui legem condidit, ad legem non liceat adpellare, siquidem lex a principe, non autem princeps a lege auctoritatem habet.* Resp. adpellationem intelligit non *proprie & judicialiter*, sed *figurate & extra judicium*, ut totus orationis contextus ostendit, hoc enim duntaxat docere expetit, leges Romanas conferendas esse cum mosaicis, & cum jure naturæ, ex quibus velut fontibus profluxerunt, non autem exigendas esse ad normam prohibitionum pontificiarum, quibus in ecclesia merito omnis auctoritas abrogatur. *Quintam* sententiam tribuit *Bezæ*, qui in lib. de repud. ac divort. 1.) reprehendit *supputationem graduum canonicam*, 2.) adfirmat, *gradus, qui in Levitico numerantur, jure divino servandos esse, & matrimonia in illis gradibus contracta nulla*, 3.) *non solum gradus illos, qui expresse habentur in Levitico, jure divino servandos esse, sed etiam eos, qui a simili colliguntur*, 4.) *leges etiam civiles de gradibus cognationis servandas esse, sic tamen, ut matrimonia in his gradibus non contrahantur, sed si contracta fuerint, non dirimantur.* Resp. si primum excipias, quod ad hanc quæstionem proprie non spectat, cum aliud sit de computatione, aliud vero de prohibitione gra-

graduum quærere, in reliquis Beza a noſtrarum eccleſiarum in hac quæſtione ſententia non diſſentit, ſed idem nobiſcum contra pontificios propugnat. Quæ de particularibus quibusdam Bezæ in illo libro erratis addit, ad nos minime pertinent.

Argumenta noſtrae ſententiae.

I.) ex generali legum Moſaicarum obligatione.

§. CCXCIV. His ita præmiſſis producimus ſententiæ noſtræ fundamenta. *Primum* petimus ex *generali legum Moſaicarum obligatione.* Quæcunque leges ita obligant gentes, ut propter earum transgreſſionem puniantur, illæ non ſunt mere forenſes ad Judaicam tantum politiam ſpectantes, ſed pertinent ad jus naturale ac morale. Leges de prohibitis cognationis gradibus obligant gentes, ut propter earum transgreſſionem puniantur. Ergo. *Aſſumtum* probatur ex diſertis verbis a nomotheta legum harum promulgationi præmiſſis & adnexis: Lev. XVIII. 2. *Ego Dominus Deus veſter.* v. 3. *Secundum opus terræ Ægypti, in qua habitaſtis, non facietis, & ſecundum opus terræ Canaan, ad quam ego adduco vos, non facietis.* v. 4. *Judicia mea facietis, & ſtatuta mea ſervabitis, quæ faciens homo, vivet in eis.* Et poſtea: v. 24. *Ne polluamini in his omnibus, quia in omnibus his polluerunt ſe gentes, quas ego ejicio a faciebus veſtris* v. 25. *Et polluit ſe terra, & viſitavi iniquitatem ejus ſuper eam, & evomuit terra habitatores ſuos.* v. 26. *Et cuſtodietis vos ſtatuta mea & judicia mea, & non facietis ex omnibus abominationibus iſtis &c.* v. 27. *Quia omnes abominationes iſtas fecerunt homines terræ, qui ante vos, & polluit ſe terra.* v. 28. *Et non evomat terra vos, dum contaminaveritis eam, quemadmodum evomuit gentem, quæ ante vos.* Levit. XX. 22. *Cuſtodietis omnia ſtatuta mea & judicia mea, & facietis ea, & non evomet vos terra.* v. 23. *Iſta omnia* [prohibitarum abominationum genera] *fecerunt gentes, & deteſtatus ſum eas.* In Hebræo eſt: אִקְּצָה בָם *nauſeam ac faſtidium habui in illis.* Targum: & *abominatum eſt verbum meum illos.* Bellarminus de matrim. c. XXVII. regerit: 1.) *reſponderi poſſe, Deum punire voluiſſe gentiles non propter transgreſſionem præceptorum de gradibus cognationis, ſed propter adulteria, propter concubitum cum maſculis & jumentis, & propter idololatriam, quam gentes illæ exercebant cum idolo Moloch, quia enumeratis illis ſceleribus ſubjiciuntur poenæ.* Sed addit ipſe Bellarminus, *hanc ſolutionem non videri ſolidam*, cum eædem pœnæ in eosdem gentiles immediate poſt prohibitiones graduum cognationis ſubjiciantur Levit. XX. 2.) Addit, *reſponderi a quibusdam, Deum puniviſſe gentes ob conjugia in primo gradu conſanguinitatis, quæ ſunt contra legem naturæ, non autem ob conjugia in aliis gradibus.* Sed nec hanc *ſolutionem ſolidam* eſſe agnoſcit, cum poſt enumeratos gradus Lev. XX. ſubjiciantur hæc verba: *Omnia hæc fecerunt gentes*, quæ cum ſint univerſalia, non poſſunt reſtringi ad certa aliqua ſcelera. 3.) Tandem igitur ſuam profert reſponſionem, *omnia illa præcepta de gradibus cognationis eſſe naturalia aliquo modo, nimirum ſi nude ac ſolitarie ſumantur gradus cognationis ſine circumſtantiis, quæ ſufficiant ad matrimonia in illis gradibus honeſtanda, quia gentes ſine ullo delectu miſcebantur cum conſanguineis, peccabant haud dubie in ſingulis contra jus naturæ, & ideo merito puniebantur*; ubi tamen obſervandum eſſe dicit, *peccaſſe quidem gentes in ejusmodi conjugiis contrahendis, ſed non ita graviter, ut propter illa ejiciendæ eſſent a terra, iſta enim poena proprie reſpicit crimen idololatriæ & adulteria ac flagitia prodigioſa cum beſtiis & maſculis. Cum enim ſcriptura dicit:* omnia hæc fecerunt; *non intelligit tantum conjugia in gradibus prohibitis, ſed omnia ſcelera ſupra nominata. Nec dicit, per ſingula peccata fuiſſe*

dignos

dignos illos, qui e terra evomerentur, sed propter omnia, quia nimirum inter illa omnia erant quædam graviſſima & enormia. Hanc ſolutionem eſſe veram, confirmari poſſe dicit exemplis patriarcharum, ut Jacob, Juda & Amram, qui *in gradibus prohibitis contraxerunt, & tamen a Deo puniti non ſunt, quia videlicet non temere, ſed cum ratione id fecerunt, neque ad iſta conjugia adjunxerunt quatuor illa ſcelera, ob quæ gentes proprie punitæ fuerunt.* Reſp. *a.*) Fundamentum reſponſionis Jeſuiticæ unice conſiſtit in exemplis patriarcharum, qui in gradibus prohibitis contraxerunt, de quibus quid ſtatuendum ſit, poſtea videbimus; hoc loco unicum illud urgemus, quod non *ex exemplis de regula, ſed ex regula de exemplis* ſit judicandum. *b.*) Bellarminus nude adſerit, nulla autem ratione probat, *ob certas quasdam circumſtantias* præcepta Levitica fieri diſpenſabilia, ac matrimonia in *prohibitis gradibus contracta ex circumſtantiis quibusdam honeſtari.* Nos contra ſic concludimus: Quæ jure naturali ſunt prohibita, nulla circumſtantia fiunt licita & honeſta, quia *naturalia ſunt immutabilia.* §. ſed naturalia inſtit. de jur. nat. gent. & civ. *Naturalia jura, quæ apud omnes gentes peræque obſervantur, divina quadam providentia confirmata ſemper firma atque immutabilia permanent.* Jam vero præcepta de gradibus cognationis ſunt naturalia, ut probat noſtrum argumentum, nec poteſt omnimode inficiari Bellarminus, ſic enim hoc ipſo in loco ſcribit: *Propoſitio illa generalis* Lev. XVIII. ad proximam ſanguinis ſui nemo accedat, *jus naturæ complectitur, & ideo etiam in ſingulis præceptis repetitur vocabulum* turpitudo, *quia turpe eſt cum cognata matrimonium contrahere, cum natura ipſa dictet reverentiam quamdam illis debere, cum qua pugnat copula carnalis, & quia gentes illæ ſine ullo delectu miſcebantur conſanguineis, peccabant haud dubie in ſingulis* [nota in ſingulis] *contra jus naturæ, & ideo merito puniebantur.* Hæc Bellarminus. *c.*) Ex conceſſis a Bellarmino ulterius ſic inferimus: Nullius cerimonialis legis transgreſſio gentiles efficit peccati, iræ ac pœnæ divinæ reos, quia ipſis non eſt lata. *Ubi autem non eſt lex, ibi nec transgreſſio.* Rom. IV. 15. Atqui ſingulorum horum præceptorum transgreſſio gentiles fecit reos peccati, iræ ac pœnæ divinæ. Ergo. &c. *d.*) Abſurdum eſt, quod Bellarminus addit, *gentiles peccaſſe contra jus naturæ in contrahendo conjugio in prohibitis gradibus non ſimpliciter, ſed quia ſine delectu miſcebantur cum conſanguineis*; hoc enim perinde eſt, ac ſi quis velit dicere, homicidam peccare contra jus naturæ non ſimpliciter, ſed quia ſine delectu homines occidit; adulterum peccare contra jus naturæ non ſimpliciter, ſed quia ſine delectu cum quibusvis maritatis conſueſcit. *e.*) Quod Bellarminus addit, *peccaſſe quidem gentes in ejusmodi conjugiis contrahendis, ſed non ita graviter, ut propter illa ejiciendæ eſſent a terra, nec propter ſingula illa peccata fuiſſe eas poena dignas, ſed propter omnia;* in eo Moſi plane in faciem contradicit, quod ex ſerie & connexione textus eſt evidentiſſimum. *Primo* in genere præcipit divina majeſtas, *neminem debere accedere ad propinquam carnis ſuæ, ut revelet ejus nuditatem*, v. 6. poſtea per certas ſpecies gradus propinquitatis explicantur usque ad v. 19. ac ſingulis prohibitionis ſpeciebus enumeratis additur v. 24. *Ne polluamini*, בְּכָל־אֵלֶּה, *in omnibus his*, ſcilicet quæ hactenus ſunt ſpeciatim commemorata, quia *in his omnibus polluerunt ſe gentes, quas ego ejiciam a faciebus veſtris.* v. 25. *Et polluit ſe terra, & viſitavi iniquitatem ejus ſuper eam, & evomuit terra habitatores ſuos;* ubi diligenter obſerva, omnia hactenus enumerata ſcelerum & illicitarum commixtionum genera vocari *pollutiones & contaminationes*, omnia etiam referri ad cauſas, propter quas gen-

gentes sunt deletæ, & ex terra Canaan ejectæ v. 26. *Custodite statuta mea, ut non faciatis ex omnibus abominationibus istis,* v. 29. *Omnis, qui fecerit ex omnibus abominationibus istis, exscindetur e medio populi sui.* Levit. XX. 23. *Omnia hæc fecerunt gentes, & detestatus sum eas.* Omnia delicta in unam rediguntur classem, & generalis conclusio additur, quæ non solum de omnibus simul sumtis, sed etiam de singulis seorsim acceptis necessario intelligenda est. Quemadmodum enim qui adulterium cum proximi uxore perpetrat contra prohibitionem v. 20. vel cum bruto concumbit contra prohibitionem v. 23. is tale peccatum committit, propter quod jure ac merito incurrit pœnam divinitus hic statutam, si vel maxime non conjungat flagitia reliqua; sic qui in aliquo prohibitorum graduum contrahit, pœnam prohibitioni adjectam incurrit, si vel maxime non conjungat flagitia reliqua. *f.*) Ἀναπολογία etiam in hac Bellarmini illatione deprehenditur. *Alii eodem modo peccarunt contrahendo in gradibus prohibitis, & tamen non sunt ejecti ex terra. Ergo nec gentes istæ propter matrimonia in gradibus prohibitis contracta poenam illam sustinuerunt, sed potius propter idololatriam, adulteria ac flagitia prodigiosa cum bestiis & masculis.* Distinguendum enim inter peccata privata sive privatorum hominum, & inter peccata publica, quæ in toto aliquo populo vigent & adprobantur, qualia fuerunt illa gentilium delicta, de quibus Moses loquitur. Adde quod peccata æqualia non semper eodem modo & æqualiter in hac vita puniantur. Denique ex subordinatis non facienda sunt opposita. Gentes non tantum propter adulteria & Sodomiticas libidines cum masculis & bestialitatem, sed etiam propter incestas & nefarias nuptias, quæ graviora sunt delicta, quam adulterium, pœnas illas justo Dei judicio sustinuerunt. c. *Adulterii* 32. q. 7. ex Augustino: *Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu. Pejus est enim cum matre, quam cum aliena uxore concumbere.* Nec Moses dicit propter *gravissima* tantum flagitia, sed propter omnia gentes punitas fuisse, inter quæ etiam fuerunt conjugia in prohibitis gradibus contracta.

II.) *Ex legum harum cum moralibus connexione.*

§. CCXCV. II.) Ex *legum harum cum moralibus connexione.* Quæcunque leges in uno eodemque contextu cum moralibus conjunguntur, illæ ad jus naturale ac morale pertinere censentur, nisi ex circumstantiis contrarium evidenter eluceſcat. Sed leges Mosaicæ de prohibitis gradibus cum moralibus legibus in uno eodemque contextu indivulse conjunguntur. Ergo ad jus naturale ac morale pertinere merito censentur. *Majori* quare sit limitatio quædam addita, facile colligitur ex Exod. XIX. & seqq. capp. atque aliis pandectarum Mosaicarum partibus, in quibus & *forensia* & *cerimonialia* & *moralia* præcepta conjungi non negamus; sed ibi ex circumstantiis textus & ex ipsa præceptorum materia facile conspicitur, quænam ad legem moralem, quæ vero ad forensem ac cerimonialem legem pertineant. *Adsumtum* constat ex Lev. XVIII. & XX. In capite enim XVIII. Levitici prohibitioni graduum conjungitur lex *de non concumbendo cum muliere menstruata*, v. 19. *de non adulterando*, v. 20. *de non exercenda idololatria*, v. 21. *de non concumbendo cum masculo coitu foemineo*, v. 22. *de non coeundo cum pecore*, v. 23. capite XX. pœnæ in contrahentes matrimonia in gradibus prohibitis statutæ conjungitur pœna eorum, *qui dederint de semine suo idolo Moloch*, v. 2. *qui abeunt post magos & ariolos*, v. 6. *qui maledicunt parentibus*, v. 9. *qui adulterium perpetrant*, v. 10. *qui cum masculo coeunt*, v. 13. *qui cum pecore coëunt*, v. 15. *qui cum menstruata congrediuntur;* v. 18. jam vero hæc omnia pertinent ad legem moralem. Ergo idem judi-

judicium de prohibitione graduum esse debet. Duo obverti possunt huic argumento, quod tamen Bellarminus non adtingit: 1.) *Leges hasce de prohibitis gradibus vocari* משפטים, *judicia*, & חקות, *statuta; jam vero has adpellationes tribui solere legibus forensibus & cerimonialibus.* Resp. distinguenda est adpellationum harum significatio *specialis* a *generali*. Quando specialiter usurpantur, iisque additur מצוה תורה vel similis quædam vox, moralem legem exprimens, tunc forenses & judiciales leges denotant; sed quando absolute ponuntur, ut hoc loco, tum generaliter significant legem divinam, sive ea sit moralis, sive forensis, sive cerimonialis. Quod autem hic moralem legem denotent, patet tum ex aliis nostræ sententiæ argumentis, tum vel maxime ex eo, quod species præceptorum generali huic præcepto de custodiendis judiciis & statutis Dei pertineant ad legem moralem, jam vero eadem est ratio generis, quæ est subjectarum specierum. 2.) Lev. XX. 25. *Subjungi præceptum de distinguendo animali mundo ab immundo, quod cerimoniale esse constat.* Resp. præceptum illud a reliquis præcedentibus plane sejungitur, & adpendicis tantum loco prioribus adnectitur. v. 22. de gentibus in prohibitis gradibus matrimonia contrahentibus dicitur, quod propter *hoc flagitium e terra habitationis suæ sint ejiciendæ*, sed talis pœna in gentiles, si transgrediantur præceptum de Levitico ciborum discrimine, nusquam statuitur, quin potius ex verbis textus manifestum est, Leviticam illam legem de mundorum & immundorum animalium discrimine observando ad solum Israeliticum populum restringi: v. 24. *Ego Dominus Deus vester, qui separari feci vos a populis.* v. 25. *& separare facietis inter animal mundum & immundum*, v. 26. *& eritis mihi sancti, quia sanctus ego Dominus & separavi vos a populis, ut essetis mei;* id est, ut essetis mihi populus peculiaris a reliquis populis omnibus certis legibus distinctus ac separatus.

III.) *Ex poenae adjectae conditione.*

§. CCXCVI. III.) Ex *poenæ in transgressores harum legum statutæ conditione.* Quarum legum transgressioni imponuntur pœnæ capitales, illæ non sunt cerimoniales sive forenses, sed morales; [nisi circumstantiæ textus & præceptorum materia contrarium evidenter ostendant] ratio est, quia transgressioni legum cerimonialium plerumque imponuntur pœnæ Leviticæ. Sed transgressioni legum de prohibitis cognationis gradibus imponuntur pœnæ capitales. Levit. XX. 11. *Qui dormierit cum noverca sua, morte moriantur ambo, sanguis eorum sit super eos.* v. 12. *Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt, sanguis eorum super eos.* v. 14. *Si quis supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, scelus operatus est, ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* v. 17. *Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt, occidantur in conspectu populi sui, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint, portabunt iniquitatem suam.* v. 19. *Qui turpitudinem materteræ vel amitæ suæ revelaverit, portabunt ambo iniquitatem suam.* v. 20. *Qui coierit cum uxore patrui sui, portabunt ambo peccatum suum, absque liberis morientur.* v. 21. *Qui duxerit uxorem fratris sui, rem fecit illicitam, absque liberis erunt.* In publica maledictione, quam totus populus adversus peccantes pronunciabat, etiam harum legum transgressiones inclusæ fuerunt. Deut. XXVII. 20. *Maledictus, qui dormit cum uxore patris sui.* v. 22. *Maledictus, qui dormit cum sorore sua.* v. 23. *Maledictus, qui dormit cum socru sua.* Ergo leges illæ de prohibitis cognationis gradibus

non sunt cerimoniales vel forenses, sed morales. Excipit Bellarminus, *etiam judicialibus & cerimonialibus præceptis addi similes poenas, ut patet de transgressore legis de circumcisione, Gen. XVIII. & de comedente fermentatum in diebus azymorum, Exod. XII. ac pleni sunt libri Mosaici ejusmodi poenis.* Resp. 1.) Est hic dispar ratio, quia circumcisio & agnus paschalis erant sacramenta vet. test. quæ etsi ad legem cerimonialem quodammodo pertinebant, tamen multa habebant peculiaria, in quibus a reliquis cerimoniis Leviticis fuerunt distincta, ut ostendimus in tract. de legibus cerim. & forens. §. XI. 2.) Quia vero legi de observatione sabbati itidem additur comminatio pœnæ capitalis in transgressores statutæ, ideo majorem propositionem hoc modo limitavimus, *nisi circumstantiæ textus & præceptorum materia ostendant contrarium.* 3.) Id vero hoc loco contingit, quia transgressoribus etiam cerimonialium legum gravissima irrogatur pœna non propter *materiam præcepti*, sed propter *majestatem præcipientis* in earum transgressione violatam: adde, quod in illis ipsis cerimonialibus legibus sit aliquid morale, ipsum scilicet genus, ad quod in pœnæ capitalis irrogatione potissimum habetur respectus. 4.) Bellarminus ipse cap. XXVIII. *ex capitali supplicio prohibitioni conjugiorum in primo gradu consanguinitatis tam in recta linea, quam in transversa, & in primo gradu affinitatis in linea recta* Lev. XX. *adjecto colligit, talia conjugia jure naturæ esse interdicta.* 5.) Nec tamen inficias imus, huic argumento non inesse apodicticum concludendi robur, si seorsim & a ceteris sejunctum accipiatur.

IV.) *Ex clausulae Mosaicae adjectione.*

§. CCXCVII. IV.) Ex *clausulæ Mosaicæ adjectione.* Quibus legibus clausula illa promissoria adjicitur: *Custodite præcepta mea, qui fecerit ea homo, vivet in eis*, illæ non sunt mere cerimoniales seu forenses, sed ad naturalem ac moralem pertinent. Deut. XXX. 19. recitata summa legis moralis subjungitur: *Proposui vobis vitam & mortem, elige ergo vitam, ut & tu vivas & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum.* Christus ipse Matth. XIX. 12. Luc. X. 28. & Paulus Rom. X. 5. Gal. III. 12. sententiam illam ad legem moralem referunt, utique ergo ad eam pertinet. Jam vero legibus illis de prohibitis gradibus adjicitur ista clausula Lev. XVIII. 5. *Custodite leges meas ac judicia, quæ faciens homo, vivet in eis.* Ergo leges de prohibitis gradibus ad legem moralem pertinent. Hoc argumentum Bellarminus non adtingit.

V.) *Ex prophetica harum legum explicatione.*

§. CCXCVIII. V.) Ex *prophetica harum legum explicatione.* Quæ leges a prophetis inter morales referuntur, & ex quibus gentiles arguunt, illæ non sunt mere forenses, vel cerimoniales. Ratio consecutionis est manifestissima, quia forenses & cerimoniales leges ad Judaicum duntaxat populum pertinent, ergo propter earum transgressionem non possunt argui gentiles. Jam vero leges de prohibitis gradibus a prophetis inter morales referuntur, & ex illis gentiles peccati arguuntur. Ezech. XXII. 10. *Nuditatem patris revelaverunt in te, immundam menstruo compresserunt in te.* v. 11. *Et unusquisque cum uxore socii sui fecit abominationem, & unusquisque nurum suam polluit in scelere, & unusquisque sororem suam, filiam patris sui, compressit in te.* Amos. II. 7. *Vir & pater ejus iverunt ad puellam ad violandum nomen sanctitatis meæ.* Ergo. Quamvis vero apud *Ezechielem* Hierosolymitanorum, & ab *Amoso* Israelitarum delicta præcipue arguantur, ac utrobique etiam cerimonialium constitutionum de sabbato & nasiræis transgressio arguatur; tamen propheticæ illæ conciones & increpationes sunt generales ex ipsis fontibus legis naturalis ac moralis petitæ, ut reliqua membra ostendunt. Bellar-

larminus ad hoc argumentum nihil respondet.

VI.) *Ex legum harum in nov. test. repetitione.*

§. CCXCIX. VI.) Ex *legum harum in nov. test. repetitione.* Ex quibus legibus etiam in nov. test. peccata arguuntur, eæ non sunt cerimoniales vel forenses, quippe quæ in nov. test. sunt abolitæ. Jam vero ex legibus de prohibitis gradibus etiam in nov. test. peccata arguuntur. Ergo. *Adsumtum* probatur duplici ratione 1.) Ex *Johannis baptistæ facto.* Johannes baptista ex auctoritate harum legum arguit Herodis cum fratria incestum. Matth. XIV. 4. Marc. VI. 18. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Excipit Bellarminus: 1.) *Tempore Johannis viguisse adhuc legem Mosis, ac obstrictum fuisse Herodem, qui eam legem profitebatur, ut eamdem observaret. Non licebat autem ei secundum legem habere uxorem fratris sui, sive is viveret, sive mortuus esset, quia proles ex eo matrimonio erat suscepta.* Resp. in tract. de sacram. §. XV. multis comprobatum dedimus argumentis, ministerium Johannis ad nov. test. pertinere. Bellarminus hoc loco disputat, *Johannem fuisse ultimum prophetam vet. test.* idque probare conatur ex Luc. XVI. 16. *Lex & prophetæ usque ad Johannem.* Sed illud accipiendum esse *exclusive*, ut Johannes a prophetis vet. test. distinguatur, non *inclusive*, ut iisdem adcenseatur, evidenter colligitur *tum* ex Matth. XI. 13. *Omnes prophetæ & lex* ἕως Ἰωάννου προεφήτευσαν, *prophetarunt usque ad Johannem.* Utique ergo cum initio ministerii Johannis vet. test. desiit, *tum* ex eo, quod Christus ibidem v. 8. eum *plus quam prophetam esse* adserit, quia scilicet non de Christo post aliquot annos demum venturo prophetavit, ut vet. test. prophetæ, sed eum præsentem digito demonstravit Joh. I. 29. *Ecce agnus Dei.* Sic ergo contra Bellarminum concludimus:

1.) *Johannis baptistæ factum.*

Quicunque *a.*) administrat sacramentum nov. test. *b.*) non prædicit Messiam venturum, sed ostendit præsentem; *c.*) cujus ministerium refertur ad initium evangelii Jesu Christi, hoc est, publici & solemnis illius præconii de Christo exhibito in nov. test. prædicari cœpti; *d.*) qui in suo ministerio regnum cœlorum adpropinquasse docet, Matth. IV. 17. *e.*) cibis in lege cerimoniali prohibitis vescitur, is non est propheta vet. sed minister nov. test. Sed Johannes baptista *a.*) administravit nov. test. sacramentum, baptismum scilicet; *b.*) digito Christum præsentem monstravit Joh. I. 29. ac proinde se prophetam esse negavit, v. 21. *c.*) ministerium ejus refertur ad initium evangelii Marc. I. 1. 2. 4. *d.*) & in ministerio suo regnum cœlorum adpropinquasse docuit, Matth. III. 2. *e.*) ac cibis in vet. test. prohibitis vesci voluit, locustis scilicet, Matth. III. 4. Ergo Johannes baptista non est propheta vet. sed minister nov. test. Aliter igitur Bellarminus excipit 2.) *Crimen Herodis non fuisse tantum incestum, sed etiam adulterium, quia Herodes fratris adhuc viventis uxorem acceperat.* Resp. sane Josephus lib. XVIII. antiquit. cap. VII. Eusebius lib. I. hist. eccles. cap. XII. Hieronymus in comm. Matth. XIV. ac Nicephorus lib. I. hist. eccles. cap. XIX. in eam abeunt sententiam, quod frater Herodis adhuc in vivis fuerit, cum Herodiadem fratriam suam sibi conjungeret, sed non potest illud certo demonstrari, quia Eusebius, Hieronymus & Nicephorus hac in parte secuti sunt narrationem Josephi, cui quantum fidei sit tribuendum, vel ex eo constat, quod fratrem Herodis, priorem Herodiadis maritum, Josephus itidem adpellet Herodem, cum Marcus diserte eum nominet Philippum, nec verisimile sit duos fratres fuisse ὁμωνύμους. Inde Augustinus de fid. & operib. c. XIX. circ. fin. *ambiguum esse* dicit, *utrum Herodes mortui, an viventis fratris uxorem duxerit, & ideo non ita patere, quid Johannes ei non licere dix e-*

dixerit. Ex reprehensione Johannis baptistæ, prout ea ab evangelistis describitur, haud obscure colligitur, quod specie quadam honestatis Herodes fratriam suam sibi conjunxerit, ὅτι ἐγάμησεν αὐτὴν, inquit Marcus, ergo conjugii nomine incestum suum obvelavit. Item: οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ σου, inquit Johannes baptista; jam vero τὸ ἔχειν passim usurpatur pro conjunctione matrimoniali Matth. XXII. 28. Marc. XII. 23. Luc. XX. 28. Joh. IV. 17. [qui locus probe notandus, cum de concubinatu ibidem negetur τὸ ἔχειν ἄνδρα] 1 Cor. V. 1. VII. 2. 12. 13. 20. Gal. IV. 27. Ac si vel maxime concedatur, cum hoc facto Herodis simul plura peccata fuisse conjuncta, videlicet ejectionem prioris conjugis, [quæ referente Nicephoro fuit filia regis Arabum Aretæ] adulterium, raptum, incestam cohabitationem &c. non tamen sequitur, Johannem non reprehendisse eodem modo prohibitam illam commixtionem. Ipsa certe reprehensionis verba testantur contrarium. *Non licet tibi eam habere in uxorem.* Ergo ipsum conjugium in tali propinquitatis gradu improbat, quia verba desumta sunt ex Levit. XVIII. 16. quo etiam marginales Lovanienſium adnotationes nos remittunt, ut præcepta negativa semper obligant, sic & reprehensio baptistæ semper negat, licere Herodi fratriam ducere, sive frater vivat, sive mortuus sit, cum lex prohibens nullam addat exceptionem. Denique Bellarminus ipse conjugium Herodis cum Herodiade fratria sua vocat *incestum.* Jam vero incestus proprie committitur contra legem naturæ. Ergo lex prohibens conjugium cum fratria pertinebit ad legem naturæ.

2.) *Apostoli Pauli exemplum.*

§. CCC. 2.) Ex *apostoli Pauli exemplo.* Paulus eum, qui novercam suam duxerat, ex fundamento harum legum de prohibitis gradibus Levit. XVIII. 8. XX. 11. Deut. XXII. 30. XXVII. 20. non solum gravissimi peccati reum facit, sed etiam excommunicationi subjicit ac satanæ tradit, cum de cerimonialibus alias dicat: *Circumcisio nihil est*, Gal. VI. 15. *Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Col. II, 16. 17. Excipit Bellarminus *a.) Probabile esse, quod primus gradus adfinitatis in linea recta simpliciter prohibitus sit jure naturæ, sed non ideo præcepta omnia de gradibus esse naturalia, quia unum vel alterum est naturale.* Resp. prohibitiones illæ omnes sunt ejusdem generis, quia subjunguntur generali propositioni: *Nullus ad propinquam carnis suæ accedat;* postea per species illa propinquitas explicatur, & tandem generalis conclusio ad omnes prohibitionis species pertinens additur: *Anima, quæ fecerit ex abominationibus his quidpiam, peribit de medio populi sui*, quo veritatis fulgore coactus Bellarminus ipse h. l. concedit, *omnia illa præcepta de gradibus cognationis esse aliquo modo naturalia, cum propositio illa generalis:* Nemo accedat ad proximam sanguinis sui, *jus naturæ complectatur, & in singulis præceptis de gradibus vocabulum* turpitudo *repetatur.* Nec *probabile solum,* ut Bellarminus loquitur, *sed plane certum & indubitatum* est, primum gradum adfinitatis æque ac primum gradum consanguinitatis in linea recta jure naturæ prohibitum esse, cum apostolus diserte addat, *talem fornicationem nec inter gentes audiri. b.) Probabile esse, quod apostolus loquatur de aliquo, qui novercam concubinæ loco haberet, vivente adhuc patre, quod scelus non tantum incestus, sed & adulterium erat, idque gravissimum*, id quod Anshelmus & Thomas colligunt ex 2 Cor. VII. 12. *Scripsi vobis non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est injuriam, sed ad manifestandam solicitudinem nostram, quam habemus pro vobis. Nam is, qui fecit injuriam, est filius incestuosus, qui eam pertulit, est pater, cujus*

jus uxor violata est. Resp. 1.) Sufficit nobis, quod Bellarminus concedit, *incestum esse, si quis novercam suam etiam post mortem patris ducat.* Atqui incestus committitur contra legem naturæ. Ergo lex prohibens conjugium cum noverca pertinet ad naturæ legem. 2.) Bellarminus suam opinionem non probat evidenti aliquo argumento. Quod enim adtinet locum ex 2 Cor. VII. 12. adductum, eum Chrysostomus hom. XV. in 2 Cor. refert ad ecclesiam. *Timebat* [inquit] *apostolus, ne illam* [ecclesiam] *malum supra modum depasceret, & pergeret totam lædere ecclesiam.* Ambrosius in comm. generaliter de mutuis Corinthiorum injuriis exponit; *Inique versatum apostolus dicit illum, qui incestum admiserat, nec non etiam hos tangit, quos injurias & fraudes fratribus in prima epistola fecisse significat.* Et postea: *Hi inique tractati sunt, qui a fratribus contraria passi sunt. Hic sensus est, quem in capite epistolæ memorat, ubi dicit:* Si cui aliquid donastis, & ego. *Ostendit enim, non magis horum causa, qui peccaverunt, scripsisse remitti illis debere, sed magis propter ecclesiam, quia in uno male agente multi sunt, qui confundantur, & in uno contumeliam aut fraudem patiente multi sunt, qui indignentur, quia si patitur aliquid unum membrum, compatiuntur omnia.* Hieronymus in comm. primum quidem expositionem illam adfert, quam Bellarminus unice urget, dum per eum, qui injuriam passus est, intelligit *patrem*, sed statim aliam adjungit explicationem, qua per eum, *qui intulit injuriam*, intelligit *excommunicantem*, per eum, *qui passus est, excommunicatum, cui videbatur injuria facta.* Theophylactus refert ad scortatores: *Quem dicit injuriam intulisse & injuria adfectum? eos, qui fornicati erant. Utrique enim se mutuo injuria adfecerant.* Theodoretus *patri mortuo* ab eo, qui novercam duxerat, *injuriam factam fuisse* statuit, cui expositioni Bellarminus frustra hoc opponit, quod *per mortem solvatur conjugale vinculum, ideoque mortuo non facere injuriam, qui ejus uxorem ducit.* Alia enim ratio est viduæ alterius cujuscunque, alia viduæ a patre relictæ; qui enim aliam quamcunque viduam ducit, non adficit injuria priorem maritum defunctum propter solutum matrimoniale vinculum, sed qui patris sui viduam ducit, is *propter propinquitatem* post mortem patris adhuc durantem patrem suum ignominia adficit. Repetatur h. l. regula 16. superius proposita, quod *propinquitas tam consanguinitatis, quam adfinitatis non moriatur, etiamsi per mortem decedat persona, mediante qua consanguinitas vel adfinitas est contracta.* Expendatur etiam ratio in lege divina adjecta: Lev. XVIII. 8. *Non reveles nuditatem uxoris patris tui, nuditas enim patris tui est;* quæ ratio generalis est ad uxorem patris tum mortui tum viventis pertinens, quod nunquam negare poterit Bellarminus. Disputat Aristoteles lib. I. ethic. cap. XI. *magnis vivorum calamitatibus mortuos quodammodo adfici;* quanto magis dici potest, flagitiis in defuncti patris viduam commissis ipsummet patrem injuria adfici. Sed redeo ad textum apostolicum, qui simplicissime exponi potest hoc modo: Etsi vobis scripsi paulo severius, tamen id factum est, non propter *eum, qui læserat,* id est, ut eum, qui ecclesiam & me isto scelere graviter offenderet, ad desperationem adigerem, *nec propter eum, qui læsus fuerat,* id est, ut meum erga ipsum animum vindicta explerem, quamvis ille ad justam iram me provocaverat; sed ut *manifestaretur studium vestrum erga nos,* id est, ut vos excitarem, quo re ipsa ostenderetis, quanti admonitiones nostras apostolicas faciatis &c. 3.) Longe verisimilius est, quod mortuo demum patre incestuosus ille Corinthius novercam suam duxerit; *primo* enim ad copulationem illam incestam connivebant Corinthii, ecquis vero tam profligatæ audaciæ eos fuisse existimet, ut

ma-

manifestissimum illud patris ac filii una muliere abutentium adulterium tolerare voluerint? *Deinde* apostolus haud quaquam prætermissurus fuisset, quin patrem ejusmodi flagitium permittentem severe castigaret, si in vivis adhuc superstes fuisset.

VII.) *Ex legum harum in cordibus gentilium inscriptione, quae probatur*

§. CCCI. VII.) Ex *legum harum in cordibus gentilium inscriptione.* Ea, quæ lex naturæ in omnium sanorum cordibus, quorum mens non est prorsus reproba, inscripta esse ostendit, non sunt cerimonalia, sed moralia; Rom. II. 15. *opus legis scriptum in cordibus eorum.* Sed prohibitiones graduum in omnium sanorum cordibus, quorum mens non est prorsus reproba, sunt inscriptæ. Ergo. *Major* propositio non potest negari a Bellarmino, cum ipse c. XXVIII. conjugia in primo gradu consanguinitatis tam in linea recta, quam in transversa, & in primo gradu adfinitatis in linea recta jure naturæ interdicta esse probet ex eo, quod *omnes gentes aut a conjugiis prædictis naturaliter abhorruerint, aut, si quæ gentes iis indulgent, ab aliis feræ & barbaræ judicantur.* Adsumtum probatur 1.) Ex *legibus imperatorum & rescriptis veterum jurisconsultorum,* in quibus iidem consanguinitatis & adfinitatis gradus prohibentur, qui in lege divina sunt prohibiti, ut inferius demonstrabitur. Excipit Bellarminus *a.) Non esse verum, quod omnes leges ad jus naturæ pertineant, in quibus Moses & cæsar conveniunt, cum non possit id ullo verbi divini testimonio probari. b.) Non omnes Romanorum leges a Deo fuisse confirmatas, cum inter eas sint quædam injustæ. c.) Ea, in quibus Moses & cæsar conveniunt, esse potius juris positivi, quam naturalis, cum lex cæsaris non prohibeat id, quod solo lumine rationis omnes noverunt esse prohibitum, sed poenam constituat in eos, qui secus fecerint, aut quod lex naturæ docet in genere, determinet in particulari. d.) Legem de non ducenda defunctæ uxoris sorore a cæsare latam pro positiva habendam, cum lex Mosaica tale conjugium permittat, ergo etiam legem de non ducenda fratria propter eumdem adfinitatis gradum pro positiva habendam, quod nostris hypothesibus repugnet.* Resp. *a.)* Non ita nude ac crude argumentamur, omnia illa pertinere ad jus naturæ, in quibus leges Mosaicæ & imperatoriæ conveniunt; sed hoc adserimus, ea, quæ ipsum rectæ rationis lumen & lex naturæ in omnium gentium cordibus, si non prorsus sunt corruptæ, dictitant, ea, inquam, esse moralia. *b.)* Ubi est consensus inter Mosen & cæsarem, oportet eum niti jure naturali, nec potest aliud adferri consensus illius fundamentum, judiciales enim & cerimoniales leges Mosaicæ sunt Judæorum propriæ, cum quibus cæsari nullum est commercium. *c.) Non omnes Romanorum leges a Christo adprobatas esse, nec legibus positivis divinæ ac naturali legi adversantibus parendum esse,* facile concedimus; sed neutrum horum quidquam facit ad institutum, tum quia & magistratui & honestis ordinationibus magistratus etiam ethnici parendum, tum quia leges imperatoriæ de prohibitis gradibus, de quibus h. l. unice agimus, consentiunt cum lege divina. *d.)* Cum multi *veritatem in injustitia captivam detineant*, Rom. I. 18. hoc est; cum plurimi ex gentilibus contra lumen naturæ adhuc reliquum agant, ideo etiam magistratus politicus ipsam legem naturæ sæpius repetit. Furtum naturali lege prohibitum esse constat l. 1. §. 3. *de furtis.* l. *probrum* 42. ff. *de V. S.* & tamen de eo exstant leges positivæ, propterea quod apud multos furta non solum tolerentur, sed etiam si artificiosa sint, commendentur, ut patet ex Lycurgi legibus. Sic promiscuæ libidines, raptus, adulteria &c. pugnant cum jure naturæ, & tamen de illis agitur in jure civili. *e.) Lege Mosaica conjugium cum soro-*

1.) *Ex legibus imperatorum.*

sorore uxoris defunctæ conceſſum eſſe, falſa eſt hypotheſis, ut inferius oſtendemus, nec categorice & adſeveranter, ſed dubitative & hæſitanter Brentius pronunciat, *videtur tale conjugium Moſes permittere*, ac ſi vel maxime hac in parte eſſet diſſenſus inter legem Moſaicam & imperatorum, id tamen noſtræ non præjudicaret ſententiæ; polygamia enim jure cæſareo eſt prohibita, lege forenſi Moſaica ex hypotheſi Bellarmini Judæis fuit conceſſa, quam tamen cum conjugii inſtitutione primæva, & ſic cum lege morali pugnare ſuo loco oſtendimus.

§. CCCII. 2.) Ex *honeſtis aliarum gentium legibus.* Quamvis enim apud quasdam gentes perverſa conſuetudo contrahendi in gradibus prohibitis inoleverit, tamen ex illarum corruptis & depravatis moribus non eſt judicium faciendum de lege naturæ, [ſicut Harmenopolus lib. I. cap. I. cum jus gentium definiiſſet, *quo gens aliqua, vel aliquæ gentes utuntur*, poſtea ſubjicit, *utpote matribus commiſceri apud Perſas*] ſed ex honeſtis gentilium legibus cum jure naturæ conſentientibus §. *pen.* Inſt. *de jur. nat. gent. & civ.* Apoſtolus de quibusdam gentilibus adſerit, quod ἀπηλγηκότες ἑαυτὰς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ Eph. IV. 19. ſed quemadmodum præpoſteræ illorum libidines non evertunt jus naturale omnium cordibus inſcriptum de caſtitate tuenda, ita quoque nuptiæ in prohibitis gradibus a quibusdam gentilibus contractæ non evincunt, jure naturali non eſſe illos gradus prohibitos, ſed contra juris naturalis præſcriptum & contra conſcientiæ dictamen eos feciſſe, id quod ſaniores inter eos ex naturæ lumine cognoverunt. *a.*) De *conjugiis parentum & liberorum in linea recta.* Plato lib. IV. de leg. diſputat, ideo prohibita eſſe parentum ac liberorum conjugia, *quia ex diſcrepantium ætatum conjunctione nimium imbecilles partus educantur, & parentum provecta jam ætas adoleſcentulorum matrimoniis non bene conveniat.* Ariſtoteles lib. II. polit. ex eo reprehendit communionem uxorum, quia ſequeretur, ut *filii parentibus, & fratres ſororibus jungerentur.* Paulus jurisconſultus l. ult. de rit. nupt. *jure gentium prohibitum eſſe* dicit, *ne quis ex gradu adſcendentium & deſcendentium uxorem ducat.* Jus illud gentium eſt ipſum jus naturæ. Honorius & Theodoſius, imperatores, reſcripſerunt, *naturæ fœdus non permittere concubitus cum matribus & filiabus*, l. *eum qui* C. *de epiſc. & cleric.* Socrates apud Xenophontem lib. ἀπομνημ. adſerit, *hanc legem in natura a diis conditam & poſitam eſſe*, μήτε γονέας παισὶ μίγνυσθαι, μήτε παῖδας γονεῦσιν. Plutarchus in lib. de fort. Alex. refert, *Alexandrum magnum docuiſſe Perſas matres revereri, earumque nuptiis abſtinere.* Tiraquellus ex Agathio lib. II. de bello Goth. docet, *apud priſcos Perſas non fuiſſe matrimonia parentum & liberorum uſitata.* Et Plutarchus in vit. Artaxerx. memorat, *ipſum filias ſuas uxores duxiſſe contra leges Perſarum & Græcorum.* Ergo, quæ ſuperius de matrimoniis parentum & liberorum apud Perſas uſu receptis ex hiſtoricis ſcriptoribus dicta ſunt, de *recentioribus* illis, qui poſt Cambyſen vixerunt, eſt accipiendum. Virgilius lib. VI. Æneid. apud inferos puniri dicit eum,

Qui thalamos natæ invadit vetitosque hymenæos.

Catullus in Gellium impiam vocat Perſarum legem, quæ talia conjugia permittit:

Nam magus ex matre & nato gignatur oportet,
Si vera eſt Perſarum impia relligio.

Suetonius in Claudio cap. XV. refert, *imperatorem Claudium, fœminam non agnoſcentem filium ſuum dubia utrinque argumentorum fide ad confeſſionem compuliſſe indicto matrimonio juvenis;* ipſam igitur naturam a tali conjugio abhorrere cenſuit. *Antoninus Caracalla*, qui novercam uxorem duxit, & *Nero*, qui matri ſtuprum intulit, non tantum infeliciſſime perierunt, ve-

2.) *Ex legibus gentium.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841186-p0297-7

verum etiam a populis odio habiti fuere, & *naturæ monstra* adpellati. Ovidius libr. X. metamorph. itidem ex jure naturæ prohibitionem deducit:

Ultra autem sperare aliquid potes impia virgo?
Nec quod confundas & jura & nomina sentis?
Tune eris & matris pellex & adultera patris?
Tune soror nati genitrixque vocabere fratris?
Nec metues atro crinitas angue sorores,
Quas facibus sævis oculos atque ora petentes
Noxia corda vident? at tu dum corpore non es
Passa nefas, animo ne concipe, neve parentis
Concubitu vetito naturæ pollue fœdus &c.

Lucanus lib. VIII.

. . . . *Cui fas implere parentem,*
Quid rear esse nefas?

Mater Dionysii, Siciliæ tyranni, cum filius illi stuprum inferre conatus esset, dixisse fertur, *tyrannum leges civiles mutare posse, non autem naturales.* Recte igitur Alexander ab Alexand. lib. I. genial. dier. c. XXIV. in princ. *Etsi* [inquit] *apud nonnullas Indorum gentes, Arabas, Persas, Maurosque ac Magos & Babylonios, filios matres ducere uxores, & cum parentibus stupro coire licuerit, tamen apud reliquas ubique gentes tam immane scelus lege & moribus sub gravi documento interdictum fuit, nefas existimantes, filios cum matribus ferarum ritu commisceri, quod dictu audituque foedum ac pudendum est.*

§. CCCIII. *b.*) De conjugiis *fratrum & sororum in primo lineæ collateralis gradu*, cum Abrahamus Gen. XX. 12. & Isaacus Gen. XXVI. 7. conjugium cum Sara & Rebecca inter gentiles, cum quibus vivebant, tegere vellent, vocarunt eas *sorores*; ex quo colligitur, homines illorum locorum & temporum ita horruisse conjugium cum propria sorore, ut audito nomine sororis statim crederent, eas non fuisse uxores. Herodianus lib. I. de imperat. scribit: *Ptolemæum, Ægypti regem, eo turpitudinis prolapsum, ut contra Macedonum & Græcorum leges etiam sororiis amoribus implicaretur.* Dicterium, quo Sotades ipsum punxit, superius recensuimus. Herodotus in Thal. memorat, quod *Cambyses, Persarum rex, cum sororem suam germanam uxorem ducere cuperet, nec usitatum hoc prius apud Persas esset, accersitos regios judices percontatus sit, num quæ lex esset, quæ cum sorore nuptias contrahere permitteret? illos vero metu tyranni respondisse, nullam se hujusmodi legem apud Persas invenire, sed aliam legem se reperisse, qua liceat regi facere, quidquid libet. Ita nec legem abrogarunt, metu tyranni, & ne legem tuentes ipsi perirent, alienam invenerunt.* Plato lib. VIII. de legibus dicit esse νόμον ἄγραφον *de connubiis cum liberis, cum fratribus, cum sororibus, & omnium judiciis tales conjunctiones improbari, a qua commixtione plures abhorreant.* Apud *Athenienses* inter germanos fratrem & sororem matrimonium esse non potuit; Moretus lib. XV. var. lect. c. XV. quin imo *omnes fere Græci nefandum putaverunt eodem parente genitos invicem incestis nuptiis detineri.* Alexander ab Alexand. lib. I. gen. dier. c. XXIV. Plutarchus in parall. c. LII. refert, quod Macareus, Æoli regis Thusciorum filius, amore sororis captus eam violaverit; patrem igitur re cognita misisse filiæ ensem, quo accepto necem sibi consciscret, quod etiam Macareus postea fecit. Idem in vita Cimonis refert, *crebro illi flagitium hoc fuisse objectum*, quod sororem in matrimonium duxerit. Suetonius in Cajo inter flagitia Caji imperatoris refert, *quod sororem Drusillam uxoris loco habere voluerit.* Valerius Maximus lib. I. memorab. cap. VIII. scribit, quod *Nausimenis civis Athenienses uxor, cum filii filiæque stupro interve-*

nisset,

veniſſet, inopinati monſtri perculſa conſpectu & in præſens tempus ad indignandum & in poſterum ad loquendum obmutuerit, illos vero nefarium concubitum voluntaria morte penſaſſe. Lucanus lib. VIII.

Degener inceſtæ ſceptris ceſſure ſororis.
Lib. X.

. . . . *Nupſit ſoror impia fratri;*

quo reſpiciens Auguſtinus lib. XV. de civ. Dei c. XVI. ſcribit: *Etiam inter impios deorum multorum falſorumque cultores ſic obſervari cernimus, ut etiamſi perverſis legibus permittantur fraterna conjugia, melior tamen conſuetudo ipſam malit exhorrere licentiam, & cum ſorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus licuerit, ſic averſetur, quaſi nunquam licere potuerit;* in quem locum Ludovicus Vives ſcribit: *Romani illum morem* [ducendi ſororem] *nunquam receperunt.* c.) De conjugio inter *patruos & avunculos in ſecundo collateralis lineæ gradu.* Claudius imperator, cum Agrippinam, Germanici fratris ſui filiam, uxorem ducere vellet, in eam rem ſenatusconſultum poſtulavit, quo in poſterum nuptiæ inter patruos fratrumque filias juſtæ ſtatuerentur, ſed Tacitus lib. XII. memorat, *non niſi unum repertum eſſe, qui talis matrimonii cupidus eſſet.* Suetonius in Claud. cap. XXVI. duos fuiſſe dicit, ac Nerva imperator abrogato illo ſenatusconſulto poſtea talia connubia prohibuit. Plutarchus in problemat. ſcribit, *olim neceſſarias fuiſſe ducere prohibitum, quoad lex eſt lata, licere vel patruum, vel avunculum fratris ſororisve filiam ducere propter virum quemdam bonum & acceptum popularibus tenui cenſu, qui fratris ſui filiam nubilem & dotatam ipſe ſibi in matrimonium acceperat, reusque ejus criminis factus pro concione abſolutus eſt, lege ibidem lata, & magno conſenſu adprobata.* Qui plura hujusmodi deſiderat, conſulat Tiraquelli leg. connub. 7.

3.) *Ex hiſtoriis brutorum.* §. CCCIV. 3.) *Ex brutorum hiſtoriis.* Juſtinianus nov. 12. inquit, *inceſtuoſos patrum cum filiabus & matrum cum filiis concubitus πολλὰ καὶ τῶν ἀλόγων ἀποστέγει ζώων, plurima etiam irrationalia animalia amovent ac deteſtantur.* Ariſtoteles lib. IX. hiſt. anim. cap. XLVII. & Ælianus lib. V. hiſt. anim. referunt, *camelos nunquam cum matribus conſuetudinem habere, & cum aliquando curator matri opertæ pullum admiſiſſet, eum operimento delapſo & matre cognita curatorem morſu infixo interemiſſe.* Plinius lib. VIII. hiſt. nat. c. XLII. Ariſtoteles d. l. Ælianus lib. IV. anim. referunt, *regi Scytharum equam fuiſſe egregiam, e qua mares generoſi omnes naſcerentur, ex iis unus, qui reliquis præſtantior habebatur, matri fuit admiſſus, ut ex ea procrearet, ſed id facere recuſavit. Poſtea matrem opertam imprudens ſupervenit, & poſtquam a congreſſu faciem matris debectam agnovit, prærupta petiit, & exanimatus eſt.* Joh. Lupus in tract. de matrim. narrat, *equum quemdam matrem adopertam compreſſiſſe, eademque cognita reclinato capite genitalia ſibi abrupiſſe.* Similia exempla vide apud Varronem lib. II. de re ruſtic. cap. XIV.

§. CCCV. VIII.) Ex *eccleſiæ doctorum teſtificatione.* Ambroſius lib VIII. epiſt. 66. tom. 3. col. 173. diſſuadens conjugium fratris cum ſororis filia, etiamſi frater diverſa matre editus erat, quam ſoror, cujus filiam ſibi jungere cogitabat, inter alia fundamenta urget legem divinam in Levitico propoſitam: *Quid eſt* [inquit] *quod dubitari queat, cum lex divina etiam patrueles fratres prohibeat convenire in conjugalem copulam, qui ſibi quarto ſociantur gradu? Hic autem gradus tertius eſt, qui etiam civili jure a conſortio conjugii exceptus videtur. Sed prius ſacræ legis ſcita interrogemus. Prætendis enim in tuis literis, quod permiſſum hoc divino jure connubium hujusmodi pignoribus exiſtimetur, eo quod non ſit prohibi-*

VIII.) *Ex patrum teſtificatione.*

hibitum. Ego autem & prohibitum asſero &c. Interdictum eſt enim naturæ jure, interdictum eſt lege, quæ eſt in cordibus ſingulorum. Interdictum eſt inviolabili præſcriptione pietatis, titulo neceſſitudinis. Quanta hujusmodi invenies non eſſe interdicta lege per Moſen edita, & tamen interdicta ſunt quadam voce naturæ? Chryſoſtomus hom. 49. in c. XIV. Matth. *Quænam erat illa priſca lex, quam Johannes inculcabat, & Herodes ulciſcebatur? Si quis absque liberis obierit, fratri ejus uxor ipſius detur &c. Cum liberi erant defuncti, nullo modo tale matrimonium procedebat. Sed curnam ita,* inquies, *nam ſi alii uxorem defuncti ducere licebat, nonne multo magis fratri? minime. Voluit enim latius adfinitates evagari, ut multis modis inter ſe homines vincirentur.* Auguſtinus in Lev. q. 64. tom. IV. col. 222. *Talia hic prohibita ſunt, quæ etiam tempore nov. teſt. remota umbrarum veterum obſervatione, ſine dubio cuſtodienda ſunt.* Idem lib. XV. de civ. Dei c. XVI. *Humano genere creſcente & multiplicato etiam inter impios deorum multorum falſorumque cultores ſic obſervari cernimus, ut etiamſi perverſis legibus permittantur fraterna conjugia, melior tamen conſuetudo ipſam malit exhorrere licentiam, & cum ſorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, ſic averſetur, quaſi nunquam licere potuerit.* Et poſtea: *Ineſt neſcio quomodo humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet cauſa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem tamen libidinem, de qua erubeſcere videmus & ipſam pudicitiam conjugalem;* in quem Ludovicus Vives ſic commentatur: *Fraterna conjugia apud Ægyptios & Athenienſes fuerunt recepta, Romani tamen eum morem nunquam receperunt.* Concilium Toletanum ſeſſ. II. cap. V. conjugia in prohibitis gradibus interdicens provocat ad leges in Levitico promulgatas: *Sancimus, ne quis fidelium propinquam ſanguinis ſui, uſquequo adfinitatis lineamenta generis ſucceſſione cognoſcit, in matrimonio ſibi deſideret copulari, quoniam ſcriptum eſt:* Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat; *nec ſine denunciatione fit ſententiæ, nam infert:* Anima, quæ fecerit de abominationibus iſtis quidpiam, peribit de medio populi ſui.

§. CCCVI. IX.) Ex *adverſariorum confeſſione.* Calixtus in epiſt. ad epiſc. Gall. & citatur c. *Conjunctiones* 35. q. 2. *Conjunctiones conſanguineorum fieri prohibentur. Quare? quia has divinæ ſeculique prohibent leges. Leges ergo divinæ hoc agentes, & eos qui ex eis prodeunt, non ſolum ejiciunt, ſed etiam maledictos* adpellant. [Confer cum hoc decreto verba Bellarmini de matrim. c. XXV. §. adde: *Quæ Chemnitio videntur divinæ prohibitiones, & in quibus aliquando papa diſpenſat, eas non eſſe divinas apud chriſtianos demonſtrabimus.*] Innocentius III. ad Bituricenſem archidiac. in c. *Literas* extr. de reſtit. ſpoliat. *In gradibus conſanguinitatis divina lege prohibitis diſpenſari non poteſt.* Carerius lib. II. de matrim. c. V. *Falluntur Palud. Floren. & Majo.* in 4. ſent. diſt. 40. *qui auſi ſunt adfirmare, pontificem in nullis gradibus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe diſpenſare.* Tempore Henrici VIII. Angliæ regis, *nonnullos doctores in variis univerſitatibus adfirmaſſe, quod gradus omnes, qui* Lev. XVIII. *recenſentur, jure naturæ ita abſolute ſint prohibiti, ut irritent matrimonium,* teſtis eſt Cornelius a Lapid. in comm. Lev. VIII. addit tamen, *eos Angelotis regis fuiſſe corruptos.*

IX.) *Ex adverſariorum confeſſione.*

§. CCCVII. Deſcendendum jam porro erit ad expendendam ſententiam & argumenta pontificiorum. Concilium Trid. ſeſſ. 24. can. 3. *Si quis dixerit,*

Antitheſis pontificiorum.

xerit, ecclesiam, [Rom. pontificem] *non posse in quibusdam gradibus consanguinitatis & adfinitatis, qui in Lev. exprimuntur, dispensare, anathema sit.* Bellarminus concilii sententiam expositurus lib. de matrim. c. XXVII. format hanc propositionem: *Non obligant jure divino christianos præcepta omnia, quæ de gradibus habentur in Levitico.* Eam antequam probet, tria circa quæstionis statum observari jubet: 1.) *Convenire inter utramque partem, præcepta Levitici non obligare christianos, quatenus proprie Levitica, id est, positiva & judicialia sunt, sed tantum, quatenus naturalia; totam ergo controversiam in eo esse positam, an omnia illa præcepta, quæ habentur in Levitico de gradibus cognationis, sint naturalia, an aliqua, vel omnia judicialia?* Nobis tribuit hanc sententiam, quod *omnia sint naturalia, & proinde per ecclesiam indispensabilia:* Romanensibus contrariam, *non esse omnia naturalia, & ideo in quibusdam posse per ecclesiam dispensari.* 2.) *Naturalia præcepta esse illa, quæ solo lumine naturali sine aliquo discursu, aut certe per discursum rationis facilimum cognoscuntur, & apud omnes sunt eadem, tum quoad notitiam, tum quoad rectitudinem.* Posse autem tribus modis aliquod præceptum prohibens dici naturale. Primo: *quia sit de re intrinsece mala, ita ut semper & apud omnes sit mala, nec possit per mutationem circumstantiarum fieri bona, qualia sunt mentiri, moechari, odisse Deum &c. hæc proprie vim legis habent, & sunt omnino indispensabilia.* Secundo: *quia sit de re mala semper & apud omnes, excepta extrema necessitate, quale est tollere alienum invito domino, id enim apud omnes & semper est malum, excepta ultima necessitate, tunc enim, quod erat alienum, desinit esse alienum, & fit commune. Et tale etiam esse videtur matrimonium cum propria sorore, nam ubique apud omnes homines, qui recta ratione utuntur, id judicatur malum, nisi extrema omnino cogente necessitate, qualis fuit initio mundi. Et hæc etiam præcepta vim habent legis naturalis, & sunt indispensabilia, nisi cesset obligatio extrema necessitate adveniente.* Tertio: *quia sit de re mala, si res illa nude & absolute sumatur, quæ tamen possit mutatis circumstantiis variis modis honestari ac fieri bona, quale est occidere hominem. Nam homicidium absolute & nude sumtum quid malum sonat apud omnes, & hoc modo habetur in decalogo:* Non occides; *tamen si addantur variæ circumstantiæ, ut quod fiat publica auctoritate in bonum commune, in eum, qui perniciosus est reipublicæ, jam non sonat malum, & ideo in eadem lege Mosis sæpe jubentur homines occidi, ut malefici, adulteri, homicidæ. Et tale etiam est juramentum, siquidem nude sumtum quid malum sonat, cum sit quoddam signum incredulitatis & fraudum humanarum. Si enim inter homines fides vigeret, & suspicio fraudum cesseret, nemo expeteret juramentum, & tamen dubium esse non potest, quin juramentum suis circumstantiis seu comitibus, ut vocant, ornatum sit bonum & licitum. Hoc tertio modo præcepta naturalia vim habent legis, si agatur de re nude sumta. Si autem agatur de re adhibitis variis circumstantiis, non habent vim legis, quia tunc res illæ mutabiles sunt, neque sunt apud omnes eædem, & ideo necesse est, ut sanciantur speciali lege positiva, si omnino prohibendæ sunt, ac præsertim si non solum matrimonium impedire, sed etiam dirimere debeant. Jam igitur cum in conclusione negamus, omnia præcepta Levitici de gradibus cognationis esse naturalia, intelligimus primo & secundo modo, nam tertio modo posset concedi, omnia esse naturalia,* ut concedunt plerique theologorum veterum, in lib. IV. dist. 40. ut *Bonaventura, Richardus, Paludanus & alii. Sed non inde sequitur, omnia illa præcepta vim le-*

gis habere, nisi agatur de gradibus nude sumtis. Proinde multi ex illis gradibus, si considerentur, ut variis circumstantiis mutari possunt, non erunt jure naturali prohibiti, neque dirimunt jure naturæ matrimonium. 3.) *In conclusione non dici, nulla præcepta Levitici esse naturalia, sed non omnia esse naturalia, quia de aliquibus id concediatur, ut de primo gradu consanguinitatis; sed de omnibus non concedi, unde concilium Trid. non dixit, ecclesiam posse dispensare in omnibus, sed tantum in aliquibus.* Hæc Bellarminus, qui c. XXVII. expositurus, *quinam gradus jure naturæ sint prohibiti?* format hanc propositionem: *Jure naturæ interdicta sunt conjugia in primo gradu consanguinitatis, tam in recta linea, quam in transversa, & in primo gradu adfinitatis in linea recta tantum.* Cornelius a Lapide in comm. Levit. XVIII. *Nonnulli doctores adfirmarunt, gradus omnes, qui in Leviticо recensentur, jure naturæ ita esse absolute prohibitos, ut irritent matrimonium, nec pontifex in iis dispensare possit. Verum contrarium est de fide, ut probatur ex definitione concilii Tridentini, & ex praxi ecclesiæ, quæ sæpe in gradibus hic prohibitis dispensavit, & dispensat.* Et postea: *Lex naturæ huc inclinat, ut talia matrimonia irritentur per legem positivam, in quam proinde cadit dispensatio, quando aliunde majus bonum commune id exposcit, & facile rependit tegitque indecentiam, & quidquid naturali pudori alias videtur in hac conjunctione adversum.*

De statu quæstionis.

§. CCCVIII. Circa hunc quæstionis statum monemus 1.) Non esse quæstionem de *dispensatione divina*, an in omnibus, vel quibusdam gradibus Lev. XVIII. prohibitis ea locum habere possit? sed de *dispensatione pontificia*, an pontifici competat potestas dispensandi in prohibitis illis gradibus, vel omnibus, vel aliquibus? quod negamus. 2.) Pontificios non convenire in enumeratione graduum jure naturæ prohibitorum. *Communis doctorum sententia est*, scribit Cornelius a Lapide d. l. *solos gradus consanguinitatis lineæ rectæ inter adscendentes & descendentes, & ut summum primum gradum in linea transversa, qui est fratris cum sorore, jure naturæ irritum facere matrimonium. Sed hoc posterius negat Cajetanus.* Eodem fere modo Bellarminus cap. XXVIII. sex species matrimoniorum jure naturali prohibitas recenset, ut 1.) *filii cum matre*, 2.) *patris cum filia*, 3.) *fratris cum sorore germana*, 4.) *fratris cum sorore ex altero tantum parente*, 5.) *privigni cum noverca*, 6.) *vitrici cum privigna*; sed addit: *De his quatuor gradibus posterioribus non desunt, qui negent, eos jure naturæ prohibitos, in quibus est Cajetanus*, 22. qu. 154. art. 9. *tamen sententia communior & verior habet contrarium.* Item, *communis sententia est*, inquit Bellarminus c. XXVIII. §. Est autem. *inter adscendentes & descendentes omnia conjugia esse prohibita*, sed idem Bellarminus c. XXIV. §. *ex quo*, diserte addit, *id a multis* [inter pontificios] *negari.* 3.) Bellarminum nude ac generaliter adserere, quod *conjugia in gradibus jure naturali prohibitis contracta ob varias circumstantias honestari possint*, sed quas & quales circumstantias intelligat, non explicare. Praxis testatur, in pontificis arbitrio illud omne esse positum, nec tam ad honestatem, quam ad utilitatem in pontificiis dispensationibus respici, cum non contingant, nisi interventu summæ pecuniariæ. Sic enim habent verba taxæ pœnitentiariæ: *Dispensatio de contrahendo in gradu spirituali gr. 60. expedivi tamen unam pro gr. 50. sed de gratia. Idem est judicium in secundo gradu, & componitur cum datario in maxima summa aliquando 300. & etiam 500. & alias juxta qualitatem personarum. Et nota diligenter, quod hujusmodi gratiæ & dispensationes non conceduntur pauperibus, quia non sunt solvendo, ideo non possunt*

possunt consolari. In 3. & 4. gradibus conceduntur poenitentiario, quia contrahentes se adtinent. In 2. & 3. componitur pro tertio ad ducat. 25. Si nobiles, ad ducat. 60. & fit declaratoria super secundo & non componitur. Vide causas recusati concilii Tridentini p. 53. & p. 284. 4.) Pontificem dispensare non solum in gradibus *tertio modo* jure naturali prohibitis, sed etiam in gradibus *secundo modo* naturali jure prohibitis. Martinus V. germanam sororem ducendi potestatem alicui per dispensationem concessit. Bellarminus quidem illud negat, sic enim scribit de matrimonio cap. XXV. sub finem: *Martinus V. pontifex omnium consensu sapientissimus & optimus, non permisit conjugium cum sorore germana, ut Beza mentitur, sed cum sorore ejus, quam antea cognoverat per fornicationem;* sed opponimus Bellarmino clarissima verba Angeli de Clavisio in summa, in verbo *Papa* f. 220. *Archiepiscopus Florentinus dicit, se audivisse a fide dignis, quod papa Martinus quintus, habita consultatione cum multis doctissimis viris in sacra theologia & jure canonico, dispensavit cum quodam, qui acceperat germanam suam sororem in uxorem propter multa mala & scandala, quæ evenissent, si eam dimisisset, & quæ evitari non poterant, nisi sic dispensaretur. Et idem ego dico de similibus &c.* Idem refert Nicolaus Boerius in consil. XX. Utrum Papa, num. 26. De comite quodam Armeniaco refert Paulus Æmilius in Ludovico XI. *eum falso pontificis diplomate sororem germanam sibi matrimonio conjunxisse.* Sed si fuit illud diploma falsum, cur excommunicationis pœnæ non fuit subjectus, cur conjugium illud non fuit irritum pronunciatum? 5.) Conjugium in gradibus divino jure prohibitis contractum minus recte conferri cum juramento. Juramentum enim non pugnat cum jure naturæ, quia lege divina non prohibetur. Matth. V. 34. [quem locum Bellarminus adducit] juramentum non prohibetur absolute & simpliciter, sed tantum *temerarium*, qua de re plenius diximus in tract. de lege morali §. CXVII. 6.) Non valere collationem inter homicidium, quod magistratus maleficis infligit, & inter dispensationem pontificiam in prohibitis gradibus, quia illud fit auctoritate divina. Deus enim in sua lege magistratui *gladium* tradidit, quem *non frustra gerit*, Rom. XIII. 4. sed pontifici Romano nuspiam in tota scriptura potestas dispensandi contra divinas prohibitiones inventur concessa. Adde, quod istam maleficorum pœnam extrema necessitas pacis ac tranquillitatis publicæ requirat; talem vero necessitatem in matrimoniis personarum, quæ gradibus divina lege expressis invicem conjunctæ sunt, occurrere nondum demonstratum fuit. 7.) Denique concedimus, non esse parem prohibitionis in omnibus hisce legibus, quæ ad jus naturæ referuntur, rationem: dupliciter enim lex naturæ consideratur, docente Hemmingio de conjug. p. 101. alias lex naturæ sic dicitur ἁπλῶς seu ὅλως, *simpliciter & ex omni parte*, ut Deus est colendus &c. hæc lex naturæ est plane immutabilis. Alias dicitur lex naturæ κατὰ τὶ, seu τινὸς ἕνεκα, cum *natura finem intuetur, quæ est humanæ societatis incolumitas & conservatio.* Hæc lex naturæ, etsi quoad *finem* mutabilis non est, tamen si *modum*, quo ad finem pervenitur, respicis, est mutabilis. Ad priorem pertinet prohibitio conjugii inter parentes & liberos. Ad posteriorem pertinet prohibitio conjugii inter fratres & sorores, illud enim in primo generis humani ortu concedebatur, hodie vero est illicitum, finis tamen utrobique manet idem, incolumitas scilicet & multiplicatio generis humani.

Argumenta Bellarmini.

§. CCCIX. Sed videamus argumenta, quibus Bellarminus c. XXVII. demonstrare nititur, *non obligare jure divino Christianos præcepta omnia, quæ de gradibus habentur*

1.) *Ex pœnarum diversitate.*

bentur in Levitico. Primum petit *ex pœnarum diversitate* Lev. XX. proposita. *Conjugium in primo gradu adfinitatis in linea recta Deus punit morte, & conjungit hoc peccatum cum adulterio & cum sodomia, quæ sunt manifeste contra jus naturæ, & eadem est ratio, vel potius major, de consanguinitate in primo gradu in linea recta. Neque enim dubitari potest, quin sit dignus morte, qui duxerit matrem suam, si est dignus morte, qui duxerit novercam suam. Deinde eamdem pœnam mortis lex statuit in eos, qui junguntur primo gradu consanguinitatis in linea transversa, ut cum frater accipit sororem. At conjugium in secundo gradu consanguinitatis in linea transversa, ut nepotis cum amita, vel matertera, non punitur morte, sed pœna leviore. Et similiter conjugium in primo gradu adfinitatis, ut cum uxore fratris defuncti, & in secundo gradu, ut nepotis cum uxore patrui, non puniuntur morte, sed tantum privatione filiorum, id est, ut filii eis non adscribantur. Quæ pœna satis aperte indicat, conjugia illa non prohiberi jure naturæ, sed jure positivo proprio Iudæorum, non enim communis ratio apud omnes homines dictat, istam esse justam pœnam hujus criminis.* Resp. 1.) Diversitas pœnarum arguit diversos peccatorum gradus, non autem diversam juris speciem. *Parricidæ* gravior infligitur pœna, quam illi, qui hominem peregrinum interficit; uterque tamen contra quintum decalogi præceptum, & sic contra jus naturæ peccat. *Adulterium* non punitur eodem modo apud omnes populos, nec tamen inferri debet, quod non pugnet cum jure naturæ. In lege Mosaica adulterium puniebatur capitis supplicio, furti pœna non erat capitalis, at num propterea dicendum fuerit, furtum non esse jure naturæ prohibitum? 2.) Bellarminus ipse in resp. ad quartum argumentum pro nostra sententia adductum disputat, *ex pœnarum qualitate non posse colligi, quæ præcepta sint naturalia, cum judicialibus ac cerimonialibus similes pœnæ addantur.* Cur igitur h. l. ex pœnarum diversitate evincere conatur leges illas esse forenses? 3.) Levit. XVIII. 24. de omnibus prohibitis gradibus in genere pronunciatur: *Ne polluamini in omnibus his, in quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum.* At si talibus conjugiis gentes sunt contaminatæ, utique eorum prohibitio non pertinebit duntaxat ad populum Judaicum. Lev. XX. 23. additur: *Omnia hæc fecerunt gentes, & abominatus sum eas.* 4.) Verba illa: *morientur sine liberis*, diversimode ab interpretibus explicantur, ut monuimus superius; Bellarmini interpretatio omnium mollissima: *liberi eorum non adscribentur ipsis*; vix conciliari poterit cum verbis expresse additis: *portabunt peccatum suum.* 5.) Ex eo, quod *species* pœnæ luce naturæ non est nota, haudquaquam inferri potest, peccatum ipsum non pugnare cum jure naturæ, tum quia notitia juris naturalis in multorum gentilium cordibus opprimitur; ipso interim jure naturali manente salvo atque integro, tum quia genus duntaxat pœnæ, non autem species ex jure naturæ dependet.

2.) *Ex contrariorum exemplorum varietate.*

§. CCCX. II.) Ex contrariorum exemplorum varietate. *Si omnia illa præcepta essent naturalia, semper obligassent etiam ante legem datam, quemadmodum obligabat lex de non occidendo, non mœchando, non furando &c. antequam lex a Deo per Mosen populo suo daretur. Si autem leges illæ semper obligassent, nunquam sancti viri & amici Dei contra eas leges matrimonia contraxissent. Habemus autem exempla non pauca sanctorum, qui in lege naturæ in gradibus in Levitico prohibitis connubia junxerunt.* Resp. 1.) Non exemplis, sed legibus judicandum. 2.) Nec leges ex praxi exemplorum explicandæ, sed exempla

ad

ad normam & regulam legum conformanda. 3.) Deus ipse eo fine legem de prohibitis gradibus solemni repetitione stabilire voluit, quia lex naturæ per peccatum erat quodammodo in cordibus hominum obscurata. Exempla igitur illa legis naturalis obscurationem arguunt, non autem ipsi legi quidquam præjudicant. 4.) Christus ipse verbis & factis docuit, disputationes matrimoniales ad primam institutionem tanquam ad normam esse reducendas Matth. XIX. 8. 5.) Polygamia etiam patribus fuit usitata, quam tamen cum primæva conjugii institutione & cum lege naturæ pugnare multi statuunt, qua de re superius. 6.) Patres ex *vitio temporum*, in quibus vixerunt, & ex *consuetudine* gentilium, cum quibus conversati sunt, quosdam nævos contraxerunt, qui non sunt ad imitationem trahendi, inde apostolus Act. XIII. 18. de *indulgentia*, *tolerantia & conniventia Dei* erga mores Judæorum utitur verbo ἐτροποφόρησε. 7.) Bellarminus in sequenti capite adducit quædam exempla matrimoniorum *in gradibus jure naturali prohibitis* contractorum, & ad ea respondere conatur; ergo agnoscat, etiam illis exemplis, quæ pro sua opinione adducit, responsionem commodam adhiberi posse.

§. CCCXI. Videamus autem in specie exempla a Bellarmino adlata. I.) *Iacobus duas sorores viventes simul accepit uxores, Rachelem & Leam*, Gen. XXIX. *id autem expresse prohibetur*, Lev. XVIII. *& est primus gradus adfinitatis in linea transversa, imo duplex erat in eo conjugio adfinitas, nam utrique soror erat adfinis ratione alterius.* Resp. 1.) Quidam ex ipsis pontificiis agnoscunt, non posse in hoc gradu dispensationem hodie fieri, debuisset igitur illud exemplum omitti. 2.) *Natura ipsa* a conjugio duarum sororum adhuc viventium abhorret, ut superius ostendimus, quomodo ergo dici potest, prohibitionem talis conjugii non esse juris naturalis? 3.) In Jacobi exemplo multa concurrunt specialia. Rachel erat Jacobo legitime desponsata, copulata, in domum deducta &c. ac proinde coram Deo erat ipsius conjux, Laban veterator pro Rachele diu expetita & sperata supponebat Leam, nocturnarum tenebrarum eam ad rem tegumento usus, quam etiam pro Rachele Jacobus cognovit. Cum ergo nec Rachelem adamatam sibique desponsatam obtinere solam, nec Leam per ignorantiam a se cognitam honeste dimittere posset, inde utramque in thoro conjugali retinuit, & utrique accedente divina benedictione, quam cum promissione Gen. XXVIII. 14. XXIX. 31. congruere arbitrabatur, absque conscientiæ vulnere cohabitavit. Augustinus lib. XVI. de civ. Dei c. XXVIII. *Unde illi* [Jacobo] *acciderit quatuor habere fœminas, de quibus 12. filios & unam filiam procreavit, cum earum nullam concupiscere illicite, divina indicat scriptura. Ad unam quippe accipiendam venerat, sed cum illi altera pro altera suppositа fuisset, nec ipsam dimisit, qua nesciens usus fuerat in nocte, ne ludibrio eam videretur habuisse, & eo tempore, quo multiplicandæ posteritatis causa plures uxores lex nulla prohibebat, accepit etiam illam, cui uni jam futuri conjugii fidem fecerat.* 4.) Quod si quis error in Jacobo patriarcha sancto hic concurrit, is fide in promissum Messiam ipsi condonatus fuit. Laban vero hac in parte multis modis gravissime peccat, quod polygamiæ filias suas implicat, quod duas filias in unum maritalem thorum collocat, quod perpetuis fere simultatibus efficacem occasionem præbet. Lutherus in comment. Genes. XXIX. f. 409. ad quæstionem, *an Iacobi misericordia non damnetur lege Mosis*, qui dicit, non esse ducendas duas sorores, respondet hoc modo: *Alia sunt exempla heroica, alia moralia: leges & mores simpliciter sunt servandi, nec ferenda est ulla transgressio, ne fiat confusio. Heroica exempla sunt, quæ non*

I.) *Iacobi duas sorores ducentis.*

congruunt cum legibus. Sæpe enim vir heroicus, quem Deus singulari numine adflavit, perrumpit & frangit regulam, sed non relinquit post se exemplum. Moralia, leges & jura sunt servanda & exempla sequenda, sed in heroicis nulla est consequentia, nullum exemplum valet, nisi sit per omnia simile. Si fueris similis Iacob, si talis casus, talis occasio & necessitas inciderit, tum & tibi licebit, quod Iacobo licuit. Si non fueris per omnia similis Iacob, standum tibi erit in lege & moribus communibus. Non est perrumpendum temere, nec faciendum exemplum & consequentia propter casum aliquem heroicum. 5.) Regerit Bellarminus, ex Gen. XXVIII. satis adparere, *fuisse consuetudinem loci, ut duæ sorores uni viro conjungi possent. Nam Laban, cum decepisset Iacobum obtrudendo ei unam sororem pro alia; obtulit ei etiam alteram, ille vero nihil omnino dubitans continuo adquievit, neque parentes eum postea reprehenderunt, neque ipse factum purgavit.* Resp. Laban quidem titulo consuetudinis pessimum suum factum excusat, sed præterquam quod consuetudo sæpius vitiosa sit, & legi naturæ repugnans, etiam ex reliqua Labanis oratione colligi potest, vanissimum fuisse hoc ipsius commentum. Dicit enim: *exple hebdomadem hujus, postea dabimus tibi hanc pro servitute, quam servies mihi adhuc septem annos.* At si consuetudinis fuit habita ratio, cur adhuc opus erat septennali servitio? Si talis fuit loci consuetudo, cur illam toto septennio Laban occultavit, nec futuro genero exposuit? Quare Jacobus adquieverit, ex illis, quæ jam ante dicta sunt, constare potest. 6.) Urget etiam hoc Bellarminus: *Si omnia præcepta Levitici essent juris naturæ, & matrimonia contra illa contracta fuissent irrita, Iacobus perpetuo in peccato mansisset, & ejus filii illegitimi fuissent.* Resp. Jacobum excusat error invincibilis & animus æquus, idem ergo judicium esse debet de hoc facto Jacobi, quod est de patriarcharum polygamia, de qua superius dictum fuit. Quod si Bellarminus ex Jacobi exemplo evincere conatur, conjugium cum duabus sororibus non pugnare simpliciter cum jure naturæ, concedere cogetur, ponтificem etiam in polygamia cum duabus sororibus Jacobi exemplo comprobata dispensare posse.

CCCXII. II.) *Iudas patriarcha dedit filio suo secundo genito uxorem defuncti primogeniti* Gen XXXVIII. *qui tamen gradus in Levitico prohibetur.* Resp. egit Judas secundum legem Deut. XXV. 5. quæ jubet fratrem suscitare semen fratri absque liberis demortuo, quæ lex est plane specialis, & ad solos Judæos pertinet, ut paulo post pluribus dicetur. Nec est, *quod legem illam nondum fuisse scriptam* dicas, quia multa lege Mosis sancita etiam ante legem scriptam in usu fuerunt. III.) *Amram accepit uxorem Iochabed* דודתו *amitam suam, ex quo conjugio Moses natus est,* Exod. VI. v. 20. *jam vero amitam fratris filius ducere prohibetur,* Lev. XVIII. 12. *Resp.* 1.) Scripturæ phrasi etiam neptes dicuntur filiæ, ut exemplis aliquot demonstravimus superius §. CCXLVI. quinimo posteriores etiam filiarum adpellatione veniunt. Sic Elisabeth dicitur fuisse *de filiabus Aaron.* Luc. I. 5. 2.) דוד & fœmininum דודתו in specie quidem *patruum*, sive *patris fratrem*, & *amitam*, sive *patris sororem* significant, sed in genere significant quosvis cognatos in gradu etiam ulteriore. Sic Messiam Esaias adpellat דוד *patruelem*, *patruum suum*, Esaj V, 1. Fuit enim Esaias filius Amoz prophetæ, hic fuit frater regis Amaziæ, ex cujus regia stirpe fuit Christus, quem ob id patruelem suum adpellat, quinimo in genere דוד significat *amicum*, *dilectum.* Cant. II. 7. V. 1. VI. 3. 3.) Quamvis

II.) *Filii Iudae cum fratria.*

III.) *Amrami & Iochabed.*

vis igitur Jochabed dicatur *filia Levi* Exod. II. 1. Num. XXVI. 59. ex quo consequi videtur, eamdem fuisse Cahatis, qui itidem fuit filius Levi, germanam sororem, ut sic Amramus amitam suam uxorem duxerit; tamen cum hic gradus expressis verbis prohibitus, Lev. XVIII. 12. ideo commode respondetur, Jochabed vocari דּוֹדָה non quod fuerit *amita*, sive *patris soror*, ut Targum reddidit, sed quod fuerit *patruelis*, sive *amitæ filia* ex patris sorore nata, ut LXX. Interpretes & vulgata versio reddiderunt, sicque Levi non filia, sed neptis, qui gradus cognationis in linea collaterali æquali secundus divino jure non est prohibitus. 4.) Sic Cananeel vocatur דּוֹד *patruus* Jeremiæ, Jer. XXXII. 12. cum tamen fuerit *filius patrui*, hoc est patruelis, ut adparet ex v. 8 & 9. Loth adpellatur *frater Abrahæ* Gen. XIII. 8. cum tamen non fuerit frater, sed fratris, Haranis scilicet, filius, Gen. XI. 31. 5.) Bellarminus non potest hanc explicationem repudiare, ne incurrat anathema concilii Tridentini, quod vulgatam versionem pronunciavit authenticam. Sic vero reddidit Latinus interpres: *Accepit Amram uxorem Iochabed, patruelem suam*, qua in parte secutus est LXX. Græcos, qui דּוֹדָה verterunt θυγατέρα ἀδελφῆ τοῦ πατρὸς. 6.) Regerit quidem Bellarminus, *nomen patruelis in vulgata versione accipi pro patrua, non pro sorore patruele, ac Hieronymum, ne diceret patruam, quod Latine est inusitatum, maluisse dicere patruelem.* At potuisset dicere amitam, si patris sororem hic voluisset intellectam. Nec adferri poterit commodum ex probatis scriptoribus exemplum, in quo patruelis nomen pro patrua accipiatur. 7.) Qui concedunt, דּוֹדָה proprie & stricte hic accipi pro amita, illi repetunt generale responsum, quod *vitiosa exempla non sint rectæ legum normæ opponenda*, quodque patrum facta non sint in omnibus defendenda. Nec tamen ex eo statim sequitur, filios ex tali conjugio illegitimo natos fuisse spurios & illegitimos, quamvis enim ejusmodi conjugium, secundum strictum juris divini rigorem, non fuerit legitimum, tamen moribus publice receptis & consuetudine eorum, inter quos vivebant, legitimum fuit, ac quidquid illegitimi coram Dei judicio in eo fuit, id ex ignorantia & errore communi peccantibus fide in Messiam condonatum fuit, perinde ut de polygamia superius fuit dictum.

IV.) Filiorum Adæ cum sororibus.

§. CCCXIII. Atque hæc sunt exempla, e quibus Bellarminus demonstrare conatur, quod sancti patriarchæ in gradibus quibusdam jure divino in Levitico prohibitis matrimonia junxerint. Quia vero etiam alia exempla occurrunt, quæ videntur pugnare cum ea prohibitione graduum, quam ipso naturæ jure niti pontificii concedunt, (unde ipsimet commodam responsionem illis adhibere parant, ut ex seq. c. Bellarmini constat) ideo antequam ad reliqua Bellarmini argumenta accessum faciamus, de illis etiam exemplis quædam monebimus. Quidam proferunt exemplum *Adæ & Evæ;* sed inter eos non fuit cognatio naturalis, quia Eva ab Adamo non fuit naturaliter propagata, proinde nec ipsius consanguinea. Sit ergo exemplum quartum *filiorum Adæ, qui cum sororibus suis matrimonia conjunxerunt.* Resp. 1) Ex Augustino lib. XV. de civ. Dei cap. XVI. in princ. *Cum genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere & conjugis ejus ex viri latere, marium fœminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur, nec essent ulli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas conjuges acceperunt, quod profecto, quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente.* 2) Quia vero nulla necessitas, id quod per se malum est, bonum & licitum reddere potest, ideo quærenda est

in hoc exemplo summi illius nomothetæ, qui ut naturæ, ita quoque naturalis legis auctor est & dominus αὐτοκράτωρ, dispensatio. Acceperant Adæ filii non minus ac ipse parens mandatum de propagatione & multiplicatione generis, Gen. I. 28. cum ergo in toto terrarum orbe non exstarent fœmellæ aliæ, quam sorores, ex eo facile intellexerunt, Deum eo ipso concedere, ut sororibus copularentur, quod postmodum extra necessitatis casum & extra divinam dispensationem illicitum esse, declaratum fuit. 3.) Eadem divina dispensatio ex consequenti hoc modo colligi potest: *Sethus pius Adæ filius nunquam contra conscientiam & naturæ dictamen sororem suam duxisset, nisi Deum indulgere velle novisset, quidquid sit de impio Caino. Sed & revelationes divinæ tunc fuere crebriores.* 4.) Andreas Osiander expendit emphasin vocis חסד in lege divina Lev. XX. 17. *Vir, qui sororem suam duxerit, operatus est* חסד *quod vulgo exponitur scelus, opprobrium, rem nefariam.* Quia vero חסד proprie significat *misericordiam & gratiam*, quando aliquid ex singulari gratia alicui conceditur, ideo Mosen hac vocula usum esse monet, ut ostenderet, Adæ filios non secundum rigorem juris naturæ, sed ex dispensatione divina sororibus copulatos fuisse, quam divinam dispensationem si quis non habeat, & tamen factum illud imitari cupiat, occidatur, cum operetur rem sceleſtam & nefariam. 5.) Bellarminus hic concedit aliquam dispensationem divinam, vel per *internam inspirationem*, vel per *Adami vocem. Fieri potest*, (inquit) *ut Deus cum filiis Adæ dispensaverit, ut sororibus jungerentur. Non enim requirebatur externa aliqua dispensatio per vocem, aut scripturam, sed satis erat interna inspiratio, forte etiam Deus per Adamum significavit ac declaravit ejus filiis voluntatem suam. Neque absurdum est, quod ab ipso mundi initio in ea lege Deus dispensaverit, quandoquidem voluit rerum auctor omnes homines ab uno procedere, neque bonum judicavit, plures simul masculos pluresque fœminas procreare.* Act. XVII. 26. At hac ratione una litura delet omnia, quæ contra nostram sententiam ex quibusdam exemplis hactenus disputavit. Si enim divina dispensatio in conjugio fratris cum sorore germana semel facta non impedit, quo minus jure naturæ ejusmodi conjugium censeatur prohibitum, utique etiam in reliquis exemplis divina dispensatio non efficiet, quo minus graduum illorum sit prohibitio juris naturalis.

§. CCCXIV. V.) *Abraham patriarcha de conjuge sua Sara dicit* Gen. XX. 12. *Vere soror mea est, filia patris mei, non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.* Resp. occurrit hic magna varietas sententiarum. 1.) Quidam statuunt, Saram fuisse sororem Abrahæ *agnatam*, id est, ex eodem patre, sed non ex eadem matre, ἀδελφὴν ὁμοπάτριον. Cajetanus in comm. Gen. XX. Beza in l. de repud. & quidam alii ex pontificiis & calvinianis. Illi recurrunt ad dispensationem divinam, quam ex eo colligunt, quod Abraham non minus, quam filius Isaacus & nepos Jacobus, non ex filiabus Canaan, sed ex cognatione sua uxorem ducere debuerit, Gen. XXIV. 3. XXVIII. ex qua speciali dispensatione generalem regulam de non ducenda sorore nequaquam everti, nec juris naturalis prohibitionem labefactari respondent. 2.) Hieronymus in qq. Heb. ad c. XI. Gen. Augustinus lib. XVI. de civ. Dei c. 12. & 19. lib. XXII. contra Faust. c. 31. Josephus lib. antiq. c. 14. Lyra in comm. Chytræus ibid. statuunt, Saram dici sororem, quia *consanguinea ejus erat neptis*, videlicet *ex fratre*, quam sententiam Bellarminus de matr. c. 28. quinque probat argumentis. Primo *auctoritate doctissimorum scriptorum*, quos recensuimus. Secundo ex Gen. XI. 27. *Thare genuit Abraham, Nachor & Aran,* v. 29.

V.) Abrahami & Sarai.

v. 29. *duxerunt autem Abram & Nachor uxores, nomen uxoris Abram Sarai & nomen Nachor Melcha, filia Aran patris Melchæ & patris Ieschæ; ubi per Iescham non potest intelligi, nisi Sarai, quæ teste Iosepho & Hieronymo erat binominis. Neque enim ullo modo credibile est, scripturam prodere voluisse patrem Melchæ & non patrem Sarai personæ longe dignioris, & deinde quorsum mentio fieret Ieschæ, si diversa esset a Sarai.* Tertio in eodem cap. v. 31. dicitur: *Tulit itaque Thare Abram filium suum & Loth filium Aran filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui. Quare non dixit: Et Sarai filiam suam, sed solum nurum suam? Certe filia conjunctior est patri, quam nurus. Sed quia non erat proprie filia, noluit eam miscere cum iis, qui proprie erant filii.* Quarto: *si Abraham & Nachor accepissent germanas sorores, id fecissent, quia eo tempore per mores illarum gentium licuisset. At si tunc & per legem naturæ & per mores gentis licuisset tale conjugium inire, nihil profuisset Abrahæ dicere*: Soror mea est; *id enim dixit ad tegendum conjugium* Gen. XII. & XX. *Oportet igitur fateri, homines illorum locorum ita horruisse conjugium cum propria sorore, ut audito nomine sororis statim crederent, eam non fuisse uxorem.* Denique *quis credat Abrahamum sine ulla necessitate duxisse propriam sororem, cum propter hoc crimen Deus jusserit*, Lev. XX. *utrumque conjugem simul necari?* 3.) Sed cum in Levitico non solum conjugium fratris & sororis, sed etiam cum fratris filia prohibeatur, v. 19. ideo verisimile non est, Abrahamum voluisse contra expressam illam prohibitionem suam ex fratre neptim in uxorem ducere. Quæ Bellarminus pro adstruenda illa sententia adfert, firmiter quidem probant ἀναστευαστικῶς, Saram non fuisse Abrahæ sororem, sed κατασκευαστικῶς non probant, Saram fuisse fratris filiam; ἐνδοξότερον est a Mose recenseri *duos Haranos*, unum patrem Lothi, alterum patrem Melchæ & Jeschæ, & de posteriore discriminis causa dici, quod fuerit pater Melchæ & Jeschæ, ex quo etiam illud explicari potest, quod *Nachor fratris Harani filiam* matrimonio sibi copulasse videtur. 4.) Alii respondent, quod vocabulum *sororis* aliter intellexerit, Abimelech scilicet de naturali sorore, & inde argumentatus fuerit: soror est, ergo uxor non est: in alio vero sensu Abraham vocarit Saram sororem, & cum dicit: *Est filia patris, non matris meæ*, intelligit, quod Sara non generatione, sed alio respectu fuerit filia Tharæ. Cumque filiæ & sorores dicantur vel *generatione* & consanguinitate, vel *adfinitate*, ut privignæ, vel etiam *adoptione*, ideo ne hoc exemplo convellatur regula divinitus de cognationis gradibus tradita, dicunt, Abrahamum duxisse sororem patris privignam. 5.) B. Luth. in Gen. XX. *Cum paulo durius sit, Saram fuisse binominem fingere, proximum est, ut statuamus fuisse privignam Haran, qui siquidem mortuus est ante patrem Thare, Sara in domum Thare translata atque ibi educata, atque inde vocata Thare filia, ut neque naturalis, neque legitima Haranis filia fuerit, sed cum matre vidua adscita.* Quam sententiam si sequamur, præcisa jam est disputatio, an potuerit Abraham fratris filiam ducere? nam fratris privignam ducere, lege non est prohibitum; quo referri potest, quod Chrysostomus in comm. h. l. monet, *omnes in Tharæ familia ipsum Thare vocare patrem, ac si omnes inter se fratres & sorores fuissent, maxime cum mortuo Haran, Saræ ac Lothi patre, habuerint Tharen non avi solum, sed etiam patris loco.* 6.) Quidam respondent, Abrahamum duxisse sororem suam in uxorem, cum in gentilismo adhuc constitutus diis alienis serviret Jos. XXIV. 2. quam postea ad verum Deum conversus non

potuerit dimittere. Sed cum hoc incertum sit, cumque ipsi gentiles a matrimonio inter fratres & sorores abhorruerint, ut superius demonstratum fuit, denique cum Abrahamus hac ratione peccasset, non solum contrahendo, sed etiam in tali conjugio permanendo, ideo vel Haranis, vel Thare privignam Saram fuisse verisimilius. Bellarminus regerit, *vocari sororem Abrahæ, ergo non fuisse Tharæ privignam.* Resp. ut adfinitas est simulachrum consanguinitatis, ita quoque simulachrum fraternæ & sororiæ propinquitatis est inter duorum conjugum liberos ex diversis matrimoniis susceptos. Si quis urgeat vocem אֲחֹתִי *vere soror mea. Ergo ratione consanguinitatis, non autem adfinitatis fuit soror;* Resp. eandem urgeri posse contra Bellarmini opinionem, qui statuit, quod fuerit ex fratre neptis. Quod si omnino cupimus literæ insistere, recurrendum fuerit ad divinam dispensationem ex post facto secutam, sicut de Jacobi patriarchæ cum duabus sororibus conjugio dictum fuit. Sic Davidis cum Bethsabæa conjugium non fuit legitime contractum, interim tamen post actam a Davide veram pœnitentiam divinitus fuit adprobatum, & ex eo natus Salomon, per quem Christi genealogiam Matthæus I. 7. deducit, quod opponendum Bellarmino, qui de conjugio Abrahæ & Saræ disputans, tandem sic concludit: *Quis credat ex illegitimo & incesto conjugio voluisse Deum excitare heredem Abrahæ, ex quo Messias nasciturus erat, &c.* at num excidit ipsi Judæ incestus cum nura sua Thamar? Gen. XXXVIII. 16. Matth. I. 3. Hieronymus in comm. c. 1. Matt. *Notandum in genealogia salvatoris eas adjumi mulieres, quas scriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat de peccatoribus nascens omnium peccata deleret.*

VI.) *Othonielis cum filia fratris.*

§. CCCXV. VI.) *Othoniel fratris filiam in uxorem duxit.* Jos. XV. 16. *Dixit Caleb: Qui percusserit Cariathsepher & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.* v. 17. *Cepitque eam Othoniel filius Cenez, frater Caleb junior, deditque ei Axam filiam suam uxorem*, quod repetitur totidem verbis Jud. I. 12. & 13. Resp. 1.) Pontificii non possunt hoc exemplum nobis obvertere, quia post legem de prohibitis gradibus divinitus promulgatam contigit, ac proinde peccassent Othoniel & Calebi filia contra divinam prohibitionem in hoc gradu matrimonium contrahendo Lev. XVIII. 12. sive lex illa fuisset moralis, sive judicialis, sive cerimonialis. 2.) Quidam nomen *fratris* hic accipiunt generaliter pro quolibet cognato sive consanguineo propinquiore, juxta sacræ linguæ morem. Sic Matth. XIII. 55. consobrini dicuntur fratres. Sed adcurata genealogiæ descriptio ibidem addita id vix permittit. 3.) Rabbini quidam existimant, esse hoc tale exemplum, quale fuit in Jephta, qui propter votum coactus fuit illud facere, quod alias cum lege Dei pugnat, Jud. XI. 39. sed hæc responsio pietati Othonielis & Calebi non videtur congruere. 4.) Simplicissime igitur respondemus verba Hebræa sic esse vertenda: *Cepit eam Othniel filius Cenaz* אֲחִי כָלֵב *fratris Caleb*, (non autem, frater Caleb,) quo modo etiam verterunt Pagninus & Arias Montanus, cum Hebræa lingua non habeat mutationem casuum. Sic ergo Othniel duxit patruelem suam in uxorem, quod non fuit lege divina prohibitum.

VII.) *Thamaris & Ammonis.*

§. CCCXVI. VII.) *Thamar* 2 Sam XIII. 13. ad fratrem *Ammonem* incestum sibi intentantem dicit: *Loquere ad regem, & non negabit me tibi; cum tamen Thamar esset Davidis filia, & sic Ammonis soror agnata.* Resp. 1.) Rabbini dicunt, *Thamarem fuisse natam ex matre gentili, & nondum initiatam religioni Israeliticæ;* sed hoc dicitur

citur gratis, & ostendimus superius, etiam gentiles a fratrum & sororum conjugiis abhorruisse. 2.) Lyranus ex Rabbi Salomone refert, *Maacham matrem Thamaræ in bello captam, a Davide in uxorem ductam fuisse deprehensam gravidam ex priore marito*, quare cum non fuerit naturalis filia Davidis, potuisse Ammoni in uxorem dari, cum quo congruit illud, quod Thamarem non filiam, sed *privignam* Davidis fuisse dicunt, qua ratione nec uterina, nec agnata soror Ammonis fuisset. Sed 1 Paral. III. 9. enumeratis filiis Davidis subiungit Spiritus sanctus: *Omnes illi filii David absque filiis concubinarum, habueruntque sororem Thamar.* At non potuisset Thamar soror esse omnium filiorum Davidis, qui ex variis uxoribus & concubinis nati erant, nisi eumdem cum illis patrem habuisset, unde etiam *filia regis* dicitur, 2 Sam. XIII. 18. ac pœnæ subsecutæ ostendunt fuisse incestum. 3.) Quidam respondent, *Thamarem in ea fuisse opinione, quod rex in tali casu possit dispensare*, quod Bellarminus colligit ex verbis v. 16. *Majus est hoc malum, quod nunc agis adversum me, quam quod ante feci*sti expellens me. *Thamarem* (inquit) *serio locutam fuisse de futuro conjugio, si a rege id peteretur, indicant ejus verba, quæ cum vi a fratre esset compressa, & amore in summum odium converso ab eo expelleretur, protulit. Voluit igitur cum eo more conjugis permanere, atque id satagebat, ut Davide consentiente ab Ammone in uxorem duceretur.* At non potest hoc ex verbis illis firmiter colligi. Hebræa enim etiam sic possunt vertit: *Non habes causam tanti mali post ea, quæ gessisti mecum, quod nunc me ejicis*, præfixum enim ם etiam *post* significat, Os. VI. 3. item *cum* Es. LVII. 9. id est, quia virginitate me spoliasti, pessime mecum agis, quod vitiatam odio prosequeris, & a te expellis, quam erigere consolatione oportebat, & quo pacto famæ consuli posset, dispicere. 4.) Quidquid sit, sive Thamar judicaverit regem in tali conjugio dispensare posse, sive minus; ex circumstantiis textus manifestum est, Thamarem isthæc protulisse, ut cupidum & incensum amatoris animum frangeret, ac præsentissimo stupri periculo se eriperet. Quæ vero *ex terrore subitaneo, vel ex crassa ignorantia* proferuntur, non possunt normam legis statuere. Unde recte concludit Bellarminus, *non posse firmum argumentum duci ab opinione & verbis unius puellæ, quæ etsi nunquam viderat tale conjugium, & ipsa etiam absolute id horrebat: tamen existimavit minus malum esse a fratre duci in uxorem, quam vi stuprari, præsertim si regis adsensus accederet.*

§. CCCXVII. VIII.) *Adonias Abisag Sunamitidem, patris Davidis relictam viduam, in uxorem sibi dari expetit.* 1 Reg. II. 17. Resp. 1.) Quidam statuunt non fuisse verum conjugium inter Davidem & Abisag. Arnisæus de jur. connub. c. II. s. 4. §. 28. *Adfectio maritalis in Davide non declaratur, nec Abisag uxoribus connumeratur, sed ministra corporis tantum dicitur, quod ipsa ministerium salvo honore seni frigido, emaciato, pio, facile præstare poterat. Qua enim fronte non tantum Adonias patris uxorem, matrem suam, in uxorem petere a Salomone potuisset, sed Bethsabæa quoque filio auctor esse, ut traderetur, in notorium & verbo Dei vetitum incestum, si Abisag vero & legitimo matrimonio juncta fuisset:* sequitur hac in parte Bellarminum, qui itidem censet c. XXVIII. *non constare, an Abisag fuerit Davidis uxor? cum nec uxor vocetur, nec David eam cognoverit.* Sed circumstantiæ textus ostendunt fuisse verum conjugium inter Davidem & Abisag. Talis enim adolescentula regi quæritur, quæ non solum *stet coram rege, ut ipsi inserviat*, sed etiam quæ blando corporis calore eum foveat, VIII.) *Adoniae & Abisag.*

veat, *& in sinu ejus dormiat*, nec potuisset Adonias hoc medio per indirectum adfectare ipsum regnum, nisi Abisag vera fuisset Davidis uxor. Quod rex *eam non cognovisse* dicitur, id matrimonii illius firmitati nihil præjudicat, nuptias enim consensus facit, non concubitus, quippe qui ad usum, non autem ἀσίαν conjugii pertinet. Interceſſit quidem pro Adonia Bethsabæa, sed vel ex *errore*, quod existimaverit tale conjugium non esse divinitus prohibitum, vel ex *adfectu* teneriore erga filium. 2.) Adonias in petenda Abisag peccavit, tum ratione *objecti*, quod in gradu divina lege prohibito matrimonium contrahere cogitavit, tum ratione *finis*. Eo enim fine in uxorem sibi dari petebat Abisag, ut per ejusmodi conjugium, si scilicet regiam Davidis uxorem duxisset, animos & favorem Israelitarum paulatim ad se iterum converteret, ac regnum, Salomone ejecto, aliquando invadere posset, id quod ex responso Salomonis matri Bethsabeæ dato non obscure colligitur. *Cur, inquit, postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum, ipse est enim frater meus, major me, & habet Abiathar sacerdotem & Joab* v. 22. 3.) Recte igitur tandem concludit Bellarminus: *Cum Adonias ob eam petitionem a Salomone poena capitis adfectus fuerit, signum est illum rem illicitam postulasse. Certe enim plus valere debet sententia Salomonis regis sapientissimi, quam postulatio Adoniæ.*

3.) *Ex prohibitionis disparitate.*

§. CCCXVIII. Ab his exemplis ad examen Bellarmini argumentorum redimus. *Tertium* argumentum ducit ex *prohibitionis disparitate*. *Si omnia illa præcepta Levitici de gradibus jure naturæ constituta essent, sine dubio universalia essent, ita ut intra eumdem gradum omnia matrimonia essent illicita. At Moses in Levitico quædam conjugia prohibuit, & quædam permisit in eodem gradu. Ergo illa prohibitio non est juris naturalis, sed judicialis & positiva. Propositio probatur, quod enim jure naturæ prohibetur, semper & ubique prohibetur, neque id adversarii negant. Adsumtio probatur. Nam lex illa Leviticiprohibet conjugium nepotis cum amita & matertera, & non prohibet conjugium patrui, vel avunculi cum nepte ex fratre, vel ex sorore, cum tamen sint in eodem gradu nepos & amita, patruus & neptis. Præterea lex prohibet conjugium cum uxore fratris etiam defuncti, & non prohibet conjugium cum sorore uxoris, nisi ea vivente, & proinde non prohibet cum sorore uxoris jam defunctæ, & tamen est idem prorsus adfinitatis gradus cum sorore uxoris & cum uxore fratris.* Resp. ostendimus superius. §. CCLXXV. non *personas* nominatim expressas, sed *gradus æquidistantes* in Levitico prohiberi, ex quo promte sequitur, non tantum conjugium nepotis cum amita, vel matertera, sed etiam conjugium patrui, vel avunculi cum nepte ex fratre, vel ex sorore, in consanguinitate esse prohibitum. Item non tantum conjugium cum uxore fratris defuncti, sed etiam conjugium cum sorore uxoris defunctæ in adfinitate prohibitum esse, quod ipsum latius confirmabimus inferius. Quæ in contrarium Bellarminus h. l. adfert, parum roboris obtinent. 1.) Inquit, *argumentum a simili in legibus prohibentibus non solet valere, leges enim prohibentes sunt odiosæ, odiosæ autem leges non sunt laxandæ, sed restringendæ, ut habet regula juris.* Resp. Brocardicum illud, *quod odiosa sint restringenda*, in legibus positivis humanis, non autem divinis & naturalibus locum obtinet; alias explicationem decalogi in prophetarum & apostolorum scriptis traditam ejus prætextu repudiare quis posset. Deus ipse in lege generaliter edicit: *Nemo accedat ad propinquam carnis suæ.* Ac regulæ illi juris, a Bellarmino adductæ, opponimus aliam juris-

risconsultorum regulam: *Ubi eadem per omnia ratio, ibi jus idem.* Item, *leges generales ad omnes species, quas suo complexu comprehendunt, extendendæ sunt & adplicandæ.* Quomodo vero hæc invicem conveniunt, quod Bellarminus h. l. negat, *ex generali prohibitione divina colligi posse, gradus æqualiter distantes in eadem prohiberi*, cum in seq. c. XXIX. in resp. ad 3. argumentum demonstraturus, *prohibitionem septimi gradus non fuisse veteri ecclesiæ ignotam*, rationis loco adferat illud, quod *concilium Agathense can. LXI. post prohibitionem aliquorum graduum generalem addat prohibitionem, ne quis ullam consanguineam suam ducat uxorem.* Si generalis prohibitio humana potest extendi ad gradum septimum, quomodo divina prohibitio non posset extendi ad gradum secundum? 2.) *Consequentiæ illæ non sunt a simili, sed a minori. Nam licet sint in eodem gradu nepos cum amita & patruus cum nepte, tamen turpius est conjungi nepotem cum amita, quam patruum cum nepte, siquidem ordinarie amita est senior nepote, & ratione sui gradus habet in nepotem quasi patriam potestatem. Uxor autem subjici ac regi debet, quare indecens est, ut amita sit uxor nepotis, quia deberet simul regere & regi, subjici & præesse. At patruus est ordinarie senior nepte, & in illam habet auctoritatem, non est autem indecens, ut vir sit uxore senior & illi præsit. Hac igitur de causa lex unum prohibuit, alterum concessit. Pari ratione sicut turpius est, ut una mulier duos simul maritos habeat, quam ut unus vir duas simul uxores, ita suo modo indecentius videtur, ut una sit uxor duorum fratrum etiam successive, quam ut unus vir sit duarum sororum successive, & ideo lex unum concessit, alterum prohibuit.* Resp. si indecentius est unam fœminam esse uxorem duorum fratrum successive, quam unum virum esse maritum duarum sororum successive, sequitur Deum Deut. XXV. 5. mandasse id, quod indecentius, & prohibuisse, quod erat decentius ex Bellarmini hypothesi. Concedamus turpius & indecentius esse matrimonium nepotis cum amita, quam patrui cum nepte, item conjugium cum uxore fratris, quam cum sorore uxoris; interim, quia *comparativus* non excludit, sed potius præsupponit *positivum*, ideo & nobis Bellarminus hoc concedat, turpe & indecens esse matrimonium patrui cum nepte & conjugium cum sorore uxoris. Quamvis enim in gradibus æqualibus major sit turpitudo, tamen cum eadem maneat distantia, ideo idem prohibitionis jus valere censendum. Ut enim ipse Bellarminus h. l. addit: *diversitas illa non est in ipso gradu propinquitatis, sed in aliquo extrinseco superaddito*, nimirum in ætate, vel sexu, vel aliqua simili circumstantia; sic fieri potest, ut amita sit nepote ex fratre minor natu, si enim pater generaret filium anno ætatis 20. qui & ipse 20. ætatis anno generaret, contingere posset, ut idem pater filiam anno ætatis 50. susciperet, quam nepos ætate superaret. Nihilo tamen minus tale conjugium erit prohibitum, licet cesset illa ratio, quod amita patriam auctoritatem ratione ætatis in nepotem obtineat. Item, si quis demortui fratris uxorem seniorem in matrimonium vellet ducere, id foret indecentius, quam si qua demortui mariti fratri in æquali ætate geometrica proportione constituto vellet nubere, nihilo tamen minus utrumque esset contra naturæ legem. Fieri potest, ut vir sit junior, uxor senior; ut vir sit stupidus Nabal, uxor prudens Abigail, nec tamen propterea tollitur jus naturæ. Ergo nec principaliter inde atque ideo conjugium amitæ cum nepote jure naturæ statuendum est prohibitum, quod illa sit senior, hic junior, sed propter propinquitatem sanguinis, quæ eadem est in conjugio patrui ac neptis Breviter: conjugium nepotis cum amita duplici nomine indecens est,

est, tum quia hic gradus divina lege est expressus, tum quia amita nepoti, qui ipsi est loco filii, subjiceretur, quamvis vero hæc posterior ratio in conjugio patrui cum nepte non esset, tamen manet prior ex carnis propinquitate utrinque æqualiter se habente dependens. *Reverentiæ, quam parentibus, consanguineis & adfinibus deberi ipsa natura docet, repugnat actus conjugalis*, scribit Bellarminus c. seq. 29. rat. 1. at hæc reverentia æqualis est in conjugio amitæ cum nepote, & patrui cum nepte. Ergo etiam æqualis erit utrobique prohibitio. 3.) *Matrimonium inter patrueles non est prohibitum jure naturæ, & tamen in eo gradu sunt patrueles, in quo est amita cum suo nepote, omnes enim sunt in secundo gradu, ergo secundus gradus non est prohibitus jure naturæ.* Resp. est dispar ratio prohibitionis in linea collaterali *æquali* & *inæquali*. Nepos & amita distant gradu secundo in linea scilicet inæquali, ac sunt sibi invicem loco parentum & filiorum. Patrueles distant secundo gradu, sed in linea æquali, nec sunt sibi invicem loco parentum & filiorum; prima enim duntaxat persona stipiti proxima est reliquis ex stipite in altero latere descendentibus loco parentis, nequaquam vero hoc extendendum ad alios ex hac persona descendentes. Vide §. CCLXXXIX. reg. XIII. de gradibus. Utrique quidem, scilicet tum *nepos & amita*, tum *patrueles* distant secundo gradu, sed illi in secundo gradu *simplici*, hi vero in secundo gradu *duplicato*. Inde juxta supputationem civilem nepos & amita distant gradu *tertio*, qui juxta canonicam est gradus secundus simplex, patrueles gradu *quarto*, qui juxta canonicam supputationem est gradus secundus duplicatus. 4.) *Abraham & frater ejus duxerunt uxores duas filias fratris sui Aran, ergo non est contra jus naturæ, ut nepos ducat amitam.* Resp. de hoc exemplo diximus superius quantum sufficit.

§. CCCXIX. *Quartum* idemque ultimum argumentum Bellarminus petit ex Deut. XXV. 5. ubi præcipitur, *ut si quis absque liberis moriatur, ducat frater ejus illius uxorem, & suscitet semen fratri suo. Lex ista nihil jubet contra jus naturæ, quid enim absurdius, quam ut naturæ auctor contra naturam pugnet? Non igitur est contra jus naturæ, ut ob justum aliquem finem quis ducat uxorem fratris sui. Ergo quod in Levitico legimus* cap. XVIII. *ne quis ducat uxorem fratris sui, non est naturale præceptum, si intelligatur simpliciter, ut adversarii volunt.* Resp. variæ sunt opiniones de conciliatione hujus legis cum prohibitione Lev. XVIII. 16. de non ducenda fratria, quas Bellarminus etiam recenset. 1.) Joh. Major lib. IV. sent. dist. 40. q. 3. dicit, *nusquam in lege prohibitum esse conjugium cum uxore fratris, in Levitico enim illud præceptum vitio scriptorum superadditum fuisse.* Huic opinioni repugnat consensus codicum Hebræorum, Chaldæorum, Græcorum & Latinorum, nec ulla verisimili ratione ea probatur. 2.) Radulphus in comm. h. l. statuit, *in Levitico non prohiberi conjugium cum fratria absolute, sed tantum cum uxore fratris viventis, quemadmodum in eodem loco prohibetur conjugium cum sorore uxoris & additur: illa vivente.* Hanc sententiam ex nostris amplectitur Erasmus Marbach. in comm. Deut. XXV. p. 246. Atqui conjugium cum uxore fratris adhuc viventis est adulterium, quod in eodem capite v. 20. distincte prohibetur. Præterea ut prohibitio uxorem patrui concernens v. 14. ad demortui patrui uxorem spectat, ita de prohibitione fratriæ idem statuendum. 3.) Quidam volunt, *in Levitico prohiberi conjugium cum uxore fratris viventis, sed repudiata.* At nulla ibi repudii fit mentio, sed prohibitio est generalis, quam si restringere liceret ad repu-

4.) *Ex divina sanctione Deut. XXV.*

repudiatam, possent etiam reliqua præcepta eodem modo restringi. 4.) Calvinus in comment. Levit. XVIII. p. 406. præceptum Deuteronomii intelligit *non de fratre germano, sed de proximo in alio gradu, in quo liceat secundum legem matrimonium contrahere, ut de patrueli, vel consobrino, qui & ipsi phrasi scripturæ dicuntur fratres.* Contra *a.*) vox יָבַם proprie significat *levirum*, defuncti mariti fratrem, Deut. XXV. 6. unde verbum יִבֵּם est *leviritare*, uxorem fratris sui accipere. Genes. XXXVIII. §. Ruth. I. 15. *b.*) Ipsa legis litera Deut. XXV. 5. mentionem facit *duorum fratrum* יֹשְׁבִים יַחְדָּו *pariter habitantium. c.*) Idem comprobant exempla in populo Dei recepta, Genes. XXXVIII. 8. Judas ad filium Onan germanum Heris fratrem dicit: *Ingredere ad uxorem fratris tui, & duc eam.* Ruth. I. 11. Naemi hortatur nurus suas viduas, *ut non exspectent in conjuges fratres suorum maritorum, sed aliis potius nubant;* loqui autem eam de germanis fratribus patet ex ipsis verbis: *Numquid ultra mihi filii in utero meo, ut sint vobis in viros, &c.* Matth. XXII. 25. *septem fratres* successive unam fœminam in uxorem ducunt. *d.*) Id ipsum confirmatur ex verbis legis. *Non erit uxor mortui foris* הַחוּצָה hoc est, non nubat viro extraneo, sive peregrino extra patriam mariti demortui domum, ergo germanus frater intelligitur, qui eam ducere debeat. *e.*) Interim concedimus, & legem ipsam & *fratris* nomen in lege expressum derivari etiam ad alios propinquos, quando vel fratres deerant, vel fratriam ducere recusabant, tunc enim propinquior in jure ducendi & hereditandi succedebat. Ruth. III. 12. IV. 1. 6. Calvini opinionem refellunt Beza lib. de repud. p. 76. Tremellius & Junius in cap. XXV. Deut. p. 187. 5.) Augustinus q. 61. in Levit. Lyranus & alii in comment. Deut. XXV. volunt, *legem Deuteronomii intelligi de fratre germano, sed esse exceptionem quamdam legis in Levitico latæ.* Hanc sententiam Bellarminus statuit *esse probabilem, sed nobis nihil prodesse*, qua de re paulo post. 6.) Cajetanus in comment. Levitico & alii volunt, *non prohiberi in Levitico matrimonium cum uxore fratris defuncti, nisi accipiendo tale conjugium nude & solitarie, quemadmodum accipitur homicidium in decalogo. Quæ lex non impediat, quo minus fiant postea leges positivæ particulares, quæ conjugium cum uxore fratris cum aliqua circumstantia prohibeant, cum aliqua jubeant, ad quem modum non impedit lex decalogi:* Non occides; *quo minus fiant leges particulares, quæ jubeant occidi latronem & maleficum, & contra jubeant non occidi eum, qui casu, vel se ipso defendendo alium occideret.* Sed quid de hac conciliatione statuendum sit, ex antedictis constat, & ex dicendis clarius constabit.

§. CCCXX. Respondemus igitur ad Bellarmini argumentum, legem de ducenda fratria Deut. XXV. 5. esse plane peculiarem, *soli Judaico populo* propositam *in casu speciali*, si scilicet frater absque liberis decederet, eamque spectasse ad *conservandam distinctionem tribuum ac familiarum*, ut cognosci posset, ex qua familia Messias esset exspectandus, in novo igitur testamento Christo jam nato & *rationem legis & legem ipsam* penitus exspirasse. Ex hac igitur lege nequaquam inferri potest, prohibitionem de non ducenda fratria Levit. XVIII. 16. esse mere positivam ac judicialem, quod demonstro 1.) Ex *Bellarmini hypothesibus.* Bellarminus ipse concedit, Deum in omnibus gradibus in Levitico prohibitis dispensare posse, quorum tamen aliquos jure naturæ interdictos statuit. Conferantur invicem hæc loca cap. XXVIII. §. Tertio notandum: *Putamus a Deo dispensabilia esse conjugia omnia in quovis gradu, nullus enim*

est gradus, in quo conjugium ita sit intrinsece malum, ut repugnet illud fieri bene, quod ex eo patet, quia nullus gradus tollit finem matrimonii primarium, vel secundarium, licet aliquo modo impediat, nam ex conjugio etiam filii cum matre nasci possunt liberi & educari. In eodem cap. in responsione ad primum argumentum: *Fieri potest, ut Deus cum filiis Adæ dispensaverit, ut sororibus jungerentur.* Nihilo tamen minus in principio illius capitis format hanc propositionem: *Jure naturæ interdicta sunt conjugia in primo gradu consanguinitatis tam in recta linea, quam in transversa, & in primo gradu affinitatis in linea recta tantum.* Ex illis sic colligo: Si divina dispensatio locum habere potest in gradibus jure naturæ prohibitis, utique ex speciali illa lege de ducenda uxore fratris sine liberis defuncti non potest colligi, prohibitionem de non ducenda fratria non esse juris naturalis; ratio est, quia specialis illa lex nihil aliud est, quam in certo quodam casu divina dispensatio. Sed prius est, ut constat ex Bellarmino. Ergo & posterius, ac per consequens falsa est argumenti Bellarminiani hypothesis, quod ubi intercedit divina dispensatio, ibi ipsa prohibitio non sit juris naturalis. 2.) Ex *similibus exemplis. a.*) Quemadmodum Deus, qui est summus nomotheta ac legis suæ dominus, Israelitis in Ægypto servientibus potestatem fecit ab Ægyptiis vasa aurea & argentea, aliasque res pretiosas commodato accipiendi, easque secum auferendi, Exod. XII. 35. nec tamen recte ex eo colligitur, furtum non esse natura prohibitum: sic ex eo, quod in certo quodam casu propter evidentem quamdam rationem Deus dispositit, ut frater duceret uxorem fratris absque liberis defuncti, non est colligendum, prohibitionem de non ducenda fratria non esse juris naturalis. *b.*) Ex dispensatione in conjugio Jacobi cum duabus sororibus (quam quidam probabiliter statuunt) inferri nequit, prohibitionem, ne quis ducat uxoris sororem, ea adhuc vivente, non esse juris naturalis. *c.*) Polygamiam in populo Israelitico Deus vel *permisit*, vel *toleravit*; nemo tamen dixerit, polygamiæ prohibitionem respectu novi testamenti non esse juris divini ac naturalis. *d.*) Conjugia fratrum & sororum in prima mundi creatione & primæva generis humani propagatione ob peculiarem finem Deus indulsit; multiplicato autem genere humano prohibitio matrimonii inter fratres & sorores nihilominus est juris naturalis.

§. CCCXXI. Regerit Bellarminus: I.) „Ista exceptio sive lex exceptiva & declarativa alterius legis aperte demonstrat, „legem illam Levitici non fuisse naturalem, sed judicialem. Nam lex ista Deuteronomii, quæ est legis Leviticæ declaratio sive exceptio, vel est naturalis, vel „judicialis. Non potest dici naturalis, quia „etiam hoc tempore servanda esset, quod „tamen omnes negant. Si vero est judicialis, ergo & lex, a qua fit exceptio, „judicialis, exceptio enim fit ab iis, quæ „sunt ejusdem naturæ & ordinis. Vel si „lex illa naturalis erat, etiam exceptio „erit naturalis, qualis est illa, quod in „ultima necessitate liceat fratri sororem „ducere, lex enim naturalis patitur hanc „necessariam exceptionem.„ *Resp.* negamus legis generalis & exceptionis specialis esse eamdem rationem, quod ex ipsius Bellarmini hypothesibus sic demonstramus. 1.) Libr. de matrim. cap. XI. disputat, *divina dispensatione, quæ per internam inspirationem patribus fuerit nota, licuisse plures simul uxores ducere.* Secutus Bellarmini filum ac stylum sic disputo: Illa dispensatio erat aut naturalis, aut judicialis. Si naturalis, ergo adhuc hodie servari potest. Si exceptio est judicialis, ergo etiam lex polygamiam prohibens erit judicialis. Quidquid hic Bellarminus respondere velit, suo etiam argumento responsum statuat. 2.) Hoc ipso in loco Bellarminus sic ratiocina-

cinatur: *Si lex de non ducenda fratria*, Lev. XVIII. *est naturalis, etiam exceptio de ducenda fratria absque liberis relicta*, Deut. XXV. *erit naturalis, qualis est illa, quod in ultima necessitate liceat fratri sororem ducere.* Ex hac hypothesi Bellarminiana sic colligimus: Exceptio illa de sorore in ultima necessitate ducenda aut est naturalis, aut judicialis. Si naturalis, etiam hoc tempore servari posset, & sic quispiam sororem suam in uxorem ducere posset. Si judicialis, ergo & ipsa lex prohibens conjugia fratrum & sororum erit judicialis, quod tamen Bellarminus negat, qui ejusmodi conjugium jure naturæ interdictum statuit. 3.) Ulterius: *si lex de non ducenda sorore cessat in casu ultimæ necessitatis, ac non amplius obligat*, ut Bellarminus hoc loco ratiocinatur; utique etiam lex de non ducenda filia in casu ultimæ necessitatis cessabit, ac non amplius obligabit, cum par sit prohibitionis ratio. Si posterius, paratum erit filiabus Lothi patrocinium, quæ cum existimarent, nullum omnino virum in mundo superesse, crediderunt sibi licitum esse ex proprio parente liberos quærere, Gen. XIX. 31. 4.) Denique mandatum Dei, de auferendis vasis aureis & argenteis ab Ægyptiis, aut erat naturale, aut judiciale. Si naturale, ergo etiamnum hodie observari posset. Si judiciale, ergo & ipsa lex furtum prohibens erit judicialis. Quidquid Bellarminus hic respondere voluerit, id ipsum suæ oppositum videbit consequentiæ. II.) „Qualiscunque sit illa exceptio, sive naturalis, sive judicialis, convincit, conjugium cum fratris uxore non esse per se & intrinsece malum, non enim quod „est intrinsece malum, per ullam circumstantiam potest fieri bonum, quare habemus ex hac exceptione, legem Leviticam non esse naturalem primi ordinis. „Rursus eadem exceptio evincit, conjugium cum uxore fratris non esse malum „semper, excepta sola ultima necessitate, „quale est conjugium cum sorore germana. Nam iste casus in Deuteronomio exceptus non erat ultima necessitas, sed „pietas quædam in fratrem mortuum. Ergo præceptum Levitici non est etiam natu„rale secundi ordinis, sed tantum tertii, „id est, earum rerum, quæ sunt malæ ob „extrinsecam aliquam turpitudinem, quæ „tamen potest tolli per aliquam circumstantiam, cujus honestas vincat priorem turpitudinem, tunc enim tale conjugium li„citum redditur secundum rectam ratio„nem, cessante lege positiva. Et sicut „non est contra rationem, imo secundum „rationem conjugium ob pietatem in fra„trem, ita si fiat alia similis exceptio, vel „etiam minoris alicujus boni, ut si modo „ad pacem inter principes conservandam „ducat quis uxorem fratris defuncti, non „erit contra rationem tale conjugium.„ *Resp.* hæc omnia eo spectant, ut pontificis Romani dispensatio in hoc gradu lege divina prohibito adseratur, quia pontifex Romanus dispensavit cum Henrico VIII. Angliæ rege, ut Catharinam, Arturi fratris sui viduam, accipere posset, sed monemus 1) In argumento Bellarmini esse *fallaciam causæ.* Neque enim causa hujus exceptionis de ducenda fratris absque liberis defuncti uxore est *pietas in fratrem*, sed conservatio & distinctio familiarum in tribubus Israeliticis. Quia enim adcurate erant distinctæ tribus in populo Israelitico, ac familiæ dignitas residebat penes primogenitum, cujus nomen in genealogiis inprimis adnotabatur, ut constare posset, ex qua tribu & familia Messias sit nasciturus; proinde voluit Deus hac speciali lege, quæ est & *certi temporis*, & *certi populi*, & *certi finis*, familias & tribuum distinctionem in populo Israelitico usque ad tempus nati Messiæ conservari. 2.) *Fallaciam comparatorum* sive parium. Confert enim tanquam paria dispensationem *divinam* ac dispensationem *pontificiam*, ac quia illa in vet. test. fuit licita, etiam hanc in nov. test.

test. locum habere arbitratur. Sed quanto intervallo hæc invicem distent, ignorare nequit, qui novit, quantum distet in aliis etiam quæstionibus judicium pontificis a judicio divino in sacris literis proposito. Confert insuper causam, propter quam Deus in vet testamento fratriam ducere mandavit cum similibus, vel etiam majoris momenti cautis, ob quas idem in nov. test. licitum fieri possit, cum nulla excogitari possit causa, quæ cum priore conferri queat. Christo enim jam exhibito causa legis Mosaicæ penitus exspiravit, sublata non solum tribuum & familiarum Judaicarum distinctione, sed etiam *diruta* inter Judæos & gentes *muceria* Eph. II. 14. ergo nec pietatis in fratrem prætextu, nec externorum commodorum intuitu ducere quisquam poterit, vel ducendi potestas cuiquam fieri, contra expressam illam juris naturalis prohibitionem de non ducenda fratria Lev. XVIII. 16. cui non potest alia, quam divina dispensatione derogari. 3.) *Fallaciam consequentiæ.* Non enim sequitur, Deus huic legi de non ducenda uxore fratris exceptionem aliquam addidit. Ergo illa non est naturalis primi, vel secundi ordinis, sed tantum tertii, id est, earum rerum, quæ sunt malæ ob extrinsecam aliquam turpitudinem, quæ potest tolli per aliquam circumstantiam, ob pietatem scilicet in fratrem, cujus honestas vincat priorem turpitudinem, & per consequens ob similem rationem tale conjugium hodieque erit licitum. Nam conjugium cum fratria in se ac intrinsece extra casum divina lege speciali exceptum est & manet malum, illicitum & naturali legi repugnans, quia enim maritus & uxor per conjugium fiunt una caro, ideo lex naturæ docet fratri, qui est fratris defuncti caro per *consanguinitatem*, abstinendum esse ab ea, quæ cum fratre facta est una caro per copulam, & consequenter facta est illius etiam caro per proximam *affinitatem*. Exceptio ipsius Dei voce addita non tollit naturæ legem, sed duntaxat explicat, & in certo ac speciali quodam casu eamdem ampliat, quod nulli hominum in nov. test. licitum. Semper igitur hoc urgemus contra Bellarminum: *Potest Deus in omnibus gradibus in Levitico prohibitis dispensare, & tamen quidam ex illis gradibus sunt jure naturali prohibiti*, quæ sunt ipsius Bellarmini hypotheses. Ergo ex dispensatione vel exceptione speciali nequaquam colligendum est, ipsam generalem prohibitionem non pertinere ad jus naturæ. Sed regerit Bellarminus, III.) „dispensationem non esse legem, nec jubere aliquid fieri, sed tantum tollere obligationem legis in aliquo particulari casu, & permittere secus fieri, quam lex præcipiat. In Deuteronomio autem plane statui legem jubentem, ut frater uxorem fratris demortui ducat, & pœnam transgressori irrogantem.„ *Resp.* quamvis lex specialis & dispensatio in quibusdam distinguantur, in eo tamen conveniunt, quod legis generalis obligationi derogent; proinde ut ex dispensatione a Deo, legis auctore ac summo nomotheta, profecta non potest inferri, legem, circa quam fit dispensatio, juris non esse naturalis, ita nec ex speciali lege ab eodem nomotheta promulgata idem inferri poterit. Vicissim, ut dispensatio circa legem naturalem ad summum nomothetam solummodo spectat, ita quoque ad eumdem pertinet legis specialis generali derogantis promulgatio. Pontificis Romani nullas hic agnoscimus partes, nullum jus, potestatem nullam, cui tamen unice cavere hac dissertatione Bellarminus voluit. IV.) Tandem penitus negat Bellarminus, „legem Deut. XXV. esse exceptionem quamdam legis in Levitico cap. XVIII. latæ. Nam exceptionem addere post legem conditam, & maxime alio tempore & loco non est Dei, qui omnia novit, sed hominum, qui experimento paulatim discunt suas leges non posse servari, nisi aliquid excipiatur?„ *Resp.* sed

quid

quid fiet Augustino, Lyrano & aliis, qui *exceptionem* hic agnoscunt? nimirum patrum auctoritas, quam pontificii alias tantopere urgent, est ipsis plane arbitraria, cum pro lubitu eam acceptent, vel rejiciant. Argumentum, quod Bellarminus Augustini sententiæ opponit, nititur falsa hypothesi, & involvit causæ elenchum, quasi scilicet Deus inde atque ideo legem Deuter. XXV. promulgaret, ac si in principio ignorasset, legem illam non posse servari, cum vera & propria illius causa sit distinctio tribuum ac conservatio familiarum in populo Israelitico, quæ usque ad Christum durare debuit. Atque hæc sunt Bellarmini argumenta, quibus demonstrare voluit, non obligare jure divino christianos præcepta omnia, quæ de gradibus habentur in Levitico. Cornelius a Lapide jesuita Lovaniensis in comment. cap. XVIII. Levit. quinque ratiunculas ad eamdem thesin probandam adducit: 1.) *Ex definitione concilii Tridentini.* 2.) *Ex conjugio patriarchæ Jacobi.* 3.) *Ex speciali lege Deuteronomii.* c. XXV. & ex concesso patrui cum nepte conjugio. 4.) *Ex communi ecclesiæ praxi*, quæ in prohibitis gradibus dispensavit. 5.) *Ex communi doctorum sententia.* Sed hæc omnia meras principii petitiones continent, & ex superioribus facilem habent explicationem.

Quæstio: Cur Deus certos cognationis gradus prohibuerit?

§. CCCXXII. Coronidis loco, antequam a prohibitione juris divini abeamus, explicanda erit quæstio: *Cur Deus lata lege certos consanguinitatis & adfinitatis gradus in matrimoniis contrahendis voluerit prohibitos?* Resp. cum demonstratum fuerit hactenus, prohibitiones graduum in Levitico propositas esse juris naturalis, ex eo facile intelligitur, legem illam non fuisse per Mosen primum latam, sed mentibus hominum in prima creatione naturaliter insitam atque insculptam, ac post lapsum etiam ante Mosen voce divina vel immediate, vel per patriarchas sæpius repetitam, tandem etiam una cum aliis præceptis ad legem moralem spectantibus per Mosen solemniter promulgatam, & populo Israelitico inculcatam. Causæ illius solemnis repetitionis & promulgationis recenseri possunt eædem, quæ de lege morali universim sumta dari solent, quas enumeravimus tract. de lege. §. XXVI. in quibus eminent notitiæ legis mentibus hominum in prima creatione insitæ per peccatum obliteratio atque obscuratio, plurimorum malis hominum moribus receptorum & longa peccandi consuetudine confirmatorum contra legis naturalis prohibitionem introductio, naturæ humanæ per peccatum corruptæ ac depravatæ ad omne malum inclinatio, &c. ad quas causas Deus ipse nos remittit in hac ipsa legis de prohibitis gradibus promulgatione. Levit. XVIII. 2. *Ego Dominus Deus vester;* cujus mandatis sanctissimis, non autem perversæ & corruptæ naturæ vestræ inclinationi, ac ductui obedire debetis v. 3. *Juxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis: & juxta morem regionis terræ Canaan, ad quam vos introducturus sum, non agetis;* apud illas gentes multa pravis moribus sunt recepta, quæ contra legem naturæ pugnant, earum igitur vestigiis non debetis insistere, nec ex gentilium consuetudine de jure naturæ judicium ferre. v. 4. *Facietis judicia mea, & præcepta mea servabitis & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester;* qui & naturæ & legis naturalis est dominus, cui summa potestas leges ferendi & explicandi unice convenit. Si quærendo quis pergat, cur legem illam de prohibitis gradibus hominum cordibus Deus voluerit inscriptam & insculptam? duæ principales dari possunt causæ, prior spectat *reverentiæ, verecundiæ & observantiæ cultum parentibus, consanguineis & adfinibus propinquitate carnis proxima nobis junctis*

His naturaliter debitum, posterior pertinet *ad caritatis in societate humana dilatandæ studium*. Utramque causam suavissimis verbis exponit Augustinus libr. XV. de civit. Dei, cap. XVI. De priore sic disserit, circa fin. cap. *Inest nescio quomodo humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem.* Ambrosius libr. VIII. epist. 66. *Nubat avunculo suo neptis, & immaculatorum pignorum caritas illecebroso amore mutetur.* Hæc ratio videtur in ipsa lege divina proponi. Lev. XVIII. 7. *Nuditatem matris tuæ non revelabis, quia mater tua est*, id est, quia matri tuæ debes filialem observantiam & reverentiam, ideo non contrahes cum ea matrimonium, per quod in idem quasi jugum illa tecum compingitur, sicque ex gradu superiore in æqualem collocatur. Item, *non accedes ad carnem carnis tuæ*, v. 6. ergo nec *ad matrem* v. 7. quia est *caro tuæ carnis*, quippe ex qua natus es, & carnem ac sanguinem ab ea traxisti. v. 12. *Nuditatem sororis patris tui non revelabis, caro patris tui ipsa;* id est, est cum patre tuo ex eadem carne nata, ergo non debes ei per carnalem copulam conjungi. Item, est proxima patris tui consanguinea, ideoque loco matris filialem reverentiam ei exhibere debes, ergo non debes eam matrimonio tibi jungere. Idem judicium de prohibitione cum *sorore matris*, sive *matertera*, v. 13. Sic etiam v. 17. *Nuditatem uxoris & filiæ ejus non revelabis, filiam filii ejus, & filiam filiæ ejus non accipies ad revelandam nuditatem ejus, caro tua ipsæ;* id est, quia cum uxore per conjugium factus es una caro, ideo non debes contrahere matrimonium cum filia uxoris tuæ, sive cum privigna, nec cum privigni, vel privignæ filia, quia sunt caro uxoris tuæ, hoc est, ex uxoris tuæ carne natæ, ac consequenter etiam sunt *tua caro*, hoc est, propinquitate carnis ex conjugio orta tibi conjunctæ. Lege naturali ac divina liberi parentibus debent honorem, obsequium, reverentiam & cultum; at si parentes liberis per matrimonium copularentur, id fraudi esset illi honori, obsequio & reverentiæ naturaliter parentibus debitæ, ratio est, quia conjuges fiunt una caro, & sic redduntur quodammodo pares ratione amoris conjugalis, ac respectu potestatis in alterius corpus, 1 Cor. VII. 4. Sic ergo, si pater duceret filiam, daret filiæ potestatem in suum corpus, ac respectu nexus conjugalis lateri suo adjungeret eam, quam natura voluit ipsi esse subjectam, & in gradu non collaterali, sed descendente constitutam, adeoque eminentiam & dignitatem jure naturæ, & lege divina sibi debitam deponeret, ac filia reverentiam patri debitam, hoc est, adfectum superiori ab inferiore debitum in maritalem amorem, hoc est, in adfectum collaterali, imo carni suæ debitum commutaret. Si mater nuberet filio, adhuc gravius contra legem naturæ delinqueretur. Mater enim deponeret dignitatem jure naturali sibi debitam, & filio sese non solum æquaret per æqualem potestatem corporis, sed etiam subjiceret ob dominium marito in uxorem concessum. In conjugio fratrum & sororum itidem peccatur contra hanc sanguinis reverentiam, quia qui ex una carne nati sunt, & sic jam ante quodammodo sunt una caro, illos per conjugium unam carnem fieri, & fraternam reverentiam in maritalem adfectum transformari præposterum est, & legi naturæ adversum.

§. CCCXXIII. De posteriore ratione sic disserit Augustinus in principio capitis: „(Quod in prima mundi origine fratres „sorores suas acceperunt) id profecto, „quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabi-

„lius

„sius religione prohibente. Habita est „enim ratio rectissima caritatis, ut homi„nes, quibus esset utilis atque honesta con„cordia, diversarum necessitudinum vin„culis necterentur, nec unus in una mul„tas haberet, sed singulæ spargerentur in „singulos, ac sic ad socialem vitam dili„gentius colligandam plurimæ plurimos „obtinerent. Pater quippe & socer sunt „duarum necessitudinum nomina. Vt ergo „alium quisque habeat patrem, alium so„cerum, numerosius se caritas porrigit. „Vtrumque autem unus Adam esse coge„batur & filiis & filiabus suis, quando fra„tres sororesque connubio jungebantur. „Sic & Eva uxor ejus utrique sexui filio„rum fuit & socrus & mater. Quæ si „duæ fœminæ fuissent, mater altera, & „socrus altera, copiosius se socialis dilectio „colligaret. Ipsa denique jam soror, quod „etiam fiebat uxor, duas tenebat una ne„cessitudines, quibus per singula distribu„tis, ut altera esset soror, altera uxor, „hominum numero socialis propinquitas „augeretur. Sed hoc unde fieret, tunc „non erat, quando nisi fratres & soro„res ex illis duobus primis nulli homi„nes erant. Fieri ergo debuit, quando „potuit, ut existente copia inde ducerem„tur uxores, quæ non erant jam sorores, „& non solum istud ut fieret, nulla neces„sitas esset, verum etiamsi fieret, nefas „esset. Nam & si nepotes primorum „hominum, qui jam consobrinas poterant „accipere conjuges, sororibus matrimonio „jungerentur, non jam duæ, sed tres in „homine uno necessitudines fierent, quæ „propter caritatem numerosiore propin„quitate nectendam disseminari per sin„gulos singulæ debuerunt. Esset enim „unus homo filiis suis, fratri scilicet soro„rique conjugibus, & pater, & socer, & „avunculus: ita & uxor ejus iisdem com„munibus filiis & mater, & amita, & socrus. „Itidemque inter se filii eorum non solum „essent fratres atque conjuges, verum e„tiam consobrini; quia & fratrum filii. „Omnes autem istæ necessitudines, quæ „uni homini tres homines connectebant, „novem connecterent, si essent in singu„lis singulæ, ut unus homo haberet al„teram sororem, alteram uxorem, alte„ram consobrinam, alterum patrem, al„terum avunculum, alterum socerum, al„teram matrem, alteram amitam, alteram „socrum, atque ita se non in paucitate „coarctatum, sed latius atque numero„sius propinquitatibus crebris vinculum „sociale diffunderet.„ In hunc Augustini locum sic commentatur Ludovicus Vives: „Vt necessitudinis vinculum in multos dif„fusis conjugiis & non intra eosdem pa„rietes manentibus plures connecteret, „& se invicem sanguine juncti diligerent, „(gradus propinqui in matrimonio sunt „prohibiti) sic serpere extendique carita„tem generis humani," docet Cicero lib. V. de finib. cujus hæc sunt verba: „Ipsa caritas generis humani, qua tota „domus conjugio & stirpe conjungitur, „serpit sensim foras cognationibus primum, „tum adfinitatibus.„ Reducitur igitur lex de prohibitis gradibus ad legem naturæ hac ratione: Lex naturæ præcipit caritatem in humana societate augere ac diffundere, sed matrimonia cum proximis consanguineis contracta caritatem illam in angustum cogunt & impediunt, quo minus se diffundat, & ambitu suo plures complectatur. Ergo matrimonia cum proximis consanguineis contracta pugnant cum lege naturæ. Huc referri potest illud Augustini in medio ejusdem cap. ubi exponit causam, propter quam patriarchæ uxores de cognatione sua duxerint: *Fuit* (inquit) *antiquis patribus religiosæ curæ, ne ipsa propinquitas se paulatim propaginum ordinibus dirimens longius abiret, & propinquitas esse desisteret, eam nondum longe positam rursus matrimonii vinculo colligare, & quodammodo revocare fugientem, unde jam pleno hominibus terrarum orbe,*

non quidem sorores ex patre, vel matre, vel ex ambobus suis parentibus natas, sed tamen amabant de suo genere ducere uxores.

§. CCCXXIV. Hisce rationibus principalibus adduntur aliæ minus principales, utpote 1.) A *familiaritate inter consanguineos & adfines.* Parentes enim & liberi, fratres ac sorores, avi & nepotes, vitricus & privignæ, noverca & privigni in iisdem ædibus utplurimum habitant, reliqui etiam consanguinei & adfines, amita & nepos, patruus & neptis, socer ac nurus, gener ac socrus, &c. crebro conveniunt, ne ergo omnia essent plena malis suspicionibus, ac adfabilitas, blanditiæ, amplexus, oscula, &c. quæ inter propinquos sunt amoris & pietatis, crederentur esse libidinis, ideo voluit Deus inter carnis propinquos interdicta esse conjugia. Ambrosius lib. VIII. epist. LXVI. *Quid tam solemne, quam osculum inter avunculum & neptem, quod iste quasi filiæ debet, hæc quasi parenti? hoc igitur inofensæ pietatis osculum suspectum facies de talibus cogitando nuptiis, & religiosissimum sacramentum caris pignoribus eripies.* 2.) A *moderato conjugalis officii usu.* Cum naturaliter consanguinei diligantur, amor conjugalis amori illi naturali additus ad immoderatum conjugii usum propinquos matrimonio junctos impelleret, (quæ ratio non nisi post lapsum demum inter homines locum habere cœpit.) Has rationes omnes complectitur Thomas II. 2. quæst. CLIV. artic. 9. sic differens: „Causæ prohibitionis gra„duum sunt quatuor. 1.) Quia naturali„ter homo debet quamdam honorificen„tiam parentibus & cognatis in tantum, „quod apud antiquos, ut Valerius Maxi„mus refert, non erat fas filium simul cum „patre balneari, nec se invicem nudos „conspicere. 2.) Quia personas san„guine junctas necesse est simul ad invi„cem conversari, sicque continuo haberent „occasionem luxuriæ, nimisque emolle„scerent. 3.) Quia per hoc impediretur „multiplicatio amicorum. 4.) Quia cum „naturaliter homo consanguineam diligat, „si adderetur amor, qui est ex commix„tione venerea, fieret nimius ardor amo„ris & maximum libidinis incentivum, „quod castitati repugnat," quam rationem tangit Aristoteles lib. II. politic. Bellarminus de matrim. cap. XXX. ex patribus & Thoma Aquinate has quatuor rationes repetit, easdemque adplicat ad demonstrandam illam propositionem, quod *ecclesia recte olim prohibuerit conjugia usque ad septimum, postea vero usque ad quartum consanguinitatis & adfinitatis gradum.* Sed quilibet primo statim intuitu animadvertit, ipsum a scopo penitus aberrare. Veteres enim ad gradus divina lege prohibitos, & eos, qui gradibus divinitus prohibitis sunt proximi, has rationes unice retulerunt, quas cum ad remotiores, adeoque etiam ad septimum usque gradum Bellarminus extendit, nil nisi ἀσυλλογισίας καὶ ἀνακολουθίας nectit.

SECTIO II.

DE GRADIBVS PROHIBITIS IN JVRE CIVILI.

§. CCCXXV.

De prohibitione juris civilis.

A prohibitionibus graduum *divinis* descendimus ad prohibitiones *humanas*, quas diximus in duplici esse differentia. Quædam traduntur in *jure canonico*, quædam in *jure politico.* Posteriores iterum in duplici sunt differentia. Quædam enim traduntur in *jure communi*, Romano scilicet, sive civili generaliter sic dicto, quædam vero in *jure provinciali*

vinciali, sive municipali. Exordium faciemus a prohibitionibus juris civilis, sive Romani; illæ enim sunt & *antiquiores*, cum pontificiæ, sive canonicæ constitutiones ad illas sese referant: c. Conjunctiones. 35. quæst. 2. *Eos dicimus consanguineos, quos divinæ & imperatorum ac Romanorum atque Græcorum leges consanguineos appellant; & digniores*, cum ab illis sint promulgatæ, qui potestate legum ferendarum divinitus instructi sint, & ad prohibitiones divinas propius accedant; & *certiores*, cum non fuerint tantis variationibus obnoxiæ, quibus canonicas ex pontificum arbitrio dependentes jactitatas fuisse, infra videbimus. Sequemur autem præfixum a nobis prius ordinem, ut de *consanguinitate* primum, postea de *adfinitate* dicamus. I.) De consanguinitate 1.) in *linea recta* traditur hæc regula. *Inter adscendentes & descendentes nuptiæ in infinitum sunt prohibitæ.* Justinianus §. Ergo non omnes. 2. Institut. de Nupt. *Inter eas personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, contrahi nuptiæ non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & usque in infinitum. Et si tales personæ inter se coïerint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur.* Paulus l. Adoptivus. 14. §. 2. ff. de rit. nupt. *Serviles quoque cognationes in hoc jure observandæ sunt. Igitur suam matrem manumissus non ducet uxorem, tantundem juris est & in sorore & in sororis filia. Idem e contrario dicendum est, ut pater filiam non possit ducere, si ex servitute manumissi sint, etsi dubitetur patrem eum esse. Unde nec vulgo quæsitam filiam pater naturalis potest uxorem ducere, quoniam in contrahendis matrimoniis naturale jus & pudor inspiciendus est, contra pudorem est autem filiam uxorem suam ducere.* Gajus l. nuptiæ. 53. ff. eod. *Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum liberorumve sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus sint, usque ad infinitum.* Scævola l. Et nihil. 54. eod. *Et nihil interest, ex justis nuptiis cognatio descendat, an vero non, nam & vulgo quæsitam sororem quis vetatur uxorem ducere.* Paulus l. Jure gentium. 68. eod. *Jure gentium incestum committit, qui ex gradu adscendentium, vel descendentium uxorem duxerit.* Diocletianus & Maximianus Imperatores. l. Nemini. 17. C. de nupt. *Nemini liceat contrahere matrimonium cum filia, nepte, vel pronepte. Itemque cum matre, avia, vel proavia, &c. cæterisque, quæ jure antiquo prohibentur, a quibus cunctos volumus se abstinere.*

I.) *De consanguinitate.*
1.) *In linea recta.*

§. CCCXXVI. 2. De consanguinitate *in linea collaterali.* a.) De conjugio inter *fratres & sorores.* Justinianus §. Inter eas. Instit. de Nupt. *Inter eas quoque personas, quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta. Sane enim inter fratrem sororemve nuptiæ prohibitæ sunt, sive ab eodem patre eademque matre nati fuerint, sive ex altero eorum.* Scævola l. Et nihil. 54. ff. de rit. nupt. *Etiam vulgo quæsitam sororem vetatur quis uxorem ducere.* Pomponius in l. 8 ff. eod. *Libertinus libertinam matrem, aut sororem, uxorem ducere non potest, quia hoc jus moribus, non legibus introductum est.* Ubi per mores intelligitur jus gentium, quia sermo est de illis moribus, quibus majus prohibitionis pondus inest, quam ipsis legibus, quod ipsum etiam colligitur ex eo, quod iisdem moribus sororem in uxorem ducere prohibitum statuit, quibus a matris nuptiis abstinere jubemur: at conjugium cum matre jure gentium prohiberi in propatulo est. Paulus l. si stipulor. 35. §. 1. de V. Oblig. *Quod leges fieri prohibent, si perpetuam cau-*

2.) *In linea collaterali.*

cauſam ſervaturum eſt, ceſſat obligatio, velut ſi ſororem nupturam ſibi aliquis ſtipuletur. Interpretes juris reddunt hanc rationem, quod qui ex eodem patre eademque matre naſcuntur, tam ſint inter ſe conjuncti, ut pene iidem eſſe videantur; at ſecum nemo poteſt nuptias contrahere. *b.*) De nuptiis *cum fratris, vel ſororis filia.* Juſtinianus §. Fratris. 4. Inſtit. de nupt. *Fratris, vel ſororis filiam uxorem ducere non licet. Sed nec neptim fratris, vel ſororis ducere quis poteſt, quamvis quarto gradu ſint, cujus enim filiam ducere uxorem non licet, ejus nec neptem permittitur.* §. 6. *Item, amitam, licet adoptivam, ducere uxorem non licet, item nec materteram.* Papinianus, l. Avunculo. 5. ff. de condictione ſine cauſa: *Avunculo nuptura pecuniam in dotem dedit, neque nupſit, an eamdem repetere poſſit, quæſitum eſt. Dixi, cum ob turpem cauſam dantis & accipientis pecunia numeretur, ceſſare condictionem.* Paulus l. Adoptivus 14. §. 2. ff. de rit. nupt. *Tantundem juris eſt, & in ſorore & in ſororis filia.* Papinianus l. Etiamſi concubinam. 56. ff. eod. *Etiamſi concubinam quis habuerit ſororis filiam, licet libertinam, inceſtus committitur.* l. Miles. 11. §. 1. ff. eod. l. Jul. de adult. *Militem, qui ſororis filiam in contubernio habuit, licet non in matrimonium, adulterii poena teneri rectius dicitur.* Idem l. ſi adulterium. 38. eod. *Stuprum in ſororis filiam ſi committatur, an adulterii poena ſufficiat mari, conſiderandum eſt, occurrit, quod hic duplex admiſſum eſt, quia multum intereſt, errore matrimonium illicite contrahatur, an contumacia juris & ſanguinis contumelia concurrant.* Diocletianus & Maximianus l. Nemini. C. de Nupt. *Nemini liceat contrahere matrimonium cum ſorore, ſororis filia & ex ea nepte, præterea fratris tui filia & ex ea nepte.* Anaſtaſius imperator l. Ab inceſtis. 9. C. de inceſt. & inutilib. Nupt. *Ab inceſtis nuptiis univerſi, qui noſtro reguntur imperio, noverint temperandum. Nam reſcripta quoque omnia, vel pragmaticas formas, aut conſtitutiones impias, quæ quibusdam perſonis tyrannidis tempore permiſerunt ſceleſto contubernio matrimonii nomen imponere, ut fratris filiam, vel ſororis, vel eam, quæ cum fratre quondam nuptiali jure habitaverat, uxorem legitimam turpiſſimo conſortio liceret amplecti, aut ut alia hujusmodi committerentur, viribus carere decernimus, ne diſſimulatione culpabili nefanda licentia corroboretur.* Zeno imperator l. Nefandiſſimum. 2. C. ſi nuptiæ ex reſcripto petantur: *Nefandiſſimum ſcelus fratris ſororisve filiæ nuptiarum, quod ſacratiſſimis conſtitutionibus ſub graviſſimæ poenæ interminatione damnatum eſt, iterato præſentis divinæ ſanctionis tenore omnibus modis prohibemus. Precandi quoque poſterum ſuper tali conjugio (imo potius contagio) cunctis licentiam denegamus, ut unusquisque cognoſcat, impetrationem quoque rei, cujus eſt denegata petitio, nec ſi per ſubreptionem poſt hanc diem obtinuerit, ſibimet profuturam.* Ex qua lege etiam intelligitur, hoc non perpetuo Romæ obtinuiſſe, quod cum fratris, vel ſororis filia nuptiæ ſint prohibitæ. Claudius imperator, ut monuimus ſuperius, Agrippinam, Germanici fratris ſui filiam, uxorem duxit, eoque auctore plebiſcitum factum eſt, ut hujusmodi matrimonia juſta & legitima eſſent, Suetonius in Claud. cap. XXVI. Plutarchus etiam in Romaicis memorat, virum quemdam pauperem adcuſatum, quod fratris filiam, cui dos ampla relicta fuerat, uxorem duxiſſet, judicio multitudinis abſolutum fuiſſe, atque inde factum plebiſcitum, ut liceret cuique filiam fratris uxorem accipere. Poſtea vero Nerva imperator prohibuit, ne quis fratris, aut ſororis filiam uxorem duceret, ut Dio in ipſius vita teſtatur. Poſt Nervam alii imperatores improbarunt. *c.*) De nuptiis inter eos, qui *ſibi invicem ſunt loco pa-*

ren-

rentum & filiorum. Justinianus §. 6. institut. de nuptiis. *Amitam, licet adoptivam, ducere uxorem non licet, item nec materteram, quia parentum loco habentur. Qua ratione verum est, magnam quoque amitam & materteram magnam prohiberi uxorem ducere.* Gajus l. per adoptionem. 17. §. 2. ff. de rit. nupt. *Amitam & materteram, item magnam quoque amitam & materteram magnam prohibemur, uxorem ducere, quamvis magna amita & matertera magna quarto gradu sint.* Paulus l. Sororis. 39. eod. *Sororis proneptem non possum ducere uxorem, quia parentis loco ei sum.* Ergo ex dicta lege per adoptionem supplenda est constitutio Diocletiani & Maximiani imperatorum, l. *Nemini liceat.* C. *de nuptiis*, ubi prohibetur matrimonium cum amita & matertera, quod extendi debet etiam ad *amitam magnam & materteram magnam.* Cum enim frater & soror sint ex uno parente, ideo quasi pro una persona habentur, & per consequens frater est loco parentis omnibus ex sorore descendentibus, sororis scilicet filiæ, nepti, pronepti, & viciſſim soror est loco matris omnibus ex fratre descendentibus, fratris scilicet filio, nepoti, pronepoti, &c. Atque hæc dispositio pulcre reduci potest ad jus divinum, in quo frater & soror dicuntur *una caro.* Genes. XXXVII. 27. *Frater noster est, & caro nostra est.* Levit. XVIII. 12. *Soror patris tui est patris tui caro.* v. 13. *Soror matris tuæ est caro matris tuæ.* d.) De nuptiis *patruelium, amitinorum & consobrinorum.* Theodosius major fratrum, vel sororum liberos, id est, patrueles & consobrinos matrimonio jungi prohibuit, teste Ambrosio lib. VIII. epist. 66. p. 173. *Theodosius imperator* (inquit) *etiam patrueles, fratres & consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, & severissimam poenam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora. & tamen illi invicem sibi æquales sunt tantummodo, quia propinquitatis necessitudine & fraternæ societatis liguntur vinculo, pietati eos voluit debere, quod nati sunt.* Idem testantur Aurelius Victor & Paulus monachus in Theodosio, ac evidenter colligitur ex l. *unic.* C. Theodosiani, *si nupt. ex rescript. petantur*, in qua lege Theodosius & Arcadius statuunt *amissionem bonorum, & poenam deportationis* in eum, qui contra legum præscripta nuptias precum subreptione meruerit, exceptis his, inquiunt, quos *sobrinorum, id est, quarti gradus conjunctione, ex triumphalis patris nostri exemplo indultorum supplicare non vetuit.* Hæc Theodosii constitutio recepta fuit apud Gothos, ut Cassiodorus libr. VII. variar. scribit, & ex Gothorum jure adscripta est negatio in Græco exemplari §. *Duorum.* Instit. de nupt. δύο ἀδελφῶν παῖδες οὐ δύνανται πρὸς γάμον συνάπτεσθαι. Sed Curtius, Latinus Theophili interpres, omissa negandi particula vertit: *Duorum fratrum, vel sororum liberi, vel fratris & sororis conjungi possunt.* Post mortem Theodosii liberi ejus Arcadius & Honorius patris constitutionem abrogarunt, & consobrinorum matrimonia permiserunt. l. Celebrandis. 19. C. de nupt. *Celebrandis inter consobrinos matrimoniis licentia legis hujus salubritate indulta est, ut revocat a prisci juris auctoritate, restrictisque calumniarum fomentis matrimonium inter consobrinos habeatur legitimum, sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre & sorore nati sunt, & ex eo matrimonio editi, legitimi & suis patribus successores habeantur,* proinde Tribonianus legem 1. C. *si nupt. ex reser. pet.* interpolavit, & verba superius ex C. Theodosiano adducta sustulit. Paulus l. si nepotem. 3. ff. de rit. nupt. *Si nepotem ex filio & neptem ex altero filio in potestate habeam, nuptias inter eos me solo auctore contrahi posse, Pomponius scribit, & verum est.* Antoninus imperator l. Conditioni. 2. C. de institution. & substitution. *Non videri pot-*

est sub specie turpium nuptiarum viduitatem tibi indixisse, cum te filio fororis tuæ, consobrino tuo, probabili consilio matrimonio jungere voluerit l. 23 & 24. ff. eod Marcellinus & Papinianus *conditionem illam, si consobrinam duxeris, hereditatis institutioni utiliter adjici posse* ostendunt, quod fieri non posset, si hæ nuptiæ legibus prohibitæ. Conjunge etiam l. Non solum. 67. §. 1. ff. de rit. nuptiar. *ubi neptem ex filio emancipato natam nepoti ex altero filio collocari posse statuitur.* Exempla ejusmodi nuptiarum in Romana historia passim occurrunt. Apud Livium *Spurius* dicit, *patrem sibi uxorem fratris sui filiam dedisse.* Apud Plutarchum *Brutus*, filius Serviliæ, fororis Catonis, duxit Portiam, Catonis Uticensis filiam, consobrinam suam. *Marcus Antoninus* imperator, philosophus dictus, Justinam consobrinam suam uxorem duxit. Plura exempla vide apud Tiraquellum leg. connub. 7. & Chemnitium part. III. loc. p 562. Lege divina tales nuptiæ non fuerunt prohibitæ, unde aliquot earum exempla in sacris literis occurrunt. *Jacob* ducit Rachelem, avunculi sui filiam, Gen. XXIX. 18. *Amram* accepit uxorem Jochabed, patruelem suam, Exod. VI. 20. *Filiæ Salphahad*, Maala, Thersah, Melchah & Noah nupserunt filiis patruorum suorum, Num. XXXVI. 11. *Othoniel* ducit Axam, patrui sui filiam, Josuæ XV. 17. *Josephus* duxit Mariam, patrui sui Eli filiam, Matth. I. 16. &c.

„si adhuc nupta est filio tuo alia ratione „uxorem eam ducere non poteris, quia „eadem duobus nupta esse non potest. Item, „si adhuc privigna tua est, id est, si mater ejus tibi nupta est, ideo eam uxorem „ducere non poteris, quia duas uxores eodem tempore habere non licet. §. 8. *eod.* „Socrum quoque & novercam prohibitum „est uxorem ducere, quia matris loco sunt. „Quod & ipsum dissoluta demum adfinitate procedit, alioquin si adhuc noverca „est, id est, si adhuc patri tuo nupta est, „communi jure impeditur tibi nubere, „quia eadem duobus nupta esse non potest. „Item, si adhuc socrus est, id est, si adhuc filia ejus tibi nupta est, ideo impetiuntur tibi nuptiæ, quia duas uxores habere non potes §. 10. Si uxor tua post „divortium ex alio filiam procreaverit, hæc „non est quidem privigna tua, sed Julianus ab hujusmodi nuptiis abstineri debere ait. *Paulus l. Adoptivus. §. 3. ff. „de rit. nupt.* Idem quod in servilibus „cognationibus constitutum est, etiam in „servilibus adfinitatibus servandum est, veluti, ut eam, quæ in contubernio patris „fuerit, quasi novercam non possim ducere, & contra eam, quæ in contubernio „filii fuerit, patrem quasi nurum non pose ducere, æque nec matrem ejus, quam „quis in servitute uxorem habuit, quasi „socrum. Cum enim cognatio servilis intelligitur, quare non & adfinitas intelligatur? Sed in re dubia certius & modestius est, his nuptiis abstinere. §. 4. *leg. „ead.* Nunc videamus, quomodo noverca, & privigna, & socrus, & nurus intelligantur, ut sciamus, quas non liceat du„cere. Quidam novercam per se patris „uxorem, & nurum filii uxorem, & privignam uxoris ex alio marito filiam in„telligunt, sed quod ad hanc causam ve„rius est, nec avi uxorem, nec proavi du„ci posse, duas ergo, vel plures novercas „ducere non poterit, &c. Sed & si plures uxores pater habuerit, nullam earum du-

§ CCCXXVII. II.) De *adfinitate* traduntur hæ leges:

II.) *De adfinitate.*

1.) *In linea recta.*

1.) In *linea recta.* Justinianus §. 7. Institut. de nupt. „Adfinitatis quoque veneratione a quarumdam nuptiis abstinere necesse est, ut ecce privignam, aut nurum uxorem ducere non licet, quia utræque „filiæ loco sunt. Quod ita scilicet accipi „debet, si fuit nurus tua, aut privigna „tua. Nam si adhuc nurus tua est, id est,

„ ducere possum. Itaque socrus adpella-
„ tione non tantum uxoris meæ mater, sed
„ & avia & proavia intelligitur, ut nullam
„ earum ducere possim. Nurus quoque ad-
„ pellatione non tantum filii uxor, sed &
„ nepotis & pronepotis continetur, licet
„ quidam has pronurus adpellant. Privig-
„ na quoque non solum ea mihi intelligi-
„ tur, quæ uxoris meæ filia est, sed &
„ neptis & proneptis, ut nullam earum du-
„ cere possim. *Papinianus l. Uxorem.* 15.
„ *eod.* Uxorem quondam privigni con-
„ jungi matrimonio vitrici non oportet, nec
„ in matrimonium convenire novercam ejus,
„ qui privignæ maritus fuit. *Modestinus l.*
„ *Non facile.* 4. §. 4. *nomina adfinium re-*
„ *censet, quod sint*, socer, socrus, gener,
„ nurus, noverca, vitricus, privignus, pri-
„ vigna, *& addit* §. 7. Hos itaque inter
„ se, quod adfinitatis causa parentum libe-
„ rorumque loco habentur, matrimonio co-
„ pulari nefas est. „

2.) *In lineis collaterali.*

§. CCCXXVIII. 2.) De *linea collaterali* Valentius, Theodosius & Arcadius l. Fratris. 5. C. de incest. & inutil. nupt. *Fratris uxorem ducendi, vel duabus sororibus conjungendi penitus licentiam submovemus, nec dissoluto quocunque modo conjugio.* Anastasius l. ab incestis. 9. eod. *inter incestas nuptias* refert, si quis *eam, quæ cum fratre quondam nuptiali jure habitaverat, ducere velit.* De reliquis gradibus traditur hæc regula æquitati naturali consentanea, *ut in pari cognationis & adfinitatis gradu par idemque jus statuatur*, quasi quæ personæ in verbis legis omissæ sint, eæ legis sententia tacite comprehendi intelligantur, l. 3. & 4. ff. *de lege Pompeia de paricidiis.* Per adfinitatem enim conciliatur quasi quædam cognatio, ut quo quisque cognationis nomine ab uno conjugum vere adpellatur, eadem ab altero conjuge improprie vocetur, l. *quia parentis.* 16. ff. *Soluto matrimonio* §. *adfinitatis.* Instit. *de nupt.* ex quo provenit, *ut adfinium æque ac cognatorum una domus & familia esse videatur*, ac proinde, quod in l. 5. l. *penult.* & l. *ult.* C. *de incest nupt.* de fratris defuncti uxore sororisque defunctæ marito statuitur, idem in reliquis, in quibus eadem ratio viget, statutum intelligatur, præsertim, cum in dicta lege finali subjiciantur verba: *Aut ut alia ejusmodi committerentur.*

§. CCCXXIX. Extra hos gradus cognationis constituti jure civili matrimonium contrahere non prohibentur. Hinc *privignus matris* cum *privigna patris* potest contrahere. Iustinianus §. Mariti. 9. Inst. de nupt. *Mariti filius ex alia uxore & uxoris filia ex alio marito, vel contra, matrimonium recte contrahunt, licet habeant fratrem sororemve ex matrimonio postea contracto natos.* Papinianus l. generali. 34. §. 2. ff. de rit. nupt. *Inter privignos contrahi nuptiæ possunt, etsi fratrem communem ex novo adparentium* (parentum) *matrimonio susceptum habeant.* Conjunge l. *Titia.* 134. ff. *de verb. obligat.* Sic pater & filius ex priore conjugio possunt matrem & filiam ducere. Duo fratres possunt ducere duas sorores, vel alter matrem, alter filiam ducere potest. Mater uxoris cum patre mariti potest contrahere &c. addit tamen Modestinus utilissimam regulam, quæ in talibus conjunctionibus observanda: l. semper. 42. ff. de rit. nupt. *Semper in conjunctionibus non solum quid liceat, sed etiam quid honestum sit, respiciendum.* Fundamentum, propter quod tales nuptiæ sunt licitæ, consistit in usitata regula, quod tantum inter maritum & uxoris consanguineos, ac vicissim inter uxorem & mariti consanguineos, non autem inter cognatos mariti & cognatos uxoris sit adfinitas matrimonium impediens, cujus regulæ ea ratio a juris civilis interpretibus traditur, quod solus maritus ad cognatorum uxoris fines, ac similiter uxor ad fines cognatorum mariti accessionem fecerit, non autem cognati

mariti

mariti & cognati uxoris inter sese, quod riti & consanguinei uxoris adfinitate sese declarant similitudine ea, ex qua adfinitatis nomen est petitum. Agri confines non in omnibus partibus, sed tantum in finibus & in certo quasi quodam puncto se mutuo adtingunt; sic maritus & uxoris consanguinei, non autem consanguinei mutuo contingunt. *Ex scripturis* (inquit) Chemnitius p. 566. *planior & certior potest dari ratio. Quia scilicet maritus & uxor fiunt inter se una caro, non autem utriusque cognati.*

SECTIO III.

DE GRADIBVS PROHIBITIS IN JVRE CANONICO.

§. CCCXXX.

De prohibitione juris canonici.

A prohibitionibus graduum in jure *civili* transitum facimus ad prohibitiones graduum in jure *canonico*. Ut enim in aliis, ita quoque in hac graduum prohibitione pontifices Romani imperatorum majestatem æmulari, quinimo eamdem sibi subjicere voluerunt; quo successu, adparet ex verbis Danielis Venatorii, juris consulti pontificii, in analysi juris canonici libr. IV. tit. 14. pag. 741. Gloriatur (inquit) Alexander II. in c. *ad sedem apostolicam.* XXXV. q. 5. „se in synodo habita in Lateranensi consistorio, convocatis ad hoc episcopis, & „clericis atque judicibus diversarum provinciarum errorem illorum, qui seculi „legibus, quas Justinianus imperator de „successionibus consanguineorum promulgavit, veterem ecclesiæ computationem „graduum disturbare nituntur, sustulisse, „certumque dinumerationi graduum consanguinitatis modum dedisse; cum tamen „nihil magis dederit, ita enim confuse „de gradibus disseritur in jure canonico, „ut legentis animus, varietate & obscu„ritate materiæ turbatus, nusquam quie„scere, vel intellectum figere possit. Cui „confusioni non parum adjumenti præstare „videtur varius dinumerandorum graduum „modus. Alii namque patrem in primo „gradu, filios in secundo ponunt. Alii „primum gradum filios adpellant, ne„gantes cognationis gradum inter patrem „& filium esse, cum pater & filius una „caro unaque persona juris fictione centum „seantur. *c. Contradicimus. §. auctoritate. 35. quæst. 2 & 3.* „Pari ratione in transversali linea sunt quidam, qui non a fratribus, sed a filiis eorum, id est, patruelibus, vel consobrinis genealogiam numerare incipiunt, adfirmantes filios patrum „in prima generatione computari debere, „cum fratres quasi quidam truncus, ex „qua ceteri ramusculi oriuntur, existant *d. cap. ad sedem. §. Sunt enim 35. quæst. 5.* „Sed nec illam computationem „Alexander a sua putat esse diversam. „Quasi, qui initio numerandi sumto a filiis non progrediatur ultra sextam generationem, sed sicut totius mundi sex „ætates existunt, & humanæ vitæ itidem „sex, ita & in consanguinitate sex tantummodo existiment computandas esse gene„rationes. Quibus finitis novæ conjunctionis (ut quasi fugientem possint revocare consanguinitatem) fiat initium, *d. cap ad sedem §. Sunt enim.* Sed quia a „patribus dinumerationem graduum inciepiunt, septimum generationis gradum ad„jiciunt, nec ultra procedunt, cum ultra „septimum quidem gradum nec consan„guinitas inveniatur, nec nomina gradu„um reperiantur, nec successio amplius „prorogari, vel memoria ulterioris gene„rationis existere possit. *d. c. ad sedem. §. Illa quoque 35. quæst. 5.* Septem igi„tur gradus consanguinitatis ab Isidoro *in*

capo

cap. Primo gradu. 35. *q.* 5. „constituuntur, quorum quilibet certas personas „ordinis superiorum, inferiorum & a latere complectitur.„ Hæc omnia Venatorius.

Ex conciliis.

§. CCCXXXI. Ut autem de prohibitionibus pontificiis rectius judicium fieri possit, *ex conciliis* huc referenda sunt, quæ ad hanc materiam spectant, cum pontifices ad illorum prohibitiones in suis decretis provocent. Collegit ea diligenter Chemnitius de conjugio p. 561. ubi conciliorum canones in quatuor classes redigit. I.) *Quidam canones non extendunt prohibitiones ultra illas metas, quæ in verbo Dei descriptæ sunt.* Sic inter canones, qui *apostolis* tribuuntur, XIX. ita statuit: *Qui duxerit sororem, aut ἀδελφιδῆν, fratris filiam, clericus esse non poterit.* In synodo *Parisiensi*, circa annum 570. quartus canon illicita conjugia definit, *quæ contra præceptum Domini contrahuntur*, & in enumeratione progreditur usque *ad amitam, materteram, patruum, avunculum.* II.) *Quidam canones extendunt prohibitiones usque ad secundum gradum in linea æquali, hoc est, usque ad consobrinos.* Sic canon XXX. concilii *Epaonensis* circa annum 490. sub Gelasio incestas commixtiones sic definit: *Si quis germanam sororem acceperit, si qua avunculi, aut patrui concubitu polluatur, si quis consobrinæ se societ;* addit autem: *Quod ut a præsenti tempore prohibemus, ita ea, quæ sunt anterius instituta, non solvimus.* Eo usque etiam progreditur *Agathensis* concilii circa annum 430. (Baronius ad annum 504.) prohibitio. Idem facit concilium *Arelatense* sub Carolo magno can. XI. circa annum 819. III.) In *Turonensi* synodo secunda circa annum 567. can. XXII. recitantur primo prohibitiones legis divinæ, secundo prohibitiones legum civilium, tertio adduntur prohibitiones synodorum, & nominatim citatur Epaonensis synodus de consobrinis. Turonica vero hæc addit: *Si quis sobrinæ se sociaverit.* Et eadem prohibitio in *Aurelianensi* synodo tertia, tempore Vigilii anno 538. celebrata, habetur. Ex circumstantiis autem colligitur, illas synodos hoc velle, ne quis ex secundo gradu ducat sobrinam in tertio gradu, hoc est, prohibitiones extenderunt usque ad *tertium gradum in linea inæquali.* IV.) *Antisiodorensis* synodus circa annum 619. statuit, can. XXXI. *Non licet consobrinam, hoc est, quæ ex duobus fratribus, vel duabus sororibus procreatur, in uxorem accipere, nec, qui de ipsis nati fuerunt, in conjugio socientur,* hoc est, extensæ fuerunt prohibitiones usque ad tertium gradum in linea æquali.

§. CCCXXXII. Hisce quatuor classibus a Chemnitio adnotatis addi potest V.) Quod quædam concilia prohibitiones cognationis generaliter sic describunt, *usque dum generatio agnoscitur, aut memoria retinetur.* Concilium *Toletanum* II. circa annum 530. can. V. statuit, *ut matrimonium nullus contrahat cum propinquis ullis, usquequo lineamenta adfinitatis generis successione agnoscit.* Concilium *Agathense* circa annum 506. can. LXI. post prohibitionem certorum quorumdam graduum, addit in genere, *ne quis aliquam ex consanguinitate, vel quam consanguineus habuerit, ducat uxorem.* Gratianus in c. *Copulatione.* 35. quæst. 2. adducit canonem concilii *Wormatiensis* circa annum 867. in Germania habiti: *in copulatione fidelium generationis numerum non definimus, sed statuimus, ut nulli liceat christiano de propria consanguinitate, seu cognatione, accipere uxorem, usque dum generatio recordatur, aut cognoscitur, aut in memoria retinetur.* VI.) Quod in concilio *Cabilonensi* circa annum 796. referente Ivone lib. VII. & Gratiano. c. *Contradicimus.* 35. q. 2. usque *ad sextam generationem* prohibitio fuit extensa. Canon sic habet; *Contradicimus, ut in quarta, vel*

vel quinta sextaque generatione nullus amplius conjugio copuletur, ubi autem post interdictum factum fuerit inventum, separetur. VII.) Quod in concilio *Lugdunensi* circa annum 579. usque ad *septimum gradum* prohibitio extenditur c. *Nulli* 35. quæst. 2. *Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant, neque sine benedictione sacerdotis, &c.* Idem statutum in concilio *Meldensi*, referente Ivone libr. VII. & Gratiano c. *de adfinitate.* 35. quæst. 2. quos Cabilonensis & Lugdunensis concilii canones Gratianus sic conciliare nititur, quod gradus cognationis diversimode computentur. Cabilonense patrem in *primo* gradu, filios in *secundo* ponit. Lugdunense *primum* gradum filios adpellat, cum enim pater & filius sint una caro, inde inter eos non est gradus cognationis, ex quo fit, ut eædem personæ secundum hanc diversitatem inveniantur in sexto, vel septimo gradu.

Ex pontificum decretis.

§. CCCXXXIII. Hisce synodorum posteriorum canonibus conformes sunt pontificum constitutiones, quæ itidem usque ad *septimum* gradum prohibitionem tandem extenderunt. Calixtus epist. II. ad episcop. Gall. qui sedit circa annum Christi 219. ad *leges divinas & imperatorias* prohibitionem unice revocat. c. *Conjunctiones.* 35. quæst. 2. *Conjunctiones consanguineorum prohibentur, quare? quia has divinæ seculique prohibent leges, &c. eos autem consanguineos dicimus, quos divinæ & imperatorum, ac Romanorum atque Græcorum leges consanguineos adpellant, & in hereditate suscipiunt.* Fabianus, qui sedere cœpit anno 1236. *quartum* adfinitatis gradum prohibet. c. *De propinquis.* 35. quæst. 2. *De propinquis, qui ad adfinitatem per virum & uxorem veniunt, defuncta uxore, vel viro in quinta generatione conjungantur, in quarta si inventi fuerint, non separentur, in tertia tamen propinquitate non licet accipere uxorem alterius post obitum ejus.* Hoc decretum Fabiani, ut cum reliquis posteriorum pontificum decretis adfinitatem non minus, quam consanguinitatem ad septimum usque gradum extendentibus Gratianus conciliare possit, explicat illud de *secundo genere adfinitatis*, de duabus scilicet sororibus, vel personis inter se adfinitate conjunctis, ut sunt uxores duorum fratrum, si contigerit unam earum alicui matrimonio copulari, post mortem ejus vir non poterit adfinem superstitem in conjugem ducere, nisi in quinto gradu adfinitatis inveniantur, unde qui novercam alicujus in uxorem duxerit, post mortem ejus uxorem privigni ducere non poterit. Julius papa, qui sedere cœpit anno 237. c. *Nullum.* 35. quæst. 2. ad *septimum gradum* prohibitionem primus extendit. *Nullum* (inquit) *in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel uxoris, usque in septimum generis gradum uxores ducere, vel incesti macula copulari. Præterea quoque illud adjecimus, quoniam sicut non licet cuiquam christiano de sua consanguinitate, sic etiam nec licet de consanguinitate uxoris suæ conjugem ducere propter carnis unitatem.* Hanc Julii constitutionem secuti sunt reliqui pontifices, Gregorius, qui sedere cœpit anno 290. in concilio Meldensi & habetur c. *De adfinitate.* 35. quæst. 2. *De adfinitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit usque ad septimam generationem observare.* Idem Gregorius, cum ad interrogata Augustini, Cantuariensis in Anglia episcopi; cap. VI. (quod habetur c. *Quædam.* 33. quæst. 3.) in hanc sententiam scripsisset: *Quædam lex Romana permittit, ut sive fratris, sive sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur, sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere, unde neceſſe est, ut in quarta, vel quinta generatione*

tione fidelium licenter sibi conjungantur; & hoc nomine a Felice, Messanensi in Sicilia episcopo, per literas compellaretur, respondit ei in hunc modum lib. XII. epistola 51. „Quod scripsi Augustino, Anglo„rum gentis episcopo ipsi etiam Anglo„rum genti, quæ nuper ad fidem vene„rat, ne a bono, quod ceperat, metuen„do austeriora recederet, specialiter & „non generaliter me certissime scripsisse „cognoscas, nec ea intentione hæc ei „scripsi mandata, ut postquam firma ra„dice in fide fuerint solidati, si infra pro„priam consanguinitatem inventi fuerint, „non separentur, aut infra adfinitatis lineam, „id est, usque ad septimam generationem „jungantur, sed quod adhuc illis neophy„tis existentibus, eis primum illicita con„sentire, & eos verbis ac exemplis in„struere oportet. *Ibidem*: Progeniem „suam unumquemque usque ad septimam „decernimus observare generationem, & „quamdiu se agnoscant adfinitate propin„quos, ad conjugalem copulam accedere „denegamus, quod si fecerint, separentur.„ Nicolaus papa, qui sedere cœpit anno 858. in epistola ad Amalphitanæ ecclesiæ episcopos, & habetur, c. *De Consanguinitate.* 35. quæst. 2. *De consanguinitate sua uxorem nullus ducat usque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci potest.* Inde Alexander II. qui sedit post annum Domini 1060. in concilio Lateranensi adserit, *antiquum morem ecclesiæ per longa tempora durasse, ut usque ad septimum gradum conjugia interdicerentur.* cap. ad sedem. 35. quæst. 5.

§. CCCXXXIV. Atque hæ constitutiones, si numeratio graduum juxta computationem *juris civilis* instituatur, cum præcedentium synodorum canonibus usque ad sobrinos inclusive prohibitionem extendentibus ferme conveniunt, nam & Modestinus in l. *Non facile* 4. ff. *de gradib. & adfin.* in hereditatis successione sic numerat: *Non facile*, inquit, *quod ad jus nostrum adtinet, cum de naturali cognatione quæritur, septimum gradum quis excedit, quatenus ultra eum fere gradum rerum natura cognatorum vitam consistere non patitur.* Quam computandi rationem in septimi gradus prohibitione fuisse a conciliis & pontificibus vetustioribus observatam, ex ipso prohibitionis contextu facile intelligitur. Sic enim habet rescriptum Gregorii: „De adfinitate consanguinita„tis per gradus cognationis placuit usque „ad septimam generationem observare, „nam & hereditas rerum per legales in„strumentorum definitiones sancita, us„que ad septimum gradum producit here„dum successionem, non enim succede„rent, nisi eis de propagine cognationis „deberetur," ubi & ipsum nomen *generationis*, in regulis civilis computationis usitatum, & subjecta prohibitioni ratio manifeste ostendit, ad civilem computandi rationem vetustiores illos pontifices in septimi gradus prohibitione respexisse. Sed *Alexander II.* circa annum 1060. in concilio *Lateranensi* sub anathemate definivit non juxta civilem, sed juxta canonicam supputandi rationem septimi gradus prohibitionem esse accipiendam. cap. *Ad sedem* 15 quæst. 5. rationem reddit Isidorus c. *Consanguinitas.* 35. quæst. 4. *Ideo usque ad sextum generationis gradum* (si scilicet pater & filius pro una persona habeantur) *consanguinitas statuta est, ut sicut sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.* Tandem vero cum experientia testatum redderet, prohibitionem illam nimis late vagari, sub *Innocentio III.* anno 1215. in concilio *Lateranensi* cap. L. prior illa pontificum constitutio fuit abrogata, & prohibitio conjugalis copulæ usque ad gradum *quartum* inclusive fuit restricta, ut scilicet quartum gradum non excedat, cujus abrogationis rationem præcipuam Bellarminus de matrim. cap. XXIX. circa fin. hanc adsignat,

signat, quod experientia doceat, *non posse hoc tempore tot graduum prohibitionem sine ingenti dispendio conservari. Nam quia ætas decrevit, & caritas refrixit, & concupiscentia aucta est, fit sæpissime, ut homines non recordentur tantæ multitudinis consanguineorum & adfinium, & se ad illos tanquam ad extraneos habeant, & ideo frequenter in gradibus prohibitis plurimi ex ignorantia, vel negligentia, contraherent matrimonia, si adhuc prohibitio illa duraret, inde autem plurima dubia, lites & scandala orirentur.* Verba ipsa decreti in concilio editi sic habent, tom. III. concil. a Binio editorum part. II. pag. 1460. *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo, &c. Prohibitio igitur copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & adfinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. Quaternarius enim numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit apostolus, quod* vir non habeat potestatem sui corporis, sed mulier: nec mulier habeat potestatem sui corporis, sed vir; *quia quatuor sunt humores in corpore, quod constat ex quatuor elementis, &c.* In eodem concilio abrogatæ sunt prohibitiones de conjugio in *secundo & tertio adfinitatis genere* minime contrahendo ab antiquioribus pontificibus promulgatæ, cum animadversum fuisset, *eas & difficultatem frequenter inducere, & periculum animarum parere*, ut habent verba concilii d. c. 50.

Regulae de prohibitione juris canonici.

§. CCCXXXV. Jure igitur pontificio novissimo de prohibitionibus graduum hæ traduntur regulæ, quæ etiam in praxi apud Romanenses observantur, (nisi scilicet pontificis dispensatio, quæ pecuniæ interventu facile impetratur, in quibusdam casibus interceserit.) I.) De *consanguinitate.* 1.) In linea recta. *Matrimonium inter consanguineos adscendentes & descendentes in infinitum est prohibitum.* Panormitanus ad c. *Non debet.* num. 8. X. *De consang. & adfin.* Canisius in summ. juris canon. libr. II. tit. 12. ubi dicit, *contra jus gentium agere, qui prohibitionem in linea recta usque ad quartum duntaxat gradum restringunt.* Venatorius hanc regulam colligit ex c. *In copulatione.* 35. quæst. 2. & addit ex glossatore, l. *nupt.* ff. de ritu nupt. *Si Adam hodie viveret, nullam posset invenire uxorem, quam sibi matrimonio jungeret, omnes enim ab ipso primo parente originem ducimus.* Bellarminus de matrimonio cap. XXIV. §. *ex quo* dicit, *a multis hoc negari, quod prohibitio in linea recta in infinitum se extendat*, interim tamen cap. XXVIII. §. *est autem* &c. fatetur, *hanc esse communem sententiam.* In his igitur gradibus propter reverentiam sanguinis nullum dispensationi esse locum communiter statuunt, sed a Bellarmino, qui cap. XXVIII. §. *& aliquod* &c. disputat, *in extremo casu non esse omnino contra humanam rationem ejusmodi conjugium, si accederet auctoritas dispensantis Dei*, forte haud difficulter impetrari posset, ut statueret in extremo necessitatis casu pontificem, utpote Dei in terris vicarium, etiam in his gradibus dispensare posse.

I.) *In consanguinitate.*

1.) *In linea recta.*

2.) *In linea collaterali prohibitum est matrimonium usque ad quartum gradum inclusive.* c. *Non debet* X. *De consang. & adfinit.* In his gradibus omnibus dispensat pontifex, excepto primo, in fratris scilicet & sororis ex utroque, vel altero tantum parente cognatæ conjugio, in quo tamen

2.) *In linea collaterali.*

tamen dispensasse aliquando Martinum quintum quidam scriptores referunt, ut monuimus superius. Cæterum hæc prohibitio usque ad quartum gradum se extendens de utraque linea tam *æquali*, quam *inæquali* intelligitur.

§. CCCXXXVI. II.) De *adfinitate* hæ traduntur regulæ. 1.) *Qui gradus in consanguinitate, illi etiam in adfinitate prohibiti censentur* c. De propinquis 35. q. 2. *Æqualiter vir conjungatur matrimonio eis, quæ sibi consanguineæ sunt & uxoris suæ consanguineis post mortem uxoris.* c. Æqualiter. eodem. *Æqualiter vir conjungatur consanguineis propriis & consanguineis suæ uxoris.* c. Sane. eodem. *Consanguinitas, quæ in proprio viro servanda est, hæc in uxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est, quia constat eos duos fuisse in carna una, ideoque communis illis utraque parentela censenda est.* c. Ex literis. Extra. de consang. & adfinit. *Æque abstinendum est a consanguineis uxoris, ut propriis.* Sicut ergo inter consanguineos adscendentes & descendentes ratione consanguinitatis matrimonium in infinitum est prohibitum: Sic etiam inter adfines adscendentes & descendentes, cum loco parentum & liberorum habeantur, perpetuo prohibetur; ac sicut inter consanguineos transversales usque ad quartum gradum inclusive matrimonium prohibetur: ita quoque inter adfines a latere in primo genere adfinitatis prohibitio ad quartum gradum se extendit. 2.) *Inter consanguineos mariti & consanguineos uxoris non est adfinitas matrimonium impediens.* Olim quidem juxta veterum pontificum constitutiones etiam in secundo & tertio adfinitatis genere erant quædam prohibitiones, nam ut in primo genere adfinitas erat prohibita usque ad septimum gradum, perinde ut consanguinitas; c. *Nullum.* 35. quæst. 3. sic prohibitio in secundo genere adfinitatis extendebatur usque ad quartum gradum. c. *De propinquis.* 35. quæst. 3. In tertio genere adfinitatis prohibitio extendebatur usque ad secundum gradum; c. *Pro duorum.* 35. quæst. 3. sed per constitutionem Innocentii in concilio Lateranensi prohibitiones in secundo ac tertio adfinitatis genere penitus sunt sublatæ, unde hodiernis legibus & moribus pater & filius possunt ducere matrem & filiam, ac duo fratres matrem & filiam, seu duas sorores cap. *Quod super his.* Extra. *de consang. & adfin.*

II.) *In adfinitate.*

§. CCCXXXVII. Quamvis vero prohibitiones vetustiores, quæ usque ad septimum gradum extendebantur, in ecclesia Romana sint abrogatæ, & ad quartum gradum tam in *consanguinitate*, quam in *adfinitate* restrictæ; nondum tamen persuaderi possunt ecclesiæ nostræ, ut papalium illarum prohibitionum jugo sese subjiciant, quin potius firmiter statuunt, eas multis modis vitiosas esse.

Quid in illis prohibitionibus improbemus?

I.) Ratione *causæ efficientis.* Promulgatæ sunt hæ leges *auctoritate papæ*, qui exclusa magistratu politico christiano tales prohibitiones introduxit. Jam vero potestas ferendarum legum ecclesiasticarum non competit soli pontifici, ut in tractatu de ministerio late fuit demonstratum, politicarum legum ferendarum potestas nullo modo ipsi competit. *Romanus pontifex non est supra Christum*, scribit Brentius in comment. Lev. XVIII. *cum ipse etiam non nisi ejus vicarium se faciat. At Christus non venit leges politicas constituere, sed verbum DEI adnunciare.* Ergo nec Romanus pontifex debet, aut potest ejusmodi leges ferre. Bellarminus de matrimon. cap. XXIX. regerit: 1.) *Christum potuisse ferre leges politicas, si voluisset, quod autem per se potest, id etiam per vicarios potest.* Resp. imo vero *regnum* suum esse *de hoc mundo* negavit Joh. XVIII. 36. quæsitus ad re-

I.) *Ratione causæ efficientis.*

gnum terrenum fuit, Joh VI. 15. judicem de terrenorum bonorum distributione se esse negavit, Luc. XII. 14. nec usquam politicam aliquam legem proferre voluit, cum officii sui partes in his terris perageret; quod aliud hodie velit per suum vicarium, Romanum scilicet pontificem, agere, Bellarminus nondum demonstravit. 2.) *Leges de matrimonio non esse mere politicas, sed spirituales, cum matrimonium sit sacramentum.* Resp. hypothesis hæc falsa est; interim libenter concedimus, conjugium in ecclesia Dei non esse mere politicam constitutionem, sed sanctam Dei ordinationem, ideoque magistratum, si de matrimoniis leges ferre velit, ecclesiastici ministerii consilium & suffragium adhibere debere. 3.) *Christum ipsum de matrimonio tulisse leges, cum polygamiam & repudium sustulit.* Resp. aliud est novas leges ferre, aliud ad primævam conjugii legem in paradiso jam olim promulgatam quæstiones de causis matrimonialibus exigere, & abusus contra eam introductos abolere. Prius a Christo factum esse negamus, posterius concedimus. Sed de hoc argumento plura dicemus inferius in quæstione de judice matrimonialium causarum. 4.) *Ecclesiæ relictam esse potestatem alia multa statuendi, ut circa alia sacramenta, ita etiam circa matrimonia, unde plena sunt concilia vetera canonibus de matrimonio.* Resp. ut in aliis, ita quoque in casibus matrimonialibus, ecclesiæ concedimus potestatem statuendi ea, quæ faciunt ad τάξιν & εὐχημοσύνην, sed solus pontifex non est ecclesia, & conciliorum veterum canones magistratus politici auctoritate sunt confirmati, quæ in recentioribus pontificum constitutionibus deficit.

§. CCCXXXVIII.

II.) *Ratione causæ materialis.* Ratione *causæ materialis.* Extenditur prohibitio usque ad gradum quartum, cum lex divina non progrediatur ultra secundum gradum. Prohibitionem *tertii gradus* divinis prohibitionibus velut sepimenti loco a christiano magistratu addi posse concedimus, ut inferius adparebit; sed non adparet ratio, cur *quartum gradum* voluerint adjectum, hujus enim prohibitionis nec in lege divina, nec in jure civili, nec in vetustiorum conciliorum canonibus ullum exstat vestigium. Rabanus in epistola ad Humbert. *Quod pontifices usque ad sextum, vel septimum gradum conjugium prohibent, magis ex consuetudine humana, quam ex lege divina eos præcepisse credendum.* Postea addit, *hujusmodi prohibitiones adulteriis occasionem præbere*, & ex eo infert, *bonum esse, ut prætermissis illis prohibitionibus, legis divinæ servetur constitutio.* Idem de prohibitione quarti gradus dicimus. Regerit Bellarminus, *prohibitiones Leviticas esse Judaico tantum populo peculiares, ac aliud convenire illi uno populo, aliud ecclesiæ christianæ per omnes gentes diffusæ.* Respondemus: imo vero leges illæ, cum sint naturalis & moralis legis partes, omnibus hominibus sunt latæ, ut ostendimus superius. Neque quæstio hic est, an possit christianus magistratus gradibus divina lege prohibitis quasdam prohibitiones addere? sed an ad quartum usque gradum prohibitio sit extendenda? Si *ad notitiam cognationis* velint confugere, respondemus, eam ultra quartum gradum se extendere, ergo etiam ultra quartum gradum prohibitio debebat extendi, unde Alexander II. illud, quod in concilio Toletano II. statuitur, *ut matrimonium nullus contrahat cum propinquis ullis, usquequo lineamenta adfinitatis generis successione cognoscit*, in cap. *Ad sedem* 35. quæst. 5. eo modo explicat, quod *prohibita sunt conjugia usque ad septimum gradum, cum nullus ultra septimum cognationem ullam agnoscat.* Quod si hæc ratio firma, non debebat prohibitio septimi gradus ab Innocentio aboleri. Adde quod *non notitia cognationis, sed naturalis reverentia con-*

san-

sanguineis & adfinibus debita sit prohibitionis fundamentum, ut Bellarminus in principio hujus capitis recte disputat. Si ad legem generalem, Lev. XVIII. 6. *Nemo ad propinquam carnis suæ accedat*, confugere velint, respondemus, Deum ipsum subjectis certis graduum speciebus generalem illam prohibitionem explicasse. Si Innocentii rationem, quod *quia sint in corpore humano quatuor humores, ideo ad quartum usque gradum convenienter prohibitio extendatur*, proferre velint, connexionis vinculum nobis monstrari postulabimus. Bellarminus dicit, *esse tantum congruentiam quamdam, non tamen ineptam, sed plane physicam. Quia enim homo ex quatuor elementis constat, colligi admodum probabiliter, in quarto gradu penitus deficere vim illam sanguinis ejusdem, quæ a primo stipite trahitur.* Sed quidni etiam ex Bonaventura addimus, quia corpus habet quatuor humores & anima tres potentias, quæ conjuncta faciunt septem, ideo in septimo demum gradu vim illam sanguinis deficere? Si in quarto gradu vis illa sanguinis a stipite descendens deficit, sicque consanguinitas matrimonium impediens cessat, cur in linea recta prohibitio non in quarto gradu terminatur, sed in infinitum extenditur? Si in quarto gradu penitus deficit vis omnis sanguinis ejus, qui a primo stipite trahitur, cur pontifices ante Innocentium extenderunt prohibitionem usque ad gradum septimum? Deficiente prohibitionis causa in gradu quinto, sexto & septimo, cessare etiam debuisset ipsa prohibitio. Si in quarto gradu vis sanguinis cognati deficit, cur Bellarminus ipse cap. XXIV. disputat, *non facile sciri posse, quousque virtus illa ejusdem sanguinis perseveret, ac probabile esse, nunc in pluribus, nunc in paucioribus generationibus conservari, prout in uno potentior est virtus, quam in alio.* Sed quid hisce nugis ulterius immoramur?

§. CCCXXXIX. III.) Ratione *causæ formalis*. Prohibitiones pontificiæ divinis prohibitionibus exæquantur, dum pari ratione conscientias obligare dicuntur, ac dum pontifex potestatem dispensandi non solum in quarto gradu, cujus prohibitionem ipse introduxit, sed etiam in secundo lineæ inæqualis gradu divinitus prohibito sibi arrogat. At abesse a nobis debet quam longissime, ut hunc antichristianum fastum probemus. IV.) Respectu *causæ finalis*. Prohibitiones pontificiæ spectant confirmationem papalis primatus in ecclesia, & sunt aucupia pecuniarum. *Figunt enim leges pretio atque refigunt* Romani illi deastri. In concilio quidem Tridentino sess. XXIV. canon. 5. de reformat. matrimon. statutum, quod *in contrahendis matrimoniis vel nulla omnino dari debeat dispensatio, vel raro, eamque ex causa & gratis esse concedendam, in secundo gradu nunquam dispensandum, nisi inter magnos principes & publicam causam.* Sed praxis ostendit, plumbum papalis dispensationis auro facile impetrari posse.

III.) *Ratione causae formalis.*

IV.) *Ratione causae finalis.*

§. CCCXL. Atque hæc de prohibitionibus juris canonici sint dicta. Quia vero Calixtus provocat non solum ad *Romanorum*, sed etiam *Græcorum* leges, *consanguineos*, (inquit epistola II. quæ habetur c. *Conjunctiones.* 35. quæst. 2.) *dicimus eos, quos divinæ & imperatorum, ac Romanorum atque Græcorum leges consanguineos adpellant;* ideo coronidis loco ex Græcæ ecclesiæ constitutionibus & patrum vetustiorum scriptis quædam ad hunc locum referemus. Quæ fuerint ecclesiæ Græcæ hac de re constitutiones & observationes, colligi potest ex Harmenopulo, Nomophylace & Judice Thessalonicensi, qui in epitom. juris civilis, libr IV. tit. 6. scri-

De legibus Graecorum.

scribit, patriarcharum statuta, a Græcis imperatoribus confirmata, usque ad tertium lineæ æqualis gradum extendisse prohibitiones. *Ego*, inquit, *non possum ducere filiam sororis, vel fratris, sive patris, sive matris meæ*, hoc est, prohibita sunt conjugia consobrinorum in secundo gradu lineæ æqualis. *Nec meus filius potest illius neptim ducere*, hoc est, qui sobrini inter se sunt, non possunt matrimonio conjungi, sicque prohibita sunt matrimonia etiam in tertio gradu lineæ æqualis. Sobrinos Harmenopulus dicit esse in *gradu sexto*, scilicet juxta rationem computandi in jure civili receptam.

Ex patribus. §. CCCXLI. In patribus pauca de prohibitis gradibus occurrunt, cum de cœlibatu extollendo & promovendo magis, quam de castis conjugii legibus soliciti fuisse videantur. Apud Ambrosium exstat epistola ad Paternum, qui ab imperatoribus amplissimum honorem acceperat, lib. VIII. epist. 66. ex qua multa observari possunt. Paternus ille cupiebat filio neptem copulare ex filia, hoc est, ut frater acciperet sororis filiam, maxime quia frater ille diversa matre editus erat, quam soror, cujus filiam ducere volebat. Requisivit Paternus Ambrosii consilium, quod ipsi in ea epistola communicat: ex ea colligitur, ecclesiæ veteris doctores nequaquam a se alienum judicasse in causis matrimonialibus, præsertim in quæstione de prohibitis gradibus, sententiam suam exponere. Negat Ambrosius, tale conjugium esse licitum, id quod variis confirmat rationibus. 1.) Ex lege divina. *Prius*, inquit, *sacræ legis scita interrogemus, prætendis enim in tuis literis, quod permissum hoc jure divino connubium hujusmodi pignoribus existimetur, eo quod non sit prohibitum, ego autem & prohibitum adsero.* Et postea: *Illud licet in vet. testamento legimus, ut aliquis uxorem suam sororem duceret, tamen istud inauditum, ut quisquam neptem suam in uxorem accipiat, & conjugem ducat.* Ergo Ambrosius nequaquam statuit cum pontificiis, leges divinas in Levitico propositas tantum ad populum Judaicum pertinere, sed omnibus eas latas esse. Prætendebat Paternus, *personas tales non prohiberi expresse in Levitico*, respondet Ambrosius: *Si ideo permissum putas, quia specialiter non est prohibitum, nec illud prohibitum sermone legis reperies, ne pater filiam suam uxorem accipiat.* Ergo Ambrosius statuit prohibitiones in Levitico non tantum ad personas nominatim expressas, sed etiam ad gradus æquidistantes pertinere. Insuper ex lege divina a minori ad majus hoc modo concludit: *Quid est, quod dubitari queat*, (tale conjugium esse illicitum) *cum lex divina etiam patrueles fratres prohibeat convenire in conjugalem copulam, qui sibi quarto sociantur gradu?* Quamvis vero in eo occurrat ἁμάρτημα aliquod μνημονευτικὸν, cum hic gradus secundus lineæ æqualis non sit prohibitus lege divina; (nisi velimus dicere, Ambrosium sibi hoc voluisse, quod nemo possit patruelem sive amitam suam ducere, hoc est, quod prohibitus sit *gradus secundus lineæ inæqualis*, sicut Bellarminus de matrimon. c. XXVII. in exempl. tert. existimat, Exod. VI. 20. in vulgata versione nomen patruelis accipi pro patrua, non pro sorore patruele) tamen ex eo intelligitur, quod Ambrosius confirmet regulam superius propositam. §. CCLXXXVIII. *Si remotior gradus prohibetur, multo magis propinquior intelligitur prohibitus. Cum leviora*, inquit, *interdicta sint de patruelibus fratribus, multo magis hoc, quod arctioris est plenum necessitudinis, interdictum arbitror. Qui enim leviora adstringit, graviora non solvit, sed adligat.* Prætendebat Paternus, *sororem ex diversa matre editam fuisse, quam fratrem, qui illius filiam ambiebat.* Respondet Ambrosius, *quasi vero & uterini fratres, id est, diverso patre, sed eadem matre geniti*

niti possint diverso sexu inter se conjugio convenire, cum & ipsi agnationis jus habere non queant, sed cognationis tantum titulo sibi connexi sint. Ergo confirmat Ambrosius regulam quartam superius §. CCLXXXI. propositam, quod *prohibitio complectatur utrumque genus propinquitatis, sive ex utroque, sive ex alterutro tantum parente originem trahat.* 2.) Ex jure naturali. *Interdictum est*, inquit, *naturæ jure, interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum. Interdictum est inviolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis. Quanta hujusmodi invenies non esse interdicta lege per Mosen edita, & tamen interdicta sunt quadam voce naturæ?* Hanc autem legis naturalis prohibitionem deducit Ambrosius, tum ex nominum confusione ex tali conjugio oritura, tum ex proxima ejusmodi personarum propinquitate. *Interroga*, inquit, *nominum religionem, nempe avunculus iste filius, illa hujus neptis vocatur. Nec ipse te revocat sonus nominum, cum hic avum resonet, illa hoc nomen ad avunculum, quod ad avum referat? Quanta deinde etiam reliquorum confusio vocabulorum. Idem avus & socer vocabere, ea quoque tibi neptis & nurus diverso nomine nuncupabitur. Mutuabuntur etiam fratres diversa vocabula, ut illa socrus fratri sit, iste gener sorori. Nubat avunculo suo neptis, & immaculatorum pignorum caritas illecebroso amore mutetur.* Et postea: *Quid tam solemne, quam osculum inter avunculum & neptem, quod iste quasi filiæ debet, hæc quasi parenti? hoc igitur inoffensæ pietatis osculum suspectum facies de talibus cogitando nuptiis, & religiosissimum sacramentum caris pignoribus eripies?* Ergo Ambrosius statuit, a conjugiis illis, ex quibus confusiones adpellationum propinquitatis & cognationis oriuntur, ipsam naturam abhorrere. 3.) Ex jure civili. *Hic* (inquit) *tertius gradus est, qui etiam civili jure a consortio conjugii exceptus videtur.* (numerat autem secundum computationem juris civilis) Et postea: *Si divina te prætereunt, saltem imperatorum præcepta, a quibus amplissimum accepisti honorem, haudquaquam præterire te debuerunt. Nam Theodosius imperator etiam patrueles fratres & consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, & severissimam poenam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora; & tamen illi invicem sibi æquales sunt, tantummodo quia propinquitatis necessitudine & fraternæ societatis ligantur vinculo, pietati eos voluit debere, quod nati sunt.* Provocat Ambrosius ad legem Theodosii, quæ tamen a filiis ejus postmodum fuit abrogata, ut ostendimus superius: ergo ostendit, magistratum christianum habere potestatem ferendi leges de prohibitis gradibus. Prætendebat Paternus, *matrimonium inter patrueles esse alicui relaxatum*, id est, intercessisse dispensationem, Ambrosius respondet, *hoc legi non præjudicare.* Quod enim in commune statuitur, ei tantum proficit aut relaxatum videtur. 4.) Ab honestate. *Multa sunt*, (inquit) *quæ licet facere, sed non expedit. Omnia enim licent, sed non omnia expediunt. Omnia licent, sed non ædificant. Si ergo etiam ab iis nos revocat apostolus, quæ non ædificant, quomodo faciendum putamus, quod & non licet legis oraculo & non ædificat discrepante pietatis ordine?* Ergo Ambrosius probat regulam Modestini: *In nuptiis non solum, quid liceat, sed etiam quid honestum sit, semper est respiciendum.*

§. CCCXLII. Augustinus libr. XV. de civ. Dei cap. XVI. de prohibitis gradibus sic disserit: „Humano genere crescente & multiplicato etiam inter impios „deorum multorum falsorumque cultores „sic observari cernimus, ut etiamsi perversis legibus permittantur fraterna con„jugia, melior tamen consuetudo ipsam „malit exhorrere licentiam, & cum soro-

res

„res accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, „sic averſetur, quaſi nunquam licere potuerit. Ad humanum enim ſenſum vel „adliciendum, vel offendendum mos valet „plurimum, qui cum in hac cauſa immoderationem concupiſcentiæ coërceat, eum „deſignari atque corrumpi merito eſſe nefarium judicatur. Si enim iniquum eſt „aviditate poſſidendi transgredi limitem „agrorum, quanto eſt iniquius libidine „concumbendi ſubvertere limitem morum? Experti autem ſumus in connubiis „conſobrinorum etiam noſtris temporibus „propter gradum propinquitatis fraterno „gradui proximum quam raro per mores „fiebat, quod fieri per leges licebat, quia „id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Veruntamen factum etiam licitum propter vicinitatem „horrebatur illiciti, & quod fiebat cum „conſobrina, pæne cum ſorore fieri videbatur, quia & ipſi inter ſe propter tam „propinquam conſanguinitatem fratres vocantur, & pæne germani ſunt.„ (Sic Cicero lib. V. de finib. L. Ciceronem, patrui ſui filium, fratrem nominat) Et poſtea: „Quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam „conſobrinarum prohibita eſſe conjugia, „non ſolum propter multiplicandas adfinitates, ne habeat duas neceſſitudines una „perſona, cum duæ poſſint eas habere, „& numerus propinquitatis augeri; ſed „etiam, quia neſcio quomodo ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale atque „laudabile, ut cui debet cauſa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat quamvis generatricem, tamen libidinem, &c.„ Gregorii ad interrog. Auguſt. Anglorum epiſcopi c. VI. reſponſum adduximus ſuperius §. CCCXXXII.

SECTIO IV.

DE GRADIBVS PROHIBITIS IN JVRE MVNICIPALI.

§. CCCXLIII.

De prohibitione juris municipalis.

Cum magiſtratus poteſtate ferendarum legum divinitus ſit inſtructus, ideo tenentur ſubditi etiam illis legibus, quas cujusque regni, ſive provinciæ magiſtratus gravi conſilio & utili fine de prohibitis cognationum gradibus promulgat, obedientiam præſtare, nec ſolum a matrimoniis in Levitico prohibitis, ſed etiam ab illis, quæ per leges municipales interdicta ſunt, abſtinere. Chemnitius recenſet vetuſtas quasdam Germanorum leges, quæ poſt converſionem ad fidem in prohibitis gradibus apud ipſos fuere uſitatæ. Leges Salicæ tit. XIV. hanc habent conſtitutionem: *Si quis ſororem, aut fratris filiam, aut certe alterius gradus conſobrinam, aut fratris uxorem, aut avunculi, ſceleratis nuptiis ſibi junxerit, huic poenæ ſubjaceant, ut a tali conſortio ſeparentur, atque etiam ſi filios habuerint, non habeantur legitimi heredes, ſed infamia ſint notati.* Leges Alemannorum tit. XL. de illicitis nupt. *Nuptias prohibemus inceſtas. Itaque uxorem habere non liceat ſocrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam ſororis, fratris uxorem, uxoris ſororem, filii etiam fratrum & filii ſororum inter ſe nulla præſumtione jungantur. Si quis contra hæc fecerit, a loci judicibus ſeparetur, & omnes facultates amittat.* Eadem conſtitutio repetitur in legibus Bojaricis, tit. VIII. Leges Longobardorum tit. LXVIII. *Nulli liceat novercam, id eſt, matrimam ſuam, neque privignam, quæ eſt filiaſtra, neque cognatam, quæ fuit uxor fratris, ducere.* In legibus Luitprandi tit. XXIV. ſuperiora repetuntur, & præterea additur: *A modo nullus homo præſumat relictam de conſo-*

sobrino, aut insobrino suo (in tertio gradu lineæ æqualis) *sororem ducere.*

§. CCCXLIV. Nostro tempore in ecclesiis electoratus ac ducatuum Saxonicorum observatur constitutio ecclesiastica electorum Mauritii, anno 1543. & Augusti vere augusti promulgata, anno 1580. in qua sub tit. *Von Ehesachen.* fol. 109. de gradibus cognationis hæ traduntur regulæ. 1.) In *linea recta tum consanguinitatis, tum adfinitatis respectu, prohibitio in infinitum se extendit: Die Personen, welche den Namen Vaters oder Mutters, deßgleichen der Kinder tragen, als Vater, Mutter, Grosvater, Grosmutter, und so fort.* Item *Kinder, Kindeskinder und so fort, wenn es auch gleich Stieffeltern und Stieffkinder seyn, sollen sich miteinander in Ehegelöbniß nicht einlassen.* 2.) In *linea collaterali prohibitio extenditur usque ad tertium gradum lineæ inæqualis inclusive. Die Personen, welche seithalben einander im dritten Glied ungleicher Linien verwandt seyn, sollen einander nicht ehelichen, als da seyn alle die Personen, so von einerley Eltern, Vater oder Mutters halben geboren und herkommen, und von ihren gemeinen Eltern an zu rechnen, die eine Kindeskindes Kind, die ander Kindeskind ist, und also nach der Person, von welcher sie zugleich ihren Ursprung haben, ihr eins die ander und eins die dritte Person ist, und was auch unter denen einander näher verwandt seyn mag, diese alle sollen sich in Ehegelöbniß nicht einlassen.* Adpendicis loco prohibentur etiam in remotioribus gradibus personæ conjungi, *quæ sunt sibi invicem loco parentum & filiorum*, hoc est, qui uno tantum gradu a stipite diviſi, ut frater & soror, illi reliquis inferioribus utrinque ex oppositio exstantibus sunt loco parentum. Sic prohibitum est ducere proavi sororem, quamvis quarto lineæ inæqualis ab ea distet, unde additur: *Wie denn auch niemand sich mit des Grosvaters Vatern, oder Grosmutter Mutter Geschwister, weil dieselbe der Eltern statt halten, ehelich verloben soll.* 3.) *Qui gradus prohibiti sunt in consanguinitate, illi etiam in adfinitate prohibiti censeantur*, quod tamen intelligendum de adfinitate primi generis & proprie sic dicta, quæ est inter maritum & consanguineas uxoris, & inter uxorem ac consanguineos mariti. Verba constitutionis sic habent: *Wie nun den Personen wegen der Blutfreundschaft sich in Ehegelöbniß einzulassen verboten, also sollen auch die, welche Schwägerschaft halben einander ebenmäßig verwandt, sich in Ehegelöbniß nicht einlassen, denn so nahe als der verstorbene Ehegatte seinen eigenen Blutfreunden zugethan, so nahe ist auch denselben sein hinterlassener Ehegatte Schwägerschaft halben verwandt.* Adduntur cuilibet regulæ pœnæ in harum prohibitionum transgressores, sed tamen diversæ; gravius enim puniuntur, & quidem rectissime, qui in gradibus divina lege prohibitis, puta in *primo*, vel *secundo gradu lineæ inæqualis*, contrahunt, quam qui in gradibus positiva hac lege prohibitis, puta in *secundo gradu lineæ æqualis*, vel in *tertio lineæ inæqualis* contrahunt, ac sub finem jubetur, cap. XVIII. Levitici, utpote fundamentum harum prohibitionum, una cum illis quotannis e suggestu bis publice populo prælegi.

§. CCCXLV. In quibusdam provinciis evangelicæ religioni addictis, utpote in ducatu Wirtenbergico, in comitatu Hennebergico, &c. per leges municipales prohibitio etiam ad *tertium gradum lineæ æqualis* extenditur, partim ob vicinitatem pontificiorum, qui prohibitionem usque ad quartum gradum lineæ non solum inæqualis, sed etiam æqualis extendunt, ne illis occasio scandali, vel ansa calumniandi exhibeatur, quasi omnis reverentia sanguinis, in matrimoniis contrahendis observanda, apud nos exspiraverit, partim, ut edictis de primo & secundo gradu eo major au-

ctoritas concilietur. Quamvis enim gradus secundus æqualis lineæ & gradus tertius lineæ tum æqualis, tum inæqualis divina lege non sint prohibiti, tamen gradui secundo lineæ inæqualis divina lege prohibito sunt proximi, quare quando illi prohibentur, hic eo studiosius cavetur, ut sic *propter vicinitatem illiciti etiam id, quod jure divino ac naturali licitum est, horreatur*, ut ex Augustino paulo ante dictum fuit. Atque hæc est etiam vera & propria ratio provincialium ac municipalium illarum prohibitionum. Neque enim cogitandum, quod christiani magistratus gradibus divina lege prohibitis hoc consilio quosdam adjecerint, quasi leges divinæ sint imperfectæ & insufficientes, vel quasi correctio quædam legibus illis fuerit adhibenda, vel quasi eadem omnino ratio sit prohibitionum divinarum & positivarum ab hominibus additarum, vel quasi leges in Levitico latæ sint in nov. test. penitus abrogatæ & antiquatæ, ut proinde novis prohibitionibus opus fuerit, vel quasi melius noverint, quæ personæ ad matrimonium sint aptæ, & quousque se extendant cognationis gradus, quam Deus ipse; sed ut vallum ac sepimentum aliquod divinæ prohibitioni adderent, cum sint custodes utriusque decalogi tabulæ, & sic etiam harum legum matrimonialium divinitus constituti. Quo referri potest proverbium illud rabbinorum: עֲשֵׂה חוּרְתְּךָ קֵבַע *Fac legi tuæ sepem*, vel ut alii reddunt, *fac legem tuam stabilem*, קֵבַע enim significat, *fixit*, *infixit*, קוֹבַע usurpatur pro *pileo* Ezech. XLIV. 18. Chald. pro *galea*, 1 Sam. XVII. 38. & pro quovis *munimento*, ac stabilitate, Psal. LXXXVII. 1. quia pileus & galea ideo capiti aptantur, ut pia ac dura mater, quæ cerebrum proxime ambiunt, & cranium ipsum eo tutius lateant. Zehnerus de gradib. pag. 56. *Hortulani licet areolas interiores exoticis seminibus consitas vacerris, aut clathris ligneis incluserint, tamen etiam pomariis & oleribus sepem prætendunt, ut omnis aditus ad vacerras furibus ac bestiis tanto firmius præcludatur.* Qui urbes exstruunt, eas quandoque triplici muro ac fossis intermediis cingunt, ut illa προτειχίσματα, vel muri exteriores, intimum ab incursibus hostilibus defendant. In privatis etiam ædificiis quibusdam conclavibus πρόθυρα, seu vestibula præstruuntur, ne quis januæ protervius insultet. Eodem consilio magistratus legi divinæ sua interdicta de prohibito secundo lineæ æqualis & tertio lineæ inæqualis gradu addiderunt, ut subditi ab incestis nuptiis in gradibus propinquioribus a Deo ipso prohibitis eo studiosius ac religiosius abstinerent.

Discrimen prohibitionis divinae & humanae.

§. CCCXLVI. Accurate tamen hæ *prohibitiones humanæ* positivæ discernendæ sunt a *prohibitionibus divinis*. Divinæ enim prohibitiones 1.) Sunt *universales*, & obligant omnes homines, etiam summos reges ac monarchas, unde regem Herodem fratriam suam in conjugio habentem ex fundamento harum legum Johannes Baptista arguit, Marc. VI. 18. sed positivæ prohibitiones non obligant ipsos magistratus, a quibus promulgantur. Inter illustres igitur personas, præsertim eas, quæ sunt cum imperio, concedi possunt nuptiæ in gradibus jure positivo provinciali prohibitis, præsertim, si publicum aliquod bonum ex illis sit sperandum, cum ob æqualium paucitatem difficilius conjugia genere & majestate sua digna invenire possint, modo non contrahant in gradibus divino jure prohibitis & interdictis. 2.) Deinde in gradibus positivo jure prohibitis magistratus potest *dispensare*, (ut incongrue loquuntur, id est, veniam nubendi dare) ut inferioris etiam sortis homines in illis contrahere possint; Nov. Leon. 109. sed in gradibus divino jure prohibitis nulla dispensationis potestas est relicta magistratui, cum inferior non possit tollere legem superioris. Nemo hominum dispen-

sat

sat de lege Dei & naturæ, quia ejus est solvere, cujus est ligare. *Quod non ab homine traditum, sed divinitus promulgatum, nullam dispensationem humanam admittit.* Bernhardus de præc. & dispens. c. V. Sane quidam ex recentioribus scriptoribus statuit, *si vel insciis magistratibus in gradu divina lege prohibito matrimonium contractum sit, aut a magistratibus male informatis, aut dolose inductis illud permissum sit, non posse post consummatum matrimonium, aut celebratas nuptias tales conjuges dirimi, quia scandalum majus postea inde nasceretur, & conscientiæ conjugum gravissime læderentur.* At hac ratione conscientiis non consuletur, sed eæ potius gravissime onerabuntur, quia tales conjuges in perpetuo incestu viverent, a quo conniventia magistratus neutiquam liberantur, quin & majus scandalum ex eo metuendum, si nuptiæ contra legis divinæ prohibitionem contractæ tolerentur, quam si incestuosa illa non conjugia, sed contagia dissolvantur, vel ut rectius loquar, si irrita pronuncientur, quæ per se & sua natura sunt irrita, utpote contra prohibitiones legis divinæ contracta. Recte Cyprianus epist. IV. *Nihil cuiquam largiri potest humana indulgentia, ubi intercedit & legem tribuit divina præscriptio*, Idem epist. VIII. *Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur.* Prohibitiones igitur divinæ nullam prorsus admittunt dispensationem magistratus, sed humanæ prohibitiones cum humana auctoritate introductæ sunt, ideo etiam dispensatio in illis locum habet; interim tamen dispensationes illæ in gradibus positivo jure prohibitis debent esse moderatæ & raræ, præsertim in gradu, qui divinitus prohibito gradui est proximus, videlicet in secundo lineæ æqualis gradu, ac in consanguinitate dispensatio rarius concedi debet, quam in adfinitate, ne ex illis *dispensationibus* fiant boni ordinis & honestarum legum *dissipationes*. 3.) Denique divinæ prohibitiones sunt *immutabiles* & perpetuæ, humanæ vero sunt variationi obnoxiæ, ac pro locorum, temporum, personarum & aliarum circumstantiarum ratione mutationem sortiri possunt.

Quæstiones de prohibitis gradibus.
I.) *An quis defunctae uxoris sororem ducere possit?*

§. CCCXLVII. Atque hæc de prohibitis consanguinitatis & adfinitatis gradibus ex jure divino, civili, canonico & municipali dicta sint, ex quibus ad varias quæstiones responderi potest. Quæritur I.) *An quis defunctæ uxoris sororem in matrimonium ducere possit?* Hildesiæ quidam Judæus, Nathan dictus, anno 1595. in primo hoc adfinitatis gradu contraxit, ratiocinatione usus ejusmodi: In Levitico prohibitum est, *sororem uxoris ducere ad eam adfligendam ipsa adhuc vivente.* Ergo a contrario sensu permissum intelligitur defunctæ uxoris sororem ducere. Exemplum illius Judæi sequi voluerunt quidam a Christianis, qui ad Danielem Hoffmannum, Theologum Helmstadianum, hujus quæstionis decisionem retulerunt. Is prolixo responso demonstrare conatus est, tales nuptias nec jure divino, nec naturali prohibitas esse, id quod ante ipsum non solum quidam ex rabbinis, sed etiam ex recentioribus scriptoribus, præsertim pontificiis, adseruerunt. Fagius in adnotat. ad paraphr. Chaldaic. Lev XVIII. „Etsi in lege Mosaica polygamia fuit con„cessa, tamen non licuit duabus simul so„roribus conjungi, ne videlicet altera al„teram perpetuo adfligeret, quod in con„jugio Jacobi patriarchæ factum. Est igi„tur sensus: Ne accipias mulierem aliquam „pro uxore cum sorore ejus, ut adfligas „eam concumbendo cum sorore ejus, præ„sente sive vivente ea uxoris sorore, nam „demortuæ uxoris sororem ducere licebat, „quasi dicat, duas sorores simul non du„cas in uxores, uxore tamen tua mortua „sororem ejus ducere poteris. *Bellarmi-*

„*nus de matrim. c. XXVII. arg. 3.* Mo„ſes in Levitico quædam conjugia prohi„buit, & quædam permiſit in eodem gra„du. Prohibuit enim conjugium cum u„xore fratris etiam defuncti, & non pro„hibuit conjugium cum ſorore uxoris, niſi „ea vivente, ac proinde non prohibuit cum „ſorore uxoris jam defunctæ, & tamen eſt „idem prorſus gradus adfinitatis cum ſoro„re uxoris, & cum uxore fratris. *Corne„lius a Lapide in comm. Levit. XVIII.* „*p.* 704. Uxore mortua potes accipere „ejus ſororem in conjugem, hoc enim le„ge veteri licuit.„ Sed huic Hoffmannianæ cenſuræ Henricus Heſshuſius, ſuperintendens, & reliqui eccleſiæ Hildeſianæ miniſtri contrarium ſcriptum oppoſuerunt, in quo demonſtrant, nemini omnino licere defunctæ uxoris ſuæ ſororem in uxorem per ſecunda vota ducere. Tandem igitur judicium ad anteceſſores noſtros in theologica facultate Jenenſi delatum, qui die 26. Febr. anno 1597. improbata Hoffmanni cenſura & adprobato Hildeſianorum ſcripto, recte judicarunt, ejusmodi nuptias jure *divino*, *civili*, *canonico & municipali* eſſe prohibitas. De jure *canonico* dubitatio eſſe nequit, quippe quod prohibitionem usque ad quartum gradum in conſanguinitate & adfinitate extendit, jam vero conjugium cum defunctæ uxoris ſorore in primo adfinitatis gradu contrahitur. In jure *civili* expreſſa exſtat prohibitio. *l. Fratris. 5. C. de inceſt. & inut. nupt.* In jure *provinciali Saxonico* extenditur prohibitio usque ad *tertium gradum lineæ inæqualis* non in conſanguinitate tantum, ſed etiam in adfinitate. Ergo multo magis prohibetur primus lineæ æqualis gradus. Jure divino nuptias cum defunctæ uxoris ſorore prohibitas eſſe demonſtramus ſequentibus fundamentis. I.) Ex *diſerta prohibitione* Lev. XVIII. 18. *Sororem uxoris tuæ non accipies.* Quid de adjecta clauſula *ipſa vivente* ſtatuendum ſit, poſtea monebitur. Nulla in toto illo capite habetur conceſſio, ſed meræ prohibitiones, ad quas etiam pertinet hæc ipſa *de non ducenda uxoris ſorore.* II.) Ex *hypotheſi illa*, quod in Levitico non tantum *perſonæ* nominatim expreſſæ, ſed etiam æque diſtantes *gradus* ſint prohibiti, ut comprobatum fuit ſuperius. Jam vero non licet ducere *fratris defuncti uxorem* Lev. XVIII. 16. Ergo nec defunctæ uxoris ſororem, cum ſint in eodem, primo ſcilicet æqualis lineæ gradu in adfinitate conſtituti. Excipiunt, *eſſe hic diſparem rationem.* 1.) *Fœminæ non permittitur duobus fratribus ſucceſſive nubere propter confuſionem ſeminum cognatorum in uno ſubjecto, & ſic propter inceſtum; at mari permiſſum eſt duas ſorores ſucceſſive ducere, cum in diverſis perſonis non confundantur ſemina.* Reſp. prohibitio graduum non pendet a confuſione ſeminum; (alias poſſet quis matrem & filiam ſucceſſive ducere, quod expreſſe prohibetur) ſed a propinquitate carnis, quæ in uxore fratris & in uxoris ſorore eſt omnino eadem. Quod ſi ergo fœminæ non licet nubere defuncti mariti fratri ob proximam adfinitatem, utique nec mari licitum erit ducere defunctæ uxoris ſororem ob eamdem adfinitatis propinquitatem. *Qui ducit uxorem fratris ſui, rem fœdam & nefariam operatur;* Levit. XX. 21. Ergo qui nubit ſororis marito, itidem rem fœdam & nefariam operatur. 2.) *Prohibitioni de non ducenda fratria additur ratio a carnis propinquitate, quia eſt nuditas fratris tui; ſed prohibitioni de non ducenda ſorore uxoris additur ratio a conſequente incommodo ad adſligendam eam.* Reſp. prior ratio locum habet etiam in caſu poſteriore, ideo in prohibitione de non ducenda uxoris ſorore eadem non repetitur; ſed alia quædam additur in conjugio cum uxoris adhuc viventis ſorore locum obtinens, quæ priorem non excludit, nec abolet. III.) Ex *regula ſuperius tradita* & comprobata, quod ut conſanguinitas, ſic etiam adfinitas ſemel contracta per-

perſiſtat immota, nec per mortem illius, ex qua contracta eſt, tollatur vel aboleatur, cum ſit ex claſſe illorum effectorum, qui ſublatis etiam cauſis perſiſtunt, ſicut ædificium mortuo architecto. Quemadmodum igitur lex de non ducenda fratria excludit conjugium cum uxore fratris, ſive frater in vivis adhuc ſuperſtes ſit, ſive defunctus eam reliquerit viduam: ſic lex de non ducenda uxoris ſorore conjugium cum ea penitus excludit, ſive adhuc vivat uxor, ſive ſit defuncta. Quæ enim poſſet dari ratio, quod prohibitiones reliquæ ſint *generales*, hoc eſt, pertineant non ſolum ad eos caſus, quando adhuc in vivis ſunt perſonæ, per quas conſanguinitas, vel adfinitas fuit contracta, ſed etiam ad eos, quando perſonæ intermediæ in vivis eſſe deſierunt, contra vero hæc prohibitio, de non ducenda uxoris ſorore, ſit *ſpecialis*, eum duntaxat caſum concernens, quando uxor adhuc in vivis eſt ſuperſtes? IV.) Ex *generali regula* Levit. XVIII. 6. *Nullus accedat ad proximam carnis ſuæ.* Jam vero maritus & uxor per conjugium fiunt *una caro.* Gen. II. 24. Matth. XIX. 5. Ergo ſoror uxoris redditur proxima carnis, & per conſequens ab ejus matrimonio debet abſtineri. Frater & ſoror, ac proinde etiam duæ ſorores ſunt *una caro*, Gen. XXXVII. 27. Ergo maritus, qui cum ſorore una factus eſt una caro per conjugalem copulationem, non poteſt ſibi conjungere ſororem alteram, quæ cum priore fuit una caro per proximam conſanguinitatem & carnis conjunctionem. V.) A *majori.* Si gradus remotior eſt prohibitus, utique multo magis propinquior cenſendus eſt prohibitus. Sed jure divino prohibitum eſt, ducere filiam ex defunctæ uxoris ſorore natam, ut paulo poſt demonſtrabitur. Ergo multo magis prohibitum eſt ducere defunctæ uxoris ſororem; filia ex defunctæ uxoris ſorore nata, *ſecundo lineæ inæqualis gradu* me adtingit; ſed defunctæ uxoris ſoror *primo lineæ æqualis gradu* mihi conjuncta eſt. Si ergo illam remotiore gradu mihi conjunctam ducere prohibeor, multo magis hanc propius me adtingentem. Item non licet ducere *uxorem patrui*, nec *filiam privigni*, vel *privignæ.* Ergo multo minus licebit ducere uxoris ſororem; cum uxor patrui *in ſecundo gradu lineæ collateralis inæqualis*, filia privigni in *ſecundo gradu lineæ rectæ* ſit conjuncta, ſoror autem uxoris in *gradu primo lineæ collateralis æqualis.* VI.) A *deductione ad abſurdum.* Ambroſius libro VIII. epiſtola 66. monet, *cavenda eſſe talia conjugia, ex quibus confuſiones adpellationum oriuntur.* Jam vero negari nequit, ex conjugio cum duabus ſororibus ſucceſſive inito turbationem graduum & adpellationum cognationis oriri; idem enim erit filiorum pater & materteræ maritus, ſicque avunculi loco: eadem filiis ex prædefuncta uxore natis erit matertera & noverca, filiis ex ſe natis erit mater & avunculi uxor, iidem filii erunt fratres & conſobrini. VII.) Ex *defectu probati alicujus exempli.* Neque enim in populo Iſraelitico, nec in antiquis patribus, (*qui amabant de ſuo genere uxores ducere, ſicque propinquitatem nondum longe poſitam rurſus matrimonii vinculo colligare, & quodammodo revocare fugientem, ne ſe paulatim propaginum ordinibus dirimens longius abiret, & propinquitas eſſe deſiſteret;* ut loquitur Auguſtinus libro XV. de civitate Dei. cap. XVI.) probatum aliquod exemplum occurrit ejusmodi nuptiarum. Non eſt, quod *Jacobi patriarchæ* factum adferatur, quia is duabus ſororibus adhuc viventibus conſociatus fuit, quod illicitum eſſe ipſimet fatentur, qui ſucceſſive duas ſorores ducere licitum eſſe contendunt. VIII.) Ex *auctoritate theologorum veterum & recentiorum.* Quotquot leges in Levitico latas non forenſes, nec cerimoniales, ſed morales eſſe agnoſcunt, quotquot etiam non perſonas tantum diſerte nominatas, ſed etiam gradus æque diſtantes prohibitos eſſe ſtatuunt,

ſtatuunt, agnoſcunt conjugium cum defunctæ uxoris ſorore eſſe prohibitum, ut colligitur ex ratione ſecunda. Concilium *Eliberitanum*, ſeculo quarto celebratum, can. LXI. *Si quis poſt obitum uxoris ſuæ ſororem ejus duxerit, & ipſa ſit fidelis, quinquennio a communione placuit abſtinere, niſi forte velocius dari pacem neceſſitas coëgerit infirmitatis.* Concilium *Antiſiodorenſe*, ſeculo ſeptimo celebratum, can. XXX. *Non licet duas ſorores, ſi una mortua fuerit, alteram in conjugium accipere.* Cumque ad Lutheri auctoritatem provocent, qui a nobis hic diſſentiunt, notandum eſt, quod in literis ad Spalatinum 3. Martii, anno 1530. datis diſerte improbet conjugium cum uxore patrui. Atqui ſi prohibitum eſſe cenſuit conjugium cum *uxore patrui*, quæ in *ſecundo gradu lineæ inæqualis* in adfinitate eſt conjuncta, multo magis prohibitum eſſe judicavit conjugium cum *ſorore uxoris* defunctæ, quæ in *primo gradu lineæ æqualis* in adfinitate mihi juncta eſt. In colloq. menſal. exſtat reſcriptum conſiſtorii Witeberg. conſenſu & ſuffragio theologorum, ſicque ipſius etiam Lutheri comprobatum, quod ſic habet: *Unſere freundliche Dienſte zuvorn, Erbar beſonder guter Freund, wir haben euren ungeſchickten ärgerlichen Fall, nemlich, daß ein Bauersmann ſeines verſtorbenen Weibes rechte leibliche Schweſter geſchwängert, und folgends auf Weiſung des Pfarrherrs zur Ehe genommen, die auch jezo mit dem Kind in Wochen liegen ſoll. Dieweil ihr denn nun aus Befehl unſers gnädigſten Herrn des Churfürſten zu Sachſen, und Burggraffen zu Magdeburg, hierauf und ſonderlich der Straf halber im Rechten begehret berichtet zu ſeyn, ſo berichten wir als die geiſtliche Richter, nach gehabtem Rath der Herrn Theologen, nach Erwägung des Falls, daß die Ehe in dieſem Fall gar nicht zuläßlich, noch zu dulden. Derowegen ſo wird ſolche Eheſtiftung für unbündig erkannt, und ſollen ſolche Perſonen von einander geſetzet, auch wegen ihrer geübten Unzucht halben, und zum Abſcheu anderer gefänglich eingezogen, und willkührlich im Gefängniß etliche Wochen enthalten, und das erzeugte Kind von beyden Eltern alimentiret und ernähret werden. Dieweil aber der Pfarrherr daſelbſt ohne Rath und Belehrung ſeiner gebürlichen Obrigkeit und Superattendenten die Ehe in ſolchem verbotenen Grad gerathen und nachgelaſſen, ſo ſoll ihme auch die Straffe des Kerkers acht Tage aufgelegt werden, von Rechtswegen.* Baſilius Monnerus in tract. de matrimon. part. IV. cap. II. Etſi Lutherus olim anno 1522. ſenſerit, jure divino licere ducere uxoris, vel ſponſæ defunctæ ſororem, poſtea tamen ſententiam iſtam merito correxit. Cum Henricus VIII. Angliæ rex, Catharinam, fratris ſui Arturi viduam, duceret, Philippus Melanchton hoſce in eum ſcripſit verſiculos:

Dum laudandus erat, regem laudabimus Anglum;
Aſt ubi culpandus, regem culpabimus ipſum.

Atqui eodem gradu defuncti fratris uxor & defunctæ uxoris ſoror me adtingunt. Idem in ethicis tit. *Non quælibet exempla patrum imitari licere. Non concedendum eſt, ut aliquis ducat ſororem mortuæ uxoris, nec licet adlegari poſt promulgatam legem & contra verbum Dei jam nobis propoſitum piorum patrum facta, nam propter exempla non eſt diſcedendum ab expreſſo Dei verbo.* Idem ſtatuunt, Heſshuſius in tract. de gradib. conſang. & adfinit. Chemnit. in loc. comm. cap. de conjug. Chytræus in comm. cap. XVIII. Levit. Bidenbachius de cauſ. matrim. p. 51. & alii complures.

§. CCCXLVIII. In contrarium urgentur verba legis Levit. XVIII. 18. *Sororem uxoris tuæ non accipies ad adfligendam eam, ad revelandam nuditatem ejus, illa adhuc vivente*, inde colligunt, ergo

ergo defuncta uxore licitum est ejus sororem ducere. Resp. concedimus prohiberi hoc loco, ne quis uxore adhuc in vivis existente sororem ejus superinducat, id quod manifestum ex ipsis prohibitionis verbis, & ratione eidem addita: *Non accipies sororem uxoris* 1.) לִצְרֹר *ad lacessendam, adstigendam, angustiandam eam*, quia scilicet ex simultanea duarum sororum polygamia perpetuæ lites, odia ac dissidia oriuntur, ut ex Rachelis & Leæ exemplo manifestum; quin imo si vel maxime non sint germanæ sorores, quæ in uno maritali toro collocantur, nihilo tamen minus altera dicitur alterius *angustiatrix*, sicut de Pheninna & Hanna, Helcanæ uxoribus, hæc adpellatio usurpatur 1 Sam. I. 6. Vide superius §. CCXVII. in argumento VI. contra polygam. 2.) בְּחַיֶּיהָ *in vitis ejus.* Chaldæus: *dum illa adhuc vivit.* LXX. interpretes: ἔτι αὐτῆς ζώσης. Vulgata: *adhuc illa vivente.* Lutherus: *Weil sie noch lebet.* Negari ergo nequit, hanc prohibitionem pertinere ad uxoris adhuc viventis uxorem. Sed ex eo colligi nequit, defuncta uxore permissum intelligi sororem ejus ducere. 1.) *Quia ex eo, quod scriptum est, non est temere colligendum, quod non est scriptum*, ut recte monet Basilius. 2.) Quia argumentum *a contrario sensu* est infirmum ac imbecille, ut jurisconsulti monent. 3.) Cum ex aliis legibus contrarium colligitur, vel absurdum aliquod ex eo sequitur, non licet huic argumentandi generi insistere. Jam vero in proposito casu id contingit: ex lege enim *de non ducenda fratria* contrarium manifeste colligitur, quod videlicet non liceat defunctæ uxoris sororem ducere, & ex hypothesi adversariorum sequitur hoc absurdum, quod in *eodem adfinitatis gradu* Deus nuptias prohibuerit, & permiserit.

§. CCCXLIX. Regerunt I.) *Cessante prohibitionis ratione, cessat ipsa prohibitio. Sed defuncta jam uxore cessat prohibitionis ratio, quod non sit ducenda ejus soror ad eam angustiandam: ergo cessat etiam ipsa prohibitio.* Resp. sane in conjugio cum uxoris defunctæ sorore cessat una illa ratio in speciali prohibitione expressa, sed non cessat altera ratio in prohibitione generali v. 6. *Nemo accedat ad propinquam carnis suæ;* & in prohibitione speciali ejusdem omnino gradus *de non ducenda fratria* v. 16. addita; propinquitas enim adfinitatis utrobique eadem est, sive quis fratris defuncti uxorem, sive uxoris defunctæ sororem ducat, illa vero ratio semper durat, nec cum uxore commoritur, ut probat regula. II.) *Interpretatio, quæ mutat textum, non est admittenda. Sed interpretatio eorum, qui defunctæ uxoris sororem ducere prohibitum esse statuunt, mutat textum, quia prohibitioni limitatæ tale quid addit, quod limitationem penitus abolet. Ergo &c.* Resp. negamus, hanc clausulam esse ejusmodi limitationem ac restrictionem, ex qua inferre liceat, sublata ista conditione licitum esse uxoris sororem ducere, sed dicimus eam esse clausulam *exaggerantem*, qua in specie ac maxime prohibetur simultanea cum duabus sororibus polygamia, interim vero eadem non conceditur successive duas sorores ducere. Quamvis enim is, qui tales parat nuptias, non agat contra specialem hanc prohibitionem de non ducenda uxoris sorore, ipsa adhuc vivente, tamen agit contra generalem prohibitionem de non ducenda propinqua carnis, & contra specialem prohibitionem de non ducenda fratria, quæ in eodem adfinitatis gradu, quo uxoris soror, ipsi est conjuncta.

§. CCCL. *At*, inquis, *quænam potest dari ratio, quod clausulam illam specialem Deus huic prohibitioni voluit adjectam, si non est limitativa ac restrictiva?* Resp. 1.) Quidam nomen *sororis* accipiunt generaliter & modificate pro quavis fœmina, ut sic polygamiæ simultaneæ hæc prohibitio sit oppositia. *Non accipies sororem*

uxoris tuæ ad adfligendam eam, ipsa adhuc vivente, id est, nullam omnino fœminam uxori tuæ adhuc vivæ superinducas, ex eo enim perpetuæ lites & jurgia oriuntur, quam interpretationem non solum Junius in schol. Lev. XVIII. & Beza in lib. de divort. pag. 49. sed etiam quidam ex nostris theologis adprobant. Sed cum in reliquis specialibus prohibitionis legibus adpellationes cognationum specialiter & proprie accipiantur, nulla adparet evidens necessitas, propter quam in hac prohibitionis lege a proprietate literæ discedere velimus. Addo argumentum evidens: De sensu legis specialis recte judicium fertur ex lege generali, cui eadem subjungitur. At hæc lex specialis de non ducenda uxoris sorore subjungitur legi generali de non accedendo ad propinquam carnis. Ergo ex illa lege generali de eadem recte judicium fertur, & per consequens propter *carnis propinquitatem*, hoc est, proximam adfinitatem, uxoris soror prohibetur, at hæc ratio cessat, nisi *sororis* nomen proprie accipiatur. 2.) Quidam hanc clausulam בְּחַיֶּיהָ referendam censent non ad uxorem, sed ad illius sororem. *Non accipies uxorem ad sororem ejus ad lacessandum, ad revelandam nuditatem ejus super eam in vita ejus*, scilicet sororis, sive quamdiu ea vivit, hoc est, nunquam. Et sane in scripturis non est infrequens, *pronomen relativum* quandoque ad remotius referri; sed tamen videtur id hoc loco paulo coactius. 3.) Quidam confugiunt ad vulgatam regulam: *Exclusiva temporis antecedentis non semper infert inclusivam temporis sequentis*; sed adjecta illa exclusiva sæpius simplicem negationem continet. Sic 2 Sam. VI. 23. *Michol filiæ Saulis non fuit natus* עַד יוֹם מוֹתָהּ *usque ad diem*, quo mortua est, id est, nunquam, ubi nemo suspicari potest, clausulam illam esse restrictivam, quasi scilicet in vita quidem Michol non sit natus ei filius, post mortem autem pepererit. Matth. I. 25. *Ioseph non cognoscebat Mariam*, ἕως ὅ, *donec peperit filium suum primogenitum*, nec tamen inferre licebit post editum primogenitum Mariam a Joseph fuisse cognitam, ut contra Helvidium Hieronymus pluribus ostendit. Sic & hoc loco: *non accipies sororem uxoris tuæ, ipsa adhuc vivente*; nec tamen ex eo inferre licebit, post mortem uxoris id esse licitum. 4.) Nos simplicissime respondemus, præter prohibitionem de *non ducenda fratria*, quæ re ipsa complectitur prohibitionem de non ducenda uxoris defunctæ sorore, specialem illam prohibitionem de non ducenda uxoris adhuc viventis sorore Deum voluisse subjungere propter tres causas: *a.*) Ob *exemplum Jacobi* duas sorores simul in matrimonio habentis, ne quis ob patriarchæ sanctitatem eodem abuteretur. *b.*) Ob *effrenem Judæorum in repudiandis uxoribus libidinem*, unde Rabbi Salomon hunc locum sic accipit, *ne sorore una superstite ac repudiata altera superinducatur*. *c.*) Ob *specialem legem de ducenda fratris sine liberis defuncti vidua*, Deut. XXV. 5. ne quis eam universaliter ac simpliciter acciperet, cum limitate ac determinate ab ipso Deo sit posita.

§. CCCLI. Quæritur II.) *An viduus γυναικαδελφης gloris suæ, hoc est, defunctæ uxoris sororis filiam ducere possit?* vel quod idem est, *an fœmina materteræ defunctæ marito legitime possit nubere?* Item: *an vidua filio gloris suæ, id est, sororis mariti sui defuncti juste nubere possit?* Jure *canonico* & *Saxonico* tale conjugium prohibitum esse dubitari nequit, cum illud prohibitionem extendat usque ad quartum gradum lineæ æqualis, hoc vero usque ad tertium lineæ inæqualis gradum, tam in adfinitate, quam consanguinitate. Jam vero hic gradus, de quo quæritur, est secundus lineæ inæqualis. Sed quæstio est, an etiam jure *divino* & *civili* hic adfinita-

II.) *An viduus defunctæ uxoris sororis filiam ducere possit?*

finitatis gradus sit prohibitus? Negant ex theologis Zanchius, qui tom. III. part. 3. lib. 4. pag. 785. thes. 4. scribit, *conjugium inter se & filiam sororis uxoris suæ, defuncta uxore sua, apud Romanos usitatum fuisse, & ratione suffultum, quia uxore mortua, & nullis ex illa superstitibus liberis jura adfinitatis inter se & consanguineos uxoris suæ sint soluta: liberi autem si adsint, jura manere integra, & tum satius esse omitti hujusmodi matrimonia, quam adtrahi.* Ex jurisconsultis Petrus Wesenbecius consil. XXIII. Fichardus cons. LXVIII. vol. 2. Et notum est, in quibusdam scabinatibus pronunciari, quod magistratus dispensationi in hoc adfinitatis gradu relictus sit locus. Sed contrarium pronunciarunt antecessores nostri in facultate theologica 8. Maji anno 1599. in responso ad consistoriales Schwarzburgicos, jure scilicet divino tale conjugium prohiberi. (Idem decisum esse in consistorio Wirtenbergico 19. Octob. anno 1599. & 16. Aprilis anno 1601. refert Bidenbachius de caus. matrim. pag. 50. ubi addit, etiam cum nepte sororis uxoris defunctæ 1. Novemb. 1604. pronunciatum fuisse conjugium illicitum) quæ sententia nititur firmis rationibus. 1.) Ex *regula superius demonstrata*, quod non *personæ* tantum nominatim expressæ, sed etiam æque distantes *gradus* in Levitico sint prohibiti. Quamvis igitur nuptiæ cum persona ex defunctæ uxoris sorore, vel fratre edita expressis verbis in Levitico non prohibeantur, tamen prohibitas censendas esse ex eo evidenter colligitur, quod æqualis gradus adfinitatis prohibitus inveniatur: Levit. XVIII. 14. *Nuditatem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, uxor patrui tui ipsa.* c. XX. 20. *Qui coierit cum uxore patrui sui, nuditatem patrui sui revelavit, portabunt peccatum suum, absque liberis morientur*, ex quibus prohibitionis legibus sic concludimus: Quo gradu adfinitatis uxor patrui conjuncta est filio ex mariti fratre genito, eodem etiam gradu filia ex sorore defunctæ uxoris edita conjuncta est marito materteræ, id est, sororis matris suæ. Jam vero uxorem patrui ducere prohibeor, quia in *secundo gradu lineæ inæqualis* adfinitate mihi juncta est. Ergo etiam γυναικαδέλφης, id est, defunctæ uxoris sororis filiam ducere prohibeor, quia itidem in *secundo gradu lineæ inæqualis* adfinitate mihi juncta. 2.) Ex *regula secunda itidem superius demonstrata*, quod *prohibitiones sint reciprocæ*, ac proinde, quam fœminam prohibeor ducere, ea etiam prohibetur mihi nubere. Sic ergo colligimus: Si uxorem *patrui* non possum ducere, utique etiam ea, quæ ex *leviro*, id est, mariti fratre suceptum me agnoscit, non potest mihi nubere, propinquorum enim nomina sunt relativa, nec alterum sine altero intelligitur, unde utrique parti tales nuptias contrahenti pœna infligitur, Levit. XX. 20. Ulterius: Si non potest mihi nubere ea, quæ ex mariti fratre me susceptum agnoscit, utique nec ego possum ducere eam, quam ex uxoris sorore, sive glore natam agnosco. Sed prius ex prohibitione de non ducenda patrui uxore evidenter deducitur. Ergo etiam posterius. 3.) Ex *regula XV.* quod *cognationis ratio sit eadem, sive ex paterna, sive ex materna linea descendat.* Quod ergo de patruo & ejus uxore statuitur, idem etiam de matertera & ejus marito statutum intelligitur; quæ enim in hac prohibitionis materia ad patrem, eadem etiam ad matrem, & quæ ad agnatos, eadem etiam ad cognatos pertinent. Proinde ut prohibitum mihi est uxorem patrui ducere, ita quoque uxorem avunculi ducere prohibeor, unde Latinus interpres Levit. XX. 20. patruo distertis verbis eum conjungit. Ulterius: Cum in prohibitionibus illis divinis non *adtendatur discrimen inter sexum masculinum & femininum*, sed in quo gradu fœminæ prohibentur masculis propter carnis propinquitatem, in eodem gradu masculi

sculi prohibentur fœminis propter eamdem carnis propinquitatem, ut demonstratum est regula I. ergo ut masculus prohibetur ducere uxorem patrui, sic fœmina prohibetur nubere filio ex leviro, id est, mariti fratre edito, & vicissim, ut masculus prohibetur ducere uxorem avunculi, sic fœmina prohibetur nubere materteræ suæ marito. Quod fratris filio non licet in uxorem patrui, id sororis filiæ non licet in maritum materteræ, qui est ille ipse gradus, de quo quæritur. 4.) Ex *regula XIII.* itidem superius demonstrata: *Qui gradus prohibitus est in consanguinitate, idem etiam prohibitus in adfinitate*, primi scilicet generis & proprie sic dicta. At prohibitus est *secundus gradus lineæ inæqualis* in consanguinitate, nec licet mihi ducere sororis filiam, ut colligitur ex eo, quod amita ac matertera mihi nubere prohibentur Levit. XVIII. 12. & 13. quo etiam quidam referunt prohibitionem repetitam *de non ducenda sorore*, id est sororis filia v. 11. ut monuimus superius. Ergo prohibitus etiam est secundus gradus lineæ inæqualis in adfinitate, ac proinde etiam non possum ducere gloris, sive uxoris meæ defunctæ sororis filiam. Maritus & uxor sunt una caro, ergo maritus a consanguineis uxoris proximis, & uxor a consanguineis mariti proximis abstinere debet, quo spectat, quod in lege de non ducenda uxore patrui rationis loco additur, *est enim amita tua.* Lutherus: *sie ist deine Wase*, hoc est, quia cum patruo tuo facta est una caro, ideo est tibi loco amitæ, proinde ut a conjugio amitæ abstinere debes, ita quoque ab uxore patrui tui. Quod si masculo abstinendum est ab amita & uxore patrui, quæ est ipsi loco amitæ, utique etiam fœminæ abstinendum ab avunculo & marito materteræ, qui est loco avunculi. An jure civili tales nuptiæ sint prohibitæ, colligi potest ex iis, quæ dicta sunt superius §. CCCXXVII. Atque hanc sententiam magno consensu adprobant non solum theologi, Chemnitius de conjug. cap. III. reg. 10. Chytræus in Levit. fol. 411. Harbertus de conjug. th. 113. Hafenrefferus in locis pag. 634. Beza de rep. p. 82. Junius in cap. XVIII. Levit. Bidenbachius de caus. matrim. p. 50. Major in disp. de nupt. prohibit. sed etiam jurisconsulti, Beustius de matr. pag. 230. Albericus Gentilis lib. V. cap. X. pag. 549. Bruckmannus part. II. consil. 11. Cypræus de matr. p. 689. Schneidewinus in institut. Cumque nobili cuidam in Franconia C. A. W. anno 1616. die 19. Apr. eamdem sententiam hisce fundamentis in prolixo quodam scripto confirmarem, adprobatum illud fuit a Fromanno, cancellario Coburgensi, & Andrea Gerhardo, Scabinatus ibidem ordinario, fratre meo germano, & subscriptionibus eorum confirmatum. Hessi hujus in confutatione censuræ illius Hoffmannianæ, cujus in proxime præcedente quæstione facta est mentio, refert, quemdam Zasevitzium in archiepiscopatu Magdeburgensi gloris suæ filiam matrimonio sibi copulasse. Cumque ministri ecclesiæ Halensis illud non tantum improbarent, sed etiam ad usum eucharistiæ eum admittere recusarent, priusquam ab illicita illa commixtione abstineret, in celebrem quamdam academiam profectus responsum impetravit, conjugium hoc non esse dissolvendum. Superintendente autem Halensi ejusdemque in ministerio symmystis nihilominus in sententia sua persistentibus, conjugium hoc illicitum esse, Lipsiam cogitans, ut adsensum consistorii & scabinatus impetraret, e curru delapsus cervicem fregit, & hac ratione quæstioni finem imposuit.

§. CCCLII. Non est quod objiciatur, *disparem esse rationem inter uxorem patrui & gloris filiam. Illam enim esse in linea adscendente, & proinde loco matris, hanc vero in descendente, & proinde loco filiæ; prohiberi igitur conjugium cum uxore patrui, quia absurdum est, eam marito subesse, quæ est ipsi loco matris, non autem*

autem prohiberi conjugium cum gloris, sive γυναικαδέλφης filia, quia tam absurdum non est, eam marito subesse, quæ est ipsi loco filiæ. Resp. 1.) Ex hac ratiocinatione colligi posset, etiam in consanguinitate prohibitum quidem esse, ne mater nubat filio, sed interim prohibitum non esse, ne pater ducat filiam. Item, prohibitum quidem esse, ne quis ducat amitam, sive patris sororem, interim prohibitum non esse, ne quis ducat fratris sui filiam, cum & filia & fratris filia sint in linea descendente. Sed consequens hoc absurdum, ut patet ex superioribus. 2.) In prohibitionibus his respectus habetur ad carnis propinquitatem, quæ cum in gradibus æque distantibus sit eadem, ideo etiam prohibitio ejusdem vigoris ac ponderis est censenda. 3.) Ut ergo ad Bellarminianam ratiocinationem, qua evincere voluit, non esse jure divino prohibitum, ne quis fratris sui filiam ducat, quamvis prohibitum sit amitam ducere, superius respondimus, ex eo quod majore cum indecentia & irreverentia conjunctum sit conjugium nepotis ex fratre cum amita, nequaquam inferendum esse, quod nulla plane cum indecentia ac irreverentia conjunctum sit conjugium patrui cum fratris filia: ita quoque ad propositum argumentum eodem modo responderi potest. 4.) Quin imo ut non possum ducere amitam, vel uxorem patrui, quia utraque est mihi loco matris, ac proinde non convenit, ut e gradu superiore, quem per naturam obtinet, quasi detrudatur, & æquali conjugii vinculo mihi copuletur: sic non possum ducere fratris filiam, vel gloris γυναικαδέλφης filiam, quia utraque est mihi loco filiæ, ac proinde itidem non convenit, ut e gradu inferiore, quem per naturam obtinet, evehatur, & æquali conjugii vinculo mihi consocietur. Breviter, *secundus gradus lineæ inæqualis* in consanguinitate & affinitate semper est prohibitus, sive fœmina sit in superiore, sive inferiore gradu constituta, id enim cum sit mere accidentarium, ipsam propinquitatis essentiam non mutat.

§. CCCLIII. Quæritur III.) *An privignus vitrici sui viduam post germanæ matris obitum ab ipso in tori societatem adscitam ducere possit?* & vicissim, *an privigna novercæ suæ alteri marito viduo sociari possit?* Casus sic figurari potest: *Titius* ducit *Sempronian*, ex qua suscipit filium Mævium. Titio defuncto *Sempronia* nubit *Cajo*, qui hac ratione fit Mævii vitricus. Defuncta *Sempronia* Mævii matre, *Cajus* ipsius vitricus ad secunda vota transiens conjugem ducit *Annam*, quæ ex præmaturo Caii obitu in viduitatis statum conjicitur, ejus conjugium expetit Mævius, quæritur an illi sit licitum?

III.) *An privignus vitrici sui viduam ducere possit?*

Schema est tale

con. 1. con. 2. con. 3.

Titius, Sempronia, Cajus Anna

filius

Mævius — *de horum conjug. quaeritur*

Quidam affirmant ex eo fundamento, quod in secundo & tertio affinitatis genere hodiernis legibus non sit prohibitio a conjugio excludens, in quam sententiam a consistorio quodam pronunciatum esse refert Cypræus p. 692. Eodem modo a collegio quodam pronunciatum esse 14. Jun. anno 1599. ex autographo sententiæ vidi. Quidam non legis quidem alicujus prohibentis auctoritate, interim tamen publica *honestate* tales nuptias prohiberi volunt. Beustius de sponsa. c. LIII. p. 240. non nisi *magistratus dispensatione* ejusmodi nuptias concedendas existimat. Cypræus p. 694. eas improbandas censet, si res adhuc sit integra, sin sponsa concubitu deturbata *consecratione domi facta delinquentes ecclesiasticæ satisfactionis & poenitentiæ publicæ damnandos judicat.* Chytræus in

Lev. pag. 412. Simon Pauli in loc. de conjug. Zehnerus de grad. p. 120. Major, collega noſter honorandus, in diſp. de nupt. cap. XIII. q. 2. penitus eas improbant, unde regulæ illi, quod in ſecundo & tertio adfinitatis genere non detur prohibitio impediens matrimonium, addunt hanc limitationem, *niſi ſcilicet perſonæ in linea recta adſcendentium ac deſcendentium locum compleant.* Argumentis hæc ſententia probari poteſt ejusmodi: 1.) Ex *lege naturæ.* Jus naturæ docet, non eſſe matrimonii ineundi poteſtatem, ubi eſt proxima carnis propinquitas. At inter privignum & novercam, inter privignam & vitricum eſt ratione adfinitatis proxima propinquitas, continuata enim a noverca, vel vitrico per ſubſequens matrimonium copula, continuata ſimul fuit materna novercæ ac paterna vitrici propinquitas. Ergo. 2.) Ex *lege divina*, in qua prohibitum, ne privignus ducat novercam, nec privigna nubat vitrico, Lev. XVIII. 8. Anna eſt noverca Mævii, ſiquidem eſt una caro cum Cajo, qui cum germana Mævii matre Sempronia itidem fuit una caro. Ergo. 3.) A *pari.* A cujus viri nuptiis abſtinendum eſt meæ ſorori, ab ejusdem viri uxore etiam mihi abſtinendum, ratio eſt, quia frater & ſoror ſunt in æquali gradu, ac vir & uxor ſunt una caro. Atqui ſi Mævius haberet ſororem Mæviam, illa non poſſet nubere Cajo vitrico. Ergo nec Mævius poteſt ducere Annam, Caii viduam, ſuam novercam. 4.) Ab *abſurdo.* Unus idemque maſculus non poteſt ducere matrem & ipſius filiam Lev. XVIII. 17. ſive ſit filia uterina, ſive privigna filiæ loco conſtituta, alias unius ejusdemque viri relictam viduam & germanam filiam duceret. Ergo etiam una eademque fœmina non poteſt nubere patri & ejus filio, ſive ſit germanus filius, ſive privignus filii loco conſtitutus, alias unius ejusdemque fœminæ marito & germano filio nuberet. Sed ſi Mævius duceret Annam, tunc Anna nuberet ejusdem fœminæ, Sempróniæ ſcilicet, marito Cajo & germano filio Mævio, vel quod idem eſt, nuberet patri Cajo & filio privigno Mævio. 5.) Ab *auctoritate veterum canonum.* In canonibus vetuſtioribus ante concilii Lateranenſis decretum editis in *ſecundo genere* adfinitatis prohibitio extenſa fuit usque ad *gradum quartum*, in *tertio adfinitatis genere* usque ad *gradum ſecundum*, ut ſuperius admonuimus. Atque hæ rationes probant, tale matrimonium, ſi res adhuc eſt integra, non eſſe concedendum, ſed cum canones de prohibitione ſecundi & tertii generis adfinitatis ſint abroliti, cumque in adductis rationibus non omnino nihil deſiderari poſſit, ſi ſcrupuloſius examinentur, ideo an matrimonium ejusmodi contractum & conſummatum diſſolvendum ſit? non immerito dubitaverim.

§. CCCLIV. Huic quæſtioni cognata eſt. IV.) *An vitricus viduam defuncti ſui privigni ducere poſſit?* vel qui idem gradus eſt, *an noverca viduo defuncto ſuæ privignæ nubere poſſit?* Beuſtius cap. LIII. *per diſpenſationem magiſtratus* tales nuptias concedi poſſe exiſtimat, cum ſit adfinitas ſecundi generis. Sed Mentzerus de conjug. p. 82. rectius ſtatuit, easdem eſſe improbandas, quod probatur 1.) A *perſonarum contrahentium conditione.* Inter eas perſonas, quæ ſunt ſibi invicem loco parentum ac filiorum, nuptiæ ſunt prohibitæ. At vitricus viduæ privigni eſt inſtar patris, quia vidua illa cum privigno ex uxore vitrici nato, & ſic filii loco conſtituto, facta eſt una caro, item noverca defunctæ privignæ viduo eſt inſtar matris, quia cum privigna ex priore marito genita, & ſic filiæ loco conſtituta, factus eſt una caro. 2.) *A liberorum ex tali matrimonio ſuſceptorum cognatione.* Quarum perſonarum liberi non poſſunt conjungi, illæ ipſæ quoque conjungi nequeunt.

IV.) *An vitricus viduam defuncti ſui privigni ducere poſſit?*

nequeunt. At liberi vitrici, quos genuit ex privigni matre, non possunt conjungi liberis istius viduæ, quos ex privigno suscepit. Item liberi novercæ, quos suscepit ex privignæ patre, non possunt conjungi cum liberis illius vidui, quos ex privigna genuit. Ergo vitricus & vidua privigni, noverca & viduus privignæ conjungi nequeunt. 3.) A *paritatis ratione.* Privignus non potest ducere vitrici sui viduam, ac privigna non potest nubere novercæ suæ marito, ut in præcedente quæstione dictum. Ergo etiam vitricus non potest ducere viduam privigni, ac noverca non potest nubere privignæ suæ marito. Ratio est, quia in linea adscendente & descendente est æqualis prohibitio, nec in prohibitionibus discrimen sexus adtenditur. 4.) Ex *legis civilis dispositione.* l. Non facile 4. §. Hos itaque; 7. ff. de rit. nupt. *Qui adfinitatis causa parentum liberorumque loco habentur, eos matrimonio copulari nefas est.* l. uxorem 15. ff. de rit. nupt. *Uxorem quondam privigni conjungi matrimonio vitrici non oportet, nec in matrimonium convenire novercam ejus, qui privignæ maritus fuit.* 5.) Ex *cognationis turbatione.* Si enim supereſſent liberi ex priore matrimonio vitrici, illis vidua esset loco sororis propter matrimonium cum privigno defuncto, cum quo fuit una caro, & loco matris propter novum matrimonium cum vitrico; si liberi supereſſent ex priore matrimonio viduæ, illis vitricus esset loco avi propter matrimonium cum privigni matre, & loco parentis propter novum matrimonium cum privigni vidua.

§. CCCLV. Quæritur

V.) *An duorum fratrum liberi conjungi possint?*

V.) *An duorum fratrum, vel duarum sororum, vel fratris & sororis liberi conjungi possint?* De hisce tribus cognationis speciebus est idem omnino judicium, cum omnes in *secundo æquales lineæ gradu* consanguinitate sint conjuncti. Jure *divino & civili* tales conjunctiones sunt licitæ, ut patet ex superioribus, jure autem *canonico & Saxonico* sunt prohibitæ, ex quo consequens est, 1.) Magistratum in hoc gradu posse dispensare, cum prohibitio positiva duntaxat lege nitatur; interim tamen cum hic gradus sit *secundo lineæ inæqualis gradui* divinitus prohibito proximus, ideo parce & non nisi gravissimis causis urgentibus in eo dispensetur. 2.) Non posse nec debere illegitima pronunciari matrimonia regum ac principum in hoc gradu contracta, cum ipsi sint legibus illis positivis superiores. Sic Maximilianus patrui sui Caroli V. filiam, hoc est, patruelem suam, in uxorem duxit. Exempla e sacris literis adducta sunt superius. Hemmingius de conjug. p. 107. *Judico recte discerni inter illustres personas, præsertim eas, penes quas est rerum summa, & alias. Est enim plane indignum communibus legibus principes constringere, ut nullis in rebus eis quidquam, quod tamen fieri possit sine offensione Dei & injuria subditorum, concedatur, nisi quod infimis serdonibus & bajulis ex lege communi conceditur, cum tamen multis privatis propter singularia in rempublicam & ecclesiam merita juste concedantur privilegia &c. Inter illustres igitur personas nuptiæ concedi juste possunt in omnibus gradibus divinitus non prohibitis, potissimum cum inde bonum publicum speretur. Nam si idem finis monstrari poterit concessionis nuptiarum in illustribus personis, qui est prohibitionis in aliis, poterit & concessio & prohibitio simul stare sine ulla legis communis injuria. Nam ut concessio non pugnans cum verbo Dei vergit sæpe in publicum bonum in illustribus personis, ita prohibitio humana in aliis ad bonum publicum refertur.*

§. CCCLVI. Quæritur

VI.) *An viduus ducere possit viduam fratris defunctæ uxoris?*

VI.) *An viduus ducere possit viduam γυναικαδέλφου fratris defunctæ uxoris?* & vicis-

viciſſim *an vidua nubere poſſit viduo ἀνδραδέλφης ſororis defuncti ſui mariti?*

Schema eſto ejusmodi;

conjuges ſor. & frat. conjuges

Petrucius, Clara, Titius, Sempronia,

Quæritur, an Petrucius, defuncta uxore Clara & uxoris fratre Titio, relictam Titii viduam Semproniam ducere poſſit? Affirmant plurimi, cum ea ſit adfinitas ſecundi duntaxat generis, quæ matrimonium non impedit. Negativam rectius amplectuntur Mentzerus de conjug. p. 80. Major diſp. de nupt. cap. XIII. q. 3. & ex jurisconſultis, Albericus Gentilis lib. V. cap. XIX. pag. 579. *Non ſunt*, inquit, *licitæ nuptiæ cum ea, quæ ſocrus fuit uxoris meæ, non cum uxore ejus, qui meam ſororem habuit uxorem, non cum ea, quæ ſoror ſit ejus, cujus ego uxorem antea habui, non licet ducere uxores duorum fratrum, non licet nubere viris duarum ſororum &c. Et putem ego ſtare etiamnum prohibitionem illam de non ducenda uxore fratris uxoris ſuæ, quæ in decretis proſtat.* Argumenta potiora hæc ſunt: 1.) Ex *regula ſuperius propoſita: Si remotior gradus prohibetur, multo magis propinquior intelligitur prohibitus.* Si filiam non licet ducere, multo minus matrem. At viduus non poteſt ducere filiam fratris, vel ſororis defunctæ ſuæ uxoris, ut probatum fuit quæſt. II. Ergo multo minus ducere poterit filiæ illius matrem, hoc eſt, viduam fratris defunctæ uxoris. 2.) Ex *liberorum propinquitate proxima*, Quarum perſonarum liberi non poſſunt invicem conjungi, illæ ipſæ etiam matrimonio conjungi nequeunt: ratio eſt, quia liberorum propinquitas ex parentum propinquitate deſcendit. At liberi illius viduï, qui viduam γυναικαδέλφης ambit, non poſſunt ducere illius viduæ liberos, quippe cum ſint in ſecundo gradu conſanguinitatis invicem junc-

ti, qui gradus licet in divino & civili jure prohibitus non ſit, tamen in canonico & provinciali jure prohibitus eſt. Ergo nec viduus viduam γυναικαδέλφης ducere poterit. *An non inſolens videri queat*, ſcribit Mentzerus, *eas perſonas, quarum liberi contrahere inter ſe matrimonium non poſſunt, nuptias inter ſe velle conciliare?* 3.) Ex *adpellationum confuſione & cognationis turbatione.* Si qui ex primo matrimonio utrinque ſuſcepti ſunt liberi, ſunt inter ſe amitini: ſubſequentis conjugii pignora fiunt ſuis amitinis ac conſobrinis fratres partim ὁμοπάτριοι, partim ὁμομήτριοι. Pater per novum illud matrimonium fit illis vitricus, quibus jam ante erat loco parentis, amitæ ſcilicet maritus, & viciſſim mater per ſubſequens illud matrimonium fit illis noverca, quibus jam ante erat loco matris, avunculi ſcilicet uxor. 4.) Ex *peculiari hujus adfinitatis natura. Etſi proprie loquendo*, ait Mentzerus, *uxor fratris meæ uxoris mihi non ſit adfinis in primo genere, tamen exiſtimo, eam adfinitatem accedere quam proxime ad naturam illius propter unitatem illam carnis. Et neſcio quid ſingularis propinquitatis eſſe videtur in hac adfinitate, quod in aliis ſecundi & tertii generis exemplis excepto eo*, de quo in quæſtione proxima IV. *non facile reperitur.* Adparet hoc ex preſſiore hujus adfinitatis conſideratione. Exempli gratia, ut in propoſito ſchemate perſiſtamus: Petrucius cum Clara per conjugium factus eſt una caro, Titius Claræ frater cum Sempronia itidem per conjugium factus eſt una caro. Quare cum Clara Titio ſororia propinquitate ſit conjuncta, Titii uxor per adfinitatem quaſi illius ſoror eſt facta. Quæ fratri uxoris meæ nupſit, in unum corpus cum eo coaluit, ac proinde non quidem conſanguinitate, ſed tamen adfinitate facta eſt uxori meæ ſoror, ut loquitur Beza p. 70. at a ſorore uxoris meæ mihi abſtinendum, ſive conſanguinitate, ſive adfinitate ſit ſoror. Ergo

go etiam Petrucio ab ea, quæ adfinitate defunctæ uxori Claræ soror facta est, abstinendum. Qua propinquitate Titius uxoris frater adtingit Petrucium, eadem Petrucii uxor Clara uxorem Titii Semproniam adtingit. Atqui Titius uxoris frater adtingit Petrucium adfinitate tali, quæ in linea collaterali est proxima. Ergo etiam Titii uxor Sempronia Petrucium tali adfinitate adtingit, quæ in linea collaterali est proxima; qua cum nulla propior sit, eadem non impediri matrimonium, est ad modum improbabile. 5.) Ab *honestatis exigentia.* Si enim ullibi, certe in talibus nuptiis locum habere debet illud Modestini l. semper ff. de rit. nupt. *in contrahendis nuptiis, non solum quid liceat, sed etiam quid deceat & honestum sit, spectandum esse.* Recte proinde monet Beustius de matrim. cap. LV. p. 241. *judicem debere ejusmodi personas matrimonium inituras, si adhuc res sit integra, nec dum facta efficax promissio, aut celebrata sponsalia, graviter admonere, ut a tali matrimonio abstineant propter scandalum, & ne detur imperitis occasio committendi incestum.* An vero tales conjunctiones per benedictionem ecclesiasticam & conjugalem copulam jamdum consummatæ tanquam incestæ dissolvi debeant, altioris est indaginis.

§. CCCLVII. Quæritur

VII.) *An privignus & privigna matrimonio jungi possint?*

VII.) *An privignus, hoc est, mariti filius ex alia uxore & privigna, hoc est, uxoris filia ex alio marito, vel quod idem est, an privigna, hoc est, mariti filia ex alia uxore, & privignus, hoc est, uxoris filius ex alio marito, possint conjungi, Ob zusammen gebrachte Kinder einander heyrathen dürffen?* Jure *civili, canonico* & *provinciali* illud licitum esse dubitari nequit. Juris civilis expressa adest constitutio §. Mariti 9. Instit. de nupt. *Mariti filius ex alia uxore & uxoris filia ex alio marito, vel contra, matrimonium recte contrahunt, licet habeant fratrem sororemve ex matrimonio postea contracto natos.* l. Generali 34. §. 2. ff. de rit. nupt. *Inter privignos contrahi nuptiæ possunt, etsi fratrem communem ex novo adparentium matrimonio susceptum habeant.* Jure canonico hodierno & provinciali Saxonico easdem nuptias licitas esse, facile adparet ex eo, quod in secundo & tertio adfinitatis genere nulla sit prohibitio matrimonium impediens. c. Quod super his. de consang. & adfinit. *Inter consanguineos uxoris & viri, ex eorumdem scilicet viri & uxoris conjugio, nulla prorsus adfinitas est contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri;* unde etiam in nostris consistoriis talia conjugia permittuntur, Wesenbeccius in instit. de nupt. Schneidewinus in ibid. tit. de arb. adfin. num. 9. Cypræus de matrim. cap. VI. §. 2. num. 3. pag. 692. Id vero neutiquam fieri deberet, si verum esset, quod Anton. Matthæus jurisconsultus in disput. de fundam. quibusd. juris aliter jaciendis disp. XII. th. 18. *se primum hoc observasse* adserit, *quod tales nuptiæ prohibitæ sint jure divino*, Levit. XVIII. 11. ac provocat ad versiones *Tremellii, Junii & Piscatoris.* Quamvis vero re adhuc integra ejusmodi nuptias non magnopere suadendas statuimus, atque idem de illis feramus judicium, quod in quæstione proxime sequente de similibus adfinitatis propinquitatibus dicetur, tamen *jure divino expresso* easdem prohibitas, ac proinde incestas esse, nondum induci possumus, ut credamus. Verba textus, ad quæ Matthæus provocat, sic habent: *Nuditatem filiæ uxoris patris tui* מוֹלֶדֶת *cognationis patris tui soror tua ipsa est, non revelabis nuditatem ejus.* Junius & Tremellius reddiderunt: *Nuditatem filiæ natæ ex noverca tua cognata patris tui, soror tua est, hujus ne retegito nuditatem.* Piscator in schol. monet, *vocabulum* natæ *in versione Tremellii non recte scribi ut supplementum, cum nulla hic sit ellipsis,*

ellipsis, *sed tantum sensus paulo diversis verbis reddatur.* Et quod Tremellius vertit, *cognata patris tui*, id rectius verti, *cognatæ patris tui*, ut sit sensus, *quæ patri tuo cognata reddita est per conjugium matris suæ.* Hæbræum מוֹלַדְתְּ Pagninus ad sensum reddidit, *quæ genita est a patre tuo*, Bened. Arias Montanus *natæ patris tui*, quo modo etiam accipitur v. 9. *genita domi, genita foris.* Videntur illi pro מוֹלַדְתְּ quod est Benoni participium præsens fœmininum activum in *Hiphil*, remotis punctis legisse מוֹלֶדֶת quod est passivum ejusdem conjugationis. Hanc versionem si sequamur, in fumum abit nova illa observatio, quia privigna patris mei non est *genita a patre meo*, ac proinde ab ejus matrimonio non prohibeor hac lege. Potest autem eadem vox מוֹלַדְתְּ accipi nominaliter pro *cognatione*, *nativitate*, quo modo accipitur Genes. XLVIII. & hoc sensu accipiunt Tremellius & Piscator, unde Hebræum proprie sic reddendum censent, quæ est *cognatio* sive *cognata patris tui.* Sed si vel maxime hanc versionem acceptemus, nondum tamen evictum erit, privignum a privignæ conjugio hac lege prohiberi, quia מוֹלַדְתְּ significat talem cognationem, quæ ex generatione descendit, cum descendat a radice יָלַד *genuit.* Ergo in hac lege non agitur de privigno *ex alia uxore suscepto*, sed de filio ex hoc ipso matrimonio genito, is prohibetur ducere *filiam matris suæ*, quam scilicet ex alio marito susceptam paternæ domo secum intulit, ac prohibitionis ratio additur, quod *sit cognatio* sive *cognata patris*, hoc est, per conjugium matris facta est ejusdem cognata proxima, & in filiæ locum successit, unde porro additur, *soror tua est*, scilicet ὁμομήτριος, licet non ὁμοπάτριος, nec germana. At, inquis, *tale conjugium jam ante prohibitum erit:* v. 9. Nuditatem sororis tuæ filiæ patris tui vel filiæ matris tuæ, genitæ domi vel genitæ foris, non revelabis nuditatem earum. *Ergo non est verisimile in angusta illa legum brevitate eamdem prohibitionem repeti.* Resp. si quis expressioris declarationis causa ob frequentiam talium nuptiarum inter Ægyptios & Cananæos repetitionem factam esse concedere nolit, dicemus sororis ὁμομητρίας καὶ ὁμοπατρίας, vers. 9. sororis autem germanæ, αὐτοκατασιγνήτης conjugium, v. 11. prohiberi, id quod optime congruit cum propria vocis מוֹלַדְתְּ significatione, vel per sororem v. 11. intelligi sororis ἑτεροθαλοῦς filiam, ut monuimus superius §. CCVI.

§. CCCLVIII. Quæritur VIII.) *An* 1.) *pater & filius duas sorores ducere, & vicissim duæ sorores patri & filio nubere;* 2.) *an mater & filia duobus fratribus nubere, & vicissim duo fratres matrem & filiam ducere;* 3.) *an pater & filius matrem & filiam ducere, & vicissim mater & filia patri & filio nubere;* 4.) *an pater & filia sororem & fratrem, & vicissim soror & frater matrem & filiam matrimonio sibi jungere;* 5.) *an mater & filius fratrem & sororem, ac vicissim frater & soror matrem & filium sibi sociare;* 6.) *an duo fratres duas sorores ducere, & vicissim duæ sorores duobus fratribus nubere;* 7.) *an frater & soror sororem & fratrem diversæ cognationis sibi jungere queant?* Nulla quidem hic exstat juris vel *divini* vel *humani* prohibitio, sed plena ac plana ubique concessio, d. c. Quod super extr. de consang. & adfin. interim ad tales nuptias multiplicato jam genere humano non est temere ac cito properandum, præsertim si ordo cognationis ac naturæ turbetur ac invertatur, utpote si pater ducat filiam, & filius ducat matrem, si mater nubat filio, & filia nubat patri, (tunc enim filia matri fit socrus & mater filiæ nurus) si pater ducat sororem natu juniorem, & filius ducat

VIII.) *An pater & filius duas sorores possint ducere.*

eat sororem natu majorem, si mater nubat fratri juniori, & filia nubat fratri natu majori &c. 1.) Ob *scandali evitationem.* Per talia connubia infirmioribus ac rudioribus facili negotio scandalum exhibetur; cum enim non percipiant nec perspiciant rationem, propter quam in primo adfinitatis genere usque ad tertium lineæ inæqualis gradum prohibitio extendatur, in secundo autem adfinitatis genere nulla prohibitio locum habeat, inde facile turbantur, quin & incestarum nuptiarum occasionem ex eo arripiunt, hic ergo locum habere debet illud apostoli: 1 Thess. V. 22. *Ab omni specie mali abstinete;* Item apostolicæ admonitiones de scandalo in rebus alioquin etiam licitis vitando Rom. XIV. 19. 1 Cor. VIII. 7. 2.) Ob *honestatis considerationem.* Aurea & perpetua memoria dignissima est Modestini regula l. semper ff. de rit. nupt. *Semper in conjunctionibus non solum, quid liceat, considerandum est, sed & quid honestum sit.* τὰ εὐφημα ut in reliquis vitæ actionibus, ita quoque in conjugio contrahendo cogitanda & sectanda esse, apostoli præceptum est Philip. IV. 8. 3.) Ob *vitandam cognationis confusionem.* Qui enim sibi sunt consanguinei, ut pater & filius, mater & filia, frater & soror, ambo fratres & sorores ambæ, per novum illud matrimonium fiunt sibi invicem adfines. Si pater & filius ducunt sorores duas, pater fit filio adfinis & sororius, ac vicissim filius fit patri adfinis & sororius, soror una, quæ patri nupsit, fit sororis socrus & sororii noverca, altera, quæ in filii thalamum deducta, eumdem habet socerum & sororium, eamdem sororem & socrum, filius novercæ suæ est adfinis, privignus, gener, sororius. Sic ergo confusio fit πατριότητος, ἀδελφότητος καὶ μήτητος, quin & iplarum linearum, quia pater & filius in linea recta constituti ducendo sorores duas in linea collaterali constitutas ex linea recta in obliquam transferuntur. Angelus Matthæaccius lib. II. de via jur. n. 18. ex Speculatore talem adducit casum, *ubi filius ducit matrem alienam, & mater filii nubit illiusmet ductæ sui filii uxoris filio, ubi filii fratres filiorum suorum & filii fratres maritorum suorum, uterque patruus & nepos alterius, ubi mater recte dicit: Hic est filius filii mei & frater mariti mei.* Talibus nuptiis honestatis rationem obsistere ostendit Anton. Contius lib. I. subsec. lect. 5. n. 3. cum eadem persona duas contrarias relationes & necessitudines sustineat, quibus parentum & filiorum officia commiscentur. 4.) Ob δυσηχίας *consecutionem.* Experientiæ enim testimonio multiplici constat, istiusmodi matrimonia raro fuisse felicia, sed eadem consecuta esse vel sterilitatem, vel orbitatem, vel præmaturum alterutrius conjugis obitum, vel sobolem degenerem, vel continuos alterutrius morbos, vel rei familiaris angustiam, vel alia mala & incommoda. Quamvis vero adversitates etiam aliorum conjugiorum sint adsiduæ comites, 1 Cor. VII. 28. neque ex eventu ferendum sit perpetuo judicium; tamen consideratio talium exemplorum non potest non animum pium & prudentem commovere. 5.) Ob *adfinitatis conditionem.* Inter adfines non est tanta animorum conjunctio, quanta inter consanguineos, unde Germanorum proverbio jactatur, adfinibus nunquam melius inter se convenire, quam si locorum intervallo disjuncti raro conveniant, quando igitur consanguinei per novum matrimonium inter se adfines fiunt, mutuus amor ex consanguinitate originem trahens potius diminuitur, quam augetur, ac reverentiæ, quam filius patri debet, per matrimonium duarum sororum utrinque ductarum non omnino nihil decedit. 6.) Ob *liberorum ex talibus matrimoniis natorum cognationem.* Liberi, qui ex matrimonio patris & filii cum duabus sororibus nascuntur, eum sortiuntur avum, quem ipsorum consobrini habent patrem, eamdem habent matera

teram & pronovercam, eumdem avum paternum & materteræ maritum. Iidem conjungi invicem possunt, quia sunt consobrini in secundo gradu æqualis lineæ propter maternam cognationem constituti, qui gradus divino jure non est prohibitus, & non possunt conjungi, quia filia ex conjugio patris cum una sorore inito genita est filio ex conjugio filii cum altera sorore contracto amita, & sic in secundo lineæ inæqualis gradu propter paternam cognationem eidem conjuncta, qui gradus divino jure prohibitus est. 7.) Ob *necessitatis defectum.* Cum hodie genus humanum longe lateque propagatum ac multiplicatum sit, nulla omnino necessitas consanguineos urget, ut in iisdem familiis uxores quærant, sed magna ubique suppetit fœminarum copia, ex quibus sponsam sibi deligere, & hac ratione amicitias, adfinitates & cognationes latius spargere possunt. 8.) Ob *causæ nuptias ejusmodi conciliantis statum.* Plerumque enim πλεονεξία & hereditatis cum proximis consanguineis & adfinibus dividendæ cupiditas est talium nuptiarum conciliatrix, siquidem contrahentes utplurimum in eligendo tali matrimonio non pietatem, non virtutem, non timorem Dei, sed divitias respiciunt, ne scilicet eæ latius distrahantur, & ad alias familias deveniant, sed in una tantum familia nulla ex parte imminutæ persistant. Quando igitur res adhuc integra est, hoc est, si nondum efficax promissio vel desponsatio intercessit, nec dum arctissimo amoris vinculo ejusmodi personarum animi conglutinati sunt, placide & comiter a proposito nupturientes sunt abducendi, sin vero admonitione ista posthabita in sententia sua firmiter persistant, legis quodam rigore prohiberi nequeunt, multo minus talia matrimonia consummata disjungi, vel pro illegitimis & illicitis censeri debent.

An ex nudis sponsalibus oriatur adfinitas matrimonium impediens?

§. CCCLIX. Atque hæc de *propinquitate naturali & matrimoniali*, hoc est, *de consanguinitate & adfinitate* dicta sint, cui tractationi antequam finem imponamus, coronidis loco quæstio explicanda est: *An etiam ex nudis sponsalibus oriatur adfinitas matrimonium impediens?* Canonistæ & pontificii adfirmant, unde impedimentum aliquod nuptias contrahendas impediens, & contractas dissolvens ex sponsalibus oriri statuunt, quod vocant *justitiam publicæ honestatis.* Publica illa honestas est *inchoata quædam adfinitas*, sicut *sponsalia matrimonium inchoatum* dici possunt. Bellarminus de matrim. cap. XXX. §. 4. Ut ergo perfecta adfinitas impedimentum est dirimens matrimonium in omnibus gradibus, ita justum ipsi videtur, *ut publica honestas matrimonium in aliquo solum gradu dirimat.* Sed discedit hac in parte Bellarminus a canonistis, qui non in aliquo solum gradu publicam honestatem dirimere matrimonium statuunt, sed in genere pronunciant, *consanguineos sponsi cum sponsa per mortem sponsi vel alio modo rescissis sponsalibus contrahere non posse, & vice versa*, id quod congruit cum manifestis juris canonici textibus c. Juvenis extr. de sponsi. & matrim. *Propter honestatem ecclesiæ, quia conjunx fuisse dicitur illius juvenis, qui puellam nondum septennem eam duxerat, mandamus, quatenus consobrinam illius puellæ, quam postmodum duxit, ab eodem dividas.* c. ad audientiam eod. *Sponsam fratris frater habere non potest.* c. Sponsam eod. *Sponsam alterius, maxime si est nubili ætati proxima, nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare.* c. Accessit extr. de desponsi. impub. *Inhonestum videtur, ut matrem habeat, cujus filia fuit sibi desponsata.* c. Continebatur eod. *Si puella intra nubiles annos alicui desponsata fuerit, non licet alicui de consanguinitate ipsius, cui desponsata fuerit, eam in uxorem ducere, nec fas est eidem sponso de consanguinitate sponsæ sibi aliquam*

quam copulare. Ergo juxta veterem juris canonici disposition publica honestas impediebat matrimonium usque ad illos gradus, ad quos ipsa perfecta adfinitas pertingit, hoc est, usque ad *gradum quartum.* c. Non debet 8. extr. de conf. & adfinit. Panormitanus ad c. Sponsam extr. de sponf. atque hoc impedimentum proveniebat, etiamsi sponsalia nulla fuissent, modo *consensus praestitus fuisset*, hoc est, proveniebat illud impedimentum non solum ex sponsalibus legitime contractis, verum etiam si quæ ob causam consanguinitatis, adfinitatis, religionis, professionis vel similem sponsalia perperam essent contracta, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, ut patet ex constitutione Bonifacii VIII. in c. unic. de sponsalib. in 6. quod & Alexander III. in sponsalibus inter consanguineos contractis antea constituerat d. c. ad audientiam extr. de sponsalib.

§. CCCLX. Atque isthæc veterum canonum est decisio, sed seculo proxime elapso Concilium Tridentinum sess. XXIV. cap. III. in decret. de reform. matrim. impedimentum illud duplici ratione imminuit ac circumscripsit. Ubi enim sponsalia quacunque ratione valida non sunt, prorsus illud tollit, ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedere mandat, quoniam in ulterioribus gradibus absque dispendio hujusmodi prohibitio observari nequeat. Atque hanc Tridentini concilii sanctionem Bellarminus sequitur, quando *publicam honestatem in aliquo saltim gradu, puta primo, matrimonium dirimere statuit.* Notat autem Canisius in institut. juris canon. lib. II. tit. 13. moderationem illam concilii Tridentini non pertinere 1.) ad sponsalia, quæ *de præsenti* adpellantur, sed tantum ad sponsalia *de futuro*, quæ in futurum tempus matrimonii contrahendi collata sunt, quod probat ex declaratione Pii V. pontificis in extrav. ad Romanum edita anno 156. Navarrete in ench. cap. XXII. n. 55. & Thaddæus Piso de sponf. part. II. p. 93. anno 1566. editam esse referunt) nec pertinere 2.) ad sponsalia *conditionalia* ante conditionis eventum, quod probat ex constitutione Bonifacii VIII. d. c. unic. de sponsal. in 6. §. fin. *Ille vero*, (inquit pontifex) *qui sponsalia cum aliqua muliere sub conditione contraxit, si postmodum ante conditionis eventum cum alia prioris consanguinea per verba contraxerit de præsenti, cum secunda remanere debebit, cum ex sponsalibus conditionalibus ante conditionem exstantem, sicut consensum non habentibus & incertis nulla publicæ honestatis justitia oriatur.* Thaddæus Piso Soaccius d. l. addit 3.) non pertinere ad sponsalia *contracta a minoribus septennio* c. ex sponsalib. de sponf. in 6. 4.) nec pertinere ad sponsalia *incerta*, cum in personam incertam non feratur consensus gl. in d. c. ex sponf.

§. CCCLXI. Quid de hoc impedimento publicæ honestatis statuendum sit, sequentibus aphorismis explicabimus: 1.) *Justitia publicæ honestatis non est impedimentum dirimens matrimonium contractum & consummatum.* Rationes hæ sunt: 1.) a *defectu prohibitionis divinæ.* Neque enim ullibi in verbo Dei matrimonium cum consanguineis sponsi vel sponsæ contractum dissolvi jubetur. 2.) Ab *emphasi verborum* in lege divina propter adfinitatem matrimonium prohibente Levit. XVIII. 8. *Non revelabis nuditatem uxoris patris tui.* v. 15. *Nuditatem nurus tuæ non revelabis.* v. 16. *Nuditatem uxoris fratris tui non revelabis &c.* גלה ערוה *revelare nuditatem* notat per ἐυφημισμὸν conjugalem congressum, ut superius exposuimus, dum ergo nuditas ejus, quæ adfinitate juncta est, revelari prohibetur, *consummata* per maritalem congressum, non autem *inchoata* duntaxat per sponsalia adfinitas in hac prohibitione intelligenda innuitur. Sic ergo concludimus:

Justitia publicae honestatis matrimonium contractum non dirimit.

Ubi non est adfinitas per copulam carnalem consummata, ibi non habet locum divina prohibitio. At in adfinitate per sponsalia duntaxat inchoata nondum facta est per copulam consummatio. Ergo in ea non habet locum divina prohibitio, & per consequens matrimonium in proximis inchoatæ adfinitatis gradibus contractum non est dirimendum. 3.) Ex *verbis generalis regulæ: Nullus ad carnem carnis suæ accedat ad revelandum nuditatem ejus.* Atqui sponsus & sponsa per conjugalem copulam nondum sunt facti una caro. Ergo consanguineæ sponsæ non sunt sponso caro carnis ejus. 4.) Ex *fundamento juris canonici.* c. Non est dubium 27. q. 2. (quod Gratianus & Lombardus lib. IV. sent. dist. 26. lit. D. tribuunt Augustino, cum sit Leonis epist. 92. ad Rust.) *Non est dubium, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse.* c. Cum societas ead. *Non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse nuptiale ministerium.* Quamvis vero hæc non possint absolute & simpliciter accipi, cum *consensus, non concubitus faciat matrimonium*, ac copula conjugalis non ad ἐσίαν, sed usum matrimonii pertineat, unde Bellarminus de matr. cap. V. §. ubi, contendit, *Gratianum de suo negationem addidisse*; ad illud tamen recte referuntur, quod per nuda sponsalia per conjugalem copulam nondum consummata non contrahatur adfinitas matrimonium contractum dirimens.

Justitia publicae honestatis matrimonium contrahendum impedit.

§. CCCLXII. II.) *Justitia publicæ honestatis est matrimonium contrahendum impediens.* Rationes hæ sunt 1.) Ex *phrasi scripturæ*, qua sponsa dicitur *uxor* Genes. XXIX. 21. Deut. XXII. 23. Matth. I. 20. Quamvis igitur ex nudis sponsalibus non oriatur adfinitas absolute & simpliciter impediens matrimonium contrahendum ac contractum dissolvens, tamen propter fidem conjugalem sponsæ datam sponsus proximis sponsæ consanguineis, puta matri, sorori, filiæ, reverentiam quamdam deberet, propter quam ab earum nuptiis sibi merito temperat. 2.) Ex *jure civili.* Honestæ imperatorum leges hanc publicæ honestatis justitiam confirmant. §. Si uxor. Instit. de nupt. *Constat nec sponsam filii nurum esse, nec patris sponsam novercam esse, rectius tamen & jure facturos eos, qui ab hujusmodi nuptiis abstinuerint.* l. adoptivus 14. §. fin. ff. de rit. nupt. *Ejus matrem, quam sponsam habui, non posse me uxorem ducere Augustus interpretatus est, fuisse enim eam socrum.* l. Si qua mihi 12. §. 1. eod. *Inter me & sponsam patris mei nuptiæ contrahi non possunt, quamquam noverca mea non proprie dicatur.* §. 2. *Sed & per contrarium sponsa mea patri meo nubere non poterit, quamvis nurus non proprie dicatur.* l. Licet 8. C. de incest. & inutilib. nupt. *Licet quidam Ægyptiorum idcirco mortuorum fratrum sibi conjuges matrimonio copulaverint, quod post illorum mortem mansisse virgines dicebantur, arbitrati scilicet, quod certis legum conditoribus placuit, cum corpore non convenerint, nuptias non videri re esse contractas, & hujusmodi connubia tunc temporis celebrata, firmata sunt: tamen præsenti lege sancimus, si quæ hujusmodi nuptiæ contractæ fuerint, eas earumque contractores, & ex his progenitos antiquarum legum tenori subjacere, nec ad exemplum Ægyptiorum (de quibus supra dictum est) eas videri fuisse firmas vel firmandas.* 3.) A *consensu ecclesiæ Israeliticæ & Græcæ* Gen. XXXVIII. 26. Judas cum nuru sua Thamar insciis rem habuerat, sed cum intelligeret, eam esse filii sponsam ac nurum suam, ulterius eam non cognovit. Hebræi legem mosaicam de ducenda fratris absque liberis defuncti uxore etiam ad sponsam fratris extendunt, eo quod sponsa dicatur

catur אשת *uxor*, seu vira fratris defuncti, statuunt igitur idem juris esse in puella desponsata & tradita. In Græca orientali ecclesia idem observatum fuisse ex Harmenopulo colligitur. Nicetas insectatur Andronicum imperatorem, quod *Annam filiam regis Francorum Alexii imperatoris sui sponsam duxerit, id quod ἀδεμίγως* factum esse adserit. Vid. Cypræus de sponsal. cap. XII. §. 10.

§. CCCLXIII. III.) *Justitia publicæ honestatis statuitur impedimentum matrimonii contrahendi non propter pontificiam juris canonici vel papæ Romani auctoritatem, sed ut ipsum nomen innuit propter æquitatem & honestatem.* Nam & hoc loco sequimur regulam Modestini. l. Non semper. ff. de rit. nupt. *Semper in conjunctionibus non solum, quod licet, sed & quod honestum est, spectandum.* Quando igitur quidam ex theologis negant, justitiam publicæ honestatis inter impedimenta matrimonii referendam esse, ut Chytræus in Levit. pag. 423. Beza de repud. pag. 63. Hemmingius de conjug. pag. 123. eo respiciunt, quod pontifex Romanus hoc impedimentum tanquam absolute necessarium, & quidem non solum ut matrimonium contrahendum impediens, sed etiam ut contractum dissolvens papali sua auctoritate ecclesiis obtrudere, & conscientiis laqueos injicere parat. „ Robori isti „ ecclesiæ pontificiæ, ex cujus institutione „ publica honestas originem trahit, oppe„ nendum est robur christianæ libertatis, „ quo exemti sunt legibus antichristi, omnes „ qui in Christum credunt," scribit Hemmingius d. l. interim non negant, vitandi scandali & honestatis tuendæ causa propter leges imperatorum justitiæ illi publicæ honestatis inter matrimonii contrahendi impedimenta aliquem concedi posse locum, unde nostri in theologica facultate antecessores 27. Jun. anno 1601. responderunt, *sponsæ defunctæ matrem non esse ducendam.* Ubi tamen notandum, per magistratum in hoc impedimento dispensationem fieri posse, cum ipsa prohibitio sit juris tantum humani positivi, non divini. Panormitanus c. Referente. extr. Qui fil. sint legit. Beustius de matrim. cap. LIV. p. 241. Benedictus pontifex concessit, ut quis duxerit desponsatæ, antequam ad nuptias perveniret, morte præventæ sororem. c. Lex divina 27. q. 2.

De propinquitate spirituali.

§. CCCLXIV. Hisce igitur expositis & expeditis a propinquitate *naturali & matrimoniali*, quæ in *consanguinitate & adfinitate* consistit, descendimus ad alias propinquitatis species. Diximus superius, propinquitatem *honestam & voluntariam*, quæ est *alterius generis* quam matrimonialis, esse duplicem: 1.) *spiritualem scilicet & ecclesiasticam*; 2.) *legalem & politicam.* Spiritualis & ecclesiastica propinquitas est vel *communis* omnium vere piorum ex uno eodemque Dei verbo & initiationis sacramento regenitorum, vel *specialis* inter susceptos ex lavacro baptismi & susceptores, inter eum, qui sacramentum confirmationis confert, & eum, qui illud suscipit, adeoque etiam inter testes horum sacramentorum. Priorem propinquitatis speciem non inducere matrimonii impedimentum, apud omnes in confesso est. 1.) A *pari*, ut enim vita spiritualis non tollit vitam animalem ac naturalem, nec cum eadem pugnat: sic spiritualis piorum unitas & propinquitas non adversatur matrimonio, cujus usus ad vitam naturalem & animalem spectat, nec eidem ulla ratione adversatur. 2.) A *consequente absurdo.* Si ex spirituali & ecclesiastica propinquitate impedimentum aliquod matrimonii oriretur, nullus vere pius & in Christum credens fœminam vere piam & in Christum credentem sibi sociare posset, sed apud infideles conjugem sibi quærere cogeretur, cujus contrarium inferius demonstrabitur. Ratio connexionis est, quia omnes vere pii spirituali illa uni-

unitate & propinquitate sibi invicem sunt conjuncti: Gal. III. 28. *Non est hic masculus nec foemina, omnes enim unus estis in Christo.* Eph. IV. 4. *Unum corpus, unus spiritus, una spes vocationis.* v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* v. 6. *Unus Deus & Pater omnium nostrum.* 3.) Ab *exemplis.* Abrahamus & Sara, Isaacus & Rebecca in vet., Zacharias & Elisabetha in nov. test. aliique complures fuerunt pii conjuges, sed ex hac pietate & spirituali ex ea descendente propinquitate nullum conjugio ipsorum objectum fuit ἐμπόδισμα. Sed in re manifesta & ab omnibus concessa pluribus demonstranda frustra immoramur.

§. CCCLXV. Posteriore *ecclesiasticæ propinquitatis* specie, ex speciali puta certorum quorumdam christianorum propinquitate impedimentum aliquod matrimonii oriri censent pontificii, quod vocant *cognationem spiritualem*, de qua exstant integri tituli in decretalibus lib. IV. tit. 11. & in sexto lib. IV. tit. 3. ac pontificum decreta referuntur caus. 30. q. 1. & 3. apud Lombardum lib. IV. sent. dist. 42. Definiunt cognationem spiritualem, quod sit *adtinentia quædam proveniens ex sacramenti* (baptismi & confirmationis) *collatione, vel ad sacramentum detentione*; Gl. in c. Ne dum 1. de cognat. spir. in 6. Henriquez lib. H. theol. moral. cap. XI. vel quod *sit vinculum ex eo contractum, dum quis alii munus baptismi vel confirmationis impendit, seu dum impenderetur ei, tanquam pater adstitit.* Dictam esse volunt ex eo, quod contrahatur ratione *sacramentorum*, quæ spiritualia sunt, non quidem omnium, sed *baptismi & confirmationis* c. Quamvis eod. cujus rationem reddunt eam, *quod per baptismum spiritualiter renascamur, & per confirmationem perfectiores christiani reddamur.* Ut ergo per naturalem nativitatem naturalis cognatio nascitur, sic per spiritualem nativitatem spiritualem cognationem introduci statuunt. Contrahitur autem hæc cognatio jure decretalium inter *baptizatum & illum, qui eum baptismo suscepit*, ac inter eumdem *baptizatum & suscipientis filios & uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam* ab eodem, imo etiam inter *suscipientem, patremque baptizati & matrem*, quin & quæ de suscipiente dicuntur, eadem transferuntur & ad baptizantem, ac iisdem omnino modis ex confirmatione spiritualis cognatio oritur, c. nedum 1. eod. in. 6. Inde tres spiritualis hujus cognationis species statuunt: *compaternitatem, paternitatem & fraternitatem.* Compaternitas adtenditur inter suscipientem ex baptismo, parentesque baptizati. Paternitas contrahitur inter baptizantem & baptizatum & inter suscipientem vel patrinum & susceptum. Fraternitas contrahitur inter filios naturales patrini & baptizatum. Hinc versiculi, qui exstant apud Thomam part. III. supplem. q. 56. art. 4.

Quae mihi vel cujus natum mea fonte levavit,
Haec mea commater fieri mea non valet uxor.
Si qua meae natum non ex me fonte levavit,
Hanc post fata meae non inde vetabor habere.

Objectum cognationis spiritualis est quadruplex: *baptismus, susceptio ex baptismo, confirmatio & catechismus*, hoc est, instructio illa, quæ baptizandi actum præcedit. Forma inducendæ ejusmodi cognationis est præstatio muneris baptizandi, suscipiendi, confirmandi & instruendi juxta ecclesiæ ritus ab iis, quibus hoc committitur, facta. Effectus sunt duo: *Prior*, quod cognatio spiritualis per baptismum vel confirmationem inducta inter illas personas, inter quas contrahi dicta est, non tantum impediat matrimonium contrahendum, verum etiam dirimat contractum. *Posterior*, quod cognatio spiritualis per catechismum contracta non rescindat matrimonium contractum, sed impediat tantum contrahendum. Hæc omnia ex textibus juris canonici colligunt Venatorius in

in analyſ. juris pontific. lib. IV. tit. 11. Caniſius in inſtit. juris canonici lib. II. tit. 12. Lancellotus in inſtit. juris canonici lib. II. tit. 13. §. 1. Antonius Cuchus lib. III. in inſtit. juris canonici tit. 15. Ex hoc fundamento rex Chilpericus conjugem ſuam Andoveram, quæ aſtu pellicis Fredegondæ inducta filium e ſacro baptiſmate ſuſceperat, repudiavit, ut refert Robertus Ganguinus lib. II. annal. rer. Gallicar. cap. II. fol. 18.

§. CCCLXVI. Sed & huic impedimento per concilii Tridentini ſanctionem aliquid detractum. Illud enim ſtatuit ſeſſ. XXIV. cap. II. de reform. matrim. *ut unus tantum ſive vir ſive mulier juxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, inter quos ac baptizatum ipſum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur.* Et poſtea: *Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illius patrem & matrem ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.* Hoc ipſum Tridentini concilii de ſpiritualis cognationis reſtrictione decretum Pius V. ſic declaravit, quod *non debeat excedere perſonas in eodem numeratas, ac proinde nullam cognationem ſpiritualem contrahi inter maritum vel uxorem ſuſcipientis & baptizatum baptizatique patrem & matrem, & quascunque alias perſonas tam ex parte ſuſcipientis, quam baptizantis & baptizati in decreto illo nominatim non expreſſas.* Hæc declaratio facta eſt anno 1566. 4. Cal. Dec. & exſtat in bullario Romæ edito.

Argumenta noſtra contra cognationis ſpiritualis impedimentum.

§. CCCLXVII. Noſtræ eccleſiæ inter alias papalium ſuperſtitionum quisquilias etiam hanc prohibitionem libertati matrimonii oppoſitam rejecerunt argumentis permotæ ſequentibus. I.) *Quia prohibitio illa deſtituitur legitimi & veri nomothetæ auctoritate.* Quæcunque propinquitas matrimonium impedire debet, illam oportet niti vel divinæ majeſtatis decreto, vel magiſtratus præcipientis interdicto. Sed ſpiritualis illa cognatio non nititur majeſtatis divinæ decreto, nec magiſtratus præcipientis interdicto. Ergo non poteſt impedimentum aliquod matrimonio adferre. *Major* probatur, quia libertas conjugii omnibus divinitus eſt conceſſa, ab illo igitur non debent propinquitatis ac cognationis prætextu prohiberi, niſi quibus Deus ipſe impedimentum aliquod objicit, vel immediate, in legibus de prohibitis cognationis gradibus divinitus promulgatis, vel mediate, in honeſtis legibus magiſtratus poteſtate νομοθεσίας divinitus inſtructi & armati, quo pertinent omnia ſcripturæ dicta, quæ vel normam faciendorum & fugiendorum in ſcripto Dei verbo perfecte traditam eſſe teſtantur, vel magiſtratui juſta & honeſta præcipienti, non propter *iram* tantum, ſed etiam propter *conſcientiam*, obedientiam præſtari debere mandant. *Adſumtum* conſtat tum ex ἄρσει, quia nec in legibus divinis de prohibitis cognationis gradibus ulla fit ſpiritualis cognationis matrimonium impedientis mentio, nec per magiſtratum hoc impedimentum legitime & rationabiliter reliquis fuit additum; tum ex θέσει, quia prohibitio hæc deſcendit a papa Romano, ementito illo Chriſti vicario, quem poteſtate ferendi leges totam & univerſam eccleſiam obligantes divinitus inſtructum eſſe, nondum demonſtrari potuit.

I.) *Deſtituitur nomothetae auctoritate.*

§. CCCLXVIII. Regerunt pontificii I.) *Ab eccleſiæ auctoritate hanc prohibitionem deſcendere, jam vero non minorem a nobis deberi obedientiam eccleſiaſtico, quam politico magiſtratui* Matth. XVIII. 17.

Resp. 1.) Nititur hæc prohibitio Romani duntaxat pontificis auctoritate, quippe quem solum ecclesiæ nomine intelligunt, ut ultima analysis docet, & alibi clarissime fuit demonstratum, *jam vero unus homo*, seu *persona una non potest dici ecclesia*, ut ipse Bellarminus scribit libr. III. de eccles. cap. XVII. §. fin. 2.) Papam Romanum uti non pro tota ecclesia, ita nec pro capite vel monarcha ecclesiæ agnoscimus, quem ipsissimum antichristum esse, e scripturarum vaticiniis & eorum complementis edocti sumus; ejus ergo decreta e scrinio pectoris papalis eructata pro veris veræ ecclesiæ ordinationibus agnoscere non possumus. 3.) Ecclesia potestatem habet non quidem novos fidei articulos introducendi, nec novos cultus fingendi, nec leges conscientiam directe & immediate obligantes ferendi, sed honestas atque utiles constitutiones de exercitio divini cultus externo & ritibus adiaphoris πρὸς τάξιν καὶ εὐχημοσύνην facientes promulgandi. Jam vero pontificia illa constitutio ecclesiæ ut necessaria obtruditur, justis & honestis rationibus destituitur, & conscientias directe obligare fingitur. 4.) Quare cum per pontificiam illam constitutionem christiana libertas haud mediocriter labefactetur, eamdem merito ecclesiæ nostræ repudiarunt, juxta apostolorum monita: 1 Cor. VII. 23. *Pretio emti estis, nolite fieri servi hominum.* Galat. V. 1. *State in libertate, in quam Christus vos adseruit.* Col. II. 18. *Nemo vobis palmam intervertat &c.* II.) *Auctoritate imperatoris Justiniani eamdem prohibitionem confirmari.* l. Si quis alumnam 26. C. de incest. & inutilibus nuptiis: *Ea persona omnimodo ad nuptias venire prohibenda, quam aliquis sive alumna sit, sive non, a sacrosancto susceptit baptismate, cum nihil aliud sic inducere potest paternam adfectionem & justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ sunt.* Resp. ut quædam alia, puta de clericorum cœlibatu, Romani episcopi primatu, monachorum voto &c. ita hoc ipsum de cognationis spiritualis impedimento in gratiam Romani pontificis citra verbi divini & justæ rationis suffragium Justinianus protulit, ideo non tam cæsaris quam pontificis lex illa censeri debet. Opponimus autem legi Justinianeæ illud, quod sacri Romani imperii principes in comitiis Norinbergensibus anno 1522. n. 1. §. *Inter reliqua* &c. hoc impedimentum nuptiarum inter *gravamina imperii* retulerunt.

§. CCCLXIX. II.) Quia *caret rationum pondere & æquitate.* Ratio est pondus & anima legis; quæcunque igitur constitutio rationum pondere destituitur, admodum est infirma, ac legis obligantis honorem tueri nequit. Jam vero pontificia de spiritualis cognationis impedimento constitutio destituitur justæ ac necessariæ rationis pondere. Ergo. *Adsumtum* patet ex eorum examine, quæ pro stabiliendo hoc matrimonii impedimento a pontificiis proferuntur. Bellarminus de matrim. cap. 30. demonstraturus, *cognationem spiritualem merito ab ecclesia inter impedimenta matrimonii referri*, non profert nec proferre potest peculiares quasdam rationes, sed quatuor illas, quas in præced. cap. pro stabilienda ecclesiastica prohibitione usque ad septimum primo, deinde ad quartum cognationis naturalis gradum extensas, etiam in hac spirituali cognatione vim ac locum habere adserit. Videbimus igitur, quid roboris illis insit, si ad propositum adplicentur scopum. *Prima* ducitur ab *honore debito consanguineis & adfinibus.* Resp. reverentia impediens matrimonium ex carnis propinquitate duntaxat oritur, unde etiam *sanguinis reverentia* notanter adpellatur; atqui inter baptizantem & baptizatum ac baptismi testes sive susceptores ex actione illa sacramentali nulla oritur carnis propinquitas, in consanguinitate vel adfini-

II.) *Caret rationum pondere & æquitate.*

tate

tate consistens, ergo etiam reverentia matrimonium impediens inter eos nulla. Si quælibet reverentia matrimonio ἐμπόδισμα objiceret, utique inter virum magistratu fungentem & personam privatam, inter virum honoratum, bene meritum, in publico officio constitutum & fœminam beneficiis adfectam &c. non posset conciliari matrimonium. Quin imo toti sexui fœmineo reverentia, honor & verecundia debetur; quod si ergo huic Bellarminianæ argutiæ ullum ineſſet pondus, a conjugio penitus fuerit abstinendum. Necessario proinde distinguendum inter reverentiam, pudorem ac verecundiam *naturalem* ex carnis propinquitate ortam, & inter reverentiam, pudorem ac verecundiam *moralem* ex operibus caritatis & vitæ communis officiis originem suam trahentem, non hæc, sed illa duntaxat matrimonio impedimentum adfert. 2.) *A consuetudine & familiaritate, quæ inter consanguineos & adfines esse debet.* Resp. inter baptizantem, baptizatum & ἀναδόχους rarissime locum habet quotidiana illa consuetudo & familiaritas, *qua in eadem domo habitent, & adsidue noctu & interdiu simul versentur, vel crebro & fideuter conveniant, & invicem maneant*, quibus verbis illam familiaritatem Bellarminus describit. Quin imo si vel maxime talis consuetudo inter illos locum quandoque haberet, non tamen protinus matrimonio impedimentum injiceret; alias etiam illi, qui in contiguis ædibus habitant, vel alios crebros instituunt conventus, vel quovis modo familiaritatem invicem exercent, matrimonio conjungi non possent, cum tamen de ejusmodi nuptiarum conciliatione plerumque usurpari possit illud poetæ:

Notitiam primosque gradus vicinia fecit.

3.) *A studio caritatis inter extraneos dilatandæ.* Resp. hoc argumentum præsupponit id, quod est in quæstione, videlicet per spiritualem cognationem talem oriri propinquitatem, propter quam personæ, inter quas eadem intercedere statuitur, non sint pro extraneis habendæ. Quod si absolute ac simpliciter adseritur, non nisi cum extraneis matrimonium contrahendum, cum vicinis, familiaribus & quovis modo charis non licebit inire conjugium. Adde quod propagatio necessitudinum sit finis quidam accidentarius, non essentialis, qui proinde ubi deest, non potest matrimonio impedimentum objicere. 4.) *Ab usu moderato officii conjugalis. Quia enim amantur a nobis illi, quos e baptismo suscepimus, si adderetur amor conjugalis, plus justo crescet amor carnalis.* Resp. imo vero honestus amor, qualis est inter susceptores & susceptos ex baptismo, incrementa accipiens ab alio honesto amore, qualis est conjugalis, non desinit in carnalem, nisi ex accidente in homine scilicet carnali, est igitur in argumento elenchus accidentis. Inclinatio sexus ad sexum conjugalis amoris prævia est naturalis, quod si juxta Bellarmini doctrinam conjugalis amor non debet accedere ad naturalem, non erunt conjugio copulandæ personæ, quæ se naturaliter diligunt, sed inter quas est mutua quædam ἀντιπάθεια ac naturale odium. Denique unde probari potest, ex baptismi & confirmationis sacramento inter personas illud administrantes vel recipientes vel ut testes ejus administrationi adstantes talem ac tantum amorem oriri, cui conjugalem amorem conjungi summum sit periculum?

§. CCCLXX. III.) *Non habet suffragium a pia antiquitate.* Susceptores sive ἀναδόχους in baptismo adhiberi, ab Higino anno 140. vel ut alii volunt, anno 154. institutum fuit; ergo in ecclesia primitiva apostolicæ vicina ante illam Higini constitutionem impedimentum spiritualis cognationis ignotum fuit. Nec cum prima hujus instituti de susceptoribus in baptismo adhibendis origine doctrina de spirituali cognatione matrimonium

III.) *Non habet suffragium a pia antiquitate.*

nium inter ſuſceptorem & ſuſceptam impediente in eccleſiam introducta eſt, ſed aliquot poſt Chriſtum natum ſeculis, unde etiam Bellarminus, qui ubique antiquitatem crepat, in adducendis veterum ſuffragiis hic magis mutus eſt quam piſcis. *Confirmationis ſacramentum* (Alexander Alenſis part. IV. q. 24. art. 1.) *nec a Chriſto, nec ab apoſtolis, ſed ab eccleſia in concilio Meldenſi circa annum 846. fuit inſtitutum;* quomodo igitur primitivæ eccleſiæ notum eſſe potuit iſtud dogma, quod ex confirmationis ſacramento oriatur ſpiritualis quædam cognatio matrimonium impediens? Synodus Conſtantinopolitana ſexta can. 53. impedimentum illud, quatenus ex baptiſmo deſcendit, adprobat, ſed, præterquam quod habita eſt ſeptimo demum ſeculo, notandum, quod Albert. Piggius in diatriba *eam adulterinam & ſuppoſititiam* eſſe contendat. Bellarminus libr. IV. de pontific. cap. XI. §. Quod ſi &c. *corruptam* adſerit. Binius tom. III. concil. part. I. p. 154. *erraticam pſeudo ſynodum* adpellat. De ſpirituali cognatione ex confirmationis ſacramento deſcendente altum in illo concilio & aliis veterum ſcriptis ſilentium.

IV.) *Evidenti laborat abſurditate.*

CCCLXXI. IV.) *Evidenti laborat abſurditate.* Etenim ſi cognatio ſpiritualis matrimonium impedit, inter homines pios & chriſtianos non poteſt conſtare matrimonium. Ratio connexionis eſt, quia omnes vere pii & Chriſtiani a Spiritu ſancto per verbum & baptiſmum regeniti *unum patrem in cœlis & unam in terris matrem* eccleſiam habent, ideoque omnes invicem fratres & ſorores ſunt. At conſequens eſt abſurdum. Ergo & antecedens. Hoc argumentum cumprimis urget Lutherus in lib. de capt. Babylon. cap. de matrimon. tom. II. Jenenſ. Latin. fol. 280. *Nugæ* (inquit) *illæ compaternitatum, commaternitatum, confraternitatum, conſororitatum & conſilietatum debent prorſus exſtingui contracto matrimonio. Quis enim iſtam cognationem ſpiritualem invenit, niſi ſuperſtitio humana? Si non licet baptizanti aut levanti baptizatam aut levatam ducere, cur licet Chriſtiano Chriſtianam ducere? An eſt major cognatio iſta ex ceremoniis ſeu ſigno ſacramenti contracta, quam quæ ex re ipſa eſt contracta? An non Chriſtianus eſt frater Chriſtianæ ſororis? An non baptizatus baptizatæ ſpiritualis frater?* Bellarminus de matrimon. cap. XXX. excipit, 1.) *illud non ſequi, cum impedimentum cognationis ſpiritualis non pendeat ex jure naturæ, ſed ex arbitrio eccleſiæ.* Reſp. hoc eſt τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. Quæſtio eſt, utrum eccleſia Romana, hoc eſt, pontifex Romanus recte ſtatuerit, cognationem ſpiritualem debere impedimentum aliquod matrimonium contrahentibus objicere? Bellarminus adfirmat, quia eccleſia illud ſtatuit; at pro vero veræ eccleſiæ decreto acceptari nequit, quod pontifex ſuo arbitrio ductus non ratione aliqua probabili permotus ſtatuit. Vidit hoc Bellarminus, ideo ad aliam exceptionem confugit; addit enim 2.) *ut eccleſia* cognationem ſpiritualem, non quamlibet, ſed eam tantum, *quæ ex baptiſmo & confirmatione oritur, impedimentum faceret, habuit cauſam rationabilem, quia unus ab alio recipit eſſe ſpirituale, & ideo debet illi peculiarem reverentiam.* Reſp. a) Per τὸ *eſſe ſpirituale* Bellarminus dubio procul intelligit hominis regenerationem ac renovationem, per quam ex ſtatu iræ transfertur in ſtatum gratiæ, filius Dei conſtituitur, Spiritu ſancto donatur & heres vitæ æternæ ſcribitur. Illius regenerationis ac renovationis cauſa efficiens principalis eſt Deus: Joh. I. 12. *Dedit poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus.* Jac. I. 18. *Voluntarie nos genuit, ut ſimus primitiæ creaturæ ejus.* 1 Pet. I. 3. *Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum magnam miſericordiam ſuam nos regenuit;* vel, quod idem eſt, Spiritus ſanctus. Joh. III. 5. *niſi quis*

quis renatus fuerit ex Spiritu &c. Causa ministerialis sunt verbum & sacramenta. Deus enim non ἀμέσως, sed ἐμμέσως in hoc opere gratiæ nobiscum agit, ac regenerat nos per verbum, 1 Petr. I. 23. *Renati non ex corruptibili, sed incorruptibili semine, per verbum scilicet Dei vivi.* Jac. I. 18. *Genuit nos verbo veritatis &c.* ac per baptismum Joh III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu;* unde baptismus vocatur *lavacrum regenerationis ac renovationis in Spiritu sancto,* Tit. III. 5. ac quia verbum prædicatur, & baptismus administratur per apostolos & eorum in docendi officio successores, ideo etiam illis ὀργανικῶς, *ministerialiter* regenerationis opus tribuitur: 1 Cor. IV. 15. *In Christo Iesu per evangelium vos genui.* Gal. IV. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio. b.)* In Bellarmini igitur argumento per eum, *a quo spirituale esse accipimus,* intelligitur aut *causa efficiens principalis* illius τὸ εἶναι πνευματικῶ, aut ejusdem *causa ministerialis.* Prior significatio hic locum habere nequit, quia hic honor soli Deo competit, a quo solo ut causa principe gratiam regenerationis, & sic *esse spirituale* accipimus. De conjugio autem spirituali & mystico animæ fidelis cum Deo & Christo sponso nulla hic est quæstio. Restat igitur ut in significatione posteriore accipiatur, ac proinde argumentum integrum & plene formatum sic habebit: A quo ministerialiter & instrumentaliter accipimus *esse spirituale,* illi debemus peculiarem reverentiam, propter quam matrimonio impedimentum objicitur. A baptizante, susceptoribus, sacramentum confirmationis administrante &c. recipimus *esse spirituale.* Ergo illis debemus peculiarem reverentiam, & quidem talem, quæ matrimonio impedimentum objicit. Sed in hoc argumento negamus *majorem,* si vel maxime in *minore* omnia recte haberent. *c.)* Nam regenerationis & renovationis beneficium, seu ut Bellarminus loquitur, *esse spirituale* non solum per baptismi administrationem, sed etiam per verbi prædicationem nobis confertur; ut ex dictis patet. Consequens igitur foret, eos, qui verbum prædicant, non posse ullam ex auditoribus suis in uxorem ducere. Pontificiis quidem hoc non videtur absurdum, qui fortassis ex hoc etiam principio toti clero matrimonio interdixerunt, & in c. Omnes 30. q. 1. Symmachus papa expresse statuit, „omnes, quos in pœnitentia suscipimus, ita esse spirituales nostros filios, „ut ipsi, quos vel nobis suscipientibus vel „sub trinæ mersionis vocabulo mergentibus unda sacri baptismatis regeneravit; „ac proinde ex instituto Sylvestri fornicationem esse, si quis ad filiam suam pœnitentialem accedat.„ Sed libertatem matrimonii ecclesiæ ministris suo loco vindicavimus, hoc loco unicum illud monemus, apostolum, qui Corinthios voce evangelii filios Christo genuerat, 1 Cor. IV. 15. disertis & exsertis verbis adserere, 1 Cor. IX. 5. *Nunquid non habemus potestatem sororem uxorem circumducere, sicut & reliqui apostoli & fratres Domini & Cephas? d)* Addimus & hoc, quod baptismus successerit in locum circumcisionis, Col. II. 11. ut enim baptismus in nov. testam. est sacramentum initiationis & medium regenerationis, sic circumcisio in vet. test. spiritualis illius beneficii fuit efficax organum. Proinde si inter baptizantem, baptismi testes & baptizatum contrahitur spiritualis cognatio, utique etiam per circumcisionis sacramentum talis cognatio debuisset contrahi. Non est quod regeras, *puellas in vet. test. non fuisse circumcisas,* præterquam enim quod circumcisionis potuerint esse testes, notum est, jesuitas peculiare aliquod remedium circumcisioni analogum pro puellis in vet. test. solicite quærere. Nec obverti potest, *circumcisionem in vet. test. non fuisse organum regenerationis,* contrarium enim ostendimus in tract. de sacram. §. LX. & seqq.

§. CCCLXXII. Adfine huic Bellarmini exceptioni est illud, quod in jure canonico proponitur. Zacharias pontifex c. Pyctacium XXX. q. 3. „Bene tua sancta fraternitas compertum habet, quod Dominus „præcepit Mosi dicens: *Turpitudinem patris tui vel matris, vel sororis non revelabis, turpitudo enim tua est.* „Cum ergo „a propria consanguinitate jubemur abstinere, multo magis a spirituali nostri patris filia, omni excusatione aut argumento „sepositio sub nimia districtione nos cavere „convenit. *Nicolaus c. Ita diligere eod.* „Est inter fratres & filios spirituales gratuita & sancta communio, quæ dicenda „non est consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas, unde inter eos arbitror „non posse fieri quodlibet legale conjugium, „quandoquidem nec inter eos, qui natura, „& eos, qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi „permittunt. Item si inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, „quanto potius a carnali oportet inter se „contubernio cessare illos, quos per cœleste „sacramentum regeneratio sancti Spiritus „jungit? Longe ergo congruentius filius „patris mei vel frater meus adpellatur is, „quem divina gratia potius, quam humana „voluntas, ut filius patris mei, vel frater „meus esset, elegit, prudentiusque ab alterna corporis commixtione secernimur.„ *Cui conforme illud in concilio Constantinopolitano sexto can.* 53. „Quoniam spiritualis necessitudo seu adfinitas corporum „conjunctione major est, in nonnullis autem „locis cognovimus quosdam, qui ex sancto „& salutari baptismate infantes susciptunt, „postea quoque cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere, statuimus, „ut in posterum nihil tale fiat ejusmodi. *Itemque illud Justiniani l. si quis alumnam C. de incest. & inut. nupt.* „Nihil „aliud sic inducere potest paternam adfectionem & justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per „quem Deo mediante animæ eorum copulatæ sunt.„ Resp. 1.) distinguendum accurate inter propinquitatem *naturalem* & *spiritualem*, ex consanguinitate & adfinitate naturalis propinquitas oritur, quam in certis quibusdam gradibus matrimonium impedire ex lege divina constat; sed ex spirituali propinquitate nuptiis ἐμπόδισμα quoddam objici, non potest ex verbo Dei vel causa rationali probari. 2.) Quamvis igitur propinquitas spiritualis sit sanctior & dignior quam naturalis, si *absolute* invicem conferantur, tamen si *comparate* respectu ad conjugium habito considerentur, propinquitas naturalis in impedimento matrimonii conciliando efficacior est, cum de ea exstet expressa lex divina, de spirituali autem cognatione, quod matrimonio impedimentum adferat, altum ubique in scripturis sit silentium. 3.) Si liceret a propinquitate *naturali* ad *spiritualem*, tanquam a minori ad majus in quæstione de impedimentis matrimonii procedere, evinci posset, inter omnes omnino vere pios & Christianos matrimonii interdictum vigere, cum inter eos spiritualis in Christo propinquitas vigeat. 4.) Utram vero cognationem augustiorem & efficaciorem censebimus? num eam, quæ divina autoritate ac gratia, itemque salutari Spiritus sancti gratia nititur, & in Christo omnibus vere piis communis est, atque ex eo communio sanctorum dicta? an vero eam, quæ ex ecclesiastica duntaxat ordinatione, ex susceptorum scilicet circa baptismum officio descendit, & paucis duntaxat intercedit? si prior illa divina & interna unitas nullum objicit nuptiis impedimentum, num de humana & externa illa propinquitate id adseremus? 5.) Quid quod non soli susceptores, sed tota ecclesia infantes baptismo offert docente Augustino epist. XXIII. ad Bonifac. „Offeruntur, *inquit*, parvuli „non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quamvis & ab ipsis, si & ipsi boni „fideles sunt, quam ab universa societate „sancto-

„ſanctorum atque fidelium, ab omnibus „namque recte offerri intelliguntur, qui„bus placet, quod offeruntur.„ Quod ſi ergo illi, qui infantes per baptiſmum initiandos & Chriſto inſerendos offerunt, nec cum illis, nec cum parentibus illorum matrimonio conjungi poſſunt, conſequens foret, neminem ex univerſa fidelium ſocietate cum baptizato ejuſque parentibus matrimonium contrahere poſſe, quod argumentum urget b. Lutherus libr. de vit. matrimon. tom. II. Jenenſ. German. fol. 165. 6.) Per euchariſtiæ ſacramentum major atque arctior unio contrahitur inter eos, qui ex pane euchariſtico ſimul edunt, & ex poculo euchariſtico ſimul bibunt. 1 Cor. X. 17. *Vnus panis, unum corpus multi ſumus, quia omnes de uno pane participamus.* Unio illa, quæ convivis epuli hujus cœleſtis intercedit, nititur inſtitutione divina, ſed conjunctio, quæ inter ſuſceptores & baptizatum ejusque parentes ſtatuitur, originem habet ex inſtituto humano, eccleſiaſtica ſcilicet ordinatione. Quod ſi ergo unio ex euchariſtiæ κοινωνίᾳ deſcendens non adfert nuptiis ἐμπόδισμα, quanto minus officium illud ſuſceptorum. 7.) Quæ de adoptione ſive legali cognatione adtexuntur, ſuum in ſequentibus invenient locum.

Evertitur multiplicium ratiocinationum firmitate.

§. CCCLXXIII. V.) *Evertitur multiplici ratiocinatione.* 1.) Ab *iniquo.* Officium & opus chriſtianæ caritatis a Chriſtiano proximo ſuo præſtitum nuptiis aditum intercludere iniquum eſt. Atqui ſuſceptoris partibus fungi, & pro aliis in baptiſmo ſpondere eſt chriſtianæ caritatis opus atque officium. Ergo. 2.) *A ſuſceptorum inſtituto.* Inſtitutum humanum matrimonio divinitus conceſſo non poteſt nec debet impedimentum aliquod objicere. Officium ſuſceptorum eſt inſtitutum humanum. Ergo. Circa *Majorem* notandum, aliam eſſe rationem legum poſitivarum magiſtratus autoritate de conſanguinitatis & adfinitatis gradibus promulgatarum; illæ enim nituntur probabili ratione, concernunt propinquitatem naturalem, & ſunt legis divinæ adpendices atque ſepta, quorum nihil de papali prohibitione dici poteſt. 3.) *Ex axiomate pervulgato.* Evangelium non abolet politias, nec ordinationes Chriſti in regno gratiæ evertunt honeſtas leges in regno mundano ac naturæ. Jam vero adminiſtratio baptiſmi pertinet ad evangelium, cum beneficia evangelii per eum tanquam ſalutare organum diſtribuantur, & eſt ſalutaris ordinatio Chriſti in regno gratiæ. Ergo per eam non evertitur politia, nec impedimentum aliquod infertur civilibus conſtitutionibus de libertate matrimonii in regno mundano ac naturæ. Weſenbecius in paratit l. ff. de rit. nupt. n. 4. *Sicut Chriſtus inquit, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, ita tota illa ſpiritualis fraternitas & cognatio a politicis hujus vitæ ordinationibus eſt ſeparata.* 4.) Ex *pontificiorum diſſenſu, a)* In jure canonico ſeveriſſime interdicitur conjugium inter perſonas ſpirituali cognatione ex baptiſmi & confirmationis ſacramento invicem conjunctas. Zacharias c. Pyctacium XXX. q. 3. „Sciſcitari voluiſti, ſi liceat filio, cujus pater „alterius filiam ex ſacro baptiſmate ſuſcepit, „ſuſceptam, hoc eſt, ſpiritualem ejus pa„tris filiam, quod dici crudele eſt, in ma„trimonio ſuſcipere, quod apud te enor„miter adſeruiſti contigiſſe. *Et poſtea:* „A ſpirituali filia cavere convenit, ne in „iram divinæ examinationis incidat, ſi quis „tali facinore mixtus minime reſtrinxerit „frena luxuriæ, unde etiam omnes cavendi „ſunt a tali ſceleris commixtione, ne in „perpetuum pereant, item hunc, qui au„tor hujus pernicioſæ temeritatis animæ „ſuæ ſalutem deſpiciens, impio ſe miſcuit „matrimonio, per omnia tua fraternitas „ſtudeat ſeparare & pœnitentiæ digne ſub„mittere, quatenus ab æterna erutam dam„natione animam ejus lucreris.„ Sed hanc ſeveritatem temperavit concilium Tridentinum,

tinum, unde Daniel Venatorius, jurisconsultus pontificius, in anal. juris can. lib. IV. tit. 11. enumeratis spiritualis cognationis effectis, quod scilicet impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, subjungit: „Hi tamen effectus tunc de„mum locum sibi vindicant, cum consue„tudo absque ecclesiæ scandalo in contra„rium non sit observata, ubi enim loci „consuetudo fuerit, ut nuptiæ inter spiri„tuali cognatione sibi devinctos in ecclesia „permittantur, matrimonium legitime con„tractum ob hoc temere non erit turban„dum vel rescindendum.„ c. I. §. nisi consuetudo c. Super eo §. verum si de consuetudine. extr. de cogn. spirit. Quid quod taxa pœnitentiaria dispensationem in spirituali cognatione pecunia redimi posse statuit ex quo non obscure colligitur, quid pontifices in hoc impedimento introducendo spectaverint. „Qui contraxerunt in cogna„tione spirituali taxantur tur. 17. duc. 3. „kar. 9. Si cognatio hujusmodi fuerit du„plex, taxa est tur. 30. duc. 7. kar. 2. In „compaternitate dispensatur tantum per „signoriam papæ vel sede vacante per si„gnoriam summi pœnitentiarii & taxa est „turon. 50. duc. 12. kar. 3. *Vide cauf. recuf. concil. trident. pag.* 284. *b.) c. Si quis* 30. *q.* 1. *ex concilio apud Vermeriam statuitur:* „Si quis filiastrum suum vel „filiastram suam ante episcopum tenuerit „ad confirmationem, separetur ab uxore „sua, & nunquam aliam accipiat, similiter „& mulier. *Sed contrarium decrevit Nicolaus c. de his eod.* „De his, qui filiastros „suos ad confirmationem coram episcopis „tenent, id est, qui filios uxoris suæ de „viro priori, dum chrismantur ab episcopis, „super se sustinent, si inscientia fiat, li„cet sit peccatum, non tamen usque ad „separationem conjugii puniendum est. *Idem c. Nosse desideras eod.* „Nosse de„sideras, utrum mulier, quæ viri filium „ex alia fœmina genitum de sacro fonte „levaverit, postmodum possit cum eodem „viro copulari, quos ideo conjungi posse „decernimus, quia secundum canones sa„cros nisi amborum consensu nullius reli„gionis obtentu debet conjunx dimittere „conjugem. *c.) Pontifex Urbanus c. Super quibus* 30. *q.* 3. *statuit, quod* spiri„tualium parentum filii vel filiæ, ante vel „post compaternitatem genitæ, possint le„gitime conjungi præter illam personam, „per quam compatres sunt effecti;„ hanc sententiam defendit Carerius libr. II. de matrimon. c. 9. Sed contrarium statuit Paschalis secundus c. Post susceptum eod. „Post susceptum de fonte filium vel filiam „spiritualem, qui ex compatre vel com„matre nati fuerint, matrimonio conjungi „non possunt, quia leges seculi non eman„cipatos adoptivis prohibent copulari. *d.) Pontifex Deus dedit c. Pervenit* 30. *q.* 1. „Viri ac mulieres, qui pro magno po„pulorum incursu nescientes proprios fi„lios susceperunt ex lavacro sancto, sepa„rent se, nec ullo modo in conjugium se „recipiant. *Contrarium definitum in concilio Triburiensi cap.* 48. „Si quis suæ „spiritualis commatris filiam fortuito, & „ita contingente rerum casu in conjugium „duxerit, consilio maturiori servato ha„beat, atque honeste legitimo conjugio det „operam.„ *e.)* Quærunt, *an cognatio spiritualis contrahatur per procuratorem?* Adfirmant abb. & card. in c. Veniens de cogn. spirit. in 6. negant vero alii omnes. Bartolinus in l. 29. §. forsitan de libr. & posth. Roman. singul. cap. 53. Tholosanus decis. 157. *f.)* Quærunt, *an ille dicendus cognatus spiritualis, qui susceptit quidem de fonte, sed non respondit nomine baptizandi?* Negant hoc plerique Roman. sing. 54. Johan. Andr. d. c. adfirmat Covarruvias p. 2. cap. 6. §. 4. num. 7. de spons. Plures ejusmodi contradictiones & dissensiones facili negotio colligi possunt ex summa Angelica in verbo *matrimonium* impedimento VII ubi aliquoties hi flosculi occurrunt, *tene hanc opinionem, & non*

cures

cures de con aria, tene hoc, quamvis alii teneant contrarium &c.

De propinquitate legali.

§. CCCLXXIV. A cognatione *spirituali* sive *ecclesiastica* transitum facimus ad *legalem* sive *civilem*, quæ ex adoptione nascitur. Definitur legalis cognatio, quod sit *propinquitas personarum per adoptionem legitime contracta.* Adoptio *est actus legitimus, quo aliquis adsciscitur in filium, qui naturaliter illius filius non est.* Exempla adoptionis occurrunt non solum in historiis profanis, sed etiam sacra. *Iacob patriarcha* adoptat nepotes suos *Ephraim & Manasse*, Genes. XXXXVIII. 16. *Moses* adoptatus est a *filia Pharaonis*, Exod. II. 10. Act. VII. 21. Heb. XI. 24. *Mardochæus* Esth. II. 7. filiam fratris sui, *Estherem*, accepit sibi in filiam. *Iulius Cæsar* adoptavit *Octavianum Augustum*, *Augustus Tiberium &c.* Estque hæc adoptio origine quidem *juris gentium*, quia apud varias gentes, Romanos cumprimis & Græcos, antiquissimis temporibus usitatum fuit, ut illi, qui vel in cœlibatu consenuerant, vel ex matrimonio nullos liberos susceperant, vel liberos suos naturales ob mores degeneres exheredaverant, vel eosdem præmatura morte exstinctos lugebant, vel alioquin liberorum naturalium numero nondum erant contenti, orbitatis solatium & familiæ suæ conservandæ medium in adoptione quærerent: *jus* tamen *civile* adoptionis formæ nonnihil addidit, unde a legibus civilibus primum inventa & introducta dicitur, quatenus scilicet in solennibus & effectis, quos jure civili producit, consideratur §. sed si qua. Inst. de nupt. l. per adoptionem 17. ff. de rit. nupt. & deinde probata ac recepta a sacris canonibus. c. Ita diligere c. Illud etiam 30. q. 3. c. unic. extr. de cogn. legali. Cæterum duplex statuitur ejusmodi adoptio. *Specifica* & *arrogatio.* Adoptio specifica est *actus legitimus, quo filiusfamilias cum consensu patris sui naturalis ab avo materno vel extraneo coram ordinario judice vel magistratu in filium adoptatur.* Arrogatio *est actus legitimus, quo is, qui sui juris est cum autoritate principis & causæ cognitione in filium recipitur. Objectis* igitur hæ duæ adoptionis species differunt, ac quodammodo & *causa efficiente* & *forma.* Si enim filiusfamilias adoptandus est, requiritur, ut cum consensu patris sui naturalis vel avi paterni, in quorum potestate constitutus est, coram judice ordinario ab eo, qui 18. annis adoptantem ætatem antecedit, & naturaliter ad generandum potens est, adoptetur. Si vero quis sui juris arrogatur, requiritur, ut per rescriptum principis & sufficiente causarum cognitione & cum consensu arrogandi fiat arrogatio. l. Neque absens l. si paterfamilias. ff. de adoptiou. §. adoptio Instit. de adoptionibus. Quatuor igitur in universum differentiæ sunt inter adoptionem & arrogationem: 1.) non potest arrogari, nisi qui *sui juris est*, sed adoptatur qui *est alieni*; 2.) arrogatus *transit in potestatem arrogantis*, sed adoptatus non transit in potestatem adoptantis; l. penult c. de adopt. 3.) arrogatus *habet legitimam* in bonis arrogatoris, quod in adoptato secus evenit; 4.) arrogatio non potest fieri nisi *principis autoritate*, sed adoptio fit autoritate cujuslibet competentis magistratus.

§. CCCLXXV. Legalis cognatio ex adoptione orta docendi causa triplex statui potest. Prima est quasi *adscendentium & descendentium*, adoptantis scilicet & adoptati ac descendentium ab ipso. Per illam enim cognationem inter adscendentes & descendentes adquiritur jus filii, cujus vigore impeditur matrimonium contrahendum, sive adhuc duret illud jus, sive emancipatione vel alio modo sit solutum, unde si quis adoptet aliquam in filiam, etiam post solutam adoptionem & emancipationem, nec cum illa nec cum aliqua ejus descendente matrimonium contrahere potest, cum sint tanquam adscendentes & descendentes. §.

Ergo non omnes. 2. Inſt. de nupt. „Inter eas perſonas, quæ parentum liberorumve locum inter ſe obtinent, contrahi nuptiæ non poſſunt, & hæc adeo vera ſunt, ut quamvis per adoptionem parentum liberorumve loco ſibi eſſe cœperint, non poſſint inter ſe matrimonio jungi, in tantum, ut etiam diſſoluta adoptione idem juris maneat. Itaque eam, quæ tibi per adoptionem filia vel neptis eſſe cœperit, non poteris uxorem ducere, quamvis eam emancipaveris. *c. ita diligere* 30. *q.* 3. inter eos, qui natura & qui adoptione filii ſunt, venerandæ leges Romanæ matrimonia contrahi non permittunt.„ Sic ergo in hac legali non minus quam naturali adſcendentium ac deſcendentium cognatione ceſſante cauſa non tamen ceſſat effectus contra textum in c. ceſſante x. de adpellat. Cauſa enim prohibitionis nuptiarum inter patrem adoptantem & filiam adoptivam eſt adoptio, & tamen ceſſante adoptione non ceſſat nuptiarum prohibitio, cujus rationem quærunt in *reliquiis pudoris nominis paterni*, quæ etiam poſt emancipationem & ſolutam adoptionem ſuperſunt. Secunda eſt quaſi *tranſverſalium*, quæ contrahitur inter adoptatam & filios adoptantis legitimos & naturales, & hæc durat durante adoptione & filio naturali exiſtente in poteſtate patris, alias vero minime. §. inter eas inſt. de nupt. „Si qua per adoptionem tibi ſoror eſſe cœperit, quamdiu quidem conſtat adoptio, ſane inter te & eam nuptiæ conſiſtere non poſſunt, cum vero per emancipationem adoptio ſit diſſoluta, poteris eam uxorem ducere. Sed ſi tu emancipatus fueris, nihil eſt impedimento nuptiis. Et ideo conſtat, ſi quis generum velit adoptare, debere eum antea filiam ſuam emancipare, & ſi quis velit nurum adoptare, debere eum antea filium ſuum emancipare.„ Idem repetitur l. per adoptionem 17. ff. de rit. nupt. c. per adoptionem 30. q. 3. c. Si qua extr. de cognat. leg. *Si qua per adoptionem mihi ſoror eſſe cœperit, quamdiu durat adoptio inter me & ipſam, nuptiæ conſiſtere non poſſunt.* Tertia eſt quædam legalis *adfinitas*, quæ contrahitur inter uxorem adoptantis & adoptatum, & inter uxorem adoptati & adoptantem, quæ & ipſa perpetuo durat, ſicut prima adſcendentium ac deſcendentium, unde adoptans non poteſt contrahere cum uxore filii adoptivi, eo mortuo, nec filius adoptivus cum uxore adoptantis eo mortuo. l. Adoptivus 14. ff. de rit. nupt. *Adoptivus filius, ſi emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor fuit, ducere non poteſt, quia novercæ locum habet.* Item: *Si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem, quæ nurus loco eſt, ne quidem poſt emancipationem filii ducere poterit, quoniam aliquando nurus ei fuit.* Lancellotus lib. II. tit. 13. duas legalis cognationis ſpecies conſtituit: unam, quæ *temporalem* impediendi matrimonii cauſam continet; alteram vero, quæ *perpetuam*. Ad priorem refert cognationem *tranſverſalium*, ad poſteriorem vero *adſcendentium & deſcendentium* cognationem, item *legalem adfinitatem*, ſed res utrobique eodem redit.

§. CCCLXXVI. De hoc matrimonii impedimento concilium Tridentinum nihil definivit. Bellarminus pauciſſimis illud adtingit de matrim. cap. XXX. *Cognatio legalis* (inquit) *inter impedimenta matrimonii merito ab eccleſia refertur, quia quatuor rationes pro adſtruenda eccleſiæ prohibitione in conſanguinitate & adfinitate uſque ad ſeptimum, poſtea vero uſque ad quartum gradum etiam in legali cognatione locum ac vim obtinent.* Sed quid roboris ac virium inſit illis rationibus ad ſpiritualem & legalem cognationem adcommodatis, ex ſuperioribus conſtare poteſt; unde haud immerito dubitatur, an legalis cognatio inter ea matrimonii impedimenta, quæ non ſolum contrahendum impediant, ſed contractum etiam diſſolvant, refe-

referenda sit: 1) *A mandati divini defectu.* Neque enim inter prohibitionis leges divinitus promulgatas ulla sit adoptionis mentio, quod ipsa quoque nuptiis aliquod ἐμπόδισμα objiciat. Conscientiæ igitur non possunt nec debent cognationis hujus impedimento turbari. 2.) Ab *exemplorum probatorum carentia.* Exempla adoptionis in sacris literis adnotata exstant, sed quod ex illis cognatio quædam nuptias contrahendas impediens & contractas dissolvens orta fuerit, nuspiam legimus. 3.) Ab *analogia.* Cœlestis Pater per Christum in filios nos adoptat Joh. I. 12. idem tamen inter hunc Filium suum naturalem & nos adoptivos filios spirituales nuptias conciliat. Matth. XXII. 2. 2 Cor. XI. 2. Apoc. XIX. 7. &c. 4.) *A divinæ prohibitionis natura.* Lex divina inde atque ideo solum inter quasdam personas matrimonium contrahi vetat, quia est inter eas carnis propinquitas, Lev. XVIII. 6. sed per adoptionem non contrahitur carnis propinquitas. Unde Lutherus in libr. de vita conjugali tom. II. Jen. Germ. fol. 153. judicat *esse inventum humanum,* quod propter adoptionem legalem prohibentur nuptiæ, & addit; *Halte es ob dichs gelüste, es ist weder dein Mutter noch dein Schwester für Gott, da du frembdes Blut bist.* 5.) Ab *adoptationis cessatione.* Hodiernis moribus maxima ex parte adoptio est abolita ac sublata; quos enim hodie nonnulli pro filiis habent, alunt & adpellant, hi potius alumni vel alumnæ sunt a matrimonio invicem non prohibendi. l. Si quis alumnam C. de inc. & inut. nupt. Quod ipsum etiam respondemus, si quis inferre velit, *in spirituali cognatione legali contineri,* quem scilicet ex sacro fonte quis suscepit, eum alumnum potius quam adoptatum fieri, ac proinde impedimentum aliquod matrimonii minime nasci. Quod si vero magistratus autoritate provincialis quædam constitutio de hoc impedimento promulgaretur, sicut Bidenbachius de Wirtenb. ordinat. tale quid adserit p. 73. subditi memores præcepti apostolici Rom. XIII. 1. debitam eidem obedientiam præstare tenerentur, quo pertinet illud Hemmingii de conjug. pag. 124. *Adoptio* (inquit) *juxta leges cæsareas impedit nuptias. Nam per adoptionem parentum & liberorum loco censentur, qui adoptant, & adoptantur. Huic legi oportet eos parere, qui sunt in Romano imperio, alii ista lege non obligantur. Nam neque fundamentum habet in jure divino aut naturali, sed solummodo habita est ratio politici boni non ita late se extendentis.* Neque tamen ad dissolutionem matrimonii jam contracti & consummati impedimentum illud extendendum, quia vinculum divinum non debet solvi autoritate & arbitrio humano.

Cognatae species legalis cognationis.

§. CCCLXXVII. Ad legalem illam cognationem ex adoptione ortam haud incommode referuntur cognatæ species legalis propinquitatis jure civili matrimonium impedientis, utpote 1.) ea quæ est inter *tutorem* & *pupillam, curatorem* & *constitutam sub curatela.* Cautum enim fuit senatus consulto, ut tutor vel curator pupillam vel minorem, cujus cura vel tutela geritur, intra annum vigesimum sextum in uxorem ducens vel filio suo jungens infamia notetur, & dotem datam restituat. l. Senatusconsulto 59 l. Non est matrimonium 66. ff. de rit. nupt. Exstat integer titulus libr. V. tit. 6. cod. de interdicto matrimonio inter pupillam & tutorem seu curatorem, filiosque eorum. In ordinat. matrim. Wirtenberg. itidem prohibetur matrimonium inter tutorem & pupillam cap. III. Rationem juris tradunt hanc, quod per tale matrimonium rationes administratæ tutelæ cohibeantur, & malæ administrationis fraudes tegantur. l. Libertum 64. §. 1. ff. de rit. nupt. *Ideo prohibitæ sunt ejusmodi nuptiæ, ne pupillæ in re familiari circumscribantur ab his, qui rationes eis gestæ tutelæ* reddere compellun-

pelluntur. Conjunge l. non ſolum 66. §. 3. eod. Additur tamen exceptio, *niſi filia a patre deſponſata vel Teſtamento deſtinata.* l. 6. C. de interd. matrim. Theologus diceret in hac prohibitione etiam reſpectum fuiſſe habitum ad illud, quod *tutor pupillæ fit loco patris.* Sed hoc impedimentum jure canonico eſt ſublatum, quia inter tutorem & pupillam eo jure matrimonium permittitur, Salicet. l. fin. C. de interd. matrim. Mauſerus in inſtit. de nup. §. illud. Beuſtius de ſponſal. cap. XXI. pag. 32. 2.) *Cognatio ſervilis.* Quamvis enim jus civile inter ſervos non agnoſcat conjugium proprie dictum, ſed *contubernium*, ex eo tamen ortam cognationem ſervilem juſtis nuptiis impedimentum adferre ſtatuit. l. Adoptivus 14. ff. de rit. nupt. „Serviles quo„que cognationes in hoc jure obſervandæ „ſunt, igitur ſuam matrem manumiſſus non „ducet uxorem, tantundem juris eſt & in „ſorore & in ſororis filia. Idem e contra„rio dicendum eſt, ut pater filiam non poſ„ſit ducere, ſi ex ſervitute manumiſſi ſint, „etſi dubitetur patrem eum eſſe &c. quo„niam in contrahendis matrimoniis natu„rale jus & pudor inſpiciendus eſt, contra „pudorem autem eſt, filiam uxorem ducere. „§. 3. Idem tamen, quod in ſervilibus „cognationibus conſtitutum eſt, etiam in „ſervilibus adfinitatibus ſervandum eſt, ve„luti ut eam, quæ in contubernio patris „fuerit, quaſi novercam non poſſim ducere, „& contra, eam quæ in contubernio filii „fuerit, patrem quaſi nurum non ducere, „æque nec matrem ejus, quam quis in ſer„vitute uxorem habuit quaſi ſocrum, cum „enim cognatio ſervilis intelligitur, quare „non & adfinitas? ſed in re dubia certius „& modeſtius eſt hujusmodi nuptiis abſti„nere.„

De propinquitate ex crimine.

§. CCCLXXVIII. A propinquitate *honeſta* hactenus expoſita tranſitum facimus ad propinquitatem *inhoneſtam*, quæ eſt vel ex *ſcortatione & adulterio*, vel ex *alio crimine.* Circa priorem inhoneſtæ propinquitatis ſpeciem duo quæruntur: I.) *An ex ſcortatione contrahatur adfinitas matrimonio impedimentum objiciens?* Leges civiles honeſtatis rationem unice habentes, & tutelas ac ſucceſſiones, quæ non niſi legitimis deferuntur, potiſſimum reſpicientes, *tantum ex legitimis nuptiis* adfinitatem naſci volunt, unde negant ex illicito & illegitimo coitu adfinitatem, quæ juris eſt & honeſtatis, oriri. l. Non facile 4. §. 8. *Sciendum eſt, neque cognationem, neque adfinitatem eſſe poſſe, niſi nuptiæ non interdictæ ſint, ex quibus adfinitas conjungitur.* Treutlerus volum. II. Diſp. 6. th. 3. lit. D. *Adfinitas, ſicut omnis neceſſitudo inter perſonas, jus eſt, coitus autem illicitus, eo ipſo, quod illicitus, non juris eſt, ſed facti.* Canoniſtæ contra adfinitatem matrimonio obſtantem non ſolum ex nuptiis legitimis, ſed etiam ex *illicito congreſſu* naſci volunt, unde adfinitatem generaliter ſic definiunt, quod *ſit propinquitas, qua per concubitum maſculus conſanguineis fœminæ & viciſſim fœmina conſanguineis maſculi redditur adfinis*, ac dividunt eam in *legitimam & illegitimam.* Adfinitas legitima eſt, quæ *per legitimas nuptias* contrahitur. Illegitima, quæ *per illicitam carnis conjunctionem* inducitur. c. Nec eam 35. q. 3. & tot. tit. extr. de eo qui conſang. uxoris ſuæ cognovit.

I.) *An ex ſcortatione contrahatur adfinitas matrimonium impediens.*

§. CCCLXXIX. Canoniſtarum ſententiam amplectitur Bellarminus de matrim. cap. XXX. eamque triplici argumento probat: 1.) „Adfinitas naſcitur ex eo, quod „per conjugium duæ perſonæ efficiuntur „una caro, dicente apoſtolo 1 *Cor. VI.* 16. *qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur, erunt enim*, inquit, *duo in carne una.* 2.) „Ex fornicatione oritur vera cognatio, „cum ſit vere pater, qui ſic generat, & „vere filius, qui ſic generatur, cur igitur „ex

„ex fornicatione oriri non possit adfinitas? „3.) Legimus 2 Sam. XX. 3. decem con„cubinas Davidis, quas filius ejus Absolon „violaverat, inclusas ab eodem Davide „fuisse, & nunquam amplius ab eo cogni„tas, quia nimirum factæ erant illæ omnes „quasi nurus ob conjunctionem cum filio „suo. *Addit tamen Bellarminus*, adfini„tatem illam, quæ ex fornicatione oritur, „licet sit vera adfinitas, & matrimonium „dirimat, tamen imperfectiorem esse ea, „quæ ex legitimo matrimonio oritur. „ Quibus verbis Bellarminus procul dubio eo respicit, quod impedimentum hoc matrimonii (adfinitas ex copula illegitima exsurgens) per concilii Trident. sanctionem *ad secundum gradum* fuerit restrictum. Sic enim habetur sess. XXIV. cap. 4. de reform. matrim. „Sancta synodus, gravissimis „causis inducta, impedimentum, quod „propter adfinitatem ex fornicatione con„tractam inducitur, & matrimonium po„stea factum dirimit, ad eos tantum, qui „in primo & secundo gradu conjungun„tur, restringit. In ulterioribus vero gra„dibus statuit, hujusmodi adfinitatem ma„trimonium postea contractum non diri„mere.„ Quia vero in sanctione illa Tridentina non additur, an in ulterioribus gradibus etiam non impediat, dubium fuit ortum, an adfinitas ex illegitima copula orta in gradu tertio & ulterioribus non solum non dirimat matrimonium contractum, sed etiam contrahendum non impediat; sed huic dubio occurrere voluit pontifex Pius V. qui in constit. sua anno 1566. 4. Cal. Decemb. edita, quæ exstat in Bullario Romæ impresso, declaravit, *dictam adfinitatem nec dirimere nec impedire, ideoque in ulterioribus gradibus licite sine dispensatione contrahi.*

§. CCCLXXX. Notamus circa hanc quæstionem: 1.) Leges civiles, earumve interpretes negare quidem, quod adfinitas ex fornicatione oriatur; interim tamen minime inficiari, quod ob honestatem a talibus conjunctionibus, quas canones propter adfinitatem ex illicita copula ortam prohibitas statuunt, abstinendum sit. §. Si uxor &c. Institut. de nupt. „Si uxor tua post „divortium ex alio filiam procreaverit, hæc „non est quidem privigna tua, sed Iulianus „ab hujusmodi nuptiis abstineri debere „ait. *l. Liberi* 4. *C. de nupt.* „Liberi „concubinas parentum suorum uxores du„cere non possunt, quia minus religiosam „& probabilem rem facere videntur, qui „si contra hoc fecerint, crimen stupri com„mittunt.„ Unde quidam ex jurisconsultis etiam ex illicito concubitu adfinitatem nasci statuunt, Corasius lib. I. misc. 3. n. 1. D. Rauchb. amitinus noster part. II. q. 13. D. Hilligerus lib. XIII. Don. enucl. 19. lit. M. 2) Quamvis *in summa rei* cum Bellarmino consentiamus, quod videlicet nemo debeat nuptias illius expetere, cujus consanguineam proximam nefarie violavit; tamen in *exemplo Davidis*, quod tertii argumenti loco Bellarminus producit, magnum ad evincendum quæsitum pondus esse negamus, quia facinus Absolonis non solum fuit fornicatio, sed etiam adulterium ac incestus, cum concubinæ illæ Davidis, quibus turpiter abusus est, fuerint uxores patris, secundariæ quidem, sed tamen veræ. Agnoscit hoc Bellarminus ipse lib. de matrim. cap. XI. §. Neque secundum &c. *In scriptura*, inquit, *etiam veræ & legitimæ uxores aliquando dicuntur concubinæ, & ipsæ concubinæ dicuntur uxores*, id quod probat ex Genes. XVI. 21. *Iud. XIX. ubi concubina dicitur uxor, & vera ac legitima imo unica unius uxor vocatur concubina.* David proinde non inde atque ideo duntaxat a concubinis suis, quas Absolon violaverat, abstinebat, quia factæ erant illæ omnes quasi nurus ob conjunctionem illicitam cum filio, sed ne eodem cum filio adulterii & incestus reatu sese obstringeret. Amos II. 7. 3.) Nec probari potest constitutio illa pontificia, *quod si quis privignam vel aliam ex cognatis uxoris*

suæ cognoverit, debitum conjugale ab uxore petere nequeat, quodque nec privigna nec ille ullo unquam tempore aliis se possint matrimonio copulare. c. Si quis extr. de eo qui consang. uxoris cognov. hoc enim nihil aliud est, quam perpetuis libidinum incendiis hominem objicere. 4.) Distinguendum etiam inter *fornicationis crimen manifestum* & *occultum*. Si manifestum est hoc crimen, non conscientiæ duntaxat, sed etiam publicæ honestatis ratione a consanguineis sponsæ abstinendum. Si vero occultum, conscientiæ habenda est ratio, quam si quis præpostere negligat, locus erit regulæ, quod *de occultis non judicet ecclesia.* 5.) Prohibitio matrimonii in affinitate ex illicito concubitu orta ultra *primum* vel *secundum gradum* non videtur extendenda. 6.) Conjugium in adfinitate ejusmodi ex ignorantia contractum, & jam sit consummatum, nequaquam videtur dissolvendum.

§. CCCLXXXI.

II.) *An quis ducere possit eam, quam per adulterium prius polluit.*

II.) *An quis ducere posset eam, quam per adulterium prius polluit?* Quæstio hæc generalis est, quæ in speciales resolvi potest: 1.) *An juvenis uxorem alterius per adulterium a se pollutam defuncto marito possit ducere?* 2.) *An maritus puellam a se violatam defuncta conjuge possit ducere?* 3.) *An maritus alterius uxorem polluens mortua sua uxore & illius marito, eam ducere possit?* Exstant autem hac de quæstione diversi canones, quidam plane negant pollutam adulterio in conjugium posse duci. c. Nullus 31. q. 1. ex Leone: *Nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit per adulterium.* c. Illud ead. ex concilio apud Alphesum habito: *Non convenit christianæ religioni, ut ullus ducat in conjugium, quam prius polluit adulterio.* c. Relatum est ead. ex concilio Triburiensi: *Relatum est auribus sanctorum sacerdotum, quemdam alterius uxorem stupro violasse, & insuper mœchæ vivente viro suo juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem, si supervixisset, duceret eam in uxorem; quod & factum est. Tale ergo connubium prohibemus & anathematizamus.* Quidam vero canones tale conjugium permittunt. c. Denique ead. ex Augustino libr. I. de nupt. & concub. cap. X. *Mortuo eo, cum quo fuit verum connubium, fieri potest conjugium, cum qua præcessit adulterium.* (In editione Basileensi Augustini contrarium habetur, quia particula negativa additur, *quod non possit fieri connubium, cum quo prius fuit adulterium.* Dixerit ergo aliquis non immerito, *Gratianum depravato codice usum fuisse*, qua responsione Bellarminus alicubi utitur, vel Augustini sententiam depravasse.) Id probant ex Davidis & Bethsabeæ conjugio. Augustinus lib. de bon. conjug. cap. XIV. *Posse fieri licitas nuptias ex personis illicite conjunctis, honesto placito subsequente, manifestum est.* Conjunge integrum titulum decretalium de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium lib. IV. tit. 7. Gratianus discordantes illos canones conciliat hoc modo: 1.) „Augustinum loqui de concubi„nis, quæ possunt transire ad honestum pla„citum nuptiarum, item de repudiata, quam „dum vivente viro suo quicunque ducit in „conjugium, committit adulterium, cujus „adulterium aliquam habet veniam, dum „ejus copula creditur esse licita. Leonem „vero de ea loqui, quæ a viro suo non „erat repudiata, cujus vivebat vir reddens „ei conjugale debitum. 2.) In canonibus „prohibentibus, ne quis ducat in conju„gium, quam prius polluit per adulterium, „subaudiendum esse, nisi prius peracta „pœnitentia, & si nihil in mortem viri „machinatus fuerit, vel si vivente viro „adulteræ non dedit fidem, se sumturum „eam sibi in conjugem, si viro ejus super„viveret.„ 3.) Ad exemplum conjugii inter Davidem & Bethsabeam contracti respondet

spondet c. Si qua caus. & quæst. iisd. „In „vet. test. multa fuisse permissa propter in„firmitatem, ut dare libellum repudii, quæ „in evangelii perfectione sunt eliminata. „Item quædam fuisse permissa causa infir„mitatis & sacramenti futurorum, ut ob„lationem animalium in sacrificium: sic & „Bethsabeam permissam esse duci in uxo„rem non magis causa infirmitatis, quam „significatione futurorum.„

§. CCCLXXXII. Canonistæ ex titulo decretalium de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, colligunt quinque regulas: 1.) „Si maritus vi„vente uxore contrahit cum secunda, quæ „scit primam uxorem esse superstitem, prima „demortua matrimonium consummari non „permittitur. Et si consummatum, ac li„beri procreati sint, tamen rescinditur, „etsi contrahentes longo tempore cohabi„taverint„ *c. Ex literarum &c. cum haberet extr. d. t.* 2.) „Si maritus vivente „prima uxore rem habeat cum alia, quæ „in mortem primæ uxoris machinata fuit, „sive superstite uxore sua fidem de matri„monio post mortem contrahendo illi dede„rit, sive non, tamen consortium prohi„betur.„ *c. Super hoc eod.* 3.) „Si quis „mortua uxore contrahit cum ea, quam vi„vente uxore nulla data ei fide de matri„monio contrahendo cognovit, nec alter„uter in mortem defunctæ uxoris fuit ma„chinatus, tenet matrimonium inter illos „contractum„ *c. significasti eod.* 4.) „Si „quis uxore vivente fide data promisit aliam „se ducturum, vel cum ipsa de facto con„traxit, si nec ante, nec post, legitima ejus „superstite cognovit eamdem, quamvis u„trique ipsorum pro eo, quod in hoc gra„viter deliquerint, sit pœnitentia injun„genda, non est tamen matrimonium, quod „cum ea contraxit, post uxoris obitum di„rimendum„ *c. Si quis eod.* 5.) „Mari„tus aliam ducens uxorem, quæ ignoret „ipsum alii uxori matrimonio esse adliga„tum, mortua prima novo consensu inter„veniente secundam habere vel ad eam re„dire tenetur.„ *c. Veniens &c. Propositum eod. Illorum vestigiis insistens Bellarminus lib. de matrim. cap. XXII. disputat*, „non semper matrimonium esse irri„tum, cum quis ducit eam, quam pol„luerat per adulterium, sed solum in tri„bus casibus: 1.) cum adulter procurat „mortem conjugis suæ, vel mariti adul„teræ, ut cum adultera conjugium cele„brare possit, vel contra, si adultera pro„curet mortem mariti sui vel uxoris adul„teri, ut adulterum in maritum accipiat.„ *c. Super hoc d. t. quod tamen intelligendum*, „si mors revera sequatur. 2.) Si „adulteri dederint sibi invicem fidem de „matrimonio inter se contrahendo post mor„tem uxoris adulteri vel mariti adulteræ, „nam qui ita sibi fidem dederunt, viden„tur omnino procuraturi mortem alterius „conjugum.„ *c. Relatum* 31. *quæst.* 1. 3.) „Si de facto adulteri inter se contra„xerint viventibus prioribus conjugibus.„ *c. fin. extr. de eo qui duxit in matrimon. &c. intelliguntur autem duo isti casus:* „Si adulter uterque sit conscius vitæ con„jugis alterius, alioquin enim si vir adul„teram decipiat, adfirmans conjugem suam „esse mortuam, vel contra mulier adulte„rum decipiat, adfirmans virum suum esse „mortuum, tunc matrimonium non est „irritum.„ *c. Propositum d. t.* „extra „hos casus, *inquit*, non dirimitur matri„monium inter adulteros contractum.„

§. CCCLXXXIII. Nostri primo omnium monent, magistratum debere justa severitate animadvertere in adulteros, ut non sit opus talibus quæstionibus. Levit. XX. 10. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur, & mœchus & adultera.* Eadem lex repetitur Deut. XXII. 22. Quod si magistratus sit negligens in suo officio, ac de conjunctione talium personarum quæratur, tum quidam sequuntur ἐπιείκειαν, ac ma-

matrimonia ejusmodi concedunt. Præsertim 1.) si vitæ prioris conjugis adulter vel adultera non fuerint insidiati. 2.) Si non dederint sibi invicem matrimonii fidem, sed carnaliter tantum consueverint. 3.) Si præcedat publica pœnitentia. 4.) Si relegentur illi conjuges ex ea ditione, in qua perpetratum fuit adulterium, & proficiscantur in alium locum, ubi factum ignoratur. 5.) Tale matrimonium ineatur ob commoda contrahentium amore natæ sobolis, & ut adulter eam, quam seduxit, in viam reducat, ne in pejus ruat. Sic enim prior macula quodammodo abstergitur, adflictis levamen aliquod conceditur, & proli legitimatio confertur. Lutherus in libr. de capt. Babyl. cap. de matrim. tom. II. Lat. p. 281. *Impedimentum criminis vocant, ubi quis duxerit prius pollutam adulterio, aut machinatus fuerit in mortem alterius conjugis, quo cum superstite contrahere possit. Obsecro, unde iste rigor hominum in homines, qualem nec Deus unquam exegit? an ignorare se simulant, Bathsaba uxorem Uriæ utroque crimine impleto, id est, præpollutam adulterio & occiso viro tamen ductam a David sanctissimo viro? Si lex divina hæc fecit, quid faciunt homines tyranni in suos conservos?* Idem repetit tom. II. Jen. German. libr. de vita conjug. fol. 153. ubi addit: *Laster vnd Sünde soll man straffen, aber mit ander Straffe, nicht mit Ehe verbieten.* Philip. Melanchthon in corp. doct. christ. p. 754. Chytræus in Levit. p. 414. Bidenbachius de caus. matrim. pag. 105. ubi in consist. Wirtenb. id permissum fuisse dicit, 1 Febr. anno 1599. 20 Decemb. ejusd. anni & 9 Decemb. anno 1596. Tarnovius lib. I. de conjug. c. 50. & ex Calvinianis Hemmingius de conjug. p. 214. Petrus Martyr in locis commun. pag. 583. Pezelius in exam. Philipp. part. II. p. 632. &c. Atque id in quibusdam consistoriis observari, ut certis conditionibus talia matrimonia permittantur, notat Hærbertus de conjug. pag. 706.

§. CCCLXXXIV. Sane si quis nuptias jamdum contraxit cum ea, quam prius per adulterium polluit, eas non esse dissolvendas existimamus, sicque posthabito juris pontificii rigore hoc impedimento matrimonium contractum dissolvi negamus, cum ex jure divino non descendat; interim idem esse impedimentum contrahendum matrimonium impediens adserimus, ac proinde cum Mentzero de conjug. pag. 111. dicimus, *non facile a via stricti rigoris hac in parte esse recedendum, & ex ἐπιεικείᾳ tales nuptias concedendas.* 1.) Quia multis modis publica honestas ejusmodi nuptiis violatur. 2.) Aperitur fenestra licentiæ minime ferendæ. Quid enim non faciant adulteri, si spem habere possint olim contrahendi invicem matrimonii? 3.) Quodnam possit esse in conjugio delictum atrocius, quam ut alter conjugum non solum fidem conjugi non servet, sed etiam vitæ ejus insidietur, cum quo summum amicitiæ gradum colere debuisset? Summe igitur iniquum foret, adulterum hujus criminis sui fructum adhuc sentire ex novo illo conjugio. Quamvis vero obverti soleat, *distinguendum esse ipsum matrimonium, quod contrahere volunt polluti adulterio ab antecedentibus illius matrimonii, adulterio scilicet eique conjunctis sceleribus, non illud sed hæc in classe turpium esse collocanda;* negari tamen nequit, si adulterio pollutis matrimonii illius licentia detur, ipsos fructum aliquem sceleris sui percipere, & absque gravissimo scandalo tales nuptias contrahi vix posse. 4.) Beza de repud. & divort. pag. 236. addit hanc rationem: *Non patitur quodammodo ipsa rerum natura, ut ratum sit conjugium ab eo ipso, nempe adulterio incipiens, quo uno rata alioquin conjugia separantur.* Sed hæc ratio illud tantum evincit, matrimonium ab adulterio vel promissione eidem addita

&

& prioris conjugii tempore facta nullam accipere firmitatem; interim tamen non demonstrat, abolitis, quæ præcesserunt, omnibus novum matrimonii contractum inter tales personas instituì posse. Contenti igitur sumus prioribus rationibus, quibus accedit *vetustiorum canonum* prohibitio, de qua paulo superius.

§. CCCLXXXV. Neque est quod in *Davidis & Bethsabeæ* conjugio talibus nuptiis præsidium aliquod quæratur. Nam 1.) conscientia non adquiescit in exemplis, sed requirit certum Dei verbum, cui velut basi innitatur. 2.) In matrimonialibus casibus ex nudis veter. testam. exemplis non potest duci firmum aliquod argumentum, ut probat polygamia, libellus repudii & alia complura. 3.) 2 Sam. XI. 27. recitato Davidis facto subjungit Spiritus sanctus: *Et fuit verbum hoc*, sive negotium, *quod fecit David, malum in oculis Domini*, quæ verba non solum ad homicidium & adulterium Davidis, verum etiam ad illud, quod proxime præcessit, de conjugio cum Bethsabea & traductione in domum referri videntur. 4.) Bellarminus etiam hoc addit, „ne quidem secundum legem ecclesiasticam peccatum illud Davidis & Bethsabeæ fuisse impedimentum dirimens. Non „enim adulterium solum neque conjugis „homicidium quocunque animo patratum „impedimentum dirimens judicari solet, „sed illud solum homicidium conjugis, quod „ea intentione committitur, ut ejus uxore „quis postea potiatur. Jam vero Bethsabea in adulterium quidem consensit, sed „in mortem viri nullo modo quidquam legitur machinata, proinde ex parte ejus „non fuit impedimentum, quo minus con„jugium cum Davide contrahere pos„set. David autem adulterio homicidium „Uriæ adjunxit, sed non est certum, an „eo animo, ut ejus uxore potiretur, nam „antea sæpe conatus erat inducere Uriam, „ut ad uxorem rediret, ut eo modo ad„ulterium tegeretur.„

§. CCCLXXXVI. De aliis præter fornicationem & adulterium criminibus canonistæ sic statuunt, homicidii crimen sine adulterio in uno duntaxat casu dirimere matrimonium, quando *videlicet in morte alterius conjugum procuranda conveniunt, tam vir quam foemina, qui inter se conjugium inire cupiunt.* C. Laudabilem. extr. de convers. infidel. *quodsi alter tantum homicidium procuraret altero inscio, & adulterium non præcessit, matrimonium non dirimitur.* Bellarminus de matrim. cap. XXII. §. *Crimen &c.* Glossa in c. Qui presbyterum extr. de pœnitent. & remiss. numerat *sex crimina*, quæ impediunt matrimonium contrahendum de rigore juris, sed contractum non dirimunt. Primum est *incestus*, secundum *uxoricidium*, tertium *raptus sponsæ alterius*, quartum *levatio proprii filii malitiose facta de sacro fonte*, quintum *presbytericidium*, sextum *acceptio monialis in uxorem.* De quibus quid statuendum sit, patere potest ex superioribus. Varias limitationes hujus impedimenti recenset summa Angelica in voce *matrimonium* impedimento IX. Leges civiles itidem prohibent matrimonium inter raptorem & raptam. l. unic. C. de raptu virgin. §. 1. *Non sit facultas raptæ virgini vel viduæ vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere, sed cui parentes voluerint, excepto raptore eam legitimo copulent matrimonio, quoniam nullo modo nulloque tempore datur a nostra serenitate licentia illis consentire, qui hostili more in nostra republica matrimonia sibi student conjungere.* Sed pontifices voluerunt hunc rigorem mitigare, inde statuerunt *matrimonium inter raptorem & raptam, si postmodum consentiat, contrahi posse, licet parentes reclamarunt* c. Cum causa &c. Accedens extr. de raptoribus & incendiariis, quam sanctionem *cum verbo Dei, æquitate naturali & publica honestate* pugnare non immerito quis dixerit. Unde b. Lutherus

De aliis criminibus.

ſtatuit, raptam etiam poſt copulam liberam eſſe pronunciandam, niſi perſuaderi poſſit, ut raptori condonet, eidemque cohabitet. Quod ipſum etiam de parentibus raptæ intelligendum, videlicet quod diſſenſu ſuo matrimonium illud irritum facere poſſint, ſi vel maxime ſtuprum interceſſerit. Si magiſtratus ſuum faciat officium, & pœnam raptoribus conſtitutam executioni dare jubeat, non erit opus illa quæſtione. Vid. Petrum Martyrem in comm. cap. XXI. Judic. Beuſtium part. I. de ſponſ. cap. XXXIX. Molradium de matrim. p. 127. Harbertum de conjug. p. 263. Mentzerum de conjug. p. 155. & hunc ipſum tractatum §. 120.

PARS II.

DE DISPARITATE MATRIMONIVM IMPEDIENTE.

§. CCCLXXXVII.

De diſparitate matrimonium impediente.

Egimus hactenus de *propinquitate* tum *honeſta* tum *inhoneſta*, an & quatenus matrimonio certarum perſonarum impedimentum objiciat; reſtat, ut de *diſparitate* legitimo matrimonio adverſa agamus. Diſparitas illa ratione triplicis generis bonorum animi, corporis & fortunæ poteſt triplex ſtatui: 1.) *religionis & cultus*, 2.) *ætatis*, 3.) *ſtatus & conditionis*. 1.) De *religionis ac cultus* diſparitate pontificii ſtatuunt, quod ſit impedimentum non ſolum contrahendum matrimonium impediens, ſed etiam contractum diſſolvens. Nos prius concedimus, adjectis tamen certis quibusdam limitationibus, poſterius negamus. Ut res tota ſit evidentior, examinabimus quatuor illas propoſitiones, quas Bellarminus lib. de matrimon. cap. XXIII. de hoc impedimento format. Propoſitio *prima* ſic habet: *Non licet fidelibus cum infidelibus, aut etiam hæreticis matrimonia contrahere.* Circa hanc propoſitionem notandæ ſunt ſequentes diſtinctiones: 1.) Conjugium ejusmodi duplici reſpectu *illicitum* dici poteſt, *vel* quod contractui conjugali ſua non conſtet firmitas, *vel* quod contrahentium pietati & utilitati illud adverſetur. Poſteriori modo id illicitum eſſe concedimus, priori negamus. 2.) Diſtinguendum inter *infideles*, proprie ſic dictos, & *hæreticos*. Infideles proprie dicuntur omnes, qui ſunt extra eccleſiam ſacramenti baptiſtici expertes, ut pagani, Turcæ, Judæi, qui in tota religione diſſentiunt a Chriſtianis: hæretici ſunt, qui per baptiſmum eccleſiæ prius inſerti, ſed in hæreſin poſtmodum prolapſi in aliqua duntaxat religionis parte a Chriſtianis diſſident. 3.) Hæretici [in generaliore ſignificatione ſic dicti] in duplici ſunt differentia, quidam enim *ipſum religionis fundamentum* evertunt, quidam retento fundamento *quamdam religionis partem* impugnant. 4.) Diſtinguendum inter hæreticos *pertinaces* & inter ſeductos *doceri paratos*. 5.) Inter infideles ſive hæreticos *mares* ducentes, & hæreticas *fœminas* nubentes. Quamvis igitur tutiſſimum, optimum ac conſultiſſimum ducamus, ut matrimonio copulentur tales perſonæ, quæ in vera veræ religionis cognitione & profeſſione invicem conſentiunt, ut uno ore & corde verum Deum juxta præſcriptum verbi cœleſtis invocare & colere poſſint, id quod in ſequenti §. late probabimus; tamen ſi perſona infidelis vel hæretica non ſit ſimul blaſphema & pertinax, ſed ſpem faciat converſionis pene certam, tum ſi altera pars chriſtiana & orthodoxa religionis chriſtianæ fundamenta probe teneat, nec periculum ſit ſeductionis ac perſuaſionis, permitti poſſet matrimonium, præſertim ſi maritus ſit Chriſtianus & orthodoxus, cui in fœminam infidelem

1.) *Religionis & cultus.*

lem vel hæreticam dominium per nuptias obtingit. Quo referri quodam modo potest, quod Deus Deut. XXI. 11. permittit Israëlitis ex aliis gentibus fœminas bello captas in uxorem ducere, quia non erat verisimile captivam mulierculam dominum suum eo pertracturum, ut avitæ religioni nuncium mitteret, item exempla Judæ Gen. XXXVIII. 1. & Josephi Gen. XLI. 45. Sin vero quæstio sit de tali infideli & hæretico, qui blasphemias suæ infidelitati vel hæresi religionis fundamentum evertenti conjungat, inque hæresi sua pertinaciter se perseveraturum expresse profiteatur, ab ejus conjugio cuivis fideli orthodoxo abstinendum esse dicimus, adeoque ægre adducimur, ut nuptias inter disparis religionis ac cultus personas in certis quibusdam casibus concedendas esse statuamus.

Quod sit impedimentum matrimonium contrahendum prohibens.

§. CCCLXXXVIII. Rationem hujus impedimenti deducimus 1.) ex *diserta Dei prohibitione.* Exod. XXXIV. 16. *Non accipies uxorem de filiabus Cananæorum filiis tuis.* Deut. VII. 3. *Filiam tuam non dabis filio*, [Cananæi] *nec filiam illius accipies filio tuo.* Jos. XXIII. 12. *Si adhæseritis residuis gentibus, & adfinitatem cum eis contraxeritis, sciendo scietis, quod Deus non expellet istas gentes.* Ex nov. test. quidam veterum huc referunt dictum apostolicum 1 Cor. VII. 39. *cui vult, nubat vidua, tantum in Domino*; id quod de matrimonio non nisi cum Christiano & fideli contrahendo exponunt Tertullianus libr. II. ad uxor. cap. II. Hieronymus libr. I. adv. Jovin. Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, Anshelmus & Sedulius in comment. illius loci. Augustinus libr. I. de adulter. conjug. cap. XXV. *Illud*, in Domino, *duobus modis potest intelligi, aut Christiano nubens, aut Christiana permanens, sed posterior expositio non videtur ita probabilis, ut prior, non enim dubium esse poterat, quin illicitum esset, nubendo apostatare a fide, imo id tam perspicuum & notum est omnibus, ut plane supervacaneum videatur de ea re Christianos monere.* Hieronymus libr. I. in Jovinian. & in epist. ad Geront. etiam huc adcommodat locum apostolicum 2 Cor. VI. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, ubi non quidem omnis, sed tamen illa nimis arcta conversatio cum infidelibus & idololatris prohibetur, quæ vel cum consensu & participatione factorum impiorum conjuncta est, vel consensus suspicionem exhibet, vel seductionis periculum importat. At quæ poterat esse arctior societas quam conjugalis? Johannes prohibet, *ne in domum recipiamus, nec salutemus eos, qui alienam a Christi religione doctrinam adferunt*; 2. epist. v. 10. quomodo ergo probaret, si quis fidelis & orthodoxus cum infideli & hæreticis erroribus imbuta matrimonium contraheret? 2.) Ex *addita prohibitionis ratione.* Ne quis enim existimaret, legem de non contrahendo matrimonio cum Cananæis esse mere judicialem, ad Judæos duntaxat spectantem, Deus ipse rationem addit, quæ ostendit morale hujus legis esse perpetuum, & ad Christianos etiam in nov. test. pertinere. Exod. XXXIV. 16. *Non accipias uxorem de filiabus earum filiis tuis, ne, postquam ipsæ fornicatæ fuerint post deos suos, fornicari faciant & filios tuos post deos suos.* Deut. VII. 3. *Non accipies filiam ejus filio tuo.* v. 4. *Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat diis alienis, irascetur furor Domini, & delebit te cito.* Jos. XXIII. 13. *Si adfinitatem cum residuis gentibus contraxeritis, erunt vobis in laqueum & in rete & in flagellum & in spinas in oculis vestris.* Neh. XIII. 23. Nehemias ex Salomonis exemplo probat *periculum seductionis* talibus nuptiis esse conjunctum. 1 Reg. XI. 2. *Non ingrediemini ad gentes, & ipsæ non ingredientur ad vos,* אַךְ *certissime declinare facient cor vestrum post deos suos.* 3.)

Ex *seductionis consecutione.* Ostendunt historiarum & quotidianæ experientiæ exempla, conjugalibus illecebris & delinimentis pietatem & orthodoxian alterius conjugis ut plurimum fuisse corruptam. Gen. VI. 2. *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulcræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant;* id est, filii patriarcharum, qui ad verum ecclesiam pertinebant, ex idololatricis Cainitis quæsiverunt sibi uxores, sed hac ratione apostasiam a vera religione & apostasiæ pœnas sibi adtraxerunt. Deus enim illa effrenis libidinis incendia, quibus inflammati absque ullo religionis respectu filii patriarcharum filias Cainitarum uxores sibi adjunxerunt, diluvii inundationibus exstinxit. Gen. XXVI. 34. *Esau* duxit *uxores duas ex Hethæis, quæ fuerunt amaritudo spiritus ipsi Isaac & Rebeccæ*, propter cultus scilicet disparitatem & idololatriæ conjunctam impietatem. Jud. III. 5. *Filii Israel habitarunt in medio Cananæi & Hethæi & Amorræi &c.* v. 6. *& duxerunt uxores filias earum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, & servierunt diis eorum* v. 7. *Feceruntque malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui servientes Baalim.* Memorabile cumprimis est exemplum regis *Salomonis*, cui a Deo datum erat *cor sapiens & intelligens in tantum, ut nullus ante eum similis ipsi fuerit, nec post eum surrexerit;* 1 Reg. III. 12. *sed cum adamaret mulieres alienigenas*, 1 Reg. XI. 1. statim additur v. 4. quod *illæ averterint cor ejus, ut sequeretur deos alienos, nec fuerit perfectum cor ejus cum Domino.* Si Salomoni hoc contigit, quid metuendum illis, qui cum Salomone in sapientia & prudentia ne minima quadam ex parte comparandi? De Achabo dicitur 1 Reg. XVI. 31. quod *duxerit uxorem Jezabel, filiam regis Sidoniorum*, & statim additur; *abiit, & servivit Baal & adoravit eum.* Josaphatus rex, alioquin pius, filio suo Joramo uxorem dedit filiam Achabi, a qua Joramus fuit seductus 2 Reg. VIII. 18. *Achazia filius Joram, nepos Josaphati, ambulavit in via domus Achabi, quia gener erat domus Achabi* v. 27. Quantum damni Athalia dederit familiæ Davidis, exponitur 2 Reg. XI. 1. & 2. Paral. XXII. 10. Ex historia ecclesiastica nov. test. multa possent adduci exempla *imperatorum christianorum*, qui ab uxoribus Arianæ hæresi addictis pessime fuere seducti, & ad persecutiones orthodoxæ ecclesiæ inferendas impulsi. De Valente id commemorat Theodoretus libr. IV. histor. eccles. cap. XI. &c.

4.) Ex *multiplicis incommodi conjunctione.* Conjuges uni veræ religioni addicti una & eadem mente, uno & eodem spiritu Deo serviunt, ac uxor non tantum thori conjugalis & vitæ civilis, sed etiam precum piarum & sanctorum exercitiorum est socia & consors: tales conjuges vivunt in pace, quæ non potest diuturna esse inter eos, quorum animi non sunt in vera fide conjuncti: educant liberos in vera religione & disciplina Domini, in familia colligunt domesticam ecclesiam. Contra vero matrimonium Christiani & orthodoxi cum hæretica vel infideli plurima conjuncta habet incommoda & pericula. Præterquam enim, quod periculum gravissimum impendet Christiano & orthodoxo deficiendi a vera fide & religione, nata ex tali matrimonio soboles non potest commode educari in vera religione, pax & tranquillitas in religionis dissensione vix potest inter conjuges diu constare, ac si maritus sit infidelis, multa Christianæ pietatis exercitia impediet. *Pii* igitur est a malo hic declinare, *prudentis* pericula præcavendo antevertere, *sancti* a profano abstinere, *cauti* alieno malo sapere, *insanientis* in ignem se sponte conjicere. *Samson* erat fortissimus, *Salomon* sapientissimus, *Achab* potentissimus, hi tamen omnes a mulieribus diversæ religionis decepti sunt ac seducti. Vide Hemmingium in comment. 2 epist. Joh. circa fin.

5.) Ex

5.) Ex *matrimonii natura & conditione.* Nuptiæ sunt *individua societas & conjunctio*, at quomodo vere individua erit, *si ad sacra dividitur*, inquit Albericus Gentilis libr. II. de nupt. cap. XIX. Nuptiæ sunt *divini juris communicatio*, l. nuptiæ 1. ff. de rit. nupt. at quomodo in cultus & religionis diversitate divini juris communicatio locum habet? *Uxor socia rei humanæ ac divinæ domus suscipitur*, l. adversus 4. C. de crimine expilat. heredit. at quomodo uxor erit divinæ domus socia, si peculiaria & propria sibi quærat sacra? Matrimonium est fœdus duorum arctissimum, at quomodo cum infideli illud rite conciliabitur? Per conjugium maritus & uxor fiunt *una caro*, at quomodo integre caro una, si non & anima una? Conjugium est summus amicitiæ gradus, at quomodo arctissima illa concordia & amicitia perpetuo locum habebit, si in cultu non sit consensus, ac utriusque conjugis idem velle & nolle? Quod si tria illa conjugii bona, quæ Augustinus passim statuit, *prolem* scilicet, *fidem* ac *sacramentum* respiciamus, nullum eorum perfecte in tali matrimonio reperietur. Deest enim *bonum prolis* educandæ ad cultum divinum, quia quilibet conjugum nititur liberos ad suam religionem capessendam inducere. Deinde *bonum fidei* itidem deest, quia fides conjugalis requirit, ut non tantum fides alteri conjugum servetur, sed ut id fiat ex timore & amore Dei ac propter Deum, qui conjugium instituit; at quomodo verus veri Dei timor & amor erit in idololatra & hæretico? Denique deest *bonum sacramenti*, quia non est ibi perfecta significatio amoris & conjunctionis inter Christum & ecclesiam. 6.) Ex *conjuncta suspicione.* Qui infideli vel hæreticæ fœminæ se conjungit, contemtui habere videtur christianam & orthodoxam religionem. Quod si in aliis omnibus, utique etiam in conjugio contrahendo *ab omni specie mali* cavendum: 1 Thessal. V. 22. 7.) Ex *patriarcharum dispositione.* Patriarchæ liberis suis conjuges quæsiverunt non ex idololatricis gentibus, sed ex sua prosapia, in qua veri cultus divini viguit exercitium. Gen. XXIV. 4. XXVII. 46. 8.) Ex *juris civilis & canonici sanctione.* l. ne quis 6. C. de Judæis & cœlicol. Valentinianus, Theodosius & Arcadius decernunt, *ne quis christianam mulierem in matrimonium Judæus accipiat, neque Judææ christianus conjugium sortiatur. Nam si quis* [inquiunt] *aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vicem commissum hujusmodi crimen obtinebit libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata.* In codice Theodosiano libr. III. tit. 14. matrimonia Christianorum cum gentilibus itidem puniri jubentur. Conjunge c. Cave. &c. Si quis Judaicæ 28. q. 1. 9.) Ex *conciliorum ac patrum testificatione.* In concilio Chalcedonensi can. XIII. prohibentur conjugia cum hæreticis, Judæis & paganis. Verba canonis sic habent: *Non debet copulari nuptura hæretico, aut Judæo vel pagano, nisi forte promittat se ad orthodoxam fidem transferre.* Concilii Agathensis canon. LXVII. sic habet: *Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias illis dare, sed potius accipere, si tamen se profiteantur Christianos esse futuros & catholicos.* [citatur in jure canonico caus. XXVIII. q. 1. c. Non oportet. 16.] Synodus sexta can. LXXII. sic statuit: *Non licet virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque orthodoxam cum viro hæretico copulari.* Concilium Toletanum III. can. XIV. prohibet, *ne Judæi uxorem christianam habeant.* Toletanum IV. can. LXI. jubet, *Hebræos cum Christianis matrimonio conjunctos aut Christianos fieri, aut ab uxoribus separari.* Synodus Laodicena: *Non oportet cum omnibus hæreticis miscere connubia, vel filios vel filias dare.* Synodus Eliberitana can. XVI. *Hæreticis, qui errant ab ecclesia, nec illis dandas puellas catholicas, sed neque Judæis*

dæis dari placuit, eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli. Tertullianus in libro secundo ad uxorem multis ostendit, non licere christianis cum infidelibus matrimonia jungere. cap. II. p. 175. „Cum „quædam istis diebus nuptias suas de eccle„sia tolleret, id est, gentili conjungere„tur, idque ab aliis retro factum recor„darer, miratus aut ipsarum petulantiam „aut consiliariorum prævaricationem, quod „nulla scriptura ejus facti licentiam pro„ferret. *Et postea:* Ne, quod apostolus ait, *cui velit, nubat*, male-utere„mur, adjecit, *tantum in Domino*, id est, „in nomine Domini, quod est indubitate „christiano &c. Nullam aliam formam „repetundarum nuptiarum nisi in Domino „præscribit, *tantum* inquit *in Domino.* „Adjecit pondus legi suæ, *tantum.* Quo „sono & modo enunciaveris, dictum istud „oneroſum est, & jubet & suadet & præ„cipit & hortatur, & rogat & commina„tur, detractata & exserta sententia est, „& ipsa sui brevitate fœcunda. Quis enim „alius possit pericula multa & vulnera fidei „in hujusmodi nuptiis, quas prohibet apo„stolus, providisse, & primo quidem car„nis sanctæ in carne gentili inquinamen„tum præcavisse? *Cap. III.* Fideles gen„tilium matrimonia subeuntes stupri reos „esse constat, & arcendos ab omni com„municatione fraternitatis, ex literis apo„stoli dicentis: *cum ejusmodi nec cibum „sumendum.* At numquid tabulas nuptia„les de illo apud tribunal Domini profere„mus, & matrimonium rite contractum „adlegabimus, quod vetuit ipse? non ad„ulterium est, quod prohibetur? non stu„prum est extranei hominis admissio? mi„nus templum Dei violat? minus mem„bra Christi cum membris adulteræ com„miscet? *Et postea:* Quis dubitet oblite„rari quotidie fidem commercio infideli? „Bonos corrumpunt mores confabulationes „malæ, quanto magis conjunctus & indi„viduus usus? Quævis mulier fidelis Do„minum observet necesse est. Et quomo„do potest duobus dominis reservire, do„mino & marito gentili? gentilem enim „observando gentilia exhibebit, formam, „exstructionem, munditias seculares, blan„ditias turpiores, ipsa etiam matrimonii „secreta maculosa, non ut penes sanctos „officia sexus cum honore ipsius necessita„tis tanquam sub oculis Dei modeste & „moderate transiguntur. *Cap. IV.* Sed „viderit qualiter viro officia pendat. Do„mino certe non potest pro disciplina sa„tisfacere habens in latere diaboli servum „procuratorem domini sui ad impedienda „fidelium studia & officia. Ut si statio fa„cienda est, maritus de die condicat ad „balneas; si jejunia observanda sunt, ma„ritus eadem die convivium exerceat; si „procedendum erit, nunquam magis fami„liæ occupatio adveniat. Quis enim sinat „conjugem suam visitandorum fratrum gra„tia vicatim aliena & quidem pauperiora „quæque tuguria circuire? quis nocturnis „convocationibus, si ita oportuerit, a la„tere suo eximi libenter feret? quis deni„que solennibus paschæ abnoctantem se„curus sustinebit? quis ad convivium do„minicum illud, quod infamant, sine sua „suspicione dimittet? quis in carcerem ad „osculanda vincula martyris reptare patie„tur? jam vero alicui fratrum ad osculum „convenire? aquam sanctorum pedibus of„ferre? de cibo, de poculo invadere, „desiderare, in mente habere? Si & pere„gre frater adveniat, quod in aliena do„mo hospitium? si cui largiendum erit, „horreum, promta præclusa sunt.„ Tandem concludit cap. IX. felicitatem matrimonii inter Christianos initi prædicans. „Unde [*inquit*] sufficiam ad enarrandam „felicitatem ejus matrimonii, quod eccle„siam conciliat & confirmat oblatio, & ob„signatum angeli renunciant, pater rato „habet? quale jugum fidelium duorum „unius spei, unius voti, unius disciplinæ, „ejusdem servitutis? ambo fratres, ambo

con-

„conſervi, nulla ſpiritus carnisve diſcretio. „Atqui vere duo in carne una. Ubi caro „una, unus & ſpiritus. Simul orant, ſi„mul volutantur & ſimul jejunia tranſi„gunt, alterutro ducentes, alterutro hor„tantes. In eccleſia Dei pariter, in con„nubio pariter. In anguſtiis, in refrige„riis neuter alterum celat, neuter alterum „vitat, neuter alteri gravis eſt. Libere „æger viſitatur, indigens ſuſtentatur. E„leemoſynæ ſine tormento, ſacrificia ſine „ſcrupulo, quotidiana diligentia ſine im„pedimento. Non furtiva ſignatio, non „trepida gratulatio, non muta benedictio; „ſonant inter duos pſalmi & hymni, & „mutuo provocant, quis melius Deo ſuo „canat. Talia Chriſtus videns & audiens „gaudet, his pacem ſuam mittit. *Lib. de „corona milit. cap. XIII.* Ideo non nubi„mus ethnicis, ne nos ad idololatriam us„que deducant, a qua apud illos nuptiæ „incipiunt.„ Cyprianus libr. III. ad Quirinum cap. LXII. matrimonium cum gentilibus jungendum eſſe negat, & in ſermone de lapſis inter *crimina fidelium* numerat jungere cum infidelibus matrimonia, idque eſſe dicit *proſtituere gentibus Chriſti membra.* Ambroſius lib. I. de Abraham c. IX. „Conſtringit eum, [*Abraham ſervum*] ut non de ſemine Cananæorum uxorem accerſeret domino ſuo, quorum „generis auctor patrem non honoraverat, „& ideo maledictionis hereditatem transmiſit in ſuos, ut cognoſcamus, fidem & „quamdam hereditatem de auctoris proſapia in iis requirendam, quos nobis volumus adjungere. Cum ſancto enim ſanctus eris, & cum perverſo perverteris. „Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, „ubi caro una & unus ſpiritus eſt? Quomodo autem poteſt congruere caritas, ſi „diſcrepet fides, & ideo cave, Chriſtiane, „gentili aut Judæo filiam tuam tradere, „cave gentilem aut Judæam atque alienigenam, hoc eſt, hæreticam & omnem „alienam a fide uxorem tibi accerſas. Prima conjugii fides, caſtitatis gratia eſt. „Si idola colat, quorum prædicantur adulteria, ſi Chriſtum neget, qui præceptor „& remunerator eſt pudicitiæ, quomodo „poteſt diligere pudicitiam? Si Chriſtiana ſit, „non eſt ſatis, niſi ambo initiati ſitis ſacramento baptiſmatis. Simul ad oratio„nem nocte vobis ſurgendum eſt, & con„junctis precibus obſecrandus Deus. Ac„cedit aliud inſigne caſtimoniæ, ſi credas „a tuo Deo tibi, quod ſortitus es, conju„gium datum. Non poſſunt hoc diſpares „fide credere, ut ab eo, quem non colunt, „putent conjugii ſibi impertitam gratiam. „Ratio docet, ſed amplius exempla com„movent. Species illecebra mulieris de„cepit etiam fortiores maritos, & a reli„gione fecit diſcedere. Et ideo tu vel „amori conſule, vel errorem cave. *Idem „lib. IX. epiſt. 70. ad Vigil. in principio:* „Doce plebem, ut non ex alienigenis ſed „ex domibus chriſtianis conjugii quæratur „copula &c. Nullum fere gravius delictum, quam copulari alienigenæ, ubi & „libidinis & diſcordiæ incentiva & ſacrilegii flagitia conflantur. Nam cum ipſum „conjugium velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificari oporteat, quomodo „poteſt conjugium duci, ubi non eſt fidei „concordia? cum oratio communis eſſe „debeat, quomodo inter diſpares devotione „poteſt eſſe conjugii communis caritas? „Sæpe plerique capti amore fœminarum „fidem ſuam prodiderunt, ut Patrum populus in Beelphegor. Quis fortior & ab „incunabulis ſuis munitior Dei Spiritu, „quam naſiræus Samſon? & ipſe proditus „eſt & ipſe per mulierem non potuit ſuam „tenere gratiam. *Expoſita illa de Sam„ſone hiſtoria tandem concludit,* hoc exemplo liquet, alienigenarum conſortia refugienda, ne pro caritate conjugii proditionis inſidiæ ſuccedant. *Idem lib. VIII. „comm. in Luc. XVI.* Chriſtianæ gentilibus non copulantur Dei judicio, cum „lex prohibeat. Sed occurrit illud, quod

ait

„ait Salomon: A Deo præparatur viro uxor „*Proverb. XIX.* quod qui in Græco legit, „non putat esse contrarium. Bene enim „dixit Græcus ἁρμόζεται. Harmonia enim „conveniens & apta rerum omnium dici„tur commissa connexio &c. Itaque non „habent harmoniam suam nuptiæ, quan„do christiano viro gentilis mulier non le„gitime copulatur. Ergo ubi nuptiæ, har„monia; ubi harmonia, Deus jungit: ubi „harmonia non est, pugna atque dissensio „est, quæ non est a Deo, quia Deus cari„tas est. *Hieronymus libr. I. adv. Jovin.* „Christianos eos, qui apostoli jussionem „contemnentes gentilibus junguntur, tem„pla Christi idolis prostituere *asserit. Au„gustinus de fid. & operib. c. XIX. di„sputat*, Cyprianum quidem inter gravis„sima crimina posuisse, cum infidelibus „matrimonium jungere; in scripturis tamen „novi testamenti se non reperisse hac de „re certum testimonium; *tandem vero con„cludit*, omnino conandum esse, ne fiant „tales conjunctiones, quid enim [*inquit*] „opus est in tantum discrimen ambiguita„tis caput mittere? *Lib. I. ad Pollentium „cap. XXI.* Ne nubat fœmina non suæ „religionis viro, vel vir talem ducat uxo„rem, id enim jubet Deus, docet apo„stolus, utrumque præcipit testamentum.

Quod non sit impedimentum dirimens matrimonium contractum.

§. CCCLXXXIX. *Secunda* Bellarmini propositio sic habet: *Matrimonium inter fidelem & infidelem non est irritum jure divino, naturali vel positivo, vel certa aliqua lege ecclesiæ.* Antequam hanc propositionem probet, refellit Dominicum a Soto, qui in lib. IV. sentent. distinct. 34. q. un. artic. 2. existimat, ex 1 Cor. VII. 13. ubi *fidelis a conjuge infideli non separari* permittitur, evidenter probari posse, *quod matrimonium inter fidelem & infidelem non sit jure divino irritum. Si enim jure divino irritum esset, quomodo Paulus permitteret in tali conjunctione, quæ fornicaria sine dubio esset, Christianos permanere?* Bellarminus huic Soti rationi opponit, quod *apostolus non permittat fidelem cum infideli contrahere, sed matrimonium cum infideli contractum permittat non dirimi per conversionem alterius conjugis. Non est autem consequens, ut si cultus disparitas non dirimat matrimonium jure divino antea contractum, non dirimat etiam post contractum, nam impedimenta dirimentia hoc proprium habent, ut dirimant, si ipsa præcedant, non dirimant, si sequantur.* Omissa igitur Soti ratione, quod cultus disparitas non sit impedimentum dirimens jure naturali probat duplici argumento: 1.) *quia non tollit omnino finem matrimonii, licet aliquo modo impediat. Nam ex tali conjugio proles nasci potest & institui in religione, licet difficilius, & aliquando accidere potest, ut non etiam impediatur ullo modo educatio, neque pax, ut si alter conjugum de religione nihil curet, aut bene sit affectus erga fidem.* 2. *Exemplis sanctorum, qui sine dubio infidelibus conjuncti non fuissent, si id matrimonium jure naturæ irritum esset. Exstant autem exempla in lege naturæ, in lege scripta & in lege gratiæ. In lege naturæ Jacob duxit uxores filias Laban idololatræ, Joseph duxit filiam Potipharis Ægyptiam. Moses filiam Jethro æthiopissam. In lege scripta Esther nupsit Assuero, regi Persarum ethnico, Salomon duxit uxorem filiam Pharaonis, David accepit filiam regis Gessur.* 2 Reg. III. *In lege gratiæ testantur* Hieronymus lib. I. in Jovinian. & Augustinus lib. de fid. & operib. cap. XIX. *suo tempore fuisse frequentissima in ecclesia ejusmodi conjugia, & quamvis a patribus reprehendebantur, tamen non dirimebantur, nec est probabile fuisse tolerata, si vera matrimonia non fuissent. Cyprianus* [inquit Augustinus l. d.] *jungere cum infidelibus vincula matrimonii nihil aliud esse adserit quam prostituere gentibus membra*

membra Christi, quod nostris temporibus jam non putatur esse peccatum, quoniam revera in novo testamento nihil inde præceptum est, & ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum est. Præterea sancta Monica virum habuit paganum teste Augustino libr. IX. confess. cap. IX. & *Clotildis christiana nupsit Clodovæo, regi Francorum ethnico*, teste Gregorio Turon. lib. II. hist. c. XXVIII. *utraque autem fuit pia, & virum ad fidem convertit.* Quod non sit impedimentum dirimens jure divino positivo, probat ex eo, *nam in testamento novo non exstat tale præceptum. Verba enim Pauli:* tantum in Domino; *& nolite jugum ducere cum infidelibus; non probant, nisi non esse contrahendum cum infidelibus, non autem probant matrimonium esse irritum. In testamento autem veteri non invenitur præceptum ita prohibens conjugia cum infidelibus, ut ea redderentur irrita, nisi apud Esdram* lib. I. cap. IX. & X. *ubi Esdra legem Domini interpretante separati fuere filii Israel a conjugibus infidelibus, quas duxerant. Sed illud præceptum, quatenus irritans matrimonium fuit judiciale non naturale, ut colligitur ex eo, quod solum prohibuerit conjugia Iudæorum cum infidelibus habitantibus in terra Canaan, quos Deus omnino interfici & deleri volebat, non autem cum infidelibus ceteris.* Denique quod cultus disparitas non sit impedimentum dirimens ob certam aliquam legem ecclesiæ probat ex eo, *quia nulla exstat talis lex.*

§. CCCXC. Circa hanc propositionem & ejus probationem tria notamus. 1.) Nos *in summa rei* cum Bellarmino consentire. Statuimus enim etiam ipsi contra *Anabaptistas, Photinianos* & quosdam *Calvinianos*, cultus ac religionis disparitatem nec jure divino nec naturali matrimonium reddere irritum, nec jure positivo ecclesiastico vel politico ad impedimenta dirimentia esse referendam, qua de re in quæstione de causis divortii plenius agetur. 2.) Perinde esse dicimus, sive quæstio sit de infidelitate matrimonii contractum *antecedente*, sive eum *sequente*, hoc est, sive loquamur de eo, qui ante contractum matrimonii fuit infidelis vel hæreticus, sive de eo, qui post consummatum matrimonium a vera fide defecerit ad paganismum, judaismum, damnatam hæresin &c. Item sive alteruter tantum conjunx a primo matrimonii principio fuerit infidelis, altero fideli existente, sive uterque conjunx fuerit infidelis aut hæreticus, & ex iis alter durante matrimonio convertatur, & fidem orthodoxam suscipiat, altero manente infideli aut hæretico. Utrobique enim negamus, propter infidelitatem dirimendum esse matrimonium, cum eadem infidelitatis sit natura, sive contractum matrimonium præcedat, sive sequatur. 3.) Discedit Bellarminus in hac adsertione a canonistis, quorum sententiam Didac. Covarruvias in epit. caus. matrim. part. II. cap. VI. §. 11. & cap. VII. §. 5. n. 7. Guibertus de matrim. cap. CXXXVIII. & seqq. sic explicat: „Aut Christianus vult ex gente judaica vel turcica ducere aliquam, hoc illi permitti non debet, & si contra prohibitionem magistratus matrimonium cum tali consummaverit, tunc talis apostata ob eam causam per magistratum puniri debet, quod etiam ad conjuges christianos extenditur, quando una persona ex conjugibus a religione christiana descisceret, & judaicam vel turcicam amplecteretur c. Iudæi 28. q. 1. ubi textus hoc casu separationem admittit. Aut utraque persona addicta est religioni ethnicæ vel alii idololatriæ, tunc si una pars ad fidem christianam converteretur, & altera pars non vellet cohabitare, vel si cohabitare vellet, sed hoc non fieret absque blasphemia, tunc secundum canones fideli divortium concedi debet.„ c.

Quando ꝛc de divortiis. „Aut conjugati „ambo sunt Christiani, tunc si maritus „vel uxor deficeret a religione christiana ad „ethnicam vel aliam idololatriam, divor„tium secundum canones non permittitur„ d. c. Quanto. quam sententiam ex jure divino & ecclesiastico probare satagunt.

§. CCCXCI. Utimur autem contra canonistas hisce potissimum argumentis. 1.) *A defectu mandati divini.* Quæ matrimonia Deus dissolvenda nuspiam præcepit, ea postquam contracta sunt, dissolvi non debent. Sed talia sunt fidelium cum infidelibus conjugia. *Ergo.* 2.) *A defectu probati exempli.* Non leguntur talia conjugia in vet. vel nov. test. dissoluta, sed potius firmitatem suam obtinuisse, quo pertinent exempla a Bellarmino adducta. Quamvis vero idem Bellarminus in prop. IV. hisce exemplis uno ex quatuor modis respondendum censeat, vel *ad eos exempla illa pertinere, quibus nulla lege particulari, sed solum lege naturæ secundum rectam rationem in certis casibus talia matrimonia prohibebantur, quales fuerint Iacob, Ioseph, Esther:* vel *ad eos, qui uxores quidem gentiles, sed quæ ad fidem convertebantur, duxerunt, quales fuerint Salmon ducens Raab, & Bootz Ruthem;* vel *ad eos, qui aperte reprehenduntur, quod contra legem cum gentilibus conjugia celebraverint, qualis fuit Salomon & Christiani in primitiva ecclesia ducentes fœminas gentiles:* vel *ad eos, quos ignorantia & introducta consuetudo forte excusabat, qualis fuit Monica;* tamen nostræ sententiæ illud sufficit, quod ejusmodi matrimonia inter fidelem & infidelem quocunque modo contracta non fuerint dissoluta, sed sua illis constiterit firmitas, quamvis a contrahentibus peccatum fuerit, ab aliis magis, ab aliis minus. De facto Esdræ dicetur postea. 3.) Ex *Christi exclusiva.* Matth. V. 32. *Quicunque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Matth. XIX. 9. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Si sola fornicatio est legitima divortii causa, utique ob infidelitatem alterutrius conjugis non debet fieri separatio. 4.) Ex *apostolica sententia:* 1 Cor. VII. 12. 13. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier* [fidelis] *habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Hoc dictum apostoli recte urget Dominicus a Soto pro fundamento positæ adsertionis. Si enim religionis disparitas esset impedimentum dirimens matrimonium & quidem jure divino, apostolus non permitteret Christianos in tali conjunctione permanere. Frustra Bellarminus excipit, *impedimenta dirimentia hoc habere proprium, ut dirimant, si ipsa præcedant, non autem dirimant, si sequantur. Quare cum apostolus ibi agat de disparitate cultus incidente post contractum matrimonii, quando alter conjugum factus est fidelis, id non trahendum esse ad probandum, eorum matrimonium esse ratum, quorum alter ante contractum fuit fidelis.* Negamus enim, apostolum tantum de disparitate cultus post matrimonii contractum incidente loqui, cum in primis illis ecclesiæ ex gentilibus collectæ incunabulis matrimonia inter dispares cultu & religione ex ignorantia vel errore sæpius contracta fuisse vix negari possit. Etenim si *tempore Augustini frequentissima fuerunt ejusmodi connubia,* ut ipsemet testatur lib. de fide & operib. cap. XIX. ecquis sibi patietur persuaderi, Corinthios ab illis penitus abstinuisse? De utroque igitur casu verba apostoli sunt accipienda, sive cultus disparitas superveniat contracto matrimonio, sive illud præcedat. Quemadmodum perinde est, sive christianismi professio sequatur magistratus officium, sive illud præcedat, utrobique enim magistratus officio chri-

stianus

stianus bona conscientia fungi potest: sic etiam perinde est, sive christianismi professio sequatur conjugium cum infideli contractum, sive illud antecedat; utrobique enim fidelis bona conscientia infideli cohabitare potest. Quemadmodum divortium dirimit matrimonium, sive antecedat consummationem matrimonii post contracta sponsalia, sive eamdem sequatur: Deut. XXII. 20. sic cultus disparitas, si esset impedimentum dirimens, & quidem jure divino, utique etiam superveniens contractum matrimonium dissolveret. Quidam ex canonistis excipiunt, *apostolum tale conjugium permittere privato quodam consilio & autoritate, non autem divina sive apostolica autoritate*, cum v. 12. scribat, *cæteris ego dico, non Dominus.* Sed ejusdem cap. v. 40. apostolus ipse exponit, quo loco hoc suum consilium haberi velit. *Puto*, inquit, *quod & ego Spiritum Dei habeam.* Quando igitur v. 12. inquit, *cæteris ego dico, non Dominus*, non opponit se ipsum Domino, nec suam sententiam divinæ præfert, nec se ex Dei Spiritu loqui negat; sed distinguit inter id, quod est expresse a Domino mandatum, & illud, quod non est specialiter expressum. Concedit, de matrimonio inter fidelem & infidelem non haberi expressum & speciale Christi mandatum, sed tamen se Spiritu Dei illuminatum illud consulere, quod ipsius voluntati & veræ pietati maxime conveniat, id est, distinguit inter sententiam Domini immediate & mediate prolatam. Ex quo fundamento etiam intelligi potest illud quod in c. Sic enim caus. 28. q. 1. ex Augustino adducitur. *Iubet fideli Dominus, ne infidelem dimittat, an non jubet? si dixeris, jubet, reclamat apostolus*, Ego dico, non Dominus. *Si dixeris, non jubet, causam requiro.* Atqui, uti modo dictum, apostolus non opponit suum & Christi mandatum, sed distinguit inter id, quod a Christo expresse mandatum, & quod ab apostolo ex Spiritus sancti impulsu & inspiratione loquente profectum, quæ non pugnant, sed sunt subordinata. Rom. XV. 18. 1 Cor. VII. 40. 2 Cor. XIII. 3. 2 Petr. I. 21. Ambrosius in comm. 1 Cor. VII. *Cæteris ego dico, non Dominus. Hoc dixit, ut ostendat, quid proprio ore Dominus jussit, & quid hujus autoritati concesserit, quia & per ipsum Dominus loquitur, ait enim*, 2 Cor. XIII. *an experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* In comment. qui in fin. Hieronymi habentur: *Non quia in se non habebat Christum loquentem*, [apostolus] *hæc dicit, sed ut ostendat, quia ipse Dominus per semetipsum de hoc in evangelio dicit.* Conjungimus autem cum dicto Pauli 1 Cor. VII. 13. dictum apostoli Petri 1 epist. III. 1. *Mulieres subditæ sint viris suis, ut, & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, v. 2. considerantes in timore castam conversationem vestram*; ubi apostolus nequaquam præcipit, ut mulieres fideles infidelibus maritis in matrimonio conjunctæ discedant, sed ut vitam christiana fœmina dignam agant, & hac ratione maritos suos Christo lucrari studeant. 5.) Ex *infidelitatis ac hæreseos natura.* Nec infidelitas nec hæresis per se & absolute pugnant cum natura conjugii, sicut adulterium, possunt enim esse duo in carne una, licet non sint spiritus unitate invicem conjuncti, alias etiam pii mariti & impiæ fœminæ conjugium esset dissolvendum. Quo pertinet illud, quod etiam inter homines infideles & paganos extra ecclesiam sit verum conjugium. 6.) Ex *incommodi sequela.* Si ob infidelitatem ac hæresin conjugium esset dissolvendum, homines temerarii ac leves prætextum hæreseos promte arriperent, ut a conjugibus suis, quibus minus æqui sunt, separari possent. Item si ob infidelitatem alterutrius conjugis separanda matrimonia, etiam ob alterutrius impietatem separanda erunt, quod absurdum esse quivis intelligit.

7.) Quidam jurisconsulti ex l. Si legib. 16. C. de episc. audient. idem probare conantur: *Si legibus prohibitæ non sint speratæ nuptiæ, & post arrhas sponsalitias sponsa conjugium sponsi propter religionis diversitatem recusaverit &c.* Forsterus part. I. disp. 3. q. 15.

§. CCCXCII. Canonistarum argumenta contraria potiora hæc sunt. I. *Deus in vet. test. connubia Israelitarum cum Cananæis prohibuit*, Exod. XXXIV. 16. Deut. VII. 3. quod mandatum Esdras sic exposuit, *matrimonia cum infidelibus consummata esse rescindenda* Esdr. IX. & IX. *Ergo etiam inter Christianos & infideles nuptiæ non possunt constare.* Resp. Bellarminus huic canonistarum argumento recte respondet, præceptum illud, quatenus irritum pronunciavit ejusmodi matrimonium, fuisse judiciale ad Judæos duntaxat, non autem ad Christianos in nov. test. pertinens, id enim probari potest, 1.) ex *objecti determinatione.* Cum Cananæis enim Ammonitis ac Moabitis, non autem cum cæteris gentibus, ob causas quasdam peculiares ac particulares talia matrimonia eo modo fuerunt prohibita, ut etiam contracta fuerint dissolvenda. 2.) Ex *conjugii cum captiva muliercula* ex aliis populis oriunda *concessione:* Deut. XXI. 11. Si absolute ac simpliciter non potuisset constare matrimonium inter Israelitas & alios populos, non permissum fuisset Judæo ducere mulierem captivam. 3.) Ex *contrariorum exemplorum inductione.* Quamvis enim exempla illa nec regulam constituant, nec omnia adprobari possint vel debeant, tamen quamdam fuisse etiam in vet. test. hujus interdicti exceptionem ac limitationem demonstrant. 4.) Ex *nov. test. natura & conditione.* In vet. test. Deus Israeliticum populum ab omnibus gentibus separatum in peculium sibi elegerat, sed in nov. test. destructa ac diruta est maceria, qua Judæi a gentilibus dirimebantur, Eph. II. 14. ac sine ullo populorum & gentium discrimine ecclesiam ex toto humano genere sibi colligit. 5.) Ex *Christi & apostoli Pauli dispositione.* Cum enim Christus in nov. test. unicam legitimi divortii causam, adulterium scilicet, statuat, & hoc ipso causas alias excludat, cumque apostolus conjugem fidelem cum infideli spe conversionis cohabitare permittat, ideo, si vel maxime generale aliquod mandatum in vet. test. de dissolvendis matrimoniis fidelium cum infidelibus contractis exstaret, tamen in nov. test. cum reliquis forensibus & judicialibus illud esset abrogatum.

Argumenta canonistarum.

I.) *ab Esdræ exemplo.*

§. CCCXCIII. II.) *Apostolus præcipit*, in Domino nubendum esse 1 Cor. VII. 39. *Ergo dissolvendum est matrimonium fidelis cum infideli contractum.* Resp. Augustinus lib. I. de adulter. conjug. ad Pollent. & habetur c. Sic enim caus. 28. q. 1. *apostolum de his conjugiis loqui, quæ sibi primitus copulantur, ne nubat fœmina nisi suæ religionis viro, vel ne vir talem accipiat uxorem, hoc autem diversum esse quis abnuat, ubi agitur non de conjungendis, sed de conjunctis.* Adde, quod *in Domino nubere* ab aliis ecclesiæ doctoribus aliter explicetur, ut superius vidimus. Quidquid sit, nobis sufficit, quod fidelis conjux infideli cohabitans in Domino vivere possit. 1 Cor. VII. v. 12. III.) *Si adulterium corporale divellit conjugium, multo magis infidelitas & hæresis, quæ est spiritualis fornicatio, illud solvet, quia scilicet est gravius delictum.* Resp. alia quæstio est, an *absolute* loquendo hæresis & infidelitas sint gravius delictum quam adulterium, quod facile concedimus, cum hæresis & infidelitas pugnent cum prima, adulterium vero cum secunda decalogi tabula: alia vero quæstio est, an respectu *conjugii* hæresis & infi-

II.) *ab apostoli præcepto.*

III.) *Ab hæreseos statu.*

delitas sit gravius delictum quam adulterium, quod negamus, quia infidelitas & hæresis non ita pugnant cum ipsa natura, & ut sic loquar, essentia conjugii, sicut adulterium; possunt enim duo esse in una carne, si vero maxime cultus & religionis disparitate sint sejuncti, sed duo non sunt in una carne, si alteruter potestatem sui corporis faciat adultero. Atqui hæc sunt præcipua canonistarum argumenta. Quæ præter hæc Petrus Martyr, Zanchius & Gentilis adferunt, facilem habent explicationem, si observetur, distinguendum esse inter *nuptias contrahendas* & *contractas*, inter id, quod *cum essentia matrimonii pugnat*, & quod ex *accidenti* quædam incommoda secum trahit, inter id, quod ipsius *contractus firmitatem* tollit, & quod *contrahentium personarum respectu* periculum, incommodum & scandalum trahit. Conjunge Tarnovium lib. I. de conjug. cap. XXXXVI. p. 210.

§. CCCXCIV. *Tertia* Bellarmini propositio sic informatur: „Matrimonium „inter fidelem & infidelem „non baptizatum irritum est „ex more populi christiani „vim legis obtinente.„ Probat ex eo, quod „ab annis ut minimum „sexcentis sine ulla controversia creditum „sit in ecclesia, ista matrimonia esse nulla; cum ergo tot seculis illud ecclesia „crediderit & servaverit, & tamen certa „aliqua lex non inveniatur, necesse est, „ut id paulatim sit introductum, & consuetudo vim legis obtinuerit.„ Non posse autem hunc morem sive hanc legem consuetudinariam improbari, duobus argumentis probat: 1.) „Exemplo legis. „Si enim in lege divina veteri cultus disparitas erat impedimentum, dirimens „saltem intra certas rationes, certe majori ratione potuit fieri cultus disparitas „impedimentum dirimens apud Christianos, nam lex christiana est perfectior. „Item major est cultus disparitas inter „christianos & infideles, quam inter Iudæos & infideles. Nam christiana lex „est omnibus ad salutem necessaria, & qui „Christiani non sunt, alieni sunt a Deo „& ab ecclesia & a religione divina. At „lex Hebræorum non erat omnibus necessaria, multique inter gentes salvari „poterant, dum lex vigeret, quare non „erant gentiles extra ecclesiam Dei per „hoc solum, quod ad populum Israel non „pertinebant. 2.) Matrimonium apud „Christianos est sacramentum, ergo non „debet a Christianis illis personis tribui, „qui sacramenta suscipere nequeunt. Ergo maxima fuit causa irritandi matrimo„nium fidelium cum infidelibus, non enim „infidelis non baptizatus ullius sacramenti „capax est. Et hæc etiam est ratio, cur „matrimonia cum hæreticis irrita non sint, „quia videlicet sacramenta esse possunt „ratione præcedentis baptismi in utroque „conjuge.

An matrimonium fidelis cum infideli irritum sit ex more populi christiani.

§. CCCXCV. In hoc Bellarmini discursu notamus sequentia: 1.) Canonistas, Anabaptistas, Photinianos & quosdam Calvinianos τὸ ὅτι concedere Bellarmino, quod scilicet matrimonium fidelis cum infideli sit irritum, sed τὸ διότι negare, quod *ob morem aliquem populi christiani vim legis obtinentem sit irritum*, deducere enim id conantur ex lege divina. Nos & τὸ ὅτι & τὸ διότι Bellarmino negamus. 2.) Cum enim teste ipsomet Bellarmino in præced. prop. *matrimonium inter fideles & infideles non sit irritum jure divino, naturali vel positivo, vel certa aliqua lege ecclesiæ;* utique etiam non potuit nec debuit reddi irritum *more populi christiani*, quia consuetudo fundamento mandati divini destituta non potest introducere impedimentum aliquod matrimonium legitime contractum dirimens, alias consuetudo humana præjudicaret ordinationi divinæ. De consuetudine vide multos utiles canones dist. 8. 3.) Sic er-

go concludimus: Quæ conjugia jure divino, naturali & positivo sunt rata, illa sola populi christiani consuetudine non debent nec possunt reddi irrita. Conjugia fidelium cum infidelibus jure divino, naturali & positivo sunt rata. *Adsumtum* concedit Bellarminus. *Majorem* probamus ex evidenti dicto Christi Matth. XIX. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* 4.) Utimur etiam hoc argumento: Quodcunque non adversatur ipsi formæ & essentiæ conjugii, per illud contractum conjugium non redditur irritum. Sed infidelitas non adversatur ipsi formæ & essentiæ conjugii. Ergo *Adsumtum* est manifestæ veritatis, alias etiam post matrimonium contractum superveniens infidelitas conjugium dirimeret, quod Bellarminus non concedit. *Major* probatur ex eo, quia causas constituentes ac dirimentes oportet sibi invicem directe opponi. 5.) Quæ in contrarium a Bellarmino adferuntur, facilem habent explicationem. Prohibitionis rationes, quæ in vet. test. viguere, utpote periculum seductionis, excidium Cananæorum, separatio populi Israelitici a gentilibus &c. illæ non omnes nec æqualiter vigent in nov. test. ergo hac in parte non potest statui major & fortior prohibitio in nov. quam in vet. test. 6.) Nec recipimus Photinianum & pontificium illud somnium, quod *Christus sit novus legislator, qui in nov. test. perfectiorem legem tradiderit, quam fuit lex vetus & mosaica*, contrarium enim in tract. de evangel. §. 64. & seqq. multis fuit demonstratum. 7.) *Gentiles non fuisse extra ecclesiam per hoc solum, quod ad populum Israel non pertinuerint*, ambigue dicitur; vel enim intelligitur de illis, qui religionem Israeliticam profitebantur, sicque interna fide & externa confessione ecclesiæ Israeliticæ erant conjuncti, quamvis inter Israelitas non habitarent, nec leges forenses & ceremoniales omnes servarent, vel intelligitur de illis, qui nec interiore confessione nec exteriori cohabitatione Israeliticæ ecclesiæ fuere conjuncti. De posterioribus non nisi absurdissime dicitur, quod non fuerint extra ecclesiam Dei per hoc solum, quod ad populum Israel non pertinuerint; de prioribus si Bellarminus loquitur, agnoscat, eos ratione interioris fidei & exterioris confessionis fuisse Israeliticæ ecclesiæ conjunctos, quamvis inter Israelitas non habitaverint, nec ritus eorum omnes exercuerint. Substantialia religionis Israeliticæ & Christianæ sunt eadem in vet. ac nov. test. quia *una fides, una ecclesia, unus Dominus.* Ergo ut in nov. test. qui Christiani non sunt, a Deo, ecclesia & religione divina alieni sunt, sic pari modo in vet. test. qui Israelitæ non fuerunt, fidei scilicet & confessionis respectu, itidem a Deo, ecclesia & religione divina alieni sunt judicandi. 8.) Denique *conjugium esse sacramentum proprie dictum*, falsa est hypothesis, ut superius demonstravimus. Quare cum hæc adsertio, quod matrimonium inter fidelem & infidelem sit irritum more populi christiani, hac hypothesi vel unice vel præcipue nitatur, merito nobis debet esse suspecta. Addo & istud: Matrimonium inter fidelem & infidelem ideo est irritum, quia *infideles non possunt suscipere sacramentum, quale est matrimonium*, ut h. l. Bellarminus disputat. Atqui matrimonium jam inde a primo primitivæ ecclesiæ tempore fuit sacramentum, nec demum ante 600. annos sacramentum esse cœpit, ut idem disputat lib. de matr. cap. Ergo non ex more populi christiani per annos sexcentos usitato, sed ex ipsius Christi institutione in nov. testam. perpetuo durante matrimonium inter fidelem & infidelem erit irritum. Quid quod non solum infideles sed etiam hæretici a sacramentis, quæ sunt bona ecclesiæ propria, arcentur, ergo non solum inter fidelem & infidelem, sed etiam inter fidelem & hæreticum irritum erit matrimonium. Quid ergo fiet canoni Trid. sess.

seſſ. XXIV. can. 5. *Si quis dixerit, propter hæreſin diſſolvi poſſe matrimonii vinculum, anathema ſit;* quid item adſertioni ipſius Bellarmini in proxime præced. prop. §. Jam vero &c. *Communi conſenſu catholicorum matrimonium cum hæretico non eſt irritum.*

An pontifex poſſit tale matrimonium concedere.

§. CCCXCVI. *Quarta* Bellarmini propoſitio ſic habet: *Poteſt ſummus pontifex, ſi cauſa id poſtulet, cum fideli diſpenſare, ut cum infideli matrimonium contrahat. Si enim*, inquit, *præceptum prohibens & irritans ejusmodi matrimonia eſt naturale, non obligat, niſi quatenus recta ratio dictat, id non eſſe faciendum vel ob periculum ſubverſionis vel ob alias cauſas. Quare ceſſantibus illis cauſis non eſt contra jus naturæ ejusmodi conjugium, præſertim accedente declaratione ſummi paſtoris. Si vero eſt præceptum poſitivum humanum, ut apoſtoli Pauli, conciliorum & pontificum, poteſt ſine dubio apoſtolorum & pontificum aliorum ſucceſſor in eo diſpenſare ceſſante periculo & juſta cauſa id poſtulante.* Reſp. 1.) Si ex verbo Dei efficaciter probatur, non licere fideli cum infideli matrimonium contrahere, non poterit pontifex diſpenſare, ut fidelis cum infideli matrimonium contrahat. Sed prius præſtare conatus eſt Bellarminus prop. I. ex Deut. VII. 1 Reg. XI. 1 Cor. VII. 2 Cor. VII. agnoſcat ergo poſterius. Connexio *majoris* probatur, quia *inferior non poteſt diſpenſare contra legem ſuperioris.* 2.) *Si infidelis non eſt capax ullius ſacramenti*, quod in prop. III. Bellarminus adſerit, quomodo pontifex diſpenſare poteſt, ut fidelis matrimonium contrahat cum infideli? num matrimonium tunc ſacramentum eſſe deſinit, an vero pontifex etiam diſpenſare poteſt, ut infidelis baptiſmum vel euchariſtiam recipiat? 3.) Antichriſtianus eſt faſtus ille pontificis, quem Bellarminus h. l. confirmat, quod *contra ipſius apoſtoli Pauli præcepta diſpenſare poſſit.* Quam procul abeſt Bellarminus a pronunciatis illis canoniſtarum, quod *pontifex ſupra jus & contra jus diſpenſare poſſit*, quod *contra verba evangeliorum, licet non contra mentem eorum poſſit diſpenſare &c.* 4.) De lege nemini licet diſpenſare, niſi ejus auctori. At pontifex non eſt auctor legis interdicentis matrimonium fidelis cum infideli. Ergo etiam non poteſt de ea diſpenſare. *Aſſumtum* confirmat Bellarminus prop. I. ubi *ex verbo Dei, ex conciliis, ex patribus, & ex ratione* demonſtrare nititur, conjugium fidelis cum infideli non eſſe licitum.

II.) *Diſparitas ætatis.*

§. CCCXCVII. A diſparitate religionis & cultus tranſitum facimus II.) ad diſparitatem *ætatis*, ubi quæritur: *An concedendum ſit matrimonium inter juvenem & vetulam, item inter ſenem decrepitum & juvenculam?* Diſtinguendum hic eſſe dicimus: 1.) inter conjugium *contrahendum* & *contractum.* Matrimonia inter perſonas maxima ætatis diſparitate invicem disjunctas merito improbantur, ſed ſi contracta jam ſint, non debent ob hanc diſparitatem diſſolvi. 2.) Inter prohibitionem *divinam* & *humanam.* Nulla in hac ætatis diſparitate exſtat prohibitio divina, unde etiam ejusmodi matrimonia, ſi jam ſunt contracta, non debent diſſolvi. Magiſtratus interim recte facit, ſi monſtroſas ejusmodi nuptias inter ſenem ſexagenarium & juvenculam ſedecim vel octodecim annorum, inter vetulam ſeptuagenariam & juvenem viginti annos natum prohibeat, ob cauſas in ſequenti §. explicandas. 3.) Inter diſparitatem *maximam & mediocrem.* De proportione ætatis in marito & uxore diximus ſuperius, ab ea ſi mediocris aliqua diſparitas in diverſum abeat, non propterea ſtatim diſſuadendum eſt matrimonium; ſed ſi diſparitas ſit longe maxima, argumentum diſſuadendi exhibebit omnino ponderoſum. 4.) Inter conjugium initum *a viro provectioris ætatis*

cum

cum juvencula, & inter id quod contrahitur *a juvene cum vetula effoeta, foetida, vieta, rugoſa, annoſa*, illud facilius concedendum, cum ex tali conjugio proles ſperari poſſit; huc vero difficilius, cum avaritia utplurimum ſit talium nuptiarum conciliatrix. Inde Eraſmus in lib. de chriſt. matr. *multo abſurdius juvenem vetulæ, quam ſenem juvenculæ copulari* diſputat, *quia in poſteriorum conjugio non perit reverentia maritalis, nec viri unquam tam deſperata eſt impotentia quam ſterilitas mulieris effoetæ.*

§. CCCXCVIII. Hiſce præmiſſis demonſtramus, ob inſignem aliquam ætatis diſparitatem maxime inter juvenem & vetulam improbandum eſſe conjugium. 1.) A *remotione finium conjugalium.* Primus ac præcipuus conjugii finis eſt *generatio prolis.* Atqui ex conjugio juvenis & vetulæ, cui jam deſierunt fieri muliebria, Gen. XVIII. 11. ſoboles ſperari nequit. Sed & decrepiti illi, quibus ſenili maraſmo virtus vitalis & prolifica emori incipit, vix poſſunt ſpem prolis concipere, ſi vel maxime juvencularum in amplexu hæreant. Alter conjugii finis eſt *mutuum adjutorium*, quod Auguſtinus lib. IX. de Geneſ. ad lit. cap III. cum reſpectu ad uſum conjugalem accipiendum eſſe docet, ut ſuperius §. 233. oſtendimus. Atqui tale adjutorium a vetula, qui poteſt juvenis exſpectare? Adde, quod maxima illa ætatis inæqualitas amicitiam & concordiam, quæ inter conjuges ob mutuum adjutorium in œconomicis requiritur, non mediocriter labefactat. Tertius conjugii finis, qui poſt lapſum demum acceſſit, eſt *libidinis remedium.* At incendium illud libidinis in ſenibus & vetulis non amplius fervet, ac ſi vel maxime concupiſcentiæ ſtimulos ſentiunt, illi tamen in conjugio cum juvenculis non tam extinguuntur, quam accenduntur. 2.) Ex *conſecutione incommodorum.* Inter conjuges maxima ætatis inæqualitate differentes vix poteſt conſtare firma amicitia & concordia, ſed eorum

Semper habet lites alternaque jurgia lectus.

Lætitia juvenem, frons decet triſtis ſenem, inquit Seneca; quæ animorum ac ſtudiorum diſſimilitudo perpetua eſt diſſidiorum ac contentionum nutricula, qua de re multa tradit Nevizanus lib. II. ſylv. nupt. n. 19. Experientia teſtis eſt, locupletes viros juvenes cito faſtidium capere vetularum ac alienos quærere nidos, quod a fœminis juvenculis decrepitorum matrimonio junctis itidem fieri quis dubitet? De valetudinis incommodis ex conjugio decrepiti & juvenculæ metuendis diſputant medici. 3.) Ex *cauſa impulſiva talium nuptiarum.* Impares illas nuptias [ita enim Romani eas, de quibus agimus, vocabant] ex una parte conciliat laſcivia, ex altera vero divitiarum amor, unde Pudentillæ Apulei uxori objectum fuit, quod anno ætatis ſexageſimo nupſiſſet ad *libidinem*, & Apulejo, quod eam cupiverit *avaritiæ cauſa.* Apulejus 2. Apol. Mentzerus de matr. p. 124. refert, *cordatam quamdam viduam ſexagenariam a formoſo juvene de matrimonio ſolicitatam reſpondiſſe, niſi plane mihi perſuaderem, opes potius meas, quam me ipſam quæri, petitioni fortaſſis adnuerem.* 4.) Ex *conſenſu omnium gentium.* Omnibus cordatis diſplicuere ejuſmodi matrimonia inter impares ætate, ac maxime inter juvenem & vetulam contracta. Apud Judæos ſi quis *juvenis ducit vetulam, conſilio Dei reſiſtere ac timore Dei carere dicitur.* Thalm. in Chaſidim. f. 57. Clemens Alexandrinus lib. VI. ſtrom. citat verſum Euripidis: διχρὸς νέᾳ γυναικὶ πρεσβύτης ἀνήρ. Bernhardinus part. I. roſar. ſerm. 24. dicit, *puellam ductam a ſene poſſe tuto feretrum ſecum deferre pro tumulando marito.* Alciatus in epigram.

Nupſit anus juveni, vetulo tibi juncta puella eſt,
O nimium ex omni tempore inepta Venus.

Aut

Aut aliis ducis, sterili vel conseris agro,
Conjuge nec frueris, nec frueris sobole.

Casus lib. I. œcon. c. 4. q. 3. ejusmodi nuptias vocat *exsequias nuptiales & funebres nuptiarum tædas.* Plura in hanc sententiam de cavenda ætatis inæqualitate videri possunt apud Steph. Guazzum lib. III. de civ. conversat. p. 393. Tiraquellum leg. connub. 6. Cypræum de sponsal. c. 9. §. 8. Arnisæum de jure connub. c. II. sect. 4. &c. De Abrahæ ac Davidis exemplis, quæ in contrarium adferri solent, egimus superius.

§. CCCXCIX. Denique III.) *Disparitas status.* III.) ob *disparitatem status & vitæ conditionis* in jure civili prohibentur nuptiæ: 1.) inter personam *liberam* ac *servum*, l. Proculus 67. de jure dot. Nov. 22. c. 10. sed hoc sublatum est jure canonico, juxta quod servis quoque cum liberis est conjugium c. I. x. de conjug. serv. c. Si quis liber. 2.) c. si fœmina 5. caus. 28. q. 2. 2. inter *civem Romanum* & *peregrinam* in pr. Instit. de nupt. Ulpianus in fragm. tit. 5. §. 8. Vid. Brissonium de jure conn. p. 552. postea tamen ab eo jure desciverunt Romani l. in orbe 17. de stat. hom. 3.) Inter *virum senatorii ordinis ejusque liberos & libertinam tabernariam, lenonis, arenarii, ejusve, qui ludicram artem exercuit, filiam.* l. Jul. 44. ff. de rit. nupt. l. Humilem. 7. C. de inc. nupt. ne amplissimi ordinis dignitas vilis conjugii consortio sordescat, neve abjectarum fœminarum non tam connubia quam vitia jungantur. Brissonius de jure connub. p. 556. quin & supervenions dignitas senatoria matrimonium solvebat, quod merito correxit Justinianus l. sancimus. C. de nupt. ac Valentinianus & Martianus d. l. *humilem.* legem Juliam declarant, quod pauperes ingenuis parentibus natæ non sint inter humiles & abjectas personas a senatoribus duci prohibitas numerandæ, sed *ancilla, ancillæ filia, liberta, libertæ filia, scenica, scenicæ filia, tabernaria, tabernarii vel lenonis aut arenarii filia, aut ea, quæ mercimoniis publice præfuit.* 4.) Inter *provinciarum rectores & eorum officiales ac filios & foeminam inde oriundam vel domicilium ibi habentem* l. si quis 38. de rit. nupt. ne eripere potius quam consensu liberrimo ducere uxorem videantur. Quamvis vero provinciæ præses filio uxorem ibi quærere non potuerit, tamen filiam nuptui elocare in provincia potuit, cujus diversitatis rationem hanc tradit Hilligerus in Don. enucl. lib. XIII. cap. 20. lit. S. quod *filii non vere elocentur, sed illis quærantur uxores, quas ipsi petunt & ambiunt, periculum itaque fuerit, ne sæpe filiæ provincialium illis, ad quos nullo adfectu ducuntur, nubere auctoritate parentum magistratui id denegare non audentium adigantur, contra nec solens nec decens foeminæ, ut ambiant adolescentes, sed ut procos exspectent, cum ambiantur, nemo igitur nisi volens & amans eis ambiet, sicque legis ratio in eis cessat.* Hodiernis moribus ac temporibus illa omnia fere exoleverunt, unde disparitas status si vel maxime interdum sit argumentum contrahendum matrimonium dissuadens, tamen non est impedimentum contractum dissolvens, unde nobilis ignobilem, dives pauperem, dominus ancillam ducere potest, ut late deducit Reusnerus lib. I. decis. 4. nec probari nobis potest, quod Zanchius in lib. de operib. sex dier. ex dicto apostolico Phil. IV. 8. *Quæcunque ἔυφημα, si qua laus, si qua virtus, hæc cogitate &c.* demonstrare nititur, inter personas conditione multum dissimiles, puta inter nobilem & plebejam, senatorem & infimæ sortis mulierem jure divino prohibitum esse matrimonium. Semper tamen tenendum illud, *matrimonia optima & pacatissima esse ea, quæ inter personas genere, ætate, moribus & aliis adjunctis quam maxime pares contrahuntur*, juxta illud poetæ:

Si qua voles apte nubere, nube pari.
Ovidius epist. VIII. Heroid.

Item: *Quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci,*
Tam premitur magno conjuge nupta minor.

Dioni Callimachus *æqualem esse ducendam* consuluit, Atarnitæ adolescentis exemplo, cui obscurius significavisse pueri videntur, ut comparem sibi adscisceret, τῳ̃ κατὰ σαυτὸν ἥλα, qua de re exstat epigramma Græcum lib. III. Cleobulus hujus præcepti talem reddit rationem: *Si te illustriorem duxeris, adfines ut domini te infestabunt.* Cœl. Rhodigerus lib. XV. antiq. lect. c. 15. Ac de causa materiali conjugii hactenus.

CAPVT VI.

DE CAVSA FORMALI CONJVGII.

§. CCCC.

Forma conjugii. *Formam conjugii* quidam statuunt esse *consensum* contrahentium. Sed opinionem illam superius c. IV. sect. 2. §. 56. evertimus quatuor argumentis. Formam ergo conjugii statuimus non consensum, sed ex consensu ortam *legitimam & indissolubilem conjunctionem unius maris & unius fœminæ in carnem unam*, vel quod idem est, ipsum *nexum & obligationem conjugalem* ex mutuo utriusque partis in unam carnem consensu ortam. Hanc conjugii formam exprimit 1.) *ipsa institutio divina* Gen. II. 24. Matth. XIX. 5. *erunt duo in carne una*, ex quibus verbis Salvator porro infert: *Ergo jam non amplius sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ante conjugium mas & fœmina sunt duo, sed per conjugium ac post conjugium sunt una caro, utpote fœdere arctissimo & indissolubili sibi invicem conjuncti, imo unus homo non animorum tantum, sed etiam corporum conjunctione. Quod si enim de pari duorum amicorum, quale in Davide & Jonathane nobis proponitur 1 Sam. XVIII. 3. recte dicitur, quod in duobus corporibus sit una eorum anima, μία ψυχὴ ἐν δυσὶ στώμασι, *unum cor in duobus pectoribus*, unde illud αἰνιγματώδες:

Fallor, an hi duo sunt? duo sunt, pluresque duobus,
Hi duo & hi plures sunt tamen unus homo.
Corporibus duo, corde unus, cum viribus addat
Unio, tres; sic sunt tres, duo & unus homo:

quanto magis de piis & concordibus conjugibus dici potest, quod eorum sit anima una in corpore uno, cum ex Dei ipsius ore dicantur *una caro*, id est, unus homo. Utrumque enim ex Hebrææ linguæ proprietate descendit, quod conjuges dicuntur esse *in carnem unam*, id est, caro una, [exempla similia adduximus superius cap. 4. sect. 1. §. 45] & quod *caro una* dicantur, id est, unus homo. Genes. VI. 12. *Omnis caro corruperat viam suam*, id est, omnis homo. Deut. V. 26. *Quid est omnis caro*, id est, *omnis homo* &c. 2.) *Definitio conjugii in jure civili tradita.* Justinianus in instit. de patr. potest. §. 2. *Nuptiæ sive matrimonium est viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens.* Modestinus l. nuptiæ 1. ff. de rit. nupt. *Nuptiæ sunt conjunctio maris & fœminæ & consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio.* Definitionem Justiniani repetit Alexander III. ad Genuensem archiepiscopum c. illud x. de præsumtionibus 3.) Eandem probat *manifesta ratio.* Formæ tria statuuntur officia. *a.) Dat esse rei,*

id

id est, compositio, materia præstat solum inchoationem ipsius esse, forma autem addit complementum & perfectionem, unde *ratio quidditatis* a philosopho dicitur lib. II. phys. c. 3. *b.*) *Rem a re distinguit.* Si enim dat esse rei, utique etiam unitatem, cum ens & unum convertantur, si dat unitatem, dat etiam distinctionem, cum unitas importet divisibilitatem a quovis alio. *c.*) *Dat operationem compositio*, id est, primarium principium operationis in composito. Posita igitur forma tria ponuntur, *rei essentia, distinctio & operatio.* At hæc tria conjugio confert legitima unius maris & unius fœminæ in unam carnem conjunctio, per eam enim conjugium est id, quod est, ab aliis amicitiæ & contractuum speciebus distinguitur, & ex illa conjunctione mutua obligatio ad officia conjugalia nascitur.

Mutua in corpus utriusque conjugis potestas.

§. CCCCI. Non est, quod regeras, *apostolum* 1 Cor. VI. 16. *adserere, quod adhærens meretrici efficiatur cum ea unum corpus*, & ad id probandum adducere verba institutionis conjugalis: Gen. II. 24. *Erunt duo in carne una;* ex quo videatur consequi, id quod pro forma conjugii fuit positum, esse commune cum fornicariis conjunctionibus. Nam 1.) non absolute ac simpliciter dicimus formam conjugii esse unius maris & unius fœminæ conjunctionem, sed notanter addimus *legitimam & indissolubilem.* Atqui scortatoris & scorti commixtio non est legitima conjunctio, quia non est legibus conjugii & præceptis moralibus conformis, sed directe illis adversatur, neque est indissolubilis conjunctio, de jure scilicet, quamvis interdum de facto ante mortem non dissolvatur, sed primo quoque tempore potius dissolvi debet, sicut ex adverso conjugum conjunctio est dissolubilis de facto, non de jure, unde apostolus præcipit, *uxorem a viro non debere discedere, quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari.* 1 Cor. VII. 10. 11. 2.) Absit ergo, ut cogitemus, apostolum de fornicaria copula statuere, quod sit talis duorum in unam carnem conjunctio, qualis describitur in primæva conjugii institutione, quæ est divinæ ordinationi conformis, ac proinde etiam Deo grata & accepta, naturæ congrua, honestis legibus consentanea, humano generi conservando ac propagando salutaris & necessaria; sed graviter potius taxat illegitimam illam cum scorto commixtionem tanquam horribilem confusionem ordinis divinitus instituti, legibus & ordinationi conjugii repugnantem, a diabolo introductam, Deo extreme invisam & ipsi naturæ adversam. Ad scortatorum enim ignominiam & confusionem apostolus hoc dicit, quod non erubescant cum scorto in unam carnem conjungi, & sanctissimas conjugii leges honestam ac legitimam ejusmodi conjunctionem cum pia conjuge sancientes nefarie violare. 3.) In copula conjugum agnoscit idem apostolus mysterium spiritualis conjunctionis inter Christum & ecclesiam, Eph. V. 32. sed fornicatorum copula est horrendum flagitium, de quo graviter pronunciat apostolus: 1 Cor. VI. 15. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit!*

Consectaria ex adsignata conjugii forma.

§. CCCCII. Ex hac conjugii *forma* deducimus VII. porisma ta, quorum sex priora spectant conjugium *contractum*, septimum concernit conjugium *contrahendum.* Porisma I.) de *arctissima conjugum societate.* Quia conjuges sunt una caro, ideo ipsorum societas, conjunctio & necessitudo est longe arctissima. Ecqua enim arctior possit cogitari conjunctio, quam quæ & animorum & corporum unitatem complectitur? unde etiam Deus ipse in conjugii institutione eandem societati & necessi-

I.) *Arctissima conjugum societas.*

tudini, quæ est inter parentes ac liberos, præfert: Gen. II. 24. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Liberi enim a parentum complexu avelluntur, & quando conjugium contrahunt, novas familias constituunt, sed conjugum conjunctio animorum, corporum, familiarum, facultatum, adversorum, communionem in sese continet. Potest & hoc ad conjugalis societatis arctissimæ descriptionem referri, quod Deus primam conjugem conditurus non ex gleba terræ eam format, sed *costam*, hoc est, partem corporis ab Adamo accipit, & ex ea mulierem *ædificat*, quam postmodum per nuptias Adamo iterum tanquam corporis sui partem conjungit, qui cum tripudio ob id exclamat: *Hoc est os ex ossibus meis & caro de carne mea, vocabitur vira*, Gen. II. 23. Sic maritus uxorem divinitus sibi copulatam adspiciat tanquam corporis sui partem, imo tanquam suam ipsius carnem: Eph. V. 28. *Qui uxorem suam diligit, se ipsum diligit.* v. 29. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit.* Quid quod de conjuge formanda Deus decretum faciens inquit: Gen. II. 18. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium* כְּנֶגְדּוֹ, quod sit velut alter ipse, imo idem ipse, cum quo se ipsum & omnia sua communicet. Si ergo propter arctam animorum conjunctionem Pythagoras recte dixit, *amicum esse cuique alterum ipsum;* utique propter conjunctionem arctissimam & corporum & animorum conjugem ex ipsius Dei ore recte dicimus esse cuiquam eandem ipsam.

II.) *Nova ex conjugio orta propinquitas.*

§. CCCCIII. II.) De *nova ex conjugio orta propinquitate.* Quia conjuges sunt una caro, ideo inter consanguineos mariti & uxorem, ac vicissim inter consanguineas uxoris & maritum oritur *adfinitas* in certis gradibus matrimonium impediens. Fundamentum hujus porismatis est satis perspicuum. Consanguinei mariti sunt una caro cum ipso ob sanguinis propinquitatem. Genes. XXIX. 14. dicit Laban ad Jacobum sororis suæ filium: *os meum es & caro mea.* Genes. XXXVII. 27. fratres Josephi de hoc fratre suo dicunt: *caro nostra est.* Levit. XVIII. 12. *Nuditatem sororis patris tui non revelabis, quia caro est patris tui &c.* Maritus sit una caro cum conjuge, ob matrimonialem nexum & arctissimam societatem: Gen. II. 24. *erunt duo in carne una.* Ergo etiam inter uxorem & mariti consanguineos oritur quædam carnis propinquitas, ad quam spectat sanctio divina: Levit. XVIII. 6. *Omnis homo ad carnem carnis suæ non accedat;* unde etiam caro nostra dicuntur, qui sola adfinitate proxima nobis sunt conjuncti, Levit. XVIII. 17. *filiam filii uxoris tuæ & filiam filiæ ejus non accipies, quia caro tua sunt.* Ex eodem fonte profluxit regula: *Quo gradu quis est consanguineus meæ uxori, eo gradu mihi est adfinis;* & vicissim: *Quo gradu quis est mihi consanguineus, eo gradu est uxori meæ adfinis.* Item: *a quibus personis abstinere debet maritus ob consanguinitatem, ab iisdem etiam uxor debet abstinere propter adfinitatem*, quia de re plura diximus superius.

III.) *Conjugii indissolubilitas.*

§. CCCCIV. III.) De *conjugii indissolubilitate.* Quia conjuges sunt *una caro*, ideo vinculum conjugii est firmissimum & indissolubile. Hoc porisma Christus ipse ex forma conjugii elicit Matth. XIX. Cum enim Pharisæi ex ipso quærerent, *an licitum sit homini dimittere uxorem quacunque de causa?* v. 3. Christus revocat eos ad formam conjugii in primæva institutione expressam. *Non legistis*, inquit, *quia qui fecit hominem ab initio, masculum & foeminam fecit eos?* v. 5. *Et dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne una.* v. 6. Unde porro infert: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*, & per consequens, *quod Deus in carnem*

nem unam conjunxit, homo non separet. v. 6. Argumentum Christi est tale: Qui in unam carnem divinitus sunt conjuncti, non debent humana temeritate, quacunque levi de causa, separari. Sed conjuges divinitus in unam carnem sunt conjuncti. Ergo. *Majorem* probat ex oppositione, jam *non amplius sunt duo, sed una caro,* hoc est, post conjugium initum non amplius sunt duo homines, sed unus homo. Atqui per temerariam illam separationem fiunt duo, qui una caro esse debebant. Terminus indefinitus ἄνθρωπος in prohibitione illa, *homo non separet*, triplicem habet respectum: 1.) ad *maritum* temere per libellum repudii uxori datum ab ea sese separantem; Matth. XIX. 7. 2.) ad *uxorem* a marito temere discedentem; Jerem. III. 1. 1 Cor. VII 10. 3.) ad *judicem* temere sine justa ac necessaria causa conjuges separantem: quando vero ob adulterium alterutrius partis matrimonium a judice dissolvitur, tunc judex non agit temere nec privata auctoritate, sed publicum officium administrat, ac divina auctoritate conjuges iterum dissolvit, ut in quæstione, *an ob adulterium dissolvi possit conjugii vinculum*, infra plenius explicabitur. Bellarminus lib. de matrim. cap. IV. §. 2. disputat, *potissimam causam, cur matrimonium sit insolubile, non posse referri in causam primariam & certissimam aliam, quam in signum conjunctionis Christi cum ecclesia*, de quo pronunciato quid statuendum sit, vidimus superius cap. III. quæst. 1. Oblitus est Bellarminus primævæ institutionis, in qua conjuges ex ipsius Dei ordinatione dicuntur *una caro*, unde recte infert Thomas lib. IV. sent. dist. 3. q. 2. art. 1. *matrimonium ex jure naturæ habere quamdam indissolubilitatem*; ac Ruardus Tapperus ad artic. XVIII. circa initium sic scribit: *Modus probandi inseparabilitatem matrimonii ex ejus institutione certissimus est & securissimus.* Ex divina igitur ordinatione conjugii vinculum est indissolubile; quod autem vel per adulterium, vel malitiosam desertionem dissolvitur, id est ex *accidenti*, & præter intentionem contrahentium, cum quilibet cordatus ac sapiens eo animo ac fine matrimonium contrahat, ut indissolubili vinculo cum conjuge uniatur. Proinde ut immutabilitati legis moralis nihil ex eo decedit, quod multis modis ab hominibus violetur; ita quoque quamvis per temeraria divortia, malitiosam desertionem, flagitiosum adulterium &c. divina conjugii ordinatio labefactetur, nihilo tamen minus conjugium in se ac per se, ex divina ordinatione contrahentium recta intentione consideratum recte definitur, quod sit firmissima & indissolubilis unius maris & unius fœminæ conjunctio, sicut imperator in instit. de patr. potest. §. 2. definit: *Nuptiæ sive matrimonium est viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens.*

IV.) *Mutua in corpus utriusque conjugis potestas.*

§. CCCCV. IV.) De *mutua in corpus utriusque conjugis potestate.* Quia conjuges sunt una caro, ideo est mutuum & æquale jus corporum inter ipsos. Hoc porisma ex forma conjugii colligit apostolus 1 Cor. VII. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Uxor est mariti *propria* uxor, v. 2. est *caro* mariti, Gen. II. 23. ergo non habet corporis sui potestatem, sed maritus. Maritus est *proprius* vir uxoris, est *caro* uxoris, ergo non habet corporis sui potestatem, sed uxor; ex quo ulterius infert apostolus, quod uxori vir τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν [sic enim per ἐυφημισμὸν congressum maritalem adpellat] *debeat reddere*, similiter & uxor viro, v. 3. quodque *non debeant invicem se fraudare nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacare possint jejunio & orationi* v. 5. Quamvis ergo respectu reliquorum officiorum inter conjuges sit inæqualitas, cum viro debeatur im-

perium ac directio, unde *caput mulieris* dicitur; 1 Cor. XI. 3. tamen respectu conjugalis debiti utriusque par & æqualis est potestas ac jus reciprocum seu ἀντίστροφον. Ex hoc fundamento intelligitur cum forma conjugii pugnare 1.) *polygamiam*, quia ut mulier non habet potestatem sui corporis, sic nec maritus corporis sui potestatem habet, ac proinde non potest alteri conjugi superinductæ corpus suum tradere, alias definit cum priore conjuge esse una caro. Sic ergo non solum cum *materia* conjugii pugnat polygamia, quia non amplius est unius maris & unius fœminæ, sed unius viri & duarum vel plurium fœminarum conjunctio, sed etiam cum *forma* conjugii, quia violatur æqualitas juris ac potestatis, quam alter conjux in corpus alterius obtinet ex conjugali nexu & obligatione descendens. 2.) *Divortia levia ac temeraria quacunque de causa facta*, ut ostendit Salvator Matth. XIX. 5. Ut enim propter nexum divinæ conjunctionis & mutuam obligationem ex consensione in unam carnem ortam maritus non potest corporis sui potestatem alteri fœminæ tradere, ac novam uxorem priori superinducere, ita quoque propter eandem causam non potest se & corpus suum legitimæ conjugi, cui potestatem ejus dedit, temere subtrahere. 3.) *Pellicatum*, qui est cohabitatio mariti juxta legitimam uxorem cum alia vel aliis. Si enim unam vel plures uxores secundarias absque conjugalis nexus violatione maritus nequit ducere, multo minus cum una vel pluribus pellicibus citra conjugalis fidei læsionem poterit consuescere. 4.) *Adulterium*, quod est furtum longe maximum; per illud namque maritus vel uxor corpus suum, cujus potestatem non amplius obtinet, alteri tradit, ac leges conjugii formam ejus concernentes nefarie violat. Estque duplex, primo *simplex* personæ solutæ cum alterius conjuge, secundo *duplicatum* conjugis scilicet cum alterius conjuge illicita commixtio & thori conjugalis ab utraque parte violatio, qua de re infra plenius disseremus.

§. CCCCVI. V.) De *amoris ac benevolentiæ inter conjuges perpetuitate.* Quia conjuges sunt una caro, ergo inter eos perpetuo vigere debet amor mutuus ac mutua benevolentia. Hoc porisma ex forma conjugii deducit apostolus Eph. V. 28. *Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua, qui uxorem suam diligit, se ipsum diligit.* v. 29. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus ecclesiam.* v. 31. *Propter hoc relinquet homo &c. & erunt duo in carne una.* Argumentum apostoli est ejusmodi: Ubi est carnis unitas, ibi mutua vigere debet benevolentia ac caritas, nemo enim unquam carnem suam odio habuit. Atqui inter conjuges ex divina ordinatione est carnis unitas. Ergo inter eos vigere debet mutua benevolentia & caritas. Ut ex nexu divinæ conjunctionis & obligatione ex consensione in unam carnem descendente mutuum & æquale jus corporum inter conjuges oritur; ita quoque ex eodem principio inter ipsos perpetuo debet vigere ac florere amor mutuus, benevolentia mutua, fides mutua, ἐπιείκεια in tolerandis nævis mutua, συμπάθεια in adversis mutua, κοινωνία bonorum mutua, in liberorum educatione & elocatione, in re familiari paranda & conservanda, cumprimis vero in precibus & pietatis exercitiis opera mutua, ne id, quod a Deo institutum est in adjutorium, cedat in pietatis & felicitatis impedimentum. Conjuges sunt una caro, id est, unus homo, ergo etiam voluntatum unitas & sanctæ concordiæ studium inter eos locum perpetuo habeat, cui si veræ in Christum fidei & sinceræ caritatis ex ea profluentis unitas sit conjuncta, non potest quidquam Deo gratius, ac hominibus salutarius cogitari; hac enim ratione pii & concordes conjuges gratum Deo præstant obse-

V.) *Amoris inter conjuges perpetuitas.*

obsequium, aliis hominibus laudabile exhibent exemplum, sibi ipsis temporale & æternum adquirunt præmium. Eccles. XXV. 1. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & coram hominibus:* v. 2. *Concordia fratrum & amicitia proximi & vir & mulier sibi consentientes*, ἑαυτοῖς συμπεριφερόμενοι, ex mutua dilectione se invicem portantes & veluti amore circumcingentes ac complectentes. Ex hoc fonte amoris conjugalis profluunt officia conjugum, quæ sunt vel utrique conjugi communia, vel alterutrius, viri scilicet vel uxoris propria, in illis enim exserit & exercet se conjugalis amor, ut suo loco plenius monebitur.

§. CCCCVII. VI.) De *rerum omnium inter conjuges communitate.* Quia conjuges sunt una caro, ideo omnia inter se debent habere communia. Unitas corporis & carnis longe major & arctior est quam rerum externarum communio, quod si ergo illa locum habet in conjugio, multo magis hæc in eo locum habere debet. Dionysius Halicarnassensis lib. II. de Romulo memorat, quod constituerit, γυναικὰ γαμετὴν κατὰ νόμους ἱερὰς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ κοινῶνα ἁπάντων εἶναι χρημάτων καὶ ἱερῶν ἁπάντων καὶ κληρονόμον τὸν αὐτόν, ὥσπερ τρόπον καὶ παῖδα θυγατῆρ, *mulierem nuptam, quæ juxta sacras leges cum viro convenisset, sociam omnium ejus bonorum & sacrorum esse, ac mortuo marito eodem jure succedere, quo pater filiæ.* Inter conjuges vigere debet communitas totius vitæ & omnium, quæ ad vitam pertinent, *religionis, familiæ, domicilii, bonorum, adversorum & societatis domesticæ.* l. nuptiæ 1. ff. de rit. nupt. l. adversus 4. C. de crim. expil. here. l. fi. cum dotem 23. § si maritus 7. ff. soluto matrimonio &c. De veris ac sinceris amicis Plato pronunciat, quod *omnia ipsorum sint communia*, scilicet χρήσει, non κτήσει, quanto magis de hoc summo amicitiæ gradu, de conjugio scilicet, pronunciari debet, quod omnia inter contrahentes faciat communia; hinc Modestinus definit nuptias, quod sint *conjunctio maris & fœminæ, consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio.* l. Nuptiæ 1. ff. de rit. nupt. De corpore Christi mystico pronunciat apostolus 1 Cor. XII. 26. *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, si glorificatur unum membrum, congaudent reliqua membra;* quanto magis talis bonorum malorumve communio inter conjuges locum habere debet, quippe qui non sunt unius tantum corporis membra, sed corpus unum & caro una? De facultatum tamen communione addenda est necessaria quædam restrictio, quod scilicet absoluta & omnimoda æqualitas in bonorum communicatione non sit de substantia matrimonii, sed quandoque sufficiat, certam bonorum partem in secundis tertiisve nuptiis uxori & liberis ex ea suscipiendis adsignare, reliqua bonorum portione liberis ex primo matrimonio susceptis in solidum relicta, ex quo fundamento Hemmingius de conjug. p. 228. concludit, *virum nobilem, qui ex uxore nobili numerosam sobolem sustulit, uxore demortua posse cum fœmina ignobili matrimonium contrahere hac conditione, ut liberi prioris uxoris in bonorum maxime immobilium hæreditatem succedant, ut nomen familiæ conservetur, ignobilis vero cum suis liberis sit contenta bonorum mobilium parte juxta honestum inter contrahentes contractum a cognatis & amicis adprobatum.* Fundamenta decisionis peti possunt 1.) a *mandati divini defectu.* Nullum potest proferri mandatum divinum, quo probetur, omnimodam bonorum æqualitatem debere esse inter conjuges & liberos. 2.) A *præcepto contrario.* Deus ipse primogenito ex priore conjugio suscepto *duplicia* dari mandavit, idque tam stricte observari voluit, ut filio odiosæ jus illud primogenituræ auferri di-

VI.) *Rerum omnium inter conjuges communitas.*

ser-

ſerte prohibuerit. Deut. XXI. 15. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam & alteram odioſam, genueritque ex eis liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus;* v. 16. *voluerítque ſubſtantiam inter filios ſuos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odioſæ.* v. 17. *Sed filium odioſæ agnoſcet primogenitum, dabitque ei de his, quæ habuerit, cuncta duplicia.* 3.) A *probato Abrahæ exemplo.* Abrahamus patriarcha proponitur nobis ut *pater omnium credentium;* Rom. IV. 11. is vero inter liberos ex priore conjugio cum Sara inito & ex poſteriore conjugio cum Cetura contracto ſuſceptos, ſicque inter ipſas etiam conjuges non inſtituit omnimodam bonorum æqualitatem, ſed *cuncta, quæ poſſederat, dedit Iſaaco ex Sara genito, Cethuræ autem filiis dedit munera*, Gen. XXV. 5. 4.) A *conſequente commodo*, quod concernit tum tranquillitatem conſcientiarum, tum conſervationem familiarum. Conſcientiarum omnino habenda eſt ratio, ne tranquillitas earum turbetur, & invocatio Dei impediatur. At ſi velimus dicere, neceſſariam eſſe abſolutam & arithmeticam bonorum inter conjuges æqualitatem, multorum conſcientiæ ſauciabuntur. Vidui enim qui ex priore conjugio liberos ſuſceperunt, amore illorum liberorum a ſecundis nuptiis abſtinebunt, utpote reveriti, ne bona jure naturæ ipſis debita a noverca ſuperinducta præripiantur, cumque continentiæ dono inſtructi non ſint, perpetuis uſtionum flammis torquebuntur, vel ſcortationis laqueis cum conſcientiæ vulnere involventur, cui malo obviam iri poteſt, ſi citra plenariam omnium bonorum cum nova conjuge communicationem libertas ad ſecunda vota tranſeundi ipſis permittitur. Sed & familiarum conſervatio interdum requirit, ut primogenito ac liberis e priore matrimonio ſuſceptis major bonorum pars in hereditatis diſtributione adſignetur, quam liberis reliquis, jam vero reipublicæ intereſt, familias illuſtres & honoratas conſervari. 5.) A *conſequente abſurdo.* Si omnimoda bonorum æqualitas abſolute in conjugio eſſet neceſſaria, maritus non poſſet legatorum quorumdam conſtituendorum poteſtatem ſibi reſervare, nec ad conſervationem eccleſiarum & ſcholarum in teſtamento aliquid conferre.

VII.) *Circumſpectionis in conjugio contrahendo adhibenda neceſſitas.*

§. CCCCVIII. VII.) De *circumſpectionis in conjugio contrahendo ſumma neceſſitate.* Quia forma conjugii conſiſtit in nexu indiſſolubili & conjunctione in carnem unam, ideo ſumme neceſſarium eſt, diligentem adhiberi cautionem & circumſpectionem, antequam contrahatur, Ludov. Vives in lib. de inſtit. fœm. chriſt. *Conjugium eſt ex illorum genere, in quibus tantum ſemel licet peccare. Brevis cantio eſt conjugium*, inquit Eraſmus, *ſed habet longum epiphonema.* Prius ergo *delige* quam *dilige*, poſtea namque audire cogeris, *habeas ut nactus.* Semel tantum hic errare licet, pœnitentiæ poſtmodum locus non datur. Quare cum ſocietas conjugum ſit arctiſſima & indiſſolubilis, eligenda eſt ea, cum qua perpetua & individua vitæ conſuetudo poſſit eſſe jucundiſſima & convenientiſſima, ea vero eſt, quæ veræ religionis profeſſione, generis, morum ac facultatum conditione quam proxime ad nos accedit. Multum decedit *pietati*, ſi cum diverſæ religionis conjuge matrimonium ineatur; multum decedit concordiæ & *ſuavitati*, ſi genere, moribus ac fortunis penitus diſſimilis in conjugium adſciſcatur. Nec tamen *arithmeticam*, ſed *geometricam* æqualitatem, vel, ut alii loquuntur, proportionem muſicam in externorum bonorum convenientia hic requirimus, ſæpe enim quod parti uni decedit ratione generis & facultatum, ab altera compenſatur reſpectu eruditionis ac honorum, &c. de qua compenſatione eleganter diſſerit Albericus Gentilis lib. IV. cap. XIII.

XIII. ubi inter cætera adducit dictum Baldi, quod *bona illa matrimonii exteriora, divitiæ, nobilitas, juventus, pulcritudo sese mutuo adjuvent.*

Quæritur I.) An ad formam conjugii pertineat benedictio ecclesiastica?

§. CCCCIX. Quæritur hoc loco I.) *An ad conjugii formam referenda sit benedictio sive consecratio ecclesiastica?* Adfirmant quidam ex pontificiis, cum conjugium statuant esse *sacramentum;* atqui sacramentum esse nequit, nisi ecclesiastica illa benedictio & consecratio accedat. Gropperus in ench. christ. inst. in tr. de sacram. matr. *Verbum hujus sacramenti, quo accedente ad elementum fit sacramentum, illud est, quo ambo mas & foemina cum pietatis respectu, quæ in Deum est, sibi mutuo fidem conjugalem dant accipiuntque, non quovis modo, sed in Dei nomine conjunguntur & copulantur. Tale verbum est: Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Canus lib. VIII. loc. theol. c. V. *Verba, quibus conjuges mutuum consensum exprimunt,* dicit *esse formam contractus conjugii, sed non sacramenti conjugii, cum illud solum conjugium sit sacramentum, quod a ministro ecclesiastico sacris & solennibus verbis celebratur.* Alphonsus a vera Cruce in adpend. f. 13. seqq. & Johannes de Cambis in compend. theol. verit. lib. VI. c. III. statuunt, *non solum verba consensum exprimentia, sed etiam ac vel maxime benedictionem sacerdotalem esse formam conjugii essentialem.* Idem Pisis a suo collega adsertum fuisse refert Piso Soccius tract. de sponsal. part. II. pag. 40. Bellarminus quidem lib. de matr. cap VI. contra Melchiorem Canum disputat, *verba vel signa mutuum consensum exprimentia esse formam conjugii, non solum ut est contractus, sed etiam ut est sacramentum;* verum 1.) sibi ipsi adversatur, quia in præced. cap. IV. ex benedictione illa conjugio adhiberi solita demonstrare nititur, illud esse sacramentum. *Constat* [inquit] *jam inde ab exordio ecclesiæ matrimonium inter res sacras fuisse habitum, & inter sacrorum solemnia per sacerdotum ministerium celebrari solitum.* Quomodo igitur materiam & formam hujus sacramenti in verbis conjugum mutuum consensum exprimentibus quærere potest? 2.) Maximo sese implicat absurdo, quando addit, quod *ipsi conjuges sint ministri hujus sacramenti,* cum tota scriptura testetur, & praxis ecclesiastica idem confirmet, ordinariam sacramentorum administrationem non nisi ad ecclesiæ ministros pertinere, quippe qui sunt οἰκονόμοι μυστηρίων θεῦ divinitus constituti; 1 Cor. IV. 1. proinde si conjugium est vere & proprie dictum sacramentum, minister ejus erit non alteruter conjugum vel uterque conjunx, sed ecclesiastica persona in publico docendi & sacramenta administrandi munere constituta, a qua adplicatio formæ ad materiam hujus sacramenti procedat, unde Dominicus a Soto IV. sent. dist. 26. q. 2. art. 5. scribit, *non defuisse suo tempore aliquos, qui formam essentialem hujus sacramenti esse statuerent illa verba: ego vos conjungo.*

§. CCCCX. Cæterum consecrationem esse simpliciter & absolute necessariam ad conjugium, ac proinde ad ejus formam essentialem pertinere, probari posset his argumentis: 1.) Ex *prima conjugii institutione.* Quæ juxta regulam primævæ institutionis in conjugio requiruntur, ea sunt simpliciter necessaria, & ad essentialem conjugii formam pertinent. Sed consecratio & benedictio conjugum juxta regulam primævæ institutionis requiruntur. Genes. II. 22. *Adduxit Deus mulierem ad Adamum* I. 28. *Benedixit illis, dicens: Crescite & multiplicamini.* 2.) Ex *conjugii christiani conditione.* Matrimonium solo contrahentium consensu & verbis consensum exprimentibus contractum est mere civilis contractus, sed christianorum conjugium est sacrum fœdus, res sacra; ergo

ad contractum illum civilem accedere debet ecclesiastica benedictio, per quam reddatur fœdus sacrum. 3.) Ex *juris canonici sanctione.* Euaristus in cap. Aliter 30. q. 5. negat, *aliter esse legitimum matrimonium, nisi ab his, qui super foeminam dominationem videntur habere, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a parentibus & propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus a sacerdote benedicatur, & a paranymphis, ut consuetudo docet, custodita & consociata, a proximis congruo tempore petita a legibus dotetur, ac solenniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent & castitatem custodiant.* Postea addit: *Ita peracta legitima scitote esse connubia, aliter vero præsumta non conjugia sed adulteria vel contubernia vel stupra aut fornicationes potius quam legitima conjugia esse non dubitatur.* Hormisda in c. Nullus. caus. & quæst. iisd. *Nullus fidelis, cujuscunque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione a sacerdote accepta publice nubat in Domino.* Leo in c. Qualis. caus. & quæst. iisd. *Uxor secundum legem & evangelium publicis nuptiis in conjugium liquide sumenda.* Nicolaus in c. Lotharius 31. q. 2 *Uxor legitima ea est, quæ nuptiis more celebratis, per benedictionem scilicet sacerdotis, marito exstitit conjuncta;* unde multi ex canonistis sacramentum matrimonii gratiam conferens constituunt in benedictione sacerdotali & precibus, quæ super conjugatos pronunciari solent. 4.) Ex *juris civilis dispositione.* Harmenopulus lib. IV. epit. t. 4. *Hodie non nudo consensu matrimonium contrahitur, sed nisi sacerdotum precibus interpositis corroboratum fuerit, nec nuptiæ contrahuntur, nec prohibentur, qui contrahunt, a se invicem discedere:* atque addit, hoc constituisse Leonem philosophum & Alexium Comnenum. Leonis constitutio exstat inter novellas ejusdem constit. 89. „Quemadmodum adoptionem promiscue habitam „neglexit vetustas, quam tametsi sine precibus sacrisque ceremoniis peragi lege „permitteret, non tamen illam se parvipendere putabat, ita & absolutam matrimonii constitutionem, dum id citra „jam receptam benedictionem iniri sinet, „ret, neglexisse videtur, sed veteribus istius voluntatis fortasse ratio inveniri possit, a nobis vero, cum divina gratia ad „honestius multo sanctiusque vitæ instituta jam res comparatæ sint, neutrum dignorum negligi convenit. Itaque quemadmodum adhibitis sacris deprecationibus „adoptionem perfici præcepimus, sic sane „etiam sacræ benedictionis testimonio matrimonia confirmari jubemus, adeo ut si „qui citra hanc matrimonium ineant, id „ne ab initio quidem ita dici, neque illos „in vitæ illa consuetudine matrimonii jure „potiri velimus.„ Comneni constitutio exstat inter novellas imperatorias const. 3. de sponsal. & const 3. de sponsi. solutione, ubi sancit, „ea sponsalia matrimonii vim „& effectum habere, quæ sacra benedi„ctione confirmata sint, idque propterea, „quod consecrationem matrimonii & preces adhibitas pro nihilo tanquam vanum „aliquod reputari, & quasi inter personas, quæ conjunguntur, Deus adhibitus „non esset, absurdum sit, imo pro veris „nuptiis habenda, iisque æquipollere, in „quibus sacra peragitur benedictio, Deo „inter eos, qui conjunguntur, interveniente, & primam vitæ conciliationem „confirmante, reliqua vero sponsalia sponsaliorum tantum effectum habere. *Justinianus etiam voluit matrimonium con„trahi* cum adtestatione apud defensorem „ecclesiæ. *Nov. 74. cap. IV.* §. 1.

§. CCCCXI. Contraria adsertio nititur hisce fundamentis: 1.) Ex *consecrationis conditione.* Consecratio illa ecclesiastica novorum conjugum non habet expressum aliquod ac speciale Dei mandatum.

Intro-

Introductam esse pio & utili consilio, ejusdemque vestigia exstare in verbo divino, haud inviti concedimus, quod ipsum inferius late demonstrabimus; interim tamen disertum aliquod præceptum de solenni & ecclesiastica illa novorum conjugum benedictione ex sacris literis produci vix poterit, ergo non potest eadem statui absolute & simpliciter ad conjugii essentiam necessaria, tanquam essentialis ejusdem forma. Ulterius: Absque quo rei alicujus essentia & integritas constare potest, ea non est essentialis ejusdem forma, quidpe quæ salva rei essentia nunquam abesse potest. Atqui conjugio sua constare potest integritas absque ecclesiastica benedictione. Ubi enim dantur causæ sufficientes in actu positæ & non impeditæ, ibi ponitur effectus. Sed absque ecclesiastica benedictione dantur causæ conjugii sufficientes, in actu positæ & non impeditæ; dari enim potest consensus legitimus personarum legitimarum in indissolubilem vitæ consuetudinem verbis externis legitime expressus, quamvis non accedat ecclesiastica benedictio, ac talis consensus matrimonialis sufficiens est ad nexum illum indissolubilem inducendum, cum adsit materia & forma. Ergo benedictio ecclesiastica non est essentialis conjugii forma, nec requisitum aliquod ad essentiam ejus absolute necessarium. 2.) Ex *causarum enumeratione*. Si omnes causæ, propter quas benedictio ecclesiastica novis conjugibus confertur, ad calculos revocemus, adparebit, nullam earum id inferre, quod benedictio sit de matrimonii essentia, vel requiratur ad ipsius *esse*, sed tantum ad *bene esse*. Ergo benedictio illa non potest statui essentialis conjugii forma. Antecedens patebit inferius. 3.) A *paritatis ratione*. Quod apud Romanos olim fuit deductio in domum, id hodie est ecclesiastica consecratio, quæ in illius locum successit. Sed deductio in domum non pertinuit ad ipsam conjugii essentiam. Placentinus quidem & ejus vestigiis insistens Hotomannus lib. V. observ. cap. IX. judicarunt, *deductionem in domum necessario ad essentiæ conjugii complementum jure Romano fuisse requisitam*, argumento l. 5. ff. de rit. nupt. *Mulierem absenti per literas ejus vel per nuncium posse nubere placet, si in domum ejus deduceretur, eam vere quæ abesset ex literis vel nuncio suo duci a marito non posse, deductione enim opus esse in mariti, non in uxoris domum, quasi in domicilium matrimonii.* Item ex l. Cum in te 6. C. de donat. ante nupt. ubi tum demum sponsam fuisse uxorem statuitur, *si in domum sponsi fuisset deducta.* Sed hanc Placentini opinionem ab Accursio in Auth. de nupt. & in d. l. 5. de rit. nupt. refutatam potior jurisconsultorum pars repudiat, ut constat ex Alberico Gentili lib. II. de nupt. cap. V. Duareno solut. matrim. cap. II. Borcholto de gradib. p. 85. Connano lib. VIII. com. cap. III. n. 6. & aliis compluribus, quorum sententia magis conformis legibus *ex solo consensu & affectu* maritali conjugium æstimantibus l. si quis 26. C. de nupt. *Ex affectu omnes introducuntur nuptiæ.* Authent. de nupt. cap. Nuptias. 3. *Nuptias affectus alternus facit.* l. si donationum 22. C. de nupt. *Si nuptiarum celebritas omittatur, nullus existimet, ob id deesse recte alias inito matrimonio firmitatem.* l. Seja 66. ff. de donat. inter vir. & uxor. *ex consensu intelligi contractum matrimonium ante tempus deductionis, Scævola respondit.* Ergo nec ecclesiastica consecratio ad conjugii essentiam pertinet. 4.) Ab *absurdi consecutione*. Si benedictio ecclesiastica est essentialis conjugii forma vel requisitum aliquod ad ejus essentiam simpliciter necessarium, consequens fuerit, apud gentiles non esse verum & proprie dictum conjugium, quin & in ecclesia Israelitica talis benedictio & consecratio ecclesiastica, qualis hodie adhibetur, vix demonstrari poterit, ex quo consequens foret, etiam in vet. test. non

fuisse inter Israelitas verum ac ratum matrimonium. Quid quod Soter l. episcopus Romanus imperante Antonino circa annum Christi 174. demum instituisse memoratur, ne legitima haberetur uxor, nisi cui sacerdos ex instituto benedixisset. Platina in vita Soter. p. 23. quamvis hic ritus sit antiquior, ut suo loco monebimus.

§. CCCCXII. Pro decisione quæstionis [præsuppositio eo, quod de matrimonio intra ecclesiæ pomœria a christianis celebrato hic agatur] distinguendum est 1.) inter consensum *matrimonialem*, qui coram ecclesiæ facie ante solennem benedictionem publice a desponsatis declarari nostris moribus ac temporibus consuevit, & inter *ipsam consecrationem* consensus illius declarationem consequentem. Matrimonialis consensus omnino necessarius est ad indissolubilem matrimonii nexum introducendum, ad quem sponsalitius consensus nondum sufficit, ut superius demonstravimus; cumque in publico ecclesiæ conventu immediate ante sacerdotalem benedictionem consensus ille matrimonialis declaretur, ideo illius ratione & respectu benedictio sacerdotalis ad conjugium necessaria haud incommode dicitur, non quidem ut *forma*, sed ut *causa efficiens proxima*. 2.) Inter necessitatem ex *institutione divina descendentem*, & ad ipsam rei naturam pertinentem, & inter necessitatem ex *humana aliqua constitutione* descendentem, & publicæ utilitatis ac honestatis intuitu introductam. Benedictio sacerdotalis necessaria est ad conjugium rite ineundum non ex speciali quodam præcepto divino, nec propter conjugii naturam, quasi ea non sit integra absque sacerdotali consecratione, sed ob constitutionem ecclesiasticam & civilem publicæ utilitatis & honestatis intuitu introductam. Inde Donellus lib. III. comm. c. XX. ita consulit, *si statutum aliquod in aliquo loco de consecratione ecclesiastica novorum conjugum vigeat, præcise illud servari debere: si vero nihil constitutum, omittendam quidem solennitatem deductionis in templum non esse, nisi justa causa vel necessitas urgeat.* 3.) Inter *rem ipsam* & *publicum rei testimonium*. Benedictio sacerdotalis novorum conjugum non requiritur ad rei ipsius, conjugii scilicet, essentiam, sed ad publicum ejus testimonium, ut omnibus constare possit, legitime & honeste matrimonium esse contractum. Quemadmodum igitur glossa in l. 5. ff. de rit. nupt. in verb. *deductione* notat, *ad conjugium opus esse deductione in domum, ut sit sufficiens nuptiarum testimonium*; sic de consecratione ecclesiastica idem dicimus, eam requiri ut publicum nuptiarum legitime & non clanculum contractarum testimonium. Sic investitura a jurisconsultis dicitur *signum feudi necessarium*, ita ut investitura non facta feudum non intelligatur constitutum, nec tamen propterea est de essentia feudi, quippe quod in sola fide vasalli erga dominum consistit. 4.) Inter matrimonium spectatum in *foro conscientiæ* & in *foro exteriore*. In foro conscientiæ & coram Deo est verum & ratum matrimonium, quod legitimo & matrimoniali utriusque partis consensu est initum, si vel maxime sacerdotalis benedictio non accesserit; sed in foro exteriore non judicatur verum & ratum matrimonium, quod non est in facie ecclesiæ confirmatum. Tertullianus lib. de pudicit. c. IV. p. 602. *Penes nos occultæ conjunctiones, id est, non prius apud ecclesiam professæ juxta moechiam & fornicationem judicari periclitantur.* 5.) Inter duplicem vocabuli *nuptiarum* significationem. Monuimus superius cap. I. §. 10. nuptiarum nomen quandoque significare *ipsum matrimonium*, ut quando dicitur, non *concubitum sed consensum facere nuptias*. l. 30. ff. de R. J. *nuptias consistere non posse, nisi consentiant omnes, id est, qui coeunt, & quorum in potestate sunt* l. 2. ff. de rit. nupt. &c. quandoque vero *festivitatem nuptialem* in solenni novorum conjugum copulatione

tione adhiberi solitam, ut quando dicitur l. Seja. 66. ff. de donat. inter vir. & uxor. *priusquam aqua & igni acciperetur, id est, nuptiæ celebrentur.* l. sancimus 24. C. de nupt. *Sancimus, si quis nuptiarum fecerit mentionem in qualicunque pacto, quod ad dandum vel ad faciendum, vel non dandum vel non faciendum concipitur, & sive nuptiarum tempus dixerit, sive nuptias nominaverit, non aliter intelligi conditionem esse adimplendam vel non extenuandam, nisi ipsa nuptiarum accedat festivitas.* Juxta priorem significationem si accipiantur nuptiæ, ad earum essentiam non pertinet sacerdotalis benedictio, sed juxta posteriorem significationem, quam etymologia vocabuli a nubendo deducta respicit, consecratio ecclesiastica omnino requiritur ad nuptias christianis ritibus & solennitatibus celebrandas. 6.) Denique quidam distinguunt inter formam conjugii *essentialem* & *accidentalem.* Essentialis conjugii forma consistit in arctissima & indissolubili unius maris & unius fœminæ legitime contrahentium conjunctione; sed accidentalis forma potest statui in consecratione ecclesiastica & nuptialis festivitatis celebratione: sed enim cum accidentalis illa forma essentiam rei non constituat, ideo stricte loquendo forma non est, sed duntaxat externum adjunctum.

§ CCCCXIII. Quæritur II.) *An copula conjugalis pertineat ad matrimonii essentiam?* Adfirmant quidam juris pontificii canones c. Non est dubium 27. q. 2. *Non est dubium, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse.* c. Cum societas caus. & quæst. iisdem: *Cum societas nuptiarum ita sit a principio instituta, ut præter commixtionem sexuum non habeant in se nuptiæ conjunctionis Christi & ecclesiæ sacramentum, non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum quo docetur non fuisse nuptiale ministerium.* Benedictus pontifex c. Lex divinæ caus. & quæst. iisdem: *Verbis illis:* Erunt duo in carne una, *innotuit non aliter virum & mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cohæreant, qui ergo nequaquam mixtus est extraneæ mulieri fœdere nuptiali, quo pacto per nuda sponsionis verba possunt una caro fieri, nullatenus valemus intueri. Propinquitas enim sanguinis verbis dicitur, non verbis efficitur, sed neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit commixtionem.* Lombardus lib. IV. sent. dist. 26. lit. G. eosdem canones adducit, quos itidem, ut Gratianus, Augustino & Leoni tribuit, iisque addit dictum Augustini: *Non est perfectum conjugium sine commixtione sexuum.* Cum vero ex Augustini & aliorum patrum dictis contrarium diserte probari possit, ut inferius videbimus, ideo vehementer laborat in conciliatione illorum dictorum. *Hoc* [inquit] *si secundum superficiem verborum quis acceperit, inducitur in errorem tantum, ut dicat sine carnali copula non posse contrahi matrimonium, & inter Mariam & Joseph non fuisse conjugium vel non fuisse perfectum, quod nefas est sentire. Tanto enim sanctius fuit ac perfectius, quanto a carnali opere immunius. Ergo superius posita ratione dicta intelligendum est, non quin pertineat mulier illa ad matrimonium, cum qua non est permixtio sexuum, sed non pertinet ad matrimonium, quod expressam & plenam tenet figuram conjunctionis Christi & ecclesiæ, figurat enim illam unionem Christi, quæ est in caritate, sed non illam, quæ est in naturæ conformitate.* Lib. ejusd. distinct. 30. lit. C. adducit dictum Ambrosii: *In omni matrimonio conjunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat & perficit conjunctorum commixtio corporalis;* quod eo modo intelligendum esse dicit, perfici conjugium commixtione corporali, *non quantum ad veritatem & sanc-*

II.) *An copula conjugalis pertineat ad matrimonii essentiam?*

ſtitatem conjugii, ſed quantum ad ſignificationem, quia perfectius unionem Chriſti & eccleſiæ tunc figurat. Bellarminus de matrim. cap. V. reſp. ad 6. arg. de copula conjugali duas catholicorum [Romanenſium] opiniones eſſe tradit, quosdam enim docere, *quod copula illa nec ſacramentum ſit nec pars ſacramenti, ſed ſolum actus ſive officium matrimonii, ac proinde accidentarium quid reſpectu ſacramenti matrimonii*; alios vero velle, quod *copula conjugalis ſit pars quædam ſacramenti non quidem eſſentialis, ſed integralis, ideoque ante copulam matrimonium adpellari ratum, ſed non conſummatum*; omnes in eo convenire dicit, quod *copula non ſit pars eſſentialis.* Ad canones a Gratiano & Lombardo adductos reſpondet, *eos depravate ab utroque citari, ac proinde & Gratiani codicem & Lombardi textum* ex Leonis epiſt. XCII. ad Ruſt. *eſſe emendandum, ita ut negandi particula auferatur*; quod nos in medio relinquimus, atque ex eo de fide, qua tum Gratianus decretorum compilator, tum Lombardus ſcholaſticæ theologiæ auctor veterum ſcripta tractant, judicium fieri jubemus. *Jure* antiquo *Saxonum* copula carnalis itidem ad complementum matrimonii neceſſario requiri videtur, dum lecti conjugalis conſcenſionem, quæ concubitus gratia fieri conſuevit, neceſſariam eſſe ſtatuit lib. I. *Landrecht* art. 31. & 45. lib. III. art. 45. niſi quis hoc accipiat dictum de illo ritu, cujus adhuc veſtigia quædam in inferiori Saxonia exſtant, quo nuptialis feſtivitatis die in præſentia cognatorum & amicorum ſponſa ſponſo media luce adducitur, & uterque in lectum collocatur.

§. CCCCXIV. Quidquid vero ſit de quibusdam juris pontificii canonibus vel veteri Saxonum jure, rectius omnino ſtatuitur, copulam conjugalem non ad ὄσιαν, ſed ad uſum conjugii pertinere, quod patet 1.) ex *ipſa conjugii definitione*, quæ cauſas eſſentiales ejusdem exponit, carnalis vero copulæ nullam omnino mentionem facit. Conſtat conjugio ſua integritas ex cauſa efficiente, materiali & formali, ſi vel maxime uſus conjugalis copulæ non acceſſerit, cum finis reſpectu intentionis quidem ſit neceſſarius, ſed in exſecutione non ſemper actu ſequatur. 2.) Ab *exemplorum inductione.* Inter *primos parentes* ante lapſum fuit verum & ratum, Deoque gratum conjugium, ab ipſo Deo conciliatum, confirmatum ac conſecratum, quamvis nondum acceſſerat conjugalis copula, quam poſt lapſum demum fuiſſe ſecutam, conſtans eſt veterum ſententia, moſaicæ hiſtoriæ deſcriptioni conſentanea; unde Auguſtinus lib. I. de Gen. contr. Manich. c. XIX. *conſanguinitates & neceſſitudines ex peccato & morte proſluxiſſe* ſcribit. Inter *Joſephum & Mariam*, matrem Domini, fuit verum matrimonium, quamvis Joſephus eam non cognoverit Matth. I. 25. Auguſtinus lib. II. de conſenſ. evang. c. I. *Non erat fas, ut ob hoc eum* [Joſephum] *a conjugio Mariæ ſeparandum putaret evangeliſta, quod non ex ejus concubitu, ſed virgo peperit Chriſtum, hoc enim exemplo magnifice inſinuatur fidelibus conjugatis, etiam ſervata pari conſenſu continentia poſſe permanere vocarique conjugium non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis adfectu.* Idem lib. I. de nupt. & concup. c. II. *Omne nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, fides, proles, ſacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum; fidem, quia nullum adulterium; ſacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat ſine pudenda concupiſcentia carnis, quæ accidit ex peccato, ſine qua concipi voluit, qui ſine peccato futurus erat.* 3.) Ex *juris civilis & canonici deciſione.* In jure civili traditur expreſſa regula: *Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit* l. 30. ff. de R. J. *Non coitus ſed maritalis adfectio matrimonium fa-*

facit l. cum hic ſtatus 32. §. ſi mulier. de donat. inter vir. & uxor. Cumprimis ad hanc rem notabilis eſt textus in l. cui fuerit. ff. de condit. & demonſtr. *Cui fuerit ſub hac conditione legatum, ſi in familia nupſiſſet, videtur impleta conditio ſtatim, atque ducta eſt uxor, quamvis nondum in cubiculum mariti venerit, nuptias enim non concubitus, ſed conſenſus facit.* Id ipſum repetitur in jure canonico c. matrimonium 27. q. 2. *Matrimonium non facit coitus ſed voluntas.* c. ſufficiat cauſ. & quæſt. iiſd. *Sufficiat ſolus ſecundum leges conſenſus eorum, de quorum quarumve conſenſu & conjunctionibus agitur, qui ſolus ſi defuerit, cætera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur.* 4) Ex *veterum patrum teſtificatione.* Ambroſius de inſtit. virg. cap. VI. *Deſponſata viro conjugis nomen accepit. Cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen adſcifcitur. Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis. Denique cum jungitur puella, conjugium eſt, non cum virili admixtione cognoſcitur.* Chryſoſtomus homil. XVI. in Matth. *Omnis res per quascunque cauſas naſcitur, per easdem diſſolvitur. Matrimonium enim non facit coitus, ſed voluntas, & ideo non ſolvit illud ſeparatio corporis, ſed voluntatis, ideo qui dimittit conjugem ſuam, & aliam non accipit, adhuc maritus eſt, nam etſi corpore ſeparatus eſt, tamen adhuc voluntate conjunctus eſt.* Auguſtinus lib. I. de nupt. & concupiſc. cap. XI. ab initio: *Quibus placuit ex conſenſu ab uſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere, abſit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur, imo firmius erat, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ carius concordiusve ſervanda ſunt non voluptariis corporis nexibus, ſed voluntariis adfectibus animorum &c.* Iſidorus libr. IX. etymolog. cap. VII. *Conjuges verius adpellantur a prima deſponſationis fide, quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus,* quæ pleraque omnia adlegantur a Gratiano l. d.

Caput VII.

DE CAVSSA FINALI CONJVGII.

§. CCCCXV.

Cauſſa finalis conjugii. Diximus ſuperius cap. II. §. 42. ex primæva conjugii inſtitutione tres cauſas poſſe colligi, propter quas conjugalis ſocietas divinitus eſt inſtituta. Prima eſt *neceſſitas*, quæ concernit liberorum generationem & generis humani propagationem. Secunda eſt *utilitas*, quæ complectitur mutuum adjutorium, quod conjuges ſibi invicem præſtare debent non ſolum in *vita civili*, in re familiari paranda & augenda, in liberis educandis, in adverſis tolerandis, ſed etiam *in vita ſpirituali*, in precibus ſcilicet & pietatis exercitiis. Tertia eſt *ſuavitas*, quæ reſpicit ſuaviſſimum ac familiariſſimum viri ac mulieris conſortium & inſolubile fœderis conjugalis vinculum, ad quos fines in ipſis conſultationis divinæ verbis expreſſos poſt lapſum acceſſit quartus, qui eſt *acceſſorius*, quod conjugium eſt adverſus libidines remedium. 1 Cor. VII. 2. Auguſtinus lib. IX. de Geneſ. ad literam cap. VII. libr. II. de peccat. orig. c. XXXIX. libr. I. de nupt. & concupiſc. c. XVII. & alibi paſſim tria conjugii bona numerat: 1.) *bonum fidei*, quia conjuges obligantur ad debitam benevolentiam; 2.) *bonum prolis*, quia ad ſobolem generandam & humanum genus propagandum conveniunt; 3.) *bonum ſacramenti*, quia conjugalis copula eſt indiſſolubilis. „Bonum, „quod nuptiæ habent, *inquit*, eſt triparti„tum, fides, proles, ſacramentum. In „fide adtenditur, ne præter vinculum conjuga-

„jugale cum altero vel altera concumba-
„tur. In prole, ut amanter suscipiatur,
„benigne nutriatur, religiose educetur. In
„sacramento autem, ut conjugium non se-
„paretur, & dimissus & dimissa, nec causa
„prolis alteri conjungatur. Hæc est tan-
„quam regula nuptiarum, qua vel natu-
„ræ decoratur fœcunditas, vel incontinen-
„tiæ regitur pravitas.„ Hæc Augustini sententia adlegatur in jure canonico c. Omnes 27. q. 2. & adprobatur a b. Luthero in cap. XII. Genes. tom. VI. Witebergens. pag. 162. quam canonistæ latius deducunt, & cuilibet horum bonorum tria specialia adsignant. *Bonum prolis* in conjugio statuunt esse triplex: 1.) *quia parit Deo servos fideles*, qui eum colunt & reverentur; 2.) *quia patriæ parit cives*, quia eam replent; 3.) *quia sibi parit liberos & heredes*, quibus familia conservatur. *Bonum fidei* itidem triplex statuunt: animæ, corporis & honestatis. *Animæ* ob fornicationis fugam; *corporis* ob mutua ministeria, quæ sibi invicem præstant conjuges, præsertim in bonorum conservatione, tum intra tum extra domum. *Honestatis*, quia nuptiæ faciunt honestum illud, quod turpe esset, & ruborem induceret. *Bonum sacramenti* non minus triplex agnoscunt: 1.) ut *conjunctio animorum* significet unionem animæ erga Deum; 2.) ut *conjunctio corporum* significet unionem verbi & carnis; 3.) quia unus vir & una uxor significat unum sponsum Christum unius ejus sponsæ ecclesiæ. Sed quædam ex his ad classem adjunctorum & effectorum potius quam finium referenda sunt. Costanus in commentar. de matr. cap. VIII. Forsterus de nupt. cap. X. & alii jurisconsulti fines conjugii hosce numerant: Primus ac præcipuus finis est „procreatio liberorum, „seu propagatio sobolis & multiplicatio humani generis. *l. Dotium.* 1. *ff. solut. matrimon.* Dotatas esse fœminas ad sobolem procreandam, replendamque liberis „civitatem maxime est necessarium. *l. Liberorum* 220. *ff. de V. S.* Parentes liberorum procreandorum animo & voto „uxores ducunt. *Alter & huic subordinatus finis est* liberorum educatio. *Instit. de jure nat. gent. & civil.* §. 1. Ex jure naturali descendit maris ac fœminæ „conjunctio, quam nos matrimonium adpellamus, hinc liberorum procreatio, hinc „educatio. *Ulpianus in l. Si quis* 5. *ff. de agnos. & alend. liber.* §. 1. *respondit*, „etiamsi liberi non sint in potestate, alendos a parentibus esse. *Tertius est* constitutio & conservatio familiarum & rerum „publicarum. *d. l.* 220. §. 3. Idcirco filios filiasve concepimus atque edimus, ut „ex prole eorum earumve diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus. *Hadrianus l.* 7. *de bonis damnator.* §. 3. „*mavult* ampliari imperium hominum adjectione quam pecuniarum copia. *Quartus finis est* certitudo prolis *l. filium* 6. *de his qui sui vel alieni juris:* Filium „eum definimus, qui ex viro & uxore ejus „nascitur. *Quintus finis est*, ut conjuges „se mutuis officiis juvent, & invicem delectent. *Sextus finis*, ut sit adversus omnes inordinatas & illicitas commixtiones medicina.„ Sed in hisce fines cum effectis & adjunctis matrimonii cumque officiis conjugum confunduntur, ac divelluntur quidam fines ad unum caput pertinentes.

§. CCCCXVI. Quidam ex theologis recentioribus, ut Hemmingius in libr. de conjug. p. 145. Bucanus in loc. p. 113. *respectu objectorum*, ad tres classes conjugii fines revocant. 1.) Si ipsos conjuges spectemus, quatuor sunt conjugii fines: 1.) *ut in rebus divinis & humanis sint sibi invicem adjumento.* Gen. II. 20. 2.) *Ut liberos procreent*, qui sint & nominis & paternorum bonorum heredes. Gen. I. 28. 3.) *Ut familiarem & amicam societatem invicem colant.* 4.) *Ut conjugium ipsis sit remedium adversus vagas libidines;* 1 Cor. VII. 2. fines ergo erunt *a.*) βοη-

θεια,

Θεία, mutuum auxilium, ad quod pertinet οἰκωρία, sedulitas in tuenda & conservanda familia: *b.*) γένεσις, sobolis generatio, ex qua heredes sperent. *c.*) συνήθεια, familiaris & amica conversatio: *d.*) ἁγνότης, castitas & fornicationis evitatio. II.) Si ecclesiam vel rempublicam respiciamus, finis conjugii est, ut *sit ecclesiæ ac reipublicæ seminarium.* III.) Si Deum conjugii auctorem spectemus, finis conjugii est *ipsa Dei gloria*, ut conjuges eum, qui ipsos copulavit, discant agnoscere, timere, colere, celebrare, & cogitent suum conjugium dulcissimam esse imaginem arcanæ illius conjunctionis, quæ inter Christum & ecclesiam intercedit Eph. V. 32. Quidam respectu *temporum* juxta diversos hominis status conjugii fines distinguunt, ita ut quosdam ex illis referant ad statum integritatis sive *naturæ institutæ*, quosdam ad statum corruptionis sive *naturæ desitutæ*. Lombardus IV. sent. dist. 30. lit. D. „Finalis causa matrimonii contrahendi principalis est procreatio sobolis, „propter hoc enim instituit Deus conjugium inter primos parentes, quibus dixit: *Crescite & multiplicamini.* Secunda est post peccatum Adæ vitatio scortationis. 1 *Corinth. VII.* Sunt & aliæ causæ honestæ, ut inimicorum reconciliatio & pacis redintegratio. Sunt etiam & aliæ causæ minus honestæ, propter quas aliquando contrahitur, ut viri mulierisque pulcritudo, quæ animos amore inflammatos sæpe impellit inire conjugium, ut valeant suum explere desiderium. Quæstus quoque & divitiarum possessio frequenter est conjugii causa & alia multa, quæ cuique diligentiam adhibenti facile est discernere.„ Atqui hoc loco non quæritur de causis impulsivis ac finalibus, quas ex avaritia vel libidine in conjugio contrahendo homines quandoque respiciunt, sed de causis finalibus illis, propter quas conjugium a Deo primitus institutum. Bonaventura in breviloq. tr. VI. c. XIII. „Conjugium ante lapsum institutum est in „officium, jam vero valet non solum in „officium, sed etiam in remedium contra „libidinis morbum.„ Harbertus in tract. de conjug. f. 222. novem fines conjugii recenset. 1.) „Ut agnoscamus Deum esse „mentem castam, eique in castitate ser„viamus. 2.) Ut homo habeat adjutorium, „quod se ipsi adplicet legitima & individua „conjunctione ad levandum solitudinis tæ„dium & minuendas hujus vitæ corpora„lis molestias. 3.) Ut genus humanum „certa lege propagetur, & ex eo æterna „ecclesia Deo colligatur, nec pecudum „more ex promiscuo & vago concubitu „incerti existant liberi, qui a parentibus „negliguntur, ac fiunt ecclesiæ & reipu„blicæ noxii. 4.) Ut sit remedium con„tra libidines & illicitas cupiditates. 5.) „Ut sit παιδευτήριον & officina multarum „virtutum, fidei, invocationis, patientiæ, „dilectionis, sedulitatis. 6.) Ut caste in „conjugio viventes lucem veræ agnitionis „Dei non amittamus, & vitemus pœnas „impuris divinitus decretas. 7.) Ut occa„sione conjugiorum arctius conjungantur „duæ diversæ familiæ, & hoc quasi nexu „inter se devinciantur totæ gentes mutua „consanguinitate & adfinitate. 8.) Ut con„jugium sit carcer & frenum, quo coër„centur homines ferociores, ut sint mitio„res, & magis adficiantur communibus „miseriis. 9.) Ut sit mysterium conjun„ctionis inter Christum & ecclesiam.„ At hac ratione fines conjugii ad unum caput pertinentes in diversos discernuntur, & cum adjunctis conjugii permiscentur.

§. CCCCXVII. Prætermissis igitur aliis aliorum enumerationibus progredimur hoc modo. Finis conjugii est vel *generalis*, *remotus ac summus*, vel *specialis*, *proximus & intermedius.* I.) Finis generalis, remotus ac summus est *Dei gloria*, quæ ut omnium divinarum ordinationum, ita quoque hujus sanctissimæ ordina- I.) *Generalis Dei gloria.*

dinationis conjugalis finis ultimus ac summus recte statuitur. Probamus id 1.) ex *dictis scripturæ generalibus*. Prov. XVI. 4. *Omnia operatus est Dominus propter se*, hoc est, ob nominis sui gloriam; jam vero conjugium itidem est aliquod Dei opus, hoc est, sancta ipsius ordinatio & constitutio, sancta ipsius voluntas; ita enim פֹּעַל opus recte accipitur Deut. XXXII. 4. תָּמִים פָּעֳלוֹ *perfectum atque integrum est opus ejus*, hoc est, ut psaltes regius exponit Ps. CXI. 3. הוֹד וְהָדָר פָּעֳלוֹ *gloria & decor opus ejus*, quod Lutherus vertit: *Was er ordnet, das ist löblich und herrlich*, quare cum conjugium etiam sit Dei ordinatio, utique & ipsa est laude digna, & per consequens ad agnoscendam & prædicandam divini nominis gloriam instituta. Esaj. XLIII. 21. *Populum istum formavi mihi, laudem meam enarrabunt.* v. 7. *Ad gloriam meam formavi eum, & feci eum.* Ergo finis creationis masculi & fœminæ, finis propagationis & conservationis generis humani est Dei gloria. 1 Cor. X. 31. *Sive manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Illud universale τὰ πάντα etiam complectitur conjugii contractum, ac proinde in conjugio ineundo itidem spectari a piis debet Dei gloria, ob cujus propagationem primitus illud fuit institutum. 2.) Ex *dicto speciali*. Tob. VIII. 9. ait Tobias junior: *Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in quo benedicatur nomen tuum in secula*, quæ tamen posteriora verba in Græca editione non habentur; v. 18. socer & socrus Tobiæ orant: *Fac eos Domine plenius benedicere te, & sacrificium laudis tuæ tibi offerre.* Syr. XVII. 5. *Creavit Deus ex homine adjutorium*, v. 8. *ut nomen sanctificationis collaudent &c.* 3.) Ex *ipsa rei natura*. Finis conditi hominis est Dei, utpote summi boni, agnitio & celebratio, unde Adamus divinarum laudum κήρυξ ac præco fuit constitutus, sed noluit Deus pro exuberantissima sua bonitate solum & unum Adamum hac felicitate perfrui, ideo conjugem ipsi addidit, cujus adjutorio liberos procrearet, qui & ipsi Dei cultores ac præcones essent. Noluit Deus vago & promiscuo concubitu hominem ferarum more uti, sed naturale desiderium speciem propagandi ad unum restringere voluit individuum, ut speculum castitatis in conjugali unius maris & unius fœminæ consortio proponeretur, sicque homo agnosceret *Deum esse mentem castam*, eique in castitate esse serviendum, juxta dicta Levit. XIX. 2. 1 Thess. IV. 3.

Casta Deus mens est, casta vult mentis vocari,
Et castas jussit pondus habere preces.

Potuisset etiam uno statim actu creare totum genus humanum, sicut omnes angelos uno actu condidit, sed placuit ipsius sapientiæ unum tantum hominem totius humani generis parentem ac principium initio creare, ex ejus costa mulierem formare, eamdemque in conjugem ipsi adsociare, ut ex conjugali eorum cohabitatione postea nascerentur liberi, & hac ratione *fecit ex uno sanguine omne genus hominum habitare super universam faciem terræ* Act. XVII. 26. In hoc mirando opere suam bonitatem, sapientiam ac potentiam vult ab hominibus agnosci ac prædicari.

§. CCCCXVIII. II.) Specialis, proximus & intermedius conjugii finis est *bonum ipsorum conjugum*, quod in ecclesiæ ac reipublicæ salutem postmodum redundat. Finis ille est vel *proprius* vel *accessorius*. *Proprius* finis est, qui cum ipso conjugio statim natus, eidemque coævus est. *Accessorius*, qui post lapsum primorum parentum post demum accessit. Proprius finis est vel *principalis* vel *minus principalis*. Principalis a Deo ipso in conjugii institutione duplex statuitur. Prior est *soboIis* II.) *Specialis.*

lis procreatio, ex qua porro oritur familiæ propagatio, reipublicæ & ecclesiæ conservatio. Posterior est *familiaris societatis ac mutui auxilii* in rebus tum divinis tum humanis *comparatio*. Minus principalis finis est, *amoris & conjunctionis inter Christum & ecclesiam præfiguratio*. Accessorius est *scortationis evitatio*, & *castitatis conservatio*. Ad hanc divisionem facili negotio reduci potest ea, quam proponit Mentzerus libr. de conjug. pag. 165. „Specialis (*inquit*) conjugii finis est vel „politicus vel ecclesiasticus. Politicus spe„ctatur in vita privata vel publica. Vita „privata consideratur vel inter ipsos con„juges, vel refertur ad familiam. Finis „conjugii inter ipsos conjuges est mutuum „adjutorium, quod spectatur in liberorum „procreatione & educatione, ubi conside„ratur castitatis conservatio & scortationis „vitatio, tum in communibus vitæ actio„nibus & officiis, ut in œconomia admi„nistranda, adquirendis bonis, sustinendis „laboribus, in mutuis colloquiis & con„sultationibus de rebus utilibus & necessa„riis itemque consolationibus. In familia „continentur tum liberi, tum servi & an„cillæ, qui utique regendi sunt a patre „& matrefamilias, ut suum diligenter fa„ciant officium, ut hoc modo respublica „possit conservari, ex familiis enim respu„blica constituenda est. Finis politicus „conjugii in vita publica spectatur in ge„rendis officiis, quibus respublica conser„vatur. Quamquam enim mulieres regu„lariter non admittuntur ad gerenda of„ficia publica, tamen minuunt maritis la„bores & relevant curas, dum ipsæ œco„nomicas res diligenter procurant & de„fatigatos publicis negotiis humanis verbis „confirmant, & blandis officiis prose„quuntur. Ecclesiasticus finis conjugii spe„ctatur, tum in propagatione ecclesiæ per „liberorum procreationem & fidelem insti„tutionem, tum in præfiguranda Christi & „ecclesiæ arctissima conjunctione & sum„mo Dei erga nos amore.„ Sed de his omnibus paulo uberius agemus.

§. CCCCXIX. *Primum* ac principalem conjugii finem diximus esse *soboli procreationem*. Hic finis proponitur in ipsa conjugii institutione. Cum enim *Deus formasset omnem bestiam agri & omne volatile coeli, adduxit ea ad hominem, ut nomina illis imponeret*, Genes. II. 19. *sed non fuit adjutorium homini inventum quod esset coram eo*, v. 20. hoc est, ex omnibus animalibus nullum secundum speciem homini simile fuit inventum, cum quo societatem, amicitiam ac familiaritatem colere, ejusdemque ope atque adjutorio genus suum ad exemplum aliorum animalium propagare posset; *fecit* igitur *Deus cadere soporem super hominem, & cepit unam ex costis ejus, & clausit carnem pro ea*, v. 21. & *ædificavit Dominus Deus costam, quam ceperat de homine in mulierem, & adduxit eam ad hominem*, v. 22. *& benedixit eis Deus, & dixit ad eos: Crescite & multiplicamini, & replete terram*, Gen. I. 28. Ut ergo reliquis animantibus omniporente suo verbo Deus dedit vim & efficaciam propagandi suam speciem, ita quoque eamdem primis hominibus dedit, & fine eo conjugium instituit. Consequens hujus finis est: 1.) *speciei humanæ*, 2.) *familiæ*, 3.) *reipublicæ*, & 4.) *ecclesiæ conservatio ac propagatio*. *Ædificatur* (inquit Neander in theolog. pag. 460.) *per conjugium, politia, œconomia, ecclesia. Politia est cortex conjugii, conjugium ecclesiæ seminarium, ecclesia domus est gloriæ Dei & salutis electorum sempiternæ, in qua cum Deo æterna mansione perfruemur*. Nisi enim soboles per conjugium procrearetur, individuis pereuntibus ipsa quoque species humana tandem interiret, nec posset respublica conservari, nec ecclesiæ finis propagari. Quidam ad hunc finem referunt *liberorum educationem*, sed

I.) *Sobolis procreatio.* τεκνογονία.

ea potius ad officia conjugum ſpectat, quippe quibus mandato divino incumbit liberos *in diſciplina & inſtitutione Domini educare*, Eph. VI. 4. exemplo Abrahæ patris omnium credentium, de quo Geneſ. XVIII. 19. Deus ipſe hoc elogium profert: *Scio, quod præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini.*

§. CCCCXX. De hoc fine conjugii loquuntur: 1.) *Scripturæ oracula.* Malach. II. 15. *Quæſivit unus ille* (Abrahamus) *ſemen Dei*, (in ſuo ſcilicet conjugio) hoc eſt, ut particeps fieret promiſſionis de multiplicatione ſeminis & propagatione ſui generis, ex quo Meſſiam naſciturum ſperabat. Tob. VIII. 9. *Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio uxorem meam, ſed ſola poſteritatis dilectione.* Eccleſ. XXX. 4. *Mortuus eſt ejus pater, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe.* v. 5. *In vita ſua vidit & lætatus eſt in illo, & in obitu ſuo non eſt contriſtatus. Contra inimicos reliquit defenſorem & amicis reddentem gratiam.* Cypræus de matrimon. cap. VIII. pag. 697. huc refert dictum Ezech. XVI. 20. *Tuliſti filios tuos & filias tuas, quas generaſti mihi, & immolaſti eos idolis.* Sed propheta ibi non tam de carnali generatione, quam ſpirituali per ſacramentum circumciſionis & verbi cœleſtis ſemen regeneratione loquitur. 2.) *Patrum dicta.* Juſtinus Martyr in apolog. pro chriſt. ad Antonin. dicit, *chriſtianos procreandorum tantum liberorum cauſa uxores ducere, cum cæteri voluptatis ſtudio ſibi eas adſciſcant.* Clemens Alexandrinus lib. II. pædagog. cap. X. in principio: „Qui matrimonio conjuncti ſunt, iis „ſcopus eſt & inſtitutum liberorum pro„creatio, finis autem, ut boni ſint liberi, „quemadmodum agricolæ ſeminis quidem „dejectionis cauſa eſt, quod habendi nu„trimenti curam gerat, ei autem agricul„turæ finis eſt fructuum perceptio. Multo „autem melior eſt agricola, qui terram co„lit animatam, ille enim ad tempus nutri„mentum expetens, hic vero, ut univerſitas permaneat, curam gerens, agricolæ fungitur officio, hic autem propter „Deum plantat ac ſeminat. Dixit enim: „*Creſcite & multiplicamini*, & eſt obe„diendum. *Et poſtea p.* 227. Matrimo„nium eſt liberorum procreationis adpeti„tio, non nullo ac incerto ordine ſeminis ex„cretio, quæ eſt & præter leges & a ra„tione aliena.„ Idem libr. II. ſtromat. pulcerrime hunc conjugii finem deſcribit: γαμητέον πάντως καὶ τῆς πατρίδος ἕνεκα καὶ τῆς τῶν παίδων διαδοχῆς καὶ τῆς τῷ κόσμῳ ὅσον ἐφ' ἡμῖν συντελειώσεως. Auguſtinus lib. XIX. contra Fauſtum cap. XXVI. *Matrimonium ex hoc adpellatum eſt, quod non ob aliud debeat foemina nubere, quam ut mater fiat.* Libr. II. de adulterin. conjug. ad Pollent. cap. XII. *Propagatio filiorum eſt prima & naturalis & legitima cauſa nuptiarum.* Libr. de bono conjugali cap. VI. *Debent ſibi conjugati ſexus ſui commiſcendi fidem liberorum procreandorum cauſa, quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas.* Huc referri poteſt dictum Philonis lib. de Abrah. in orat. Saræ ad maritum: *Quæ præcipua conjugii cauſa eſt, propter quam utique natura virum junxit mulieri, deſunt nobis liberi.* 3.) *Juris canonici ac civilis decreta.* c. Pudor 32. q. 2. ex Ambroſio: *Pudor eſt foeminis nuptiarum præmia non habere, quibus hæc ſola cauſa eſt nubendi.* (ubi gloſſa vocem *ſola* explicat pro præcipua) l. liberorum 220. ff. de V. S. & l. dotium 1. ff. ſolut. matrimon. adduximus paulo ſuperius §. 414. Novell. Juſtiniani 22. & Novell. Leon. 26. adduximus in procem. §. 5. quibus addendum illud ejusdem Leonis Nov. III. *Nihil adeo ad conſervandum genus humanum neceſſarium eſſe, atque quod e coſta viro adtributum eſt ſubſidium, cum artifex ille, qui iſlud condidit, docet, tum ipſa natura divino documento adteſtatur.* 4.) *Saniorum gentilium pronunciata.* Clemens Alexandrinus

lib. II.

lib. II. stromat. cap. XII. pag. 443. adducit dictum Menandri comici: *Ad seminandos liberos tibi meam trado filiam.* Plato libr. VI. de legib. χρὴ γεννῶντας τε καὶ ἐκτρέφοντας καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντας ἄλλοις ἐξ ἄλλων θεραπεύοντας ἀεὶ θεὸν κατὰ νόμον. (Vide superius §. 11.) Idem lib. IV. de legib. *Genus hominum est quidpiam omni tempori congenitum, quod perpetuo ipsum consequitur & consequetur, ut quod sit hoc modo immortale, quod relictis filiis filiorum, cum generatione sit semper unum & idem, sit particeps immortalitatis.* Demosthenes contra Neæram apud Stobæum serm. LXV. *Amicas* ἑταίρας *quidem habemus causa voluptatis, ancillas autem* παλλακὰς *ad corpus quotidie curandum, uxores autem ad liberos procreandos, & ad fidelem eorum, quæ sunt intus, custodiam.* γυναῖκας, τὸ παιδοποιεῖσθαι γνησίως καὶ τῶν ἐνδα φύλακα πίστην ἔχειν. Musonius apud eumdem Stobæum: *Quisquis homines nuptiis privat, is abolet familiam, civitatem & totum genus humanum, quod absque generatione non potest permanere.* Lycurgus citat versus Euripidis, quos Philippus sic reddidit: *Causamque, quare procreamus liberos, hanc esse præcipuam putandum est, ut Dei notitia luceat futuris seculis. Semperque custodes sint superstites coelestium legum atque templorum Dei. Quique in patria tueantur has res optimas, & disciplinam civium & mores bonos, nec impia feritate deleri sinant.* Huc pertinent leges ethnicorum conjugii curam ob reipublicæ conservationem suscipientes. Lex XII. tabularum erat: *Censores coelibes esse prohibento.* De Augusto memorat Dionysius libr. LVI. quod dixerit, *cœlibes homicidium committere, quia eos non procreant, quos nasci ex iis conveniebat; sacrilegium, quia tollunt genus suum a diis immortalibus monstratum, tanquam maximum omnium sacrorum* ἀναθημάτων; *impios esse, quia honores & nomina majorum delent; civitatem dissolvere, quia leges spernunt; patriam perdere, quam infœcundam reddunt, & evertunt funditus subtracta radice, ex qua subnasci deberent cives.* De Persarum regibus Strabo memorat, quod ἆθλα πολυτεκνίας decreverint, ut hac ratione regnum semper populosum haberent, & nunquam deesset, quorum opera contra hostem uterentur. Neander in syn. chron. pag. 56. Unde post virtutem bellicam maximus honor apud ipsos habebatur multitudini liberorum. Herodotus libr. I. Apud *Athenienses* ἀγάμοις dicam fuisse scriptam refert Sigonius lib. III. de republ. Athen. cap. I. Apud *Lacedæmonios* Lycurgus ἀγαμίᾳ, ὀψιγαμίᾳ & κακογαμίᾳ pœnas statuit, ac præmiis ad conjugia cives invitavit. Plutarchus in Lycurg. Apud *Romanos* censores mulctam ab illis exigebant, qui ad senectutem cœlibes pervenerant, cum prius eos hisce verbis increpassent: *Natura vobis quemadmodum nascendi ita & gignendi legem præscribit, parentesque vos alendo, nutriendorum nepotum debito, si quis est pudor, adligaverunt.* Valerius Maximus lib. II. cap. IX.

§. CCCCXXI. *Alter* principalis conjugii finis est *familiaris societas*, ac *mutuum auxilium* in *rebus tam divinis quam humanis.* Hic finis itidem *in primæva conjugii institutione exprimitur.* Gen. II. 18. dixit Deus: *Non est bonum hominem esse solum, faciam ei adjutorium, quod sit coram ipso*, quorum verborum explicationem proposuimus superius c. IV. §. 42. Ex ipsius igitur Dei adsertione uxor, præsertim pia, est marito adjutorium: 1.) in *rebus divinis*, videlicet in Dei invocatione, gratiarum actione, & aliis pietatis exercitiis. Tob. VIII. 4. Tobias exhortatur sponsam suam, dicens ei: *Sara exsurge, & deprecemur Deum hodie & cras & perendie, quia his tribus noctibus Deo jungimur.* 1 Cor. VII. 5. *Nolite fraudare*

II.) *Familiaris societatis comparatio.*

re vos invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi. 1 Petr. III. 7. *Viri cohabitate uxoribus secundum scientiam, ut non impediantur orationes vestræ.* 2.) In *humanis*, & quidem tum in *publicis*, quia uxores rei familiaris sedulam curam gerentes minuunt maritis labores in publicis officiis gerendis sustinendos, blanda adfabilitate curas ipsorum leniunt, & salutaria quandoque consilia suppeditare possunt, ut conjux Pilati & Theodora Justiniani exemplo suo comprobant: tum in *privatis*, utpote *a.*) in *liberorum procreatione*, quo præcipue spectat oraculum divinum: *Non est bonum, hominem esse solum, faciam ei adjutorium*, hoc est, non convenit genus humanum uno individuo terminari, cum reliqua animalia homine longe inferiora speciem suam propagare possint, quo bono non est ipse reliquorum omnium dominus privandus; *faciam* igitur *ei adjutorium*, hoc est, formabo mulierem, eamque in matrimonium ipsi elocabo, ut illius ope & adjutorio genus suum propagare possit. *b.*) In *liberorum educatione.* Neque enim sufficit liberos procreare, sed requiritur insuper a parentibus, ut eos in timore Domini educent, & ad pietatem omnesque virtutes adsuefaciant, qua in parte uxores plus laborum ac molestiarum tolerant, quam mariti. *c.*) In *rei familiaris conservatione.* Quamvis enim marito cumprimis incumbat cura rei familiaris *parandæ* Genes. III. 17. Psalm. CXXVIII. 2. tamen ejusdem *adservandæ* industria ad matresfamilias potissimum spectat. *d.*) In *ministeriorum exhibitione.* Condita est mulier non *ex pedibus*, ut esset serva, nec *ex capite*, ut esset domina, sed *ex latere*, ut esset vitæ socia; interim tamen cum divina voce jubeatur esse marito subjecta; Gen. III. 16. 1 Cor. XIV. 34. 1 Tim. II. 11. ideo non dubitat pia & morata fœmina in vita quotidiana, præsertim vero in morbis sedulam mariti curam agere, & necessaria ministeria eidem præstare, quo pertinet illud Rabbi Davidis Kimchi in libro radic. in verbo נֹגַד *coram viro facta est mulier, ut sit ei præsto ac parata ad ministrandum & serviendum, more servorum adstantium dominis suis, eorumque non verba modo, sed & nutus observantium. Ministrorum alii remoti sunt a conspectu dominorum, alii vero semper eis adsistunt, & talem viro voluit Deus esse mulierem.* e.) In *suppeditanda tempore adversitatis consolatione.* Ut enim membra mystici corporis mutua συγχαιρία in prosperis, & mutua συμπαθεία in adversis sunt sibi invicem conjuncta; 1 Cor. XII. 26. sic vir & uxor cum sint caro una, bona & mala sibi invicem communia statuunt, & in adversis tolerandis fidam societatem & mutuam consolationem sibi invicem præstant, unde Chaldæus Hebræum עֵזֶר *adjutorium* reddidit per סַמְכָּא *sustentaculum*, qua voce adluditur ad eos, qui in sublevandis oneribus manus auxiliares sibi invicem porrigunt.

§. CCCCXXII. De hoc conjugii fine loquuntur, 1.) *scripturæ oracula:* Tob. VIII. 8. *Tu fecisti Adam de limo terræ, & dedisti ei adjutorium Evam.* In Græco est βοηθὸν στήριγμα, *auxiliare firmamentum*, auxiliatricem & fulcimentum. &c. Mal. II. 14. *Dominus testificatus est inter te & inter uxorem adolescentiæ tuæ*, (Deo auctore initum est indissolubile fœdus inter te & conjugem tuam, quam juvenis duxisti) *quare despicis eam, quæ est* חֲבֶרְתֶּךָ *socia tua* (a radice חָבַר *consociatus, conjunctus, copulatus fuit*, usurpatur de connexione cortinarum in tabernaculo Exod. XXVI. 9.) *& uxor fœderis tui*, (quam arctissimo & indissolubili fœdere in perpetuam vitæ sociam & in adjutorium tibi copulasti.) Prov. XI. 16. *Mulieri gratiæ sive gratiosæ adhærebit gloria.* Cap. XII. 4. *Mulier fortis seu virtutis est corona viro suo.* cap. XIV. 1. *Sapiens mulier ædificat domum suam.*

cap.

cap. XVIII. 22. *Qui uxorem invenit, bonum invenit,* (in prima conjugii institutione Deus pronunciat, לא טוב, *non est bonum, hominem esse solum*, inde a contrario sensu rex sapiens infert: *Qui ergo invenit uxorem, invenit* טוב *bonum*) *& educet benevolentiam a Domino.* LXX. ὃς εὗρε γυναῖκα (ἀγαθὴν χρηστὴν) εὗρε χάριτας, ἔλαβεν δὲ παρὰ κυρίου ἱλαρότητα. (Aquila, Symmachus & Theodotion ἐυδοκίαν) Lutherus: *er schöpfet Segen vom Herrn.* Deus non solum instituit conjugium, sed eidem etiam benedixit, ergo qui bonam conjugem invenit, benedictionem a Deo accipit. Uxor ex divina institutione est vitæ socia ac consors, qui ergo uxorem invenit, fidum adjutorium & optimum amicum invenit. cap. XXXI. 10. „Mulierem „fortem quis inveniet, distans a margari„tis pretium ejus. *v.* 11. Confidit in ea „cor mariti, & spoliis non indigebit &c. „ *Eccles. IV.* 9. Meliores sunt duo, quam „unus, quia est eis merces bona in labo„re eorum. *v.* 10. Si ceciderit unus, sta„re faciet socium suum, væ uni, cum ce„ciderit, & non erit secundus ad suble„vandum eum. *v.* 11. Etiamsi dormierint „duo, & calor eis erit, & quomodo uni „erit calor?„ Describitur parabolice mutuum illud subsidium & auxilium, quod in prosperis & adversis mutuo sibi conjuges præstant. Syr. VII. 21. „Gratia mulieris „sapientis & bonæ est super aurum. *XXVI.* „1. Mulieris bonæ beatus vir, & numerus „dierum illius duplex. *v.* 2. Mulier for„tis oblectat virum suum, & annos vitæ „ejus implebit in pace. *v.* 3. Mulier bo„na pars bona in parte timentium Domi„num dabitur. XXXVI. 26., *Qui possidet mulierem*, primo ἐνάρχεται κτήσεως, *inchoat possessionem* (id est, incipit veram rationem ingredi adquirendæ, augendæ & conservandæ rei familiaris quia uxor novit rei domesticæ prospicere & studiose ea conservare, quæ maritus magno labore adquisivit, id quod Prov. XXXI. 13. late declaratur) secundo habet βοηθὸν κατὰ αὐτὸν, *fidele adjutorium* (quod desumtum est ex Genes. II. 18.) tertio habet φύλον ἀναπάυτεως *columnam quietis*, (hoc est, fidum amicum, cui tuto confidere potest, eidemque inniti, sicut domus innititur columnæ.) Tria illa conjugii bona declarat Syracides a contrario: *a.) Ubi non est septum, deripietur possessio.* In Græco est διαρραγήσεται, *diffluit ac minuitur.* Sicut hortus sepimento carens vastatur a feris, & fructus ejus ab harpyis & tollionibus diripiuntur; sic res familiaris dissipatur, nisi sedula & industria uxor eidem præsit. *b.) Ubi non est mulier, ingemiscet peregrinans* πλανώμενος, nescit enim ἄγυνος, quo se debeat vertere, cui res suas debeat concredere. *c.*) Quin & *perpetuo ingemiscit*, hoc est, premit altum corde dolorem, non habet fidelem amicum, quem curarum suarum participem faciat, & consolationem ab eo exspectet. 2.) *Patrum dicta*: Clemens Alexandrinus lib. II. στρωματ. cap. XII. p. 444. *Morbi corporis maxime indicant necessarium esse matrimonium. Uxoris enim cura & adsidua ejus perseverantia videtur aliorum necessariorum & amicorum tanto superare tolerantiam, quanto ex mutua doloris consensione & misericordia antecellit, & vult omnium maxime libenter adsidere. Et revera ex scripturæ sententia est necessaria adjutrix.* Chrysostomus homil. XX. in epist. ad Ephes. uxorem adpellat πάσης ἐυφροσύνης ὑπόθεσιν. Nazianzenus in carm. de conjugibus inquit:

Ἀλλήλοις δὲ χέρες καὶ ὄυατα καὶ πόσις ἕσμεν
Ξυναὶ καὶ μελεδῶναι ἐλαφρίζεσιν ἀνίας.

Vide locum integrum superius in proœm. §. 5. Augustinus lib. IX. de Gen. ad lit. cap. VII. inter bona conjugii numerat *fidem*, hoc est, mutuam fidelitatem & arctissimam amicitiam, quam conjuges sibi invicem debent. „Si enim fides absit, *in*„*quit Lutherus in cap. XII. Genes.* nun-

quam

„quam coaleſcent animi, nunquam ama„bunt vere inter ſe, nihil autem hic mun„dus hac animarum conjunctione habet „pulchrius. 3.) Juris decreta: *Inſt. de „patr. poteſt. §. 2.* Nuptiæ ſunt viri & „mulieris conjunctio individuam vitæ con„ſuetudinem continens. *l. Nuptiæ. 1. ff. „de rit. nupt.* Nuptiæ ſunt conjunctio „maris & fœminæ, conſortium omnis vi„tæ, divini & humani juris communicatio, „*l.* adverſus 4. *C. de crim. expil. hered.* „Uxor ſocia rei humanæ ac divinæ domus „ſuſcipitur. 4.) Saniorum gentilium pro„nunciata: *Ariſtoteles lib. VIII. ethic. „ad Nicomach. c. XIV.* Homines non ſobo„lis tantum procreandæ, ſed rerum etiam, „quæ ad vitam ſpectant, comparandarum „cauſa cohabitant, continuo enim diviſa „ſunt inter ipſos officia, alia viri & alia „uxoris, ſibique mutuo opitulantur, quæ „propria ſunt, in commune conſtituentes, „atque ob id & utilitas & jucunditas in hac „amicitia eſſe videtur, eſſe etiam poſſet „ob virtutem, ſi probi eſſent. *Idem in „rhetoric. pronunciat* eos, quibus infelix „matrimonium contigit, pene plus quam „dimidia felicitatis ſuæ parte eſſe privatos. „*Euripides de commodis honeſtæ conjugis „inquit:* Uxor marito in malis & morbis „ſuaviſſima eſt, domum ſi recte inhabitet, „iram mitigat, & a triſtitia animum aver„tit.„ Apud ethnicos novi conjuges veſcebantur ſimul *carduis*, ut ſocietas in adverſis demonſtraretur.

III.) *Amoris inter Chriſtum & eccleſiam praefiguratio.*

§. CCCCXXIII. *Minus principalis* conjugii *finis* eſt, quod ſit *typus ardentiſſimi amoris, quo Chriſtus eccleſiam ſuam complectitur, & arctiſſimæ illius unionis, qua eidem eſt conjunctus.* Docet hoc apoſtolus Paulus & ex prima conjugii inſtitutione id deducit Epheſ. V. 31. *Relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* v. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt, dico autem in Chriſtum & in eccleſiam.* Huc referenda ſunt omnia ſcripturæ dicta, in quibus Chriſtus dicitur *ſponſus & maritus*, eccleſia vero *ſponſa & uxor;* Pſal. LXVIII. 13. Eſaj. LIV. 5. LXI. 10. LXII. 5. Jerem. III. 4. Oſe. II. 7. cumprimis huc pertinet Pſalm. XLV. & Canticum Canticorum, Matth. IX. 15. Joh. III. 29. Apoc. XXI. 2. &c. Quo referendæ etiam ſunt parabolæ Chriſti Matth. XXII. 2. XXV. 1. &c. ubi notandum eccleſiam non ſolum *ſponſæ*, nec ſolum *uxori*, ſed ſponſæ & uxori comparari, ſponſæ quidem propter amoris magnitudinem, quia ſponſæ ardentius ſolent amari quam uxores, uxori propter indiſſolubile conjunctionis vinculum, quod tamen ſpirituali adulterio (perinde ut in conjugio fieri ſolet per adulterium corporale) iterum diſſolvi poteſt. Item eccleſia potius dicitur ſponſa, quam uxor, quia Chriſtus in primo ſuo adventu eccleſiam ſibi quaſi deſponſavit 2 Cor. XI. 2. conſummaturus & celebraturus cum ea glorioſas nuptias in ſecundo ſuo adventu. Apoc. XIX. 7. Membra comparationis inſtitui poſſunt varia, potiora conſiſtunt in ſequentibus capitibus: 1.) In *deſponſatione.* Sponſus & ſponſa a deſponſatione nomen acceperunt, ea in hoc ſpirituali conjugio locum habet. Oſe. II. 19. *deſponſabo te mihi.* Deſponſatio fieri debet cum conſenſu parentum, is nequaquam in hoc ſpirituali conjugio deſideratur, quia pater cœleſtis *parat nuptias filio ſuo* Matth. XXII. 2. Sponſus per paranymphos ſponſam ſuam ſibi curat adduci ac deſponderi, de ſpirituali conjugio dicit apoſtolus 2 Cor. XI. 2. *Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto;* & Joh. III. 29. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt, amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Paranymphi non debent ſibi ipſi ſed ſponſo ſponſam devincire & adducere: ſic miniſtri eccleſiæ non gerant ſe pro ſponſis eccleſiæ, quod facit papa Romanus,

manus, sed Christo sponsam concilient, & ad fidem conjugalem ipsi servandam eam exhortentur. Ad desponsationem requiritur utriusque partis contrahentium voluntarius consensus: *sic quando est tempus amorum* Ezech. XVI. 8. cœlestis hic sponsus *ambit animas nostras* Ose. III. 1. In desponsatione dantur arrhæ, Christus a nobis accipit arrham humanæ naturæ, & donat nobis arrham Spiritus sancti 2 Cor. I. 22. Ephes. I. 14. In desponsatione pacta dotalia firmantur, sic in spirituali conjugio fœdus æternum Deus cum sponsa sua init Jer. XXXI. 33. 2.) In *dilectione*. Inter sponsum & sponsam est amor ardentissimus; 2 Sam. I. 26. ita quoque inter Christum & ecclesiam Esaj. LXII. 5. Ex sponsi erga sponsam & mariti erga uxorem dilectione promanat bonorum & honorum communio, infirmitatum condonatio, vestium largitio, de victu & amictu, adeoque omnibus necessariis prospectio, adversus hostes defensio &c. hæc omnia in spirituali conjugio locum habent. Christus enim cœlestis sponsus noster communicat nobiscum cœlestem hereditatem, facit nos participes suorum honorum & bonorum, dum nos facit Dei filios, reges ac sacerdotes, Johan. I. 12. Apoc. I. 6. compatitur infirmitatibus nostris, Hebr. IV. 15. induit nos vestimentis salutis & indumento justitiæ, Esaj. LXI. 10. Ezech. XVI. 10. prospicit nobis de omnibus necessariis, nutrit, fovet, Ephes. V. 29. defendit ac tuetur. Zach. II. 5. O benignissimum ac nostri amantissimum sponsum, qui ex immensa dilectione per humanæ naturæ adsumtionem cum sponsa unum fieri voluit, qui coronam spineam a sponsa accipit, & coronam auream gloriæ & decoris illi donat, qui sponsam formosam non invenit, sed facit, qui vestibus suis denudari se in cruce patitur, ut indumento justitiæ sponsam ornet, qui aceto & felle potari sustinet, ut melle dulcedinis, consolationis & lætitiæ sponsam cibet! In hac vita non nisi inter pares, qui ejusdem generis, conditionis, status ac honoris sunt, matrimonium contrahi solet. At inter Dei Filium & nos homines summa disparitas; Dei ergo Filius humanam naturam adsumsit, ut secundum adsumtam illam naturam ejusdem substantiæ & generis esset cum ecclesia, quam sibi in sponsam adsciscere voluit. Sed adsumta cum nostro genere per incarnationem ὁμοουσία adhuc inveniebatur impar conditio sponsi ac sponsæ. Illius enim caro est peccati & labis omnis expers, est mundissima & sanctissima; nostra vero natura peccatorum sordibus miserrime est contaminata & infecta. Cœlestis igitur sponsus Dei Filius homo factus se ipsum pro ecclesia tradidit, *ut eam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo;* Ephes. V. 26. & hac ratione *in misericordia & miserationibus sibi eam desponsare posset.* Ose. II. 19. Lutherus tom. II. Jenens. German. fol. 472. *Durch Christum ist die Christenheit mit GOtt also vereiniget, wie eine Braut mit ihrem Bräutigam, daß die Braut Recht und Macht hat zu des Bräutigams Leibe, und alles was er hat, welches geschicht alles durch den Glauben, da thut der Mensch was GOtt will, und wiederum GOtt was der Mensch will.* 3.) In *debitorum officiorum exspectatione*. Sponsus a sponsa sua requirit & exspectat reciprocum amorem, fidelitatem, obedientiam &c. eadem a nobis cœlestis sponsus exspectat. Sponsus est sponsæ suæ *caput*, sic & Christus ecclesiæ; Ephes. V. 23. *ergo ut mulieres viris sunt subjectæ, sic & ecclesia Christo sit subjecta.* v. 22. Sponsa desiderat sponsi sui adventum, sic & res se habet in spirituali hac desponsatione: *Spiritus & sponsa dicunt, veni*, Apoc. XXII. 17. 4.) In *nuptiarum præparatione*. Sponsus tandem sponsam suam in domum deducit, nuptias parat, & omnium bonorum heredem constituit. Sic venient aliquando *nuptiæ agni, & uxor ejus præparabit se, & dabitur ei, ut cooperiat se byssino splendente & candido.*

Apoc. XIX. 7. 8. Vid. loc. de eccleſ. §. 18. Si reſpectus ad primam conjugii inſtitutionem & primæ conjugis formationem habeatur, accedit 5.) in *ſponſæ ex latere formatione*, quod membrum Auguſtinus potiſſimum urget & inculcat, ut ex ipſius dictis paulo poſt adparebit.

§. CCCCXXIV. De hoc fine conjugii gentilibus extra eccleſiæ pomœria conſtitutis nihil quidquam notum eſt. Patres autem pulcerrimas de eo proferunt ſententias. Cyprianus de ſimpl. prælat. p. 164. „Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, in„corrupta eſt, & pudica. Unam domum „novit, unius cubiculi ſanctitatem caſto „pudore cuſtodit, hæc nos Deo ſervat, „hæc filios regno quos generavit, adſignat. „*Auguſtinus lib. II. de Geneſ. contra „Manich. c. XXIV.* Quod per hiſtoriam „impletum eſt in Adam, per prophetiam „ſignificat Chriſtum, qui reliquit Patrem, „cum dicit: *Ego exivi a Patre, & veni „in hunc mundum*; non autem loco reli„quit, ſed adparendo hominibus in homi„ne, *cum verbum caro factum eſt* &c. re„liquit & matrem, hoc eſt, ſynagogæ ve„terem atque carnalem obſervantiam, quæ „illi mater erat ex ſemine David, ſecun„dum carnem, & adhæſit uxori ſuæ, hoc „eſt, eccleſiæ, ut ſint duo in carne una. „Dicit enim apoſtolus, ipſum eſſe caput „eccleſiæ & eccleſiam corpus ejus. Ergo „& ipſe ſoporatus eſt dormitione paſſionis, „ut ei conjunx eccleſia formaretur, quam „dormitionem cantat per prophetam di„cens: *Ego dormivi & ſoporatus ſum*, „*& exſurrexi.* Formata eſt ergo conjunx „eccleſiæ de latere ejus, id eſt, de fide „paſſionis & baptiſmi. Nam percuſſum „latus ejus lancea ſanguinem, & aquam „profudit. *Lib. I. de nupt. & concupiſc. „c. X.* Non tantum fœcunditas, cujus „fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, „cujus vinculum eſt fides, verum etiam „quoddam ſacramentum nuptiarum com„mendatur fidelibus conjugatis, unde di„cit apoſtolus: *Viri diligite uxores ve„ſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam.* „Hujus procul dubio ſacramenti res eſt, „ut mas & fœmina connubio copulati, „quamdiu vivunt, inſeparabiliter perſeve„rent, nec liceat excepta cauſa fornicatio„nis a conjuge conjugem dirimi. Hoc „enim cuſtoditur in Chriſto & eccleſia, ut „vivens cum vivente in æternum nullo di„vortio ſeparetur. *Lib. II. de ſymb. ad „catech. cap. VI.* Adſcendat ſponſus no„ſter thalami ſui lignum, adſcendat lectum, „dormiat moriendo, aperiatur ejus latus, „& eccleſia prodeat virgo, ut, quomodo „Eva facta eſt ex latere Adæ dormientis, „ita & eccleſia formetur ex latere Chriſti „in cruce pendentis. Percuſſum eſt enim „ejus latus, & ſtatim manavit ſanguis & „aqua, quæ ſunt eccleſiæ gemina ſacra„menta. Aqua, in qua eſt ſponſa purifi„cata, ſanguis, ex quo invenitur eſſe do„tata. In iſto ſanguine ſancti martyres a„mici ſponſi ſtolas ſuas laverunt, candi„das eas fecerunt, ad nuptias agni invita„ti venerunt, a ſponſo calicem acceperunt, „biberunt, eique propinaverunt, ſangui„nem ejus biberunt, ſanguinem ſuum pro „illo profuderunt &c. O magnum ſacra„mentum hujus conjugii! O magnum my„ſterium hujus ſponſi & ſponſæ, non ex„plicabitur digne humanis verbis! De „ſponſo ſponſa naſcitur, & ut naſcitur, „ſtatim illi conjungitur, & tunc ſponſa nu„bit, quando ſponſus moritur, & tunc „ille ſponſæ conjungitur, quando a mor„talibus ſeparatur. Quando ille ſuper cœ„los exaltatur, tunc iſte in omni terra fœ„cundatur. Quid eſt hoc? Quis eſt iſte „ſponſus abſens & præſens? Quis eſt iſte „ſponſus præſens & latens, quem ſponſa „eccleſia fide tantum concipit, & ſine ullo „amplexu membra ejus quotidie parit? „Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ &c. „*Similia occurrunt in enarrat. P. LVI. „tom. 8. & tract. CXX. in Joh. tom. „IX. &c. Bernhardus ſerm. VII. in Cant. col.*

„ *col.* 507. Non ſunt inventa æque dulcia „ nomina, quibus verbi animæve dulces „ ad invicem exprimerentur adfectus, quem„ admodum ſponſus & ſponſa, quippe qui„ bus omnia communia, nil proprium, nil „ a ſe diviſum habentibus. Una utriusque „ hereditas, una domus, una menſa, unus „ thorus, una etiam caro. Denique pro„ pter hanc relinquet homo patrem & ma„ trem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt „ duo in carne una: hæc quoque jubetur „ nihilominus obliviſci populum ſuum, & „ domum patris ſui, ut concupiſcat ille de„ corem ejus. Si ergo amare ſpecialiter „ ſponſis peculiariterque convenit, non im„ merito ſponſæ nomine cenſetur anima, „ quæ amat. *Lombardus lib. IV. ſent. diſt.* „ 26. *lit. F.* Conjugium & ſacrum ſignum „ eſt & ſacræ rei, ſcilicet conjunctionis „ Chriſti & eccleſiæ &c. Ut enim inter „ conjuges conjunctio eſt ſecundum con„ ſenſum animorum, & ſecundum permi„ xtionem corporum: ſic eccleſia Chriſto „ copulatur voluntate & natura, quia idem „ vult cum eo, & ipſe ſumſit formam de „ natura hominis. Copulata eſt ergo ſpon„ ſa ſponſo ſpiritualiter & corporaliter, hoc „ eſt, caritate & conformitate naturæ. Hujus „ utriusque copulæ figura eſt in conjugio. „ Conſenſus enim conjugum copulam ſpiri„ tualem Chriſti & eccleſiæ, quæ fit per „ caritatem, ſignificat: commixtio vero „ ſexuum illam ſignificat, quæ fit per natu„ ræ conformitatem. „

§. CCCCXXV. *Acceſſorius* conjugii finis *vitatio ſcortationis & remedium libidinis.*

IV.) *Scortationis evitatio.*

Patet hoc ex deſcriptione primævæ inſtitutionis conjugalis. Cum enim poſt admiſſum peccatum protoplaſti incendia libidinis in membris ſuis fervere perſentiſcerent, atque eo nomine ad partes illas corporis obvelandas perizomata conſuerent, in quibus prius *nihil erat velandum, quia nihil in eis ſentiebant refrenandum*; Geneſ. II. 25. III. 7. non avulſit Deus Evam a marito Adamo, nec conjugium in ſtatu integritatis inter ipſos initum diſſolvit, ſed illud potius confirmavit, quando uxori dixit: *In dolore paries filios, & ad virum deſiderium tuum, & ipſe dominabitur tibi.* Gen. II. 16. Voluit enim conjugium ipſis eſſe non ſolum *officium*, ſed etiam *remedium* contra libidinis morbum ex peccato contractum. De hoc fine loquuntur: 1.) *Scripturæ oracula.* 1 Cor. VII. 2. *Propter fornicationes*, ſcilicet vitandas, *habeat quilibet uxorem ſuam & quælibet virum ſuum.* Loquitur apoſtolus in plurali, ad denotandum quodvis illicitæ Veneris genus & quamvis libidinoſam corporis pollutionem, ne ſibi blandiantur, qui a fœminarum complexu ſibi temperant, atque interim libidinis flammis victi mollitiem aliosve illicitos congreſſus ſectantur. Ut ergo illi, qui peculiari continentiæ dono inſtructi non ſunt, retineant bonam conſcientiam, nec in perpetuis uſtionibus vivant, in matrimonio eos vivere jubet. v. 3. *Uxori vir debitam benevolentiam reddat, ſimiliter autem & uxor viro.* In Græco eſt ἀποδιδότω, ut exprimatur mutuum illud debitum, quo juxta conjugii leges ſibi invicem ſunt obſtricti. v. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* v. 5. *Nolite fraudare invicem*, μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους, in debita ſcilicet illa conjugali benevolentia, *niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi & jejunio, & iterum revertimini in unum ad uſum*, ſcilicet conjugalem, *ne tentet vos ſatanas* διὰ τὴν ἀκρασίαν, hoc eſt, ἀκράτειαν, *propter incontinentiam veſtram*, quia non eſtis continentiæ dono prædditi, ergo conjugium eſt ἀκρασίας remedium. v. 9. *Melius eſt nubere quam uri*; ergo conjugium non ſolum eſt procreationis medium, ſed etiam uſtionum remedium. v. 36. *Si quis indecorum exiſtimat, ſuper virgine ſua, ſi fiat* ὑπέρακμος, *& ita oportet*

tet fieri; hoc est, si animadvertit, ipsam non esse dono continentiæ instructam, *quod vult, faciat*, hoc est, elocet eam, *non peccant, si nubant tales*, scilicet virgines. Syr. VII. 27. *Trade filiam, & perfeceris opus magnum*, quia scilicet ex libidinis incendio & scortationis laqueis eam liberasti. Syr. XXIII. 22. *Anima calida, quasi ignis ardens, non exstinguetur, donec deglutiatur homo fornicarius in corpore carnis suæ, non desinet donec accendat ignem;* hoc est, qui indulget lascivæ carnis concupiscentiæ, interiore igne æstuat, nec desinit, nisi se ipsum inflammet, hoc est, externa scortatione desiderium suum impleat, utatur igitur conjugio, remedio illo divinitus præscripto & ordinato. Syr. XXXVI. 28. *Quis confidet expedito latroni erranti de civitate in civitatem, sic homini non habenti nidum & hospitanti ubicunque adveſperaverit?* hoc est, qui in cœlibatu vivunt, non instructi dono continentiæ, in suspicionem expugnatæ matronarum pudicitiæ apud omnes inducuntur. Hebr. XIII. 4. *Honorabile matrimonium in omnibus &c. fornicatores autem & adulteros judicabit Deus;* hoc est, qui contemnunt remedium libidinis divinitus institutum, & carnis concupiscentiis per scortationem indulgent, pœnis se ipsos involvunt. 2.) *Patrum dicta:* Basilius lib. de vera virgin. ἡδονῆς ὅλον φάρμακον τῷ ἄῤῥενι τὸ θῆλυ. Ac: μάλαγμα ἡδονῆς τῷ ἄῤῥενι τὸ θῆλυ. Chrysostomus hom. LIX. in cap. XXXV. Genes. *Nam propter hoc & communis Dominus noster, sciens humanæ infirmitatis naturam, nuptias dedit & sancivit, ut ab illicito concubitu abstineretur. Ne igitur negligamus juvenes, sed scientes fornacis incendium, priusquam libidinibus involvantur, studeamus eos juxta legem Dei nuptiis copulare, ut & continentiam suam custodiant, nullumque damnum lasciviæ suæ habeant, remedio illinc sumto, ut possint carnis indomitos motus reprimere & poenam effugere.* Idem in epist. ad Philipp. δύνασαι παρθενεύειν, ἔξεσι σοὶ γαμεῖν. In libr. de virg. ἐδύθη μὲν ὁ γαμῶ καὶ παιδοποιίας ἕνεκεν πολλὰ δὲ πλέον ὑπὲρ τὸ σῴζεσαι τῷ τῆς Φύσεως πύρωσιν. Et postea: Καλὸν ὁ γάμῳ, ὅτι ἐν σωφροσύνῃ τὸν ἄνδρα διατηρεῖ, καὶ ἐκ ἀφίησιν εἰς πορνείαν κατακλυσθέντα ἀποθανεῖν, μὴ τοίνυν αὐτὸν διαβάλῃς, ἔχει γὰρ πολὺ τὸ κέρδος ἐκ ἐῶν τὰ μέλη τὰ χριστὸ μέλη γίνεσθαι πορνείας. Augustinus lib. II. de peccat. merit. & remiss. cap. XXXIV. *Bonum conjugii non est fervor concupiscentiæ, sed quidam licitus & honestus illo fervore utendi modus, propagandæ proli, non explendæ libidini adcommodatus.* Libr. I. contra duas epist. Pelag. c. XVI. *Malo libidinis propter bonum generationis filiorum bene utuntur pudica conjugia, solius autem carnalis voluptatis causa libidini consentire peccatum est, quamvis conjugatis secundum veniam concedatur.* Libr. III. contra Julian. c. XVI. *Quando conjuges non prolis suscipiendæ, sed carnalis voluptatis explendæ vitii cupiditate concumbunt, hoc non laudatur, sed ignoscitur in comparatione pejoris intervenientibus & deprecantibus nuptiis.* Lib. de bono conjug. cap. III. *Habent etiam id bonum conjugia, quod carnalis vel juvenilis incontinentia, etiamsi vitiosa est, ad propagandæ prolis redigit honestatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis.* Cap. VIII. *Concubitus necessarius causa generandi inculpabilis est, & solus ipse nuptialis. Ille autem, qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subjunguntur, rem faciunt non plene nuptiarum.* Fulgentius de conjug. debit. epist. I. *Retenta thori fides maculam diluit, quam contrahit infirmitas carnis,*

nis, si mulieri non miscetur alteri, quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis suæ miscetur uxori, quia etsi præfixum concumbendi modum transit, tamen conjugalem terminum non excedit. Et licet contrahat carnalis infirmitas culpam, impetrat tamen nuptialis integritas veniam. Gregorius libr. XII. moral. *Qui tentationum procellas cum difficultate tolerant, conjugii portum petant, melius enim est nubere quam uri.* Bernhardus serm. LXVI. in Cant. *Tolle de ecclesia honorabile connubium & thorum immaculatum, nonne reples eam concubinariis, incestuosis, seminiſluis, mollibus, masculorum concubitoribus & omni denique genere immundorum?* Lombardi dictum, quod *conjugium in paradiso institutum sit ad officium, post peccatum autem ad remedium quoque cedat*, b. Lutherus commendat, & erudite ab ipso prolatum adserit tom. I. comment. in Genes. II. fol. 33. b. 3.) *Juris canonici decreta.* c. Sicut. §. His ita 32. quæst. 2. *Prima institutio conjugii in paradiso facta est, ut esset immaculatus thorus & honorabiles nuptiæ, ex quibus sine ardore concupiscentiæ conciperent, sine dolore parerent. Secunda propter illicitum motum eliminandum extra paradisum facta est, ut infirmitas prona in ruinam turpitudinis honestate exciperetur conjugii. Ex hac causa fit, ut conjugati se sibi invicem debeant, nec se sibi negare possint. Qui enim propter incontinentiam in naturalem redire usum* (ab apostolo 1 Cor. VII. 5.) *monentur, patet, quod non propter filiorum procreationem tantum misceri jubentur.* c. Quidquid caus. & quæst. iisdem: *Debent sibi conjugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas, verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ ad illicitos concubitus evitandos mutuam quodammodo servitutem &c.* Atque hæc de quatuor conjugii finibus, adeoque de quadruplici ejus utilitate dicta sint, quod scilicet sit: *a.) generis humani propagandi ac multiplicandi medium; b.) hominis adjutorium; c.) Christi & ecclesiæ mysterium; d.) vagarum libidinum remedium.*

§. CCCCXXVI. Errant circa conjugii fines: I.) θεωρητικῶς *pontificii*, qui conjugium etiam fine eo a Deo in nov. test. institutum esse statuunt, ut sit *sacramentum* proprie *sic dictum*, hoc est, tale aliquod signum, cui adnexa sit promissio gratiæ justificantis, idque ex divina institutione. Contra quem errorem late disputavimus superius cap. III. §. 16. & seqq. II.) πρακτικῶς omnes illi, qui in conjugio contrahendo non respiciunt ad fines divinæ institutioni conformes, sed ad alios peregrinos ac verbo Dei adversos. Lutherus in comm. Genes. XXV. tom. II. fol. 252. A. „Conjuges, qui honeste con- „trahunt conjugium & cohabitant, diver- „sos fines, sed raro prolem spectant. Pri- „mus gradus est eorum, qui quærunt pro- „lem, & ideo hoc genus vitæ adpetunt, „ut fiant parentes. Hi quidem sunt an- „geli collatione aliorum, quia cupiunt uti „conjugio ad generationem, eorum exi- „guus admodum est numerus, ac simpli- „citer illos refero inter angelos, non in- „ter homines. Magnum enim Dei donum „est, si spectem & petam tantum prolem „ex muliere, præcipue si intelligam mo- „lestias conjugii, morsus & tela diaboli. „Talis fuit Abraham, quem numero inter „angelicos maritos, qui quærunt semen „Dei, ut Malachias inquit. Secundus gra- „dus eorum est, qui ducunt uxores vitan- „dæ fornicationis causa, non aversantur „aut oderunt prolem, sed principalis eo- „rum finis est, ut caste & pudice vivant. „Hi quoque boni sunt, sed non pares pri- „mis. Si dat Deus prolem, delectantur, „& diligunt uxorem & prolem, & faciunt „officia vocationis sedulo. (*Ad hunc gra-*

Errores de fine conjugii.

„*dum referendi etiam illi, qui in conjuge „quærunt adjutorium, nam ut Clemens „Alexandrinus libr. II. στρωματ. c. XII. „ait*, fert opem quoque matrimonium eis, „qui ætate proceſſerunt, ut quod exhibeat „uxorem curam gerentem, & alat, qui „ex ea ſuſcepti ſunt liberos, ut in ſenectu„te parentes ſuos nutriant.) Tertius gra„dus eorum eſt, qui adpetunt uxores tan„tum voluptatis cauſa, quibus non eſt cu„ræ proles, ſed ut molliter & ſuaviter vi„vant, & pulchram habeant puellam, qua „ſe oblectent. Quartus gradus eſt eorum, „qui ducunt vetulas & dominas propter „opes aut gloriam. Illis det Deus calicem „paſſionis, ut Bernhardus loquitur, quia „ſimpliciter quærunt opes & gloriam, non „generationem prolis, & tamen non ſunt „reprobandi propter reverentiam & glo„riam nuptiarum. „ Hæc Lutherus. Circa quæ duo ſunt notanda, 1.) fines illos conjugii peregrinos & accidentarios eſſe duorum generum, quidam enim ſua natura boni ſunt, verbo Dei per ſe minime adverſi, quales ſunt *conjunctio familiarum, inimicorum reconciliatio, pacis confirmatio &c.* quidam vero ſua natura mali, ut libidinis & voluptatis explendæ adpetitus. Priores in conjugio ſpectare licet non unice nec præcipue, ſed ſecundario, poſteriores vero nulla ratione. 2.) Non eſſe diſſolvendum eorum conjugium, qui ſine perverſo illud contrahunt, quod probamus non ex falſa illa hypotheſi pontificia, quod conjugium ſit *ſacramentum*, quam urget Lombardus libr. IV. ſentent. diſtinct. 30. lit. D. E. *Non eſt* (inquit) *adſentiendum illis, qui dicunt non eſſe conjugium, quod propter cauſas minus honeſtas contrahitur, licet enim ſine non bono contrahatur, quando ſpecies contrahentis movet animum, conjugium tamen bonum eſt, quia vita mala, vel intentio perverſa alicujus ſacramentum non contaminat;* ſed quia quælibet res æſtimanda eſt non ex cauſis externis, inter quas eſt finis, ſed ex cauſis eſſentialibus & internis, quæ ſunt materia & forma, proinde ubi eſt maris & fœminæ in unam carnem legitimus conſenſus, ibi eſt verum matrimonium, ſi vel maxime in contrahentium intentione, quod finem conjugii adtinet, fuerit paululum aberratum.

CAPUT VIII.

DE EFFECTIS CONJVGII.

§. CCCCXXVII.

Effecta conjugii. *Effecta* conjugii cum ejusdem finibus a plerisque conjunguntur, ſiquidem magnam cum illis adfinitatem obtinent; poſſunt tamen melioris intellectus cauſa ab illis diſtingui. Cypræus de matrim. cap. VIII. p. 697. effectum matrimonii præcipuum dicit eſſe eum, qui exprimitur in definitione Modeſtini leg. 1. ff. de rit. nupt. quod ſit *divini & humani juris communicatio*, hoc eſt, omnium, quæ ad vitam inſtituendam pertinent, inter quæ etiam *religio & ſacra* locum obtinent non poſtremum, quorum etiam ſocia fiebat uxor, unde a Gordiano l. adverſus C. de crim. expil. hered. *ſocia rei humanæ & divinæ domus* adpellatur. Communicatio juris divini duplici ratione ab interpretibus exponitur, 1.) reſpectu habito ad *inſtituta ethnicorum*. Illis enim fuerunt duplicia ſacra, *publica & privata*, eaque vel *gentilitia* vel *domeſtica*. Publica erant toti populo communia, & in publico ſolennibus ritibus peragebantur. Feſtus libr. XIV. Gentilitia toti agnationi & genti erant communia & ad heredes devolvebantur, dicta ob id hereditaria. Domeſtica & familiaria erant, quæ ſibi quisque proprio arbitrio privatim inſtituerat,

rat, ac domi suæ ea peragebat, unde quilibet *sacraria*, hoc est, loca, ubi res sacræ reponerentur & servarentur, ac dii penates colerentur, domi suæ habebat, ut ex scriptoribus Romanis notissimum. Vid. Festus libr. XVII. Cicero lib. II. de leg. Plinius in paneg. ad Trajan. Valerius Maximus libr. II. cap. I. &c. Dicitur ergo *divini juris communicatio* inter maritum & uxorem fieri, inque *societatem divinæ domus* uxor suscipi, quia privatorum illorum sacrorum tam gentilitiorum, quam domesticorum fiebat particeps. 2.) *Respectu habito ad mores Christianorum.* Cum enim ethnicorum sacrorum vel potius idololatricorum cultuum tenebræ cœlestis doctrinæ luce per Dei gratiam apud nos hodie sint discussæ, ideo partem illam definitionis ad nostros mores ac ritus adcommodant hoc sensu, quod uxor eidem parochiæ sit subdita, cui maritus, ut ibi audiendi verbum Dei & sacramentorum utendorum jus habeat, aliisque commodis fruatur, quæ adfert ecclesia, itemque ut sepulchrorum jus ibidem obtineat. c. Unaquæque 13. q. 2. Accursius, Piso Soacius & alii *communicationem divini juris* referunt ad ejusdem religionis professionem, atque ex eo deducunt, quod non sit ducenda uxor diversæ religioni addicta, qua de re quid statuendum sit, expostuimus superius §. 387.

§. CCCCXXVIII. *Communicationem juris humani* in eo consistere statuunt, 1.) quod uxor bonorum & facultatum mariti fiat particeps, unde Paulus l. Rerum 1. ff. de actione rerum amot. memorat, Nervam & Cassium existimasse propter *hanc vitæ societatem uxorem fieri dominam bonorum, ac proinde furti actionem constituto jure adversus eam non esse.* 2.) Quod uxor mariti domicilium sequatur arg. l. cum quædam 19. ff. de jurisdict. & forum cum eo commune habeat l. exigere 65. ff. de judiciis: *Exigere dotem mulier debet illic, ubi maritus domicilium habuit, non ubi instrumentum dotale conscriptum est, spectari enim debet is locus, in cujus domicilium & ipsa mulier per conditionem matrimonii erat reditura.* l. Imperatores 38. ff. ad municipalem §. 3. Antoninus & Verus rescripserunt, *mulierem, quamdiu nupta est, incolam ejusdem civitatis videri, cujus maritus ejus est.* 3.) Quod uxor honorum & dignitatum mariti fiat particeps. l. Si libertam 28. C. de Nupt. decernit Justinianus: *Uxor marito concrescat*, (dignitas uxoris cum mariti dignitate simul crescat) *& sentiat ejus fulgorem.* Ulpianus l. fœminæ. 8. ff. de senatoribus: *Fœminæ nuptæ clarissimis personis clarissimarum personarum adpellatione continentur, fœminis enim dignitatem clarissimam mariti tribuunt.* 4.) Quod uxor in mariti familiam transeat l. pronunciatio 195. §. 5. ff. de Verb. Sign. *Mulier familiæ suæ & caput & finis est.* 5.) Quod uxor sit ærumnarum & adflictionum mariti socia l. Nuptiæ 1. ff. de rit. nupt. *Nuptiæ sunt consortium omnis vitæ.* l. Si cum dotem 22. §. Si maritus 7. ff. solut. matrimon. *Nihil tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum vel uxorem viri participem esse*, unde inferunt, uxorem teneri maritum sequi, si domicilium mutare, vel alio migrare voluerit. Quidam ex jurisconsultis numerant hos conjugii effectus: 1.) quod *conjuges invicem obligentur ad consuetudinem conjugalem, & ad communionem corporum, rerum ac bonorum.* 2.) Quod *per conjugium fiat multiplicatio generis humani, nominis ac familiæ conservatio.* 3.) Quod *maritus teneatur uxorem & familiam alere, ac liberos educare.* 4.) Quod *uxor ad reverentiam & fidem marito debitam obstringatur.* 5.) Quod *mulier teneatur sequi maritum proficiscentem, etiam vagabundum seu fugitivum.* 6.) Quod *uxor redigatur in viri potestatem.* 7.) Quod *post ingressum lecti conjugalis sibi invicem in bonis succedant.* 8.) Quod *per matrimonium libe-*

liberi legitimentur, de qua legitimatione late tractant Klingius lib. de cauſ. matrimon. pag. 85. Beuſtius de matrim. c. LXVI. Quidam ex theologis quinque numerant conjugii effectus, 1.) eſt, quod conjugium ſit *ſeminarium eccleſiæ ac reipublicæ*, 2.) *conſuetudo conjugalis*, 3.) *nominis & familiæ legitima conſervatio*, 4.) *benedictio & præſentia Dei in hoc vitæ ſtatu*, 5.) *præmia hujus & futuræ vitæ* piis conjugibus promiſſa.

Effectus conjugii in abſtracto.

§. CCCCXXIX. Ut diſtinctius in enumerandi conjugii effectis procedamus, primum hoc monemus, quod quemadmodum in loco de miniſterio eccleſiaſtico effectus miniſterii in *abſtracto* conſiderati diſtincti fuere ab effectibus ejusdem in *concreto* ſpectatis, hoc eſt, a miniſtrorum eccleſiæ officiis; ita quoque hoc in loco diſtinguendi ſint effectus conjugii in *abſtracto* ab officiis conjugum in *concreto*. Effectus conjugii in *abſtracto* conſiderati revocari poſſunt ad *communicationem* ſive *communionem*, ex arctiſſima & indiſſolubili illa conjunctione, quæ eſt eſſentialis conjugii forma, ortum, & ex ea unice dependentem. Quia enim juxta divinam ordinationem per legitimum conſenſum mas & fœmina arctiſſima & indiſſolubili unione in carnem unam invicem conjunguntur, ideo ex illa conjunctione naſcitur quædam inter conjuges communicatio, quæ eſt genuinus ac proprius conjugii effectus; ad quem referri poſſunt verba in definitione imperatoris inſt. de patr. poteſt. quod matrimonium ſit talis quædam viri & mulieris conjunctio, *quæ individuam vitæ conſuetudinem contineat*, hoc eſt, quod ex legitima viri & mulieris conjunctione individua vitæ conſuetudo oriatur ac contrahatur. Itemque verba in definitione jurisconſulti Modeſtini l. nuptiæ ff. de rit. nupt. quod nuptiæ ſint talis conjunctio maris ac fœminæ, *quæ conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicationem* ſecum trahat atque inferat. Hic conjugii effectus exprimi videtur in ipſis divinæ inſtitutionis verbis: Geneſ. II. 24. *Idcirco relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*; hoc eſt, quia conjuges ſunt una caro, ideo inter eos etiam eſt communicatio & communio, cujus intuitu ac reſpectu homo patrem & matrem relinquet, & uxori ſuæ adhærebit.

§. CCCCXXX. Quemadmouum vero in quovis homine, ſeparatim & ſeorſim extra conjugii nexum conſiderato, tria ſpectari poſſunt: 1.) *anima*, 2.) *corpus*, quæ ſunt ipſi *interna*, & 3.) quæ ſunt circa ipſum *externa*, videlicet domicilium, facultates, adverſa, proſpera, ſtatus vitæ, &c. ita quoque communicatio ſive communio, ex nexu matrimoniali inter conjuges orta, triplex ſtatui poteſt: *animorum*, *corporum* & *externorum*. Animorum communicatio complectitur mutuam illam benevolentiam & arctiſſimum amorem, qui inter conjuges, utpote arctiſſime & indiſſolubiliter conjunctos, viget. Quod ſi namque in reliquis inferioribus amicitiæ gradibus ob animorum conjunctionem & communicationem inter amicos mutuus amor ac benevolentia mutua exardeſcit, unde eorum eſt idem velle ac idem nolle; quanto magis in hoc ſummo amicitiæ gradu, qui inter conjuges locum habet, talis animorum communicatio vigere debet? *Corporum* communicatio complectitur ὀφειλομένην ἔυνοιαν, ut apoſtolus loquitur 1 Cor. VII. 3. *conjugale debitum*, jus ac poteſtatem mutuam, quam alter conjugum in alterius corpus obtinet v. 4. ita ut ſeſe invicem defraudare, ac alter alteri corpus ſuum ſubtrahere nequaquam poſſit vel debeat. *Externorum* communicatio complectitur communionem ejusdem domicilii, facultatum, bonorum & malorum, honoris ac dignitatis &c. ut uxor coruſcet mariti radiis, & reliquorum omnium, de quibus in communicatione juris humani paulo ſuperius dictum

ctum fuit, consors ac particeps reddatur, quo pertinent scripturæ dicta, quæ uxorem dicunt esse *coram viro* tanquam alterum ipsum, Gen. II. 18. *viri sociam & uxorem fœderis*, Malach. II. 14. *ipsum viri corpus & carnem*, Ephes. V. 28. quæ omnia arctissimam & individuam societatem inter conjuges divinæ institutionis consistentem exprimunt, ex qua illa externorum communicatio postmodum oritur.

Copula conjugalis.

§. CCCCXXXI. De communicatione sive *communione corporum* & copula conjugali, in qua conjugii *usus* subsistit, hoc loco quædam sunt monenda propter conscientias conjugum recte informandas, quæ pias & castas etiam cœlibum aures atque animos non offendent, *cum mundis omnia munda, coinquinatis autem & infidelibus nihil sit mundum.* Tit. I. 15. *Non est nobis turpe*, inquit Clemens Alexandrinus lib. II. pædagog. cap. X. pag. 226. *nominare illas partes, per quas fit generatio, & in quibus fit fœtus conceptio, (earumque honestum a Deo ipso institutum usum exprimere) quas Deum fabricare non puduit.* Quoties Spiritus sanctus, qui est Spiritus castitatis ac σωφρονισμῦ, 2 Tim. I. 7. conjugalis copulæ ac maritalis congressus per decentem quemdam ὐφημισμὸν mentionem facit? Genes. IV. 1. VI. 4. XVI. 2. Deut. XXII. 14. &c. quin imo apostolum nequaquam puduit, usum illum conjugii adpellare ὀφειλομένην ἔυνοιαν, qua sese conjuges defraudare minime debeant. 1 Cor. VII. 4. 5. Deus ipse per Mosen νομοθέτην suum Israelitis leges tulit de tempore maritalis congressus, quod non sit accedendum ad mulierem *tempore menstrui*, Lev. XVIII. 19. ac quantopere detestetur illicitam seminis, utpote quod divini illius operis, generationis puta, organum est, in ipso etiam conjugio effusionem, pœna Onani ob facinus illud abominandum irrogata, eademque in præmonitionem ac præmunitionem nostram adnotata Gen. XXXVIII. 9. 10. omnibus manifestum reddere voluit.

I.) *Conjugalem copulam non esse peccatum.*

§. CCCCXXXII. Possunt autem ea, quæ de copula conjugali piis conjugibus proponenda sunt, duobus aphorismis includi. Prior sic habet: *Conjugalis copula in legitimo conjugio in se ac per se non est peccatum.* Probatur hoc, 1.) ex *primæva conjugii institutione*, in qua tum *ad causam efficientem*, tum *ad tempus institutionis* respiciendum, ex utroque enim peti potest nostræ sententiæ robur ac firmamentum. Deus autor & fautor castitatis non post lapsum demum, sed in ipso integritatis statu conjugium instituit, ut per conjugalem protoplastorum cohabitationem soboles procrearetur, & genus humanum propagaretur. Atqui blasphemum est tribuere Deo alicujus institutionem & ordinationem, quod per se & sua natura sit peccatum, & absurdum est adserere, in statu innocentiæ & integritatis quidpiam institutum fuisse, quod sit per se malum & peccatum. Ergo. Sane quidam ex veteribus suspicantur, *in statu innocentiæ non fuisse homines multiplicandos per generationem carnalem, sed per aliud quoddam medium nobis incognitum*, qua de re videri potest Gregorius Nyssenus lib. de homin. cap. XXVIII. Chrysostomus hom. XVIII. in Genes. Procopius Gazæus in cap. IV. Gen. Euthymius in Psal. L. Damascenus lib. IV. de orth. fid. cap. XXV. inde Faber Stapulensis somniat, quod, *si Adam non peccasset, ex se sine fœmina sibi similem prolem edidisset*, in quam opinionem ex nimia virginitatis admiratione, & copulæ conjugalis post lapsum demum inter Adamum & Evam secutæ adnotatione Genes. IV. 1. videntur prolapsi, sed Augustinus eam multis in locis refellit lib. IX. de Genes. ad lit. cap. X. libr. XIV. de civ. Dei cap. XXI. lib. II. de pecc. orig. cap. XXXV. lib. I. retract. cap. X. XIII. & XIX. quod vero idem adserit lib. I. de Genes. con-

contra Manich. c. XIX. *consanguinitates & necessitudines ex peccato accidisse*, nequaquam hunc infert sensum, quod ante lapsum nullæ futuræ fuissent consanguinitates, sed quod non nisi post lapsum fuerint, post quem scilicet Adam uxorem suam cognoscere cœpit. Refellit autem hanc opinionem satis evidenter mosaica creati hominis descriptio: Genes. I. 27. *masculum & faminam creavit eos*; creato homini divinitus facta benedictio: v. 28. *dixit Deus ad eos*: *Crescite & multiplicamini*; naturalis sexus & membrorum generationi inservientium distinctio, ac verborum illorum: *erunt duo in carne una*, ad carnalem copulam ab apostolo facta adplicatio 1 Cor. VI. 16. Sane ardor ille & lepra libidinis, quæ post lapsum generationis actui & conjugii usui accessit, in primo integritatis statu non fuisset, interim ipse conjugii usus non propterea fuerit negandus. 2.) Ex *apostolica adsertione*, Hebr. XIII. 4. ἡ κοίτη ἀμίαντος. Non solum γάμος, sive contractum nuptialem in omnibus vocat *honorabilem*, sed etiam κοίτην, usum conjugii *impollutum* vocat, ita enim κοίτης nomen accipi, evidenter colligitur ex Rom. IX. 10. XIII. 13. & ex eo, quod Rubenis incestus a LXX. interpretibus sic describitur, quod adscenderit ἐπὶ τὴν κοίτην patris sui, Gen. XLIX. 4. 1 Paral. V. 1. id quod Genes. XXXV. 22. sic exponitur, ἐκοιμήθη μετὰ τῆς παλλακῆς τοῦ πατρὸς. Confer Levit. XV. XXIV. XVIII. 20. Num. XXXI. 35. &c. at quomodo usus conjugii sive concubitus posset esse ἀμίαντος, si in se ac per se esset pollutio ac peccatum? Ex hoc dicto apostolico Paphnutius martyr in concilio Nicæno probavit, non esse episcopis, presbyteris & diaconis grave illud jugum imponendum, ut a congressu maritali uxorum, quas cum laici essent, duxerant, abstinerent, σωφροσύνην enim esse τὴν τῆς νομίμου γυναικὸς συνέλευσιν, *castimoniam esse viri cum uxore legitima concubitum.* Socrates lib. I. histor. eccles. c. VIII. Theodoretus libr. I. c. VII. Sozomenus lib. I. c. XXII. Nicephorus lib. VIII. c. XIX. & XLII. Huc referri possunt similia scripturæ dicta, quæ in consuetudine conjugali (si leges conjugii non violentur, maxime si conjuges sint pii ac fideles) pronunciant esse ἁγνείαν, *castitatem*; Tit. II. 4. 1 Petr. III. 2. ἁγιασμὸν, *sanctificationem*; 1 Cor. VII. 14. 1 Thess. IV. 4. 1 Tim. II. 15. Hebr. XII. 14. σωφροσύνην, *temperantiam, pudicitiam*; 1 Tim. II. 15. Tit. II. 5. ἐγκράτειαν, *continentiam*; Syr. XXVI. 20. Gal. V. 22. Tit. I. 8. 2 Petr. I. 6. τιμὴν *honorem, honorabile aliquid*, 1 Thess. IV. 4. Hebr. XIII. 4. &c. 3.) Ex *paritatis ratione.* Ut reliquorum corporis membrorum usus in se ac per se peccatum non est, sed tum demum peccato contaminatur, si contra præscriptum legis divinæ membris nostris utamur, vel potius abutamur, unde apostolus pronunciat, *membra* corporea in quibusdam hominibus esse δέλα τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν, in quibusdam vero esse δέλα τῇ δικαιοσύνῃ εἰς ἁγιασμὸν, Rom. VI. 19. ac per corpus *bonum & malum geri posse*; 2 Cor. V. 10. ita quoque de usu membrorum generationi inservientium idem statuendum, quod scilicet in se & per se peccatum non sit, nisi contra divinam ordinationem & institutionem devergat. Augustinus lib. de bon. conjugali c. XVI. in principio: *Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis, & utrumque non est sine delectatione carnali. Quæ tamen modificata & temperantia refrenante in usum naturalem redacta libido esse non potest. Quod est autem in sustentanda vita illicitus cibus, hoc est in quærenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus. Et quod est in luxuria ventris & gutturis illicitus cibus, hoc est in libidine nullam prolem quærente illicitus concubitus. Et quod est in cibo licito nonnullus immoderatior adpetitus, hoc est in conju-*

gibus

gibus venialis ille concubitus &c. 4.) Ex *decente conjugalis cohabitationis descriptione.* Spiritus sanctus generationis opus decenter & honeste nominat, ac proinde a nobis etiam honeste de eo sentiendum & loquendum esse demonstrat: quod si per se turpe ac vitiosum judicasset, nequaquam Spiritus ille castitatis per decentem εὐφημισμὸν ac σεμνὸν λόγον de eo locutus fuisset. Potiores phrases, quibus conjugalis copula describitur, sunt istæ: יָדַע *cognoscere uxorem*, Genes. IV. 1. 17. 25. 1 Sam. I. 19. 1 Reg. I. 4. & vice versa *cognoscere virum*, Gen. XIX. 8. Judic. XXI. 11. quæ phrasis etiam usurpatur in nov. test. Matth. I. 25. Luc. I. 34. ac usitata est scriptoribus ethnicis. Plutarchus in Alex. *neque aliam* ἔγνω, cognoscebat, *mulierem.* Horatius innuptam vocat *ignaram mariti.* Exponitur autem Num. XXXI. 17. *omnem mulierem* יוֹדַעַת, *noscentem virum*, לְמִשְׁכַּב זָכָר, *ad concubitum masculi occidite;* ratio descriptionis petenda est ex regula grammaticorum, quod verba notitiæ apud Hebræos cum adfectu & effectu sint accipienda, ut cognoscere sit idem quod experiri, rem cum aliqua habere. Lutherus in cap. IV. Genes. pag. 55. *Cognovit Adam uxorem suam non objective aut speculative, sed realiter expertus est suam Hevam, quod esset fœmina.* בָּעַל *amavit*, Deut. XXI. 13. ubi LXX. interpretes reddiderunt συνοικιωθήσῃ αὐτῇ, *simul dormies cum ea.* XXIV. 1. עֵרְוַת *cohabitatio;* Exod. XXI. 10. שְׁכַב *cubare, concumbere cum viro* Genes. XXVI. 10. *parum abfuit, ut unus ex populo jacuisset cum ea.* בּוֹא vel הָלַךְ vel נגש *venire ad mulierem, ingredi, ire, adpropinquare ad uxorem*, sicut Græci usurpant τὸ βαίνειν, & Latini *coire.* Genes. VI. 4. *Postquam irent filii Dei ad filias hominum.* Genes. XIX. 31. *Vir non est in terra, ut veniat super nos juxta morem universæ carnis.* Exod. XIX. ט. *Ne adpropinquetis ad uxorem.* Amos II. 7. *Pater & filius iverunt ad puellam.* Phrasis explicatur Jud. XV. 1. *Veniam ad uxorem meam in cubiculum.* Targum: *in locum concubitus.* *) Paulus vocat ἕνωσιν, 1 Cor. VII. 5. Petrus συνοικίαν 1 Petr. III. 7. De illicito & impudico concubitu usurpantur alia verba: שָׁגַל *concubuit, subagitavit*, quod congruit significatione cum verbis גָּלַל גָּאַל *volutionem*, seu *volutationem* significantibus. Et quia Hebræorum magistris hoc verbum fuit visum obscœnius, ideo in margine locorum scripturæ, in quibus habetur, plerumque substituerunt verbum שָׁכַב *cubare.* Deut. XXVIII. 30. Jerem. III. 2. Zach. XIV. 2. in quibus locis omnibus pro illicito congressu usurpatur. טחן Job. XXXI. 10. תִּטְחַן *molat alteri uxor mea*, sicut Horatius serm. I. *alienas permolere uxores* dixit, ac Theocritus idyll. δ. μύλλειν eadem significatione usurpat. 5.) Ex *comparatione.* Spiritus sanctus ecclesiæ statum similitudine a fœminis gravidis & parturientibus desumta describit, Joh. XVI. 21. Apoc. XII. 2. quo pertinent omnia scripturæ dicta, in quibus adversitates & ærumnæ, quibus ecclesia in hac vita subjecta est, doloribus parturientium comparantur. Vide infra §. 497. Atqui si opera illa matrimonialia *uxorem cum marito congredi, concipere, gravidam reddi, parturire, in partu clamare &c.* essent Deo invisa & adversa, Spiritus sanctus ad mysteriorum illorum explicationem & illustrationem ea nunquam adhiberet. Hoc, theologus nobilissimus in cap. XII. Apocal. p. 28. 6.) Ex *patrum testificatione.* Clemens Alexandrinus libr. III. stromat. p. 342. *Quando Servator locutus est ad Salo-*

*) Tob. III. 8. *Asmodaeus occidit eos,* πρὶν ἢ γενέσθαι αὐτοὺς μετ' αὐτῆς ὡς ἐν γυναιξί, *antequam essent ipsi cum ea ut in mulieribus.*

Salomen (in evangelio secundum Ægyptios) μέχρι τότε εἶναι θάνατον ἄχρις ἂν αἱ γυναῖκες τίκτωσιν, *usque tunc dominaturam mortem, quousque mulieres pariant, non ipsam* γένεσιν, *generationem improbavit, quæ ob salutem fidelium necessaria est.* Epiphanius lib. I. tom. III. hæres. 45. pag. 170. in Gr. τὴν αὐτὴν τῶν ὄρεξιν τῆς κατὰ τὸ σῶμα ἐπιθυμίας ἔκ ἄτοπον ἔσαν παρασήσαιμι. ἄν ἔστι γὰρ πρὸς παιδοποίαν ἐν σεμνότητι δοθεῖσα καὶ εἰς δόξαν τῷ ποιήσαντι τὰ πάντα &c. *Ipsam etiam adpetentiam concupiscentiæ corporis non absurdam esse adfirmaverim. Est enim ad liberorum generationem in castitate data, & ad gloriam ejus, qui omnia fecit, quemadmodum terræ semina ad effusionem multitudinis creatorum a Deo bonorum, fructuum inquam & seminum, sic etiam humanæ naturæ ad hoc, ut impleat illud: Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Paphnutii dictum jam ante adduximus. Augustinus libr. II. de pecc. orig contra Pelag. & Cœlest. cap. XXXVIII. circa finem: *Nuptialis concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ causa procreandorum fieri filiorum, per se ipsum prorsus non in comparatione fornicationis est bonus, qui tametsi propter corpus mortis sine bestiali motu, de quo natura erubescit humana, fieri non potest, tamen ipse concubitus non est peccatum, ubi ratio libidine utitur ad bonum, non superatur ad malum.* Fulgentius de statu viduali epist. II. *In eo, quod sibi conjuges invicem carnis debitum reddunt, in quantum id modeste faciunt, Christi præcepta custodiunt, quia nullatenus a conjugali caritate & castitate discedunt.* Patrum consortio merito adjungimus *b. Lutherum*, qui in comment. Genes. IV. pag. 54. sic scribit: *Etsi propter peccatum originale divinum opus generationis pro turpi habetur, quo offendi puras aures videmus, tamen spirituales homines distinguere debent inter peccatum originale & creaturam &c. Opus generationis est creatura Dei bona & sancta, est enim ex Dei ordinatione, ac si homo non esset lapsus, fuisset purissimum & honestissimum opus; sicut enim nemo veretur cum uxore sua loqui, edere, bibere, honesta enim sunt hæc omnia, ita quoque generare honestissimum fuisset. Ac mansit etiam in natura corrupta generatio, sed accessit illud venenum diaboli, pruritus carnis & fœda libido.*

§. CCCCXXXIII. Opponenda hæc sunt: I.) *veteribus hæreticis*, qui de usu conjugii & generationis opere erroneas, & in Deum conjugii auctorem injurias sparserunt. De *Saturnilo* (alias *Saturnino*) referunt Irenæus lib. I. cap. XXII. Epiphanius lib. I. tom. II. hæres. 23. quod *generare ex Satana esse docuerit.* De *Encratitis* memorant Irenæus lib. I. cap. XXX. & XXXI. Eusebius lib. V. hist. eccles. cap. XXVII. quod *vitandas nuptias prædicarint, antiquam Dei formationem reprobantes & sensim eum reprehendentes, qui maris & fœmellæ generationem fecit.* De *Tatiano*, Encratitarum principe, memorat Hieronymus libr. I. adv. Jovinian. cap. I. circa medium, quod *omnem coitum spurcum* putaverit. De *Severianis* scribit Epiphanius lib. I. tom. III. hæres. 45. quod *mulierem* dixerint *opus satanæ*, velut etiam Andronici hoc dixerant, ac proinde *matrimonium contrahentes opus satanæ explere.* Sed & *hominis dimidiam partem esse opus Dei, dimidiam vero diaboli. Nam ab umbilico & supra dixerunt esse formationem Dei, ab umbilico vero & infra, malæ potestatis formationem, unde omnia secundum voluptatem & æstri stimulum ac concupiscentiam ab umbilico & infra fiant.* De *Adamianis hæreticis* refert Ludovicus Vives in comm. lib. XIV. Augustini de civ. Dei cap. XXI. quod *nuptias futuras fuisse non putaverint, si Adamus non peccasset.* Plura ejusmodi hæretica pronunciata vide

Antithesis.

enu-

enumerata superius cap. IV. §. 51. II.) *Incommodis veterum dictis:* Tertullianus libr. de veland. virgin. cap. X. pag. 193. congressum conjugalem vocat *communem contumeliam. Non enim*, inquit, *& continentia virginitati antistat sive viduorum, sive qui ex consensu contumeliam communem jam recusaverunt?* Lib. de exhort. ad castit. cap. IX. pag. 567. *Levis videtur matrimonii & stupri differentia, alioquin res & viris & fœminis eadem imponit, est enim & matrimonium & stuprum commixtio carnis.* Hieronymus contumeliosam illam Tertulliani vocem repetit, quod usus conjugalis sit *communis contumelia*, & addit, *Spiritum sanctum non dari in consuetudine conjugali, etiamsi propheta sit.* Item: *quando impleo officium mariti, non impleo officium christiani.* Ex loco apostolico 1 Petr. III. 7. *ne impediantur orationes vestræ*, infert, *quia semper orandum, ergo matrimonio nunquam utendum.* Tractans illud Paulinum 1 Cor VII. 5. *ut vacetis orationi*, subjungit: *Oro te, quale illud bonum est, quod orare prohibet, quod corpus Domini accipi non permittit.* Tom. I. oper. Augustini exstant libri soliloquiorum falso adscripti Augustino in cujus libro I. cap. XIV. sic loquitur Ratio: *Quam sordidus, quam fœdus, quam exsecrabilis, quam horribilis complexus fœmineus videbatur, quando inter nos de uxoris cupiditate quæsitum est.* Gregorius lib. I. dialog. recitat talem historiam: *Mulier, quæ in nocte cognita erat a viro, mane veniens ad processionem, a diabolo est abrepta.* Apud Brigittam lib. I. c. XXVI. Christus dicit: *Cum conjuges veniunt ad lectum, tunc statim discedit ab eis Spiritus meus, & adpropinquat spiritus impurus.* III.) *Pontificiorum pronunciatis*, quibus in licitam conjugum copulam sunt injurii. c. Connubia 32. q. 2. *Connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia sancti Spiritus non dabitur, etiamsi propheta videatur esse, qui generationis officio obsequitur.* c. Sciatis 33. q. 4. *Quicunque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus agni comedere debet.* Item: *Si panes propositionis ab his, qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant; quanto magis ille panis, qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulo ante hæserunt complexibus, violari atque contingi, non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, vacare a carnalibus operibus debeamus.* c. Vir cum propria. caus. & quæst. iisdem: *Vir cum propria uxore dormiens, nisi lotus aqua, ecclesiam intrare non debet. Quamvis diversæ hominum nationes de hac re diversa sentiant, atque alia custodire videantur, Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ uxoris & lavacri purificationem quærere, & ab ingressu ecclesiæ paululum temperare.* Posset hoc videri petitum ex lege mosaica Lev. XV. 16. *Vir, de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum, & immundus erit usque ad vesperam.* Sed ex textu Hebræo adparet, non de congressu maritali cum uxore, sed de effusione seminis, quæ in somno quandoque contingit, ibi esse sermonem; additur enim v. 17. *Omnis vestis & omnis pellis, super quam fuerit effusio seminis, lavabitur in aquis.* Quod ergo sequitur v. 18. *Mulier cum qua coierit, lavabitur aqua & immunda erit &c.* id limitate ac determinate accipiendum, antequam scilicet maritus fuerit ab illa pollutione emundatus. Innocentius & Siricius, pontifices, ad conjugia sacerdotum adcommodant sententias illas apostolicas: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Qui sunt inquinati, Deo placere non possunt, cum scriptum sit: Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum.* Hugo virginibus in comparatione conjugum adcommodat illud Sap. III. 13.

Felix sterilis & non coinquinata, quæ nescivit thorum in delicto; cum textus ostendat, illegitimis commixtionibus extra conjugium illud opponi. Vulgatissimum est in papatu, ad cœlibes adcommodari illud Apocalypticum cap. XIV. 4. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt;* cum de spirituali virginitate id accipiendum sit. Bellarminus lib. I. de clericis cap. XVIII. §. *Jam vero &c. In actu conjugii negari non potest, quin admixta sit quædam impuritas & pollutio, non quæ peccatum sit, sed quæ ex peccato tamen nata sit. Etiam sanctorum matrimonium sine pollutione quadam & turpitudine non exerceri, satis testatur rebellio membrorum & verecundia humana in illo actu, quæ semper secretum quærit.* Atqui etiam alvum exoneraturi secretum quærimus, num id propterea peccatum est, & pollutio coram Deo? Et postea: *Actus conjugii maxime hebetat aciem mentis, & deprimit ad inferiora, & perturbat, & animam ipsam carnalem quodammodo facit.* Ubi nota, non de *immoderato* conjugii usu Bellarmino sermonem esse, sed in genere de quovis usu, quia ex eo evincere conatur, sacerdotes a conjugio esse arcendos; confundit vero hypocrita actum ipsum conjugii, qui per se peccatum non est, & lepram libidinis, quæ post lapsum accessit, quæque honestate nuptiarum in piis conjugibus tegitur & excipitur. Costerus in enchir. cap. XV. *conjunctionem conjugalem ex se tam fœdam & immundam esse* dicit, *ut sanctificatione sacramenti indigeat, quo sanctificetur.* Item: *animam hominis per eam ad inferiora deprimi, ut minus idoneus sit cœlestia meditari atque tractare.* Pistorius in hodeget. cap. XIII. p. 644. *Deum non ferre conjugalem commixtionem in personis sanctis & devotis, & pios conjuges sanctificari abstinentia conjugalis consuetudinis.*

Usus conjugii post lapsum.

§. CCCCXXXIV. Quamvis vero, ut evidenter jam demonstratum, usus conjugii in se ac per se non sit peccatum, tamen distinguendum est inter usum conjugii, qualis fuisset in *statu integritatis*, & qualis est post *lapsum*. Ante lapsum fuisset modis omnibus purus ac sanctus, & absque ulla ἀταξίᾳ & adhærente cupiditate vitiosa conjuges sibi invicem cohabitassent; sed post lapsum admixta est generationis operi lepra libidinis & pravæ concupiscentiæ vitium. Quemadmodum enim totum hominem ac omnes animæ facultates & corporis partes originale peccatum horribiliter infecit; ita quoque membris generationi dicatis peccati lepra intime insedit; unde protoplasti foliis ficus eadem tegere & obvelare voluerunt, cum insolitam ἀταξίαν ibi sentirent, Genes. III. 7. ac Deus ipse *tunicas* illis addit, v. 21. quin & apostolus vocat *membra* ἀτιμότερα καὶ ἀχήμονα, quæ tegendo sunt honoranda 1 Cor. XII. 23. Atque inde est, quod conjugalis congressus, qui ante lapsum nullum pudorem incussisset, hodie secretum amat. Augustinus lib. XIV. de civ. Dei c. XVIII. „Quis nescit, ut filii „procreentur, quid inter se conjuges agant, „quandoquidem ut id agatur, tanta celebritate ducuntur uxores, & tamen cum „agitur, unde filii nascuntur, nec ipsi filii, si qui inde jam nati sunt, testes fieri „permittuntur. Sic enim hoc recte factum ad sui notitiam lucem adpetit animorum, ut tamen refugiat oculorum, „unde hoc, nisi quia sic geritur, quod deceat ex natura, ut etiam quod pudeat, „comitetur ex pœna? *Cap. XIX.* At „vero genitales corporis partes ita libido „suo juri quodammodo mancipavit, ut moveri non valeant, si ipsa defuerit &c. „hoc est, quod pudet, hoc est, quod intuentium oculos erubescendo devitat, magisque fert homo spectantium multitudinem,

„nem, quando injuste iraſcitur homini, „quam unius adſpectum, quando juſte „miſcetur uxori.„ Plura in hanc ſententiam ſeqq. capp. addit. Pii ergo conjuges utrumque agnoſant, videlicet ardorem illum ac flammas concupiſcentiæ ſancto generationis operi adhærentes ex peccato ortas eſſe, ac nihilo tamen minus miranda Dei bonitate ἀταξίαν illam concupiſcentiæ, quæ per lapſum acceſſit, conjugii honeſtate ac ſanctitate quaſi obumbrari ac tegi, & conjugalem conſuetudinem, ſi intra leges conjugii coerceatur, coram Deo & in conſpectu ejus eſſe caſtitatem, ſanctificationem, continentiam, &c. licet non amplius tam pura & munda ſit, quam ante lapſum fuiſſet, unde ſcriptura utrumque conjugibus tribuit, ἀκρασίαν ex peccato originis in carne eorum, qui continentiæ dono non ſunt inſtructi, hærentem, 1 Cor. VII. 6. & ἐγκράτειαν intra conjugii leges libidinis impetum coercentem, ut ſuperius oſtendimus. Auguſtinus lib. II. de pecc. origin. cap. XXXVII. „Malum li„bidinis non eſt nuptiis imputandum, quod „etſi non eſſet, nuptiæ tamen eſſent, qua„rum bonum non aufertur iſto malo, ſed „ab eis hoc malum in uſum vertitur bo„num.„ Conjunge Chemnitium part. II. locor. c. de caſtitate p. 481.

§. CCCCXXXV. Cum ergo poſt lapſum concupiſcentiæ ἀταξία & libidinis quidam fervor ac furor acceſſerit, ideo addendus eſt poſterior aphoriſmus: „Pii conjuges ita utan„tur conjugio, ne furori libidinis more „gentilium vel beſtiarum indulgeant, ſed „eam potius caſtitate refrenent ac mode„rentur.„ Hac regula in ſtatu innocentiæ non fuiſſet homini opus, quippe in quo non fuiſſet metuendus immoderatus conjugii uſus. Auguſtinus lib. II. de pecc. orig. cap. XXXV. „Si peccato non fuiſſet „dehoneſtata natura, abſit ut opinemur, „tales futuras fuiſſe nuptias in paradiſo, „ut in eis ad prolem ſeminandam non na„tura voluntatis, ſicut pes ad ambulandum, „manus ad operandum, ſigna ad loquen„dum, ſed æſtu libidinis membra genitalia „moverentur.„ Hodie vero poſt lapſum admonitio illa omnino neceſſaria eſt, unde ipſimet apoſtoli ſcriptis ſuis eam inſerere non dubitarunt. Paulus 1 Theſſ. IV. 3. ſcribit: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis a fornicatione*, v. 4. *ut ſciat unusquisque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore*, v. 5. *non in paſſione concupiſcentiæ, ſicut gentes Deum non ſcientes.* Per τὸ σκεῦος Tertullianus, Ambroſius, Theophylactus & Oecumenius intelligunt *corpus*, quod eſt animæ inſtrumentum, ſicut 1 Sam. XXI. 5. *vaſa*, id eſt, corpora ſervorum Davidis dicuntur *ſancta*, id eſt, nec concubitu illicito nec ullius rei immundæ contactu contaminata, & Paulus 2 Cor. IV. 7. σκήνη ὀστράκινα vocare videtur corpora noſtra. Philaſtrius etiam hæreſ. XCVI. carnem vocat *animæ rationalis organum*, quod colligitur ex 1 Cor. V. 10. qua ratione poſſeſſio vaſis *in ſanctificatione & honore* oppoſita eſſet fornicationi, & generale præceptum de fugienda quavis immunditiæ contineret. Sed haud incommode per τὸ σκεῦος intelligi poteſt uxor, cum Petrus 1 epiſt. III. 8. uxorem vocet σκεῦος ἀσθενέστερον, *vas infirmum*, cumque LXX. interpretes parabolicam illam Salomonis admonitionem: Prov. V. 15. *Bibe aquam de ciſterna tua*, reddiderint, πίνε ὕδατα ἀπὸ σῶν ἀγγείων, *bibe aquam ex vaſis tuis*; quo ſenſu accipit Hieronymus in comm. Thren. I. tom. V. *Caveat*, inquit, *& uxor, ne forte victa deſiderio coeundi alliciat virum, & maritus, ne vim faciat uxori, putans omni tempore ſubjectam ſibi eſſe debere conjugis voluptatem, unde & apoſtolus ait, ut noverit unusquisque vas ſuum poſſidere;* & hac ratione Apoſtolus duo præcepta proponit, quorum prius concernit perſonas ſolutas, quod continere debeant a fornica-

II.) *Pii conjuges uſum conjugii moderentur.*

nicatione, posterius conjugatas, quod in usu conjugii debeant moderationem adhibere, nec more gentilium concupiscentiis, τοῖς πάθεσιν τῆς ἐπιθυμίας, absque ullo Dei timore & pudore indulgere. Sicut de gentibus dicit apostolus, quod tradiderit eas Deus εἰς πάθη ἀτιμίας, Rom. I. 26. Petrus 1 epist. III. 8. præcipit, *ut viri secundum scientiam uxoribus suis cohabitent, velut infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem.* Hunc locum Hieronymus lib. I. de adv. Jovin. & Beda in comm. ad usum conjugii moderatum & continentiam ab actu conjugali referunt, cum συνοικεῖν a LXX. interpretibus de conjugali copula usurpetur; Deut. XXII. 13. XXIV. 1. admonet igitur Petrus maritos, ut κατὰ γνῶσιν illa cohabitatio instituatur, hoc est, ut scientes & Deum timentes, ipsique in castitate servientes decet. Quidam *secundum scientiam* exponunt hoc modo, *secundum eam vitæ sanctæ formam, quam scientia dictat observandam.* Lutherus nervose reddidit: *mit Vernunft.* Potest etiam huc referri dictum apostolicum: 1 Cor. VII. 5. *Nolite fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi & jejunio.* Quamvis enim ibi non diserte præcipiat, nec morose urgeat, ut conjuges ab usu conjugii ad tempus longinquius abstineant, sed potius prohibeat, ne se invicem perpetuo defraudent, & debitam benevolentiam sibi invicem denegent; tamen tacite concedit & innuit, in publicis & solennioribus orationibus, quibus jejunia conjungi solent, ab usu conjugii ex consensu ad tempus eos abstinere posse, ut animo ab omnibus negotiis interius revocato preces sint ardentiores. Vide loc. de minist. §. 351. Hieronymus in comm. Ezech. XVIII. refert huc dictum Salomonis: Eccles. III. 5. *Tempus amplexandi & tempus elongandi se ab amplexibus.*

§. CCCCXXXVI. In patribus exhortationes ad moderatum conjugii usum sunt frequentes. Clemens Alexandrinus lib. II. pædagog. cap. X. pag. 224. „Moses sa„pientissimus infrugiferam sationem ali„quando symbolice repulit: *Non comedes „inquit leporem nec hyænam.* Non vult „homines esse qualitatis eorum participes, „neque eis parem degustare libidinem, hæc „enim animalia insano quodam stupore „feruntur ad explendum coitum venereum. „*Et postea:* Vincere voluptatem, ventri„que & iis, quæ sunt infra ventrem, do„minari est maximi imperii. Si enim ne „digitum quidem temere movere sapienti „permittit ratio, ut Stoici confitentur, quo„modo non multo magis iis, qui perse„quuntur sapientiam, in eam, qua coitur, „particulam obtinendus est dominatus? „atque hac quidem de causa mihi videtur „pudendum esse nominatum, quod hac „corporis parte magis quam quavis alia „cum pudore sit utendum. Natura enim „sicut alimentis, ita legitimis nuptiis, quan„tum convenit, confert & decet, nobis „uti permisit, permisit autem adpetere li„berorum procreationem. Quicunque au„tem, quod modum excedit, persequun„tur, læduntur in eo, quod est secundum „naturam, per congressus, qui sunt præ„ter leges se ipsos lædentts. *pag.* 227. Ma„trimonium est liberorum procreationis „adpetitio, non nullo ac incerto ordine „seminis excutio, quæ est præter leges & „a ratione aliena. Non semper concedit „tempus natura, ut peragatur congressus „matrimonii, est enim conjunctio eo desi„derabilior, quo diuturnior, neque vero „noctu tanquam in tenebris se immodeste „& intemperanter gerendum est, sed ve„recundia tanquam lux rationis in animo „est includenda. Nihil enim a Penelope „telam texente differemus, si interdiu „quidem texamus dogmata temperantiæ, „noctu autem ea retexamus, cum in cu„bile venerimus. Si enim honestatem „oportet exercere, multo magis uxori tuæ „honestas est ostendenda, inhonestas vi-

tando

„tando conjunctiones, & quod caste verse-
„ris cum proximis fide dignum e domo ad-
„sit testimonium &c. *Lib. II. stromat. cap.*
„*XII. pag.* 445. Conservandum est ma-
„trimonium tanquam sacra aliqua statua,
„mundum ab iis, quæ polluunt, utpote
„qui a somno quidem expergiscamur cum
„Domino, eamusque autem dormitum cum
„gratiarum actione & oremus, cumque
„cubile tenet, lux & cum fulserit alma,
„tota vita Dominum testantes, pietatem
„quidem ac religionem anima possidentes,
„temperantiam autem etiam usque ad cor-
„pus deducentes. *Lactantius lib. VI. in-*
„*stit. cap. XXIII. ante medium:* Sicut
„dedit nobis Deus oculos, non ut specte-
„mus, voluptatemque capiamus, sed ut
„videamus propter eos actus, qui perti-
„nent ad vitæ necessitatem; ita genitalem
„corporis partem, quod nomen ipsum do-
„cet, nulla alia de causa, nisi efficiendæ
„sobolis accepimus, qui voluptatibus in-
„dulgent, qui libidini obsequuntur, ani-
„mam suam corpori mancipant &c. *Hie-*
„*ronymus lib. I. adv. Jovinian. & cita-*
„*tur c. Origo* 32. *q.* 4. Origo quidem
„amoris honesta erat, sed magnitudo de-
„formis. Nihil autem interest, ex quanam
„honesta causa quis insaniat, unde & Xy-
„stus Pythagoricus in sententiis: Adulter
„est, inquit, in suam uxorem amator ar-
„dentior. In aliena quippe uxore omnis
„amor turpis est, in sua nimius. Sapiens
„judicio debet amare conjugem non adfe-
„ctu, non regnet in eo voluptatis impe-
„tus, nec præceps feratur ad coitum. Ni-
„hil enim est fœdius, quam uxorem ama-
„re quasi adulteram. *Idem in Ezech.*
„*XVIII.* Præcipitur in lege Domini vi-
„ris, ut non solum in alienis mulieribus,
„sed in suis quoque certa concubitus no-
„verint tempora, quando coëundum, quan-
„dove ab uxoribus abstinendum sit. *Augu-*
„*stinus lib. I. de nupt. & conc. c. IV.*
„Copulatio maris & fœminæ generandi cau-
„sa bonum est naturale nuptiarum, sed isto
„bono male utitur, qui bestialiter utitur,
„ut sit ejus intentio in voluptate libidinis,
„non in voluntate propagationis. *Fulgentius*
„*de conjug. debit. epist. I.* Ut omnia ve-
„stra honeste fiant, in redditione debiti
„conjugalis sic infirmitatem carnis usus ex-
„cipiat conjugalis, ut non caro libidini ser-
„viat, sed animi virtus adjuta divinitus
„carnalis concupiscentiæ frena restinguat.„

§. CCCCXXXVII. De moderatione illa in usu conjugii a piis & Deum timentibus adhibenda tradi potest hæc generalis regula, quod *habenda sit ratio honestatis, castitatis & sanitatis.* Ipsa *lux naturæ* in mente hominis post ipsum & adhuc reliqua, nisi impetu concupiscentiæ velut tetra quadam caligine penitus obfuscetur, docet, non esse beluino more in Venerem etiam licitam proruendum, sed rectæ rationis imperio libidinem coercendam; *lux autem gratiæ* per Spiritum sanctum in cordibus vere credentium accensa id longe illustrius docet, ac fortius nativum illum carnalis concupiscentiæ impetum reprimit. Quemadmodum enim in aliis particularibus actionibus vere pii illuminatione & magisterio Spiritus sancti ita erudiuntur, ut sciant, quomodo se in omnibus recte gerere debeant, nec opus habeant, ut specialibus regulis de omnibus casibus & circumstantiis specialibus informentur, quo sensu dictum apostolicum 1 Johan. II. 27. accipi posse ostendimus tract. de minist. §. 47. ita quoque in usu conjugii moderando ac temperando, si Spiritus sancti in corde suo habitantis ductum ac monitum pii homines sequantur, ab honestatis & castitatis limitibus nunquam recedent, nec sanitati noxam quamdam immoderato etiam licitorum usu inferent. Ex Lycurgi legibus sponsus *non ebrius nec ad lasciviam compositus, sed sobrius & pro more cœnatus ad sponsam noctu ingrediebatur, ac paululum cum ea*

In usu conjugii habenda ratio honestatis, castitatis & sanitatis.

moratus modeſte abibat, ut, ſicut conſueverat cum reliquis juvenibus, dormiret. Idem etiam poſt nuptias agebat, ut cum æqualibus interdiu degens noctuque cubans ad ſponſam caute commearet, verecunde metuens, ne quis eorum, qui in domo ea ſunt, ipſum animadverteret, nec non ſponſa idem machinabatur, ut commode & furtim congredi poſſent, idque agebant non parvo tempore, ſed eo uſque, ut nonnulli liberi eſſent nati, priusquam interdiu ſuas uxores viderent, quæ congreſſus maritalis ratio non modo continentiæ fuit & modeſtiæ exercitatio, ſed corpora etiam ad generandum apta reddidit, ut recenti ſemper novoque amore convenirent, qui non ſatietate obrueretur, neque nimia conſuetudine evaneſceret, cum nunquam non aliquem deſiderii ſomitem alter in alterius animo relinqueret. Plutarchus in Lycurg. Quod ſi gentiles ſaniores, qui nondum ἀπλυγκότες ſeſe tradiderunt impudicitiæ *in operationem omnis immunditiæ*, Epheſ. IV. 19. nec dum penitus traditi fuerunt εἰς πάθη ἀτιμίας, Rom. I. 26. quamdam honeſtatis & modeſtiæ rationem in ipſo conjugio habendam eſſe recte cenſuerunt; quanto magis Chriſtiani, quorum *corpora* ſunt *Spiritus ſancti templa* & habitacula, imo *Chriſti membra*, *Deum in corpore ſuo glorificandum eſſe noverint?* 1 Cor. VI. 15. 19. 20. Scholaſtici recte dicunt, non ad quemvis ſtatim concupiſcentiæ carnalis motum conjugali congreſſu eſſe utendum, cum ad conjuges etiam pertineat illud apoſtolicum: *Qui Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*, σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. Galat. V. 24. Nec *honeſtatis* tantum ſed etiam *ſanitatis* intuitu moderationem illam adhibere convenit.

Multa Venus vires exhaurit, ſpiritibusque
Noxia conſumit corpora mille modis;

ut canit Eobanus. Diſcipulus de tempore citat dictum aliquod Ariſtotelis: *nimius coitus eſt deſtructio corporis & adbreviatio vitæ*, quia *centum guttæ ſanguinis vix æquant unam guttam ſeminis*, ac corporis vires plus uno concubitu exhauriuntur, quam ſi quaterdecies tantumdem ex miſſione ſanguinis demtum fuerit, ut medici tradunt. Johannes Cuba in medic. tract. de paſſer. memorat, *paſſeres maſculos per unum tantum annum vivere propter ſalacitatem.* Præcipue vero cerebrum & membra cerebro vicina per nimiam ſeminis emiſſionem læduntur, ut oſtendit Albertus lib. XXII. de animalib. tract. 1. cap. IV. cum enim cerebrum inter omnes corporis partes frigidiſſimum ſit, ideo per immoderatam illam caloris ſinceri naturalisque ſecretionem magis refrigeratur. Ariſtoteles lib. V. de generat. animal. cap. III. unde Galenus tom III. oper. lib. III. comment. in lib. III. Hippocratis de morb. vulg. dicit, *quod nimia Venus cerebrum lædat & vires elidat*, quo reſpiciens Hippocrates *coitum eſſe parvam quamdam epilepſiam* dicebat. Laurentius Friſius part. II. lib. I. ſpeculi medicinal. cap. IX. memorat, *Lutetiæ Pariſiorum juvenem quemdam ob immoderatum Veneris uſum in ipſo actu fuiſſe exſtinctum, ac cranio ejus ab anatomicis aperto ne minimam quidem cerebri partem in eo fuiſſe repertam.* Foreſtus lib. XXVI. obſervat. 20. itidem refert, *quemdam ſenem ex morbo convaleſcentem inter uxoris amplexus mortuum eſſe.* Ibidemque ex Galeno addit alterius cujusdam exemplum, *qui poſtquam ex acuto morbo convaluiſſet, poſt concubitum ſubducto ſpiritu deficientibusque viribus eadem nocte frequenti animi deliquio fuit mortuus;* ac in ſcholiis poſtmodum concludit: *Nimia Venus nocet cerebro humido, catarrhum auget, eliquat ejus humiditates, cæcitatem inducit, phtiſin, epilepſiam vel vertiginem, ideo cordi quoque nocet, cum & hecticam producat, hepati vero, dum inflammationem parit, ardorem, febres putridas aut interna apoſtemata pernicioſa, ſi ſupra modum fiat. Stomacho fri-*

frigido ac laxo nocet, robur ejus dissolvit, coctionem impedit, cibum fluctuare facit, suo motu conquassando calorem & spiritum a centro ad circumferentiam distrahendo. Renibus inutilis, si excedat, macie eos conficit, ut in sanguinem emingentibus, proinde cum ex ancipiti voluptate tot mala oriri videamus, abstinentiores esse debemus.

Congressus cum menstruata.

§. CCCCXXXVIII. Ad *speciales* regulas Spiritus sanctus in sacris literis non descendit, si unicam illam excipies de *congressu cum menstruata.* Levit. XVIII. 19. „Ad mulierem in separatione „immunditiæ ejus non accedas ad revelan„dum nuditatem ejus. *XX.* 18. Vir, qui „concubuerit cum muliere menstruata, & „revelaverit nuditatem ejus, venam ejus „discooperuerit, & ipsa revelaverit venam „sanguinis ejus, succidentur ambo ipsi e „medio populi sui. *Lev. XV.* 24. Si coie„rit vir cum menstruata immundus erit „septem diebus„; scilicet si per imprudentiam cum ea concubuerit, & postea demum animadverterit, initia menstruorum adesse: qui enim sciens mulierem menstuum fluxu laborare, nihilominus data opera cum ea consuevisset, atque illa sciens & volens id permisisset, mortis pœnam incurrebant, ut ex lege antea citata colligitur. Ezech. XVIII. 6. inter requisita & opera viri justi *facientis judicium & justitiam* etiam hoc refertur, quod *ad menstruatam non accesserit.* XXII. 10. inter gravissima scelera, quibus Hierosolymitani excidium promeruerant, numeratur, quod *immunditiam menstruatæ humiliaverint.* Ratio prohibitionis potest dari triplex: 1.) *Naturalis pudor & honestas.* Natura enim ipsa abhorret a congressu cum menstruata, qui ergo tale quid expetunt, naturalis honestatis prorsus videntur obliti, ac naturæ leges nefarie perfringunt; ex quo etiam intelligitur, hanc legem non esse mere *ceremonialem*, sed *moralem*, adnumeratur enim illis, quæ de prohibitis cognationis gradibus traduntur, quas morales ac naturales esse superius evicimus. Probare igitur non possumus, quod *quidam ex pontificiis* negant, in novo testam. esse mortale peccatum, si maritus congrediatur cum uxore menstruum patiente. Antoninus, Paludanus, Abulensis, Soto, Cajetanus & alii, quos citant & sequuntur Navarrus c. XVI. enchir. num. 32. Sanchezius lib. IX. de matrim. disp. 21. Corn. a Lapide in comm. cap. XX. Levit. qui perquam absurde statuit, „congressum cum menstruata Judæis „tam severe vetari lege non tam naturali, „quam positiva ac ceremoniali, perinde „ac eadem vetitus fuit esus adipis & san„guinis sub pœna mortis.„ At pii veteres, quin & cordatiores ex pontificiis rectius contrarium statuunt. Augustinus in quæst. super Lev. q. 64. „Talia hic pro„hibita sunt, quæ etiam tempore nov. test. „remota umbrarum veterum observatione „sine dubio custodienda sunt, quod videtur „etiam per prophetam Ezechielem significari, qui inter illa peccata, quæ non fi„gurate sed manifeste iniquitatis sunt, etiam „hoc commemorat, ad menstruatam mu„lierem si quis accedit.„ Quamvis enim pœnæ gradus ac modus præposteræ huic commixtioni in lege mosaica definitus non sit simpliciter in nov. test. necessarius, tamen ipse congressus, utpote naturali honestati repugnans, merito damnatur, id quod evidenter ex eo colligitur, quod adnumeretur illis gentilium transgressionibus, per quas *terram polluisse*, atque expulsionem ex eadem promeruisse ipsius Dei voce dicuntur Lev. XVIII. 27. 28. Colligitur hæc prohibitionis ratio ex ipsis verbis legis Lev. XVIII. 19. *Ad mulierem non accedes*, בְּנִדַּת, *in separatione immunditiæ suæ*; radix est נָדַד, unde נִדָּה, *remotio*, & μετωνυμικῶς *menstruum*, quo mulier a templo & marito removetur, ut sola degat. Sensus igitur est, quia natura ipsa docet, tempore immunditiei illius mu-

lierem debere separatim vivere, ideo ad eam menstrui tempore non accedes. Ex legibus Zabiorum mulieri, cui menstrua fluerent, hominum societas interdicebatur, cremabanturque loca, in quæ pedem posuisset. 2.) *Utriusque conjugis mundities & sanctitas.* Quamvis enim adhuc inter medicos disceptetur, an καταμήνιον illud αἷμα sive *sanguis menstruus* (sic dictus, quod statis periodis singulo quoque mense per uterum expurgetur) sola *quantitate*, an vero etiam *qualitate* peccet, qua de re legi potest Andr. Laurentius lib. VIII. hist. anatom. q. 8. p. 602. negari tamen non potest, cum eodem sanguine *ad uterum tanquam universi corporis sentinam & membrum servile deferri noxios humores, quorum permistione malignam qualitatem facile adquirere, ac cito vitiari & pessimas qualitates contrahere potest*, unde Hippocrates lib. περὶ γυναικ. ejus qualitatem sic describit: ξύει τὸν γλῶ ὡς ὄξος καὶ δάκνει τῆς γυναικὸς οἱ ἂν ἐπιβάυσῃ καὶ ἐλκθοῖ τὰς μητρὰς, *radit terram velut acetum, & mordet, ubicunque mulierem contigerit, & uteros exulcerat.* Aristoteles lib. III. de nat. animal. cap. XIX. id genus sanguinis *vitiatum ægrotansque* esse scribit. Ovidius adpellat *virus lunare.* Plinius & Columella hunc sanguinem non solum vitiosum, sed quandoque etiam *venenatum* esse putant. Illius enim contactu *novellas vites areſcere, steriles fieri tactas fruges, exuri hortorum germina, spicula velut tabe infici* referunt. Fernelius lib. VII. physiol. cap. VII. p. 322. „Si „mulier prægnans alterius menstrua super„grediatur, aut illis circumlinatur, abor„tum facit: ei autem quæ uterum non ge„stat, concipiendi spem adimit. Gusta„tus hic sanguis canes in rabiem agit, ho„mines autem miris cruciatibus adfligit, „comitialem morbum, pilorum effluvium, „aliave elephanticorum vitia infert, ideo „a veteribus inter venena relatus pari ma„lignitate existimatur, atque sanguis ele„phantici potus.„ Ecquis igitur dubitet a congressu maritali cum ea, quæ fluori hujusmodi obnoxia est, ob munditiei studium esse abstinendum. Clemens Alexandrinus lib. II. pædagog. cap. X. pag. 226. „Moses cum ipsis quoque uxoribus prohi„bet congredi, si forte eas detineant pur„gationes menstruæ. Non enim purga„mento corporis, id quod est maxime ge„nitale seminis, & quod mox homo futu„rum est, polluere est consentaneum, nec „surdido maritæ profluvio, & quæ expur„gantur, inquinamentis inundare & obrue„re.„ Colligitur hæc prohibitionis ratio, tum ex lege *generali* Levit. XI. 44. *Sanctificabitis*, (id est, mundi, impolluti, continentes, ita enim קדוש sæpius usurpatur, atque hoc loco ita accipiendum esse, colligitur ex subjuncta ἀντιθέσει) *quia sanctus sum ego, & non polluetis animas vestras;* tum ex hac ipsa lege *speciali* Levit. XVIII. 19. *Ad mulierem in separatione* טמאתה *immunditiæ ejus non accedes;* radix est טמא, quæ non solum de leviticis contaminationibus usurpatur Levit. XIII. 45. XV. 2. sed etiam de pollutionibus ex peccatis, quæ contra legem moralem committuntur, contractis. Gen. XXXIV. 13. Lev. XVIII 27. Sensus igitur est, quia menstruata est immunda non solum levitice, sed etiam physice, ideo ab ejus congressu maritus abstineat, ne moralem & ethicam immunditiem contrahat. 3.) *Prolis sanitas.* Qui tempore menstrui fluentis concipiuntur, monstrosi fiunt partus, ac variis morbis, præsertim epilepticis & elephanticis obnoxii; caveant igitur conjuges, ne suavissimis suis liberis hæc mala sponte adtrahant. Hæc prohibitionis ratio colligitur ex verbis legis Levit. XX. 18. *Vir, qui concubuerit cum muliere* דָּוָה, *debili ac languida.* Targum: מְסָאנְא *immunda*, ut significetur, languores & infirmitates in sobolem propagari, si cum menstruata quis congrediatur. Hieronymus

mus in comment. Ezech. XVIII. tom. IV. p. 384. „Per ſingulos menſes gravia at„que torpentia mulierum corpora immun„di ſanguinis effuſione relevantur, quo „tempore, ſi vir coierit cum muliere, di„cuntur concepti fœtus vitium ſeminis tra„here, ita ut leproſi & elephantiaci ex „tali conceptione naſcantur, & fœda in „utroque ſexu corpora pravitate, vel enor„mitate membrorum ſanies corrupta dege„neret. *Auguſtinus in quæſt. ſuper Levit. „quæſt.* 64. *tom. IV. col.* 222. Ezechiel „inter peccata iniquitatis commemorat, ſi „ad menſtruatam quis accedat, qua in re „non natura damnatur, ſed concipiendæ „prolis noxium prohibetur.„

§. CCCCXXXIX. *Scholaſtici ac ſummiſtæ*, qui de caſibus conſcientiæ ſcripſerunt, atque eos, qui ſunt ab audiendis confeſſionibus, informare voluerunt, hac generali regula contenti eſſe noluerunt, ſed ſpecialia quædam præcepta ac peculiares prohibitiones propoſuerunt, quæ revocari poſſunt ad quatuor capita, quæ ſunt 1.) Χρόνος, 2.) Τόπος, 3.) Τρόπος, 4.) Τέλος. 1.) De *tempore* conjugalis copulæ diſputant, quod abſtinendum ſit: 1.) a *conjuge prægnante vel „lactante.* Idem ſuadent quidam ex veteri„bus: *Clemens Alexandrinus lib. II. pæ„dag. c. X.* Moſes nullum unquam in„duxit veterum Hebræorum coeuntem cum „ſua uxore prægnante, ſola enim voluptas, „ſi quis ea etiam utatur, in conjugio eſt, „præter leges, & injuſta & a ratione alie„na. Rurſus autem abducit Moſes viros „a prægnantibus, quousque pepererint, &c. „Matrix poſt conceptionem probroſum & „vituperandum negat coitum, poſt ſatio„nem ore clauſo omnino jam libidinem ex„cludens. Ejus autem adpetitiones, quæ „prius in amantibus verſabantur complexi„bus, intro converſæ in procreatione ſo„bolis occupatæ operantur una cum opi„fice. Nefas eſt ergo operantem jam na„turam adhuc moleſtia adficere, ſuperflue „prorumpendo ad petulantem injuriam. „*Idem lib. II. ſtromat. cap. XII. pag.* „445. Quod eſt ſordidum & ſpurcum „ſtudium, id eſt a matrimonio expurgan„dum, ne nobis probro dari poſſit, quod „brutorum animantium congreſſus magis „naturæ conveniat, quam humana con„junctio in ipſo calore Veneris. Nonnul„la certe eorum, quo tempore jubentur, „ſtatim recedunt relinquentia adminiſtra„tioni opificium. *Auguſtinus lib. de bon. „conjugali cap. VI.* Sunt viri quidam us„que adeo incontinentes, ut conjugibus „nec gravidis parcant. *Ambroſius in comm. „I Cor. VII. ſuper verba:* Ne tentet vos „ſatanas; ſi cauſa filiorum creandorum du„citur uxor, non multum tempus conceſ„ſum videtur ad ipſum uſum, &c. quia „ipſa ratio conceptus & partus juxta le„gem ceſſari temporibus his debere mon„ſtrant.„ Sed hic non poſſe generalem aliquam regulam omnibus conjugibus præſcribi, pulere docet Lactantius lib. VI. inſt. c. XXIII. „Non ob aliam cauſam (*inquit*) „Deus cum cæteras animantes ſuſcepto „fœtu maribus repugnare voluiſſet, ſo„lam omnium mulierem patientem viri „fecit, ſcilicet ne fœminis repugnantibus „libido cogeret viros aliud adpetere, eo„que facto caſtitatis gloriam non tenerent. 2.) *Ante feſta ſolenniora, ac tempore precum ſolenniorum & jejuniorum.* Si ante ſolennem *promulgationem* legis Iſraelitæ per biduum ab uxoribus abſtinere jubentur, Exod. XIX. 15. non quod congreſſus ſit per ſe peccatum, ſed ut hac externa pædagogia ad majorem reverentiam & adtentionem excitarentur, ac de interiore animi munditia admonerentur. Etiam ipſæ veſtes ibidem jubentur ſanctificari, non quod impurum reddant corpus, ſed ut ſanctificatione rerum externarum Judæi deducantur ad agnoſcendam internam cordis impuritatem. Joel in exhortatione ad publicam pœnitentiam itidem hujus pæda-

1.) *Tempus congreſſus maritalis.*

gogiæ Israelitas admonet: II. 16. *Egrediatur sponsus de cubili suo & sponsa de thalamo suo.* Tobias VIII. 4. hortatur sponsam Saram, *ut tribus primis noctibus secum oret, antequam conveniat; filii enim sanctorum sumus*, (inquit) *& non possumus conjungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Apostolus ipse 1 Cor. VII. 5. Conjuges aliquamdiu a consortio abstinere posse statuit, *ex mutuo scilicet consensu & ad tempus, ut vacare possint jejunio & orationibus*, videlicet in solennioribus festivitatibus, vel in publica aliqua, vel etiam domestica insigniori calamitate. Ambrosius d. l. *Et dies festi & dies processionis ab usu conjugii cessari temporibus his debere monstrant.* Augustinus vel quicunque alius auctor serm. II. de temp. circa medium: *Quotiescunque aut dies natalis Domini aut reliquæ festivitates adveniunt, sicut frequenter admonui, ante plures dies non solum ab infelici concubinarum consortio, sed etiam a propriis uxoribus abstinete.* c. Fratres. 33. q. 4. ex Ambr. serm. de adv. Dom. *Nullus omnino uxori suæ temporibus jejuniorum conjungatur.* c. Christianos. caus. & q. iisd. ex qq. vet. & nov. test. Augustino (sed falso) adtributis: *Christiano cum uxore sua aliquando convenire licet, aliquando non licet, propter processionis enim dies & jejuniorum aliquando non licet convenire, quia a licitis etiam abstinendum est ad tempus, ut facilius impetrari possit, quod postulatur.* 3.) *Ante accessum ad sacræ eucharistiæ participationem.* 1 Sam. XXI. 4. Achimelech sacerdos antequam panes sacros Davidi & ejus comitibus daret, quærebat: *an mundi essent a mulieribus?* Ex eo sic colligit Hieronymus lib. I. contra Jovin. & habetur c. Sciatis. 33. q. 4. *Si panes propositionis ab his, qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant, quanto magis ille panis, qui de cælo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulo ante hæsere complexibus, violari atque contingi, non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, vacare a carnalibus operibus debeamus.* Quid de Hieronymiana illius loci interpretatione atque illatione statuendum, patebit inferius. Hoc loco illud addimus: Si vel maxime constituisset Deus, ut manducaturi de cibis sacris ad tempus abstinerent a conjugali consuetudine, quod nec ex Mose probari, nec cum exemplo summi sacerdotis liberos generantis & panes sacros comedentis conciliari potest; non tamen eo significatum fuisset, matrimonium esse genus vitæ impurum, ac copulam conjugalem esse per se immundam in iis, qui ad communionem eucharistiæ accedunt, nullatenus tolerandam, sed moniti fuissent homines, conceptionem & nativitatem nostram post lapsum esse peccato originali pollutam, & interiori munditiei ac puritati serio studendum esse. 4.) *In ætate senili.* Gen. XVIII. 12. ait Sara Abrahæ uxor: *Postquam senui, num voluptas erit mihi?* In Hebræo est עֶדְנָה conjugalem actum modeste circumscribens. Targum reddidit עלמו *adolescentia*, ut juvenculis, non vetulis eum convenire ostendat. Lutherus in comm. h. l. „Quod Sara risisse intra se scribitur, continentiæ & castitatis singularis argumentum est. Invenias cadaverosas vetulas lasciviores quam juvenculas. Talis Sara non fuit. Ea dum spes prolis relicta fuit, consuevit cum marito exspectans benedictionem Domini, sed postquam hanc spem ætas evertit, abstinuit a consuetudine mariti, &c. quando dicit dominum suum senuisse, commendat mariti continentiam. 5.) *Interdiu. Clemens Alex. lib. II. pædag. c. X. p.* 227. Quibus uxores ducere concessum, iis pædagogo opus fuerit, ut non interdiu naturæ mystica celebrentur orgia, nec ex ecclesia, verbi gratia, aut foro mane rediens galli more coeat, quando orationis & lectionis & efficacium, quæ interdiu fiunt, operum tempus est, vespe-

„vespere autem oportet post convivium „quiescere & post gratiarum actionem, „quæ fit Deo pro beneficiis, quæ accepi„mus. *Oribasius physicam rationem adfert lib. VI. collectaneorum c. XVIII.* „Tempus congressus nox sit, quia per il„lam calor fortior in corpore, quando „corpus exercitatum in die & bene refe„ctum, nec non a somno primo, post ci„bum sumtum cruditates infert. *Cypræus de sponsa c. V. §. 6. n. 12. p. 115. ethicam rationem adfert:* „Noctu non inter„diu etiam apud gentiles congrediebam„tur conjuges ob pudoris fœminei reve„rentiam. *Alexander Alensis in prob. & Raphael Volat.* „& in tenebris, ut ca„lumnia quædam sit, & adcusatio Vene„ris illicitæ, cum licitis & honestis con„nubiis pudor adhibeatur & verecundia. „*Blondus l. 8. Romæ triumphantis. Plut„archus in probl. c. LXV.*

§. CCCCXL. II.) De Τόπῳ, τρόπῳ ac τέλει tales quæstiones conjugatis in confessionibus proponendas tradit summa Angelica f. 152. „An maritus „usus sit matrimonio extra vas vel modo „indebito? An in ecclesia? An per tactus „habuerit pollutionem extra vas? An co„gnoverit causa satiandæ libidinis? An co„gnoverit habens intentionem ad alteram, „&c.„ Quomodo hæc quæsita intelligenda sint, exponitur in verbo *debitum* f. 57. ubi ex canonistis & scholasticis, cumprimis vero ex Alexandro Alensi disputatur, actum matrimonialem esse peccatum, *si privetur sex necessariis circumstantiis.* „*Prima* „est recta intentio. Si excedat fines ma„trimonii facturus cum quacunque alia, „vel cum ea, etiamsi non esset sua, coi„ret, vel si constituat ibi finem ultimum, „tunc statuitur, esse mortale peccatum. „*Secunda est* causa: Nam ex triplici cau„sa sine peccato exigitur & redditur, etiam „cum merito ex primis duabus. Prima „prolis procreandæ, secunda debiti red„dendi, tertia fornicationis vitandæ, alia „ex causa cognoscere, videlicet causa sa„tiandæ libidinis est peccatum aliquando „mortale, aliquando veniale. *Tertia est* „modus naturalis debitus, idque duplici„ter, primo quoad vas, quod si enim fiat „extra vas, indubitanter est mortale gra„vissimum, secundo quoad modum natu„ralem, quem graphice ibidem describunt, „atque ab eo deviare dicunt concubitum „lateralem, sedentis, stantis vel uxore su„pergrediente, maxime vero eorum, qui „retro more jumentorum congrediuntur. „*Quarta est* tempus debitum, quia tem„pore festi orationis & communionis est „abstinendum. *Quinta est* qualitas perso„næ, cum qua est concubitus, ut non sit „menstruata vel vicina partui. *Sexta est* „convenientia loci, quia non debet fieri „in loco sacro, unde si est consecratus lo„cus, peccat mortaliter tam exigens, quam „reddens debitum.„ Circa singulas circumstantias moventur variæ quæstiones, quando sub hac vel illa circumstantia conjugalis benevolentia sit peccatum, & quando sit mortale vel veniale. Bonaventura part. I. centiloq. cap. XXXII. „Coitus „conjugalis alius est licitus, alius fragilis, „alius impetuosus. Licitus est triplex. Qui„dam fit causa prolis generandæ ad cultum „divinum, & hic est theosebiæ virtutis, „quæ dicitur pietas. Quidam causa red„dendi debitum, & sic est justitiæ. Qui„dam causa fornicationis vitandæ, & hic „est cautelæ. Fragilis est ex fragilitate „proveniens, cum quis in uxore quærit „conjugalem delectationem, non causa pro„lis habendæ, nec debiti reddendi, nec „fornicationis vitandæ, sed causa delecta„tionis in conjuge. Impetuosus est, qui „ex libidine sola proveniens metas hone„statis & rationis excedit, & ideo mortalis „est quinque modis: 1.) Quando fit pro„pter satiandam libidinem & meretricias „delitias. 2.) Quando fit præter natura„lem modum. 3.) Quando fit in tempo-

II.) *Locus, modus & finis.*

re

„re prohibito. 4.) Cum sit in loco prohi-„bito. 5.) Cum accedit vir ad prægnan-„tem mulierem vicinam partui, aut in flu-„xu menstruo laborantem.„ Quidam ex veteribus itidem eo usque procedunt. *Clemens Alexandrinus lib. II. pædag. c. X. p.* 233. „Non est seminandum supra pe-„tram, neque semen est injuria adficien-„dum, quod quidem dux est & princeps „generationis, estque substantia, quæ si-„mul habet insitas naturæ rationes. Quæ „sunt autem secundum naturam rationes, „absque ratione præternaturalibus mandan-„do meatibus ignominia & probro adfice-„re est valde nefarium & impium. *p.* 225. „A vehementibus adpetitionibus mutuis-„que congressionibus alternisque initibus „abstinendum. *Augustinus de bon. con-„jug. c. XI.* Usus, qui est contra natu-„ram, exsecrabiliter fit in meretrice, sed „exsecrabilius in uxore, &c. Cum vir „membro mulieris non ad hoc concesso „uti voluerit, turpior est uxor, si in se, „quam si in alia, fieri permiserit.

Quid in ejusmodi disputationibus cavendum.

§. CCCCXLI. Sed cavendum ne hæ canonistarum & scholasticorum disputationes degenerent: 1.) in *laqueos conscientiarum.* Cum enim conjugium post lapsum non solum institutum sit in *officium*, sed etiam in *remedium* contra libidinis morbum; ideo ex illis, de quibus non exstat Dei mandatum vel prohibitio, quæque non repugnant pudori & honestati naturali, non sunt fabricandi laquei conscientiarum. Paulus licet vellet eos, qui habent donum, manere cœlibes, 1 Cor. VII. 7. tamen quia *præceptum Domini de virginibus non habet*, v. 25. non audet dicere eos peccare, si matrimonium contrahant, nec prohibitione conjugii *laqueum* eis vult injicere, v. 35. 36. eadem *modestia & reverentia* in hac quæstione de cohabitatione conjugali utendum esse, recte monet Chemnitius part. II. loc. c. castitate. p. 483. *Propter fornicationem*, inquit apostolus, *habeat unusquisque uxorem suam & unaquæque virum suum;* 1 Cor. VII. 2. ergo ubi periculum scortationis imminet alterutri conjugi, ipsa lex conjugii in hac naturæ infirmitate cohabitationem requirit; inde etiam quamvis concedat conjugatis *ex mutuo consensu ad tempus* abstinere, mox tamen subjicit, *rursus convenite, ne tentet vos satanas διὰ τὴν ἀκρασίαν ὑμῶν*, v. 5. Finis ergo matrimonii licitus ac honestus est etiam alius, quam liberorum procreationis causa convenire. Ut de virginibus & viduis pronunciat apostolus, *unusquisque donum suum proprium habet ex Deo;* v. 7. ita quoque de conjugatis recte adseritur, quod ἐγκρατείας conjugalis donum in aliis majus sit, in aliis vero minus, ideo non potest generalis quædam regula omnibus præscribi extra & præter Dei verbum. *Lætare cum uxore adolescentiæ tuæ*, inquit Salomon Prov. V. 18. ergo divinæ voluntati non est adversum, nec peccati loco habendum, si conjuges debitam benevolentiam sibi præstent, etiamsi non semper fiat ad liberorum procreationem. Quemadmodum enim non tantum ad necessitatem & satietatem, sed etiam pro ratione temporis ad hilaritatem bibere Deo non est adversum, sic in conjugii usu eo quandoque procedere, ut cum uxore adolescentiæ suæ maritus lætetur, non est statim peccati mortalis loco habendum. Hanc modestiam secutus Augustinus per *tria conjugii bona* non solum eum congressum maritalem, qui *fit causa vitandæ scortationis*, sed etiam eum, *in quo delectatio quæritur* excusari adserit lib. de bon. conjug. cap. VI. *Quidquid inter se conjugati immodestum, inverecundum, sordidumve gerunt, vitium est hominum, non culpa nuptiarum. Jam in ipsa quoque immoderatiore exactione debiti conjugalis, quia eis non secundum imperium præcipit, sed secundum veniam concedit apostolus, ut etiam præter causam procreandi sibi misceantur, etsi eos pravi mores ad talem con-*

concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt. Neque enim illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi conjugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causa, sed etiam infirmitatis invicem excipiendæ ad illicitos concubitus evitandos mutuam quodammodo servitutem. Et postea: Conjugalis concubitus gratia generandi non habet culpam, concupiscentiæ vero satiandæ; sed tamen cum conjuge propter fidem thori venialem habet culpam, adulterium vero lethalem habet culpam. Cap. VII. Quia continentia illa ab omni concubitu meriti est amplioris, reddere vero debitum conjugale nullius criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem culpæ venialis, fornicari vel mœchari puniendi criminis, cavere debet caritas conjugalis, ne, dum sibi quærit, unde amplius honoretur, conjugi faciat, unde damnetur. Cap. VIII. Concubitus necessarius causa generandi inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subjungantur, rem faciunt non plene nuptiarum. Fulgentius de deb. conjug. epist. I. Conjugatus si thori fidem non deserat, sed in uxore sua naturali duntaxat usu aliquantulum intemperatus excedat, non solum generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens, hoc quidem sine culpa non facit, talis autem culpa citius bene operanti atque oranti remittitur, quia ipsi conjugi servat maritalis caritas fidem, in qua non potest maritalis infirmitas custodire temperiem. Et postea: Etsi præfixum concumbendi modum transit, tamen conjugalem terminum non excedit, & licet contrahat carnalis infirmitas culpam, impetrat tamen nuptialis integritas veniam. Atque hanc moderationem & ἐπιείκειαν adhibendam esse probari potest ex ipso jure canonico, c. Vir cum propria. 33. q. 4. ex Gregorio: Si quis sua conjuge non cupidine voluptatis captus, sed solummodo procreandorum liberorum gratia utitur, ipse profecto, sive de ingressu ecclesiæ, sive de sumendo dominici corporis sanguinisque mysterio suo est judicio relinquendus, quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Albertus in lib. IV. sent. dist. 31. statuit: Nihil eorum, quæ agit maritus cum uxore servato vase debito secundum se est peccatum mortale. Et summa angelica de his qq. addit: Non præcipitabis sententiam, quia uxori permittitur, ut homo delectetur in ea propter fornicationem vitandam. B. Lutherus pulcerrime dicit in Gen. IV. f. 54. Vitia & turpitudinem illam, quæ per peccatum ad creationem Dei (ad opus generationis) accessit, non debemus exagitare aut ridere, sed potius debemus tegere, sicut videmus Deum Adam & Evam nudos post peccatum vestibus tegere; & in comm. Gen. XXVI. f. 382. Conjugium post lapsum est quasi umbraculum, quo multæ, ut sic dicam, maritales ineptiæ teguntur, ut credentibus non imputentur. 2.) Neve sint fomites & flabella pravarum concupiscentiarum. Jubentur illi, qui confessiones secretas audiunt, tales interrogationes proponere conjugatis, quorum bene multis ne in mentem quidem unquam venit de commixtione illa præternaturali, a qua ipsa natura & lux rationis adhuc reliqua abhorret, cogitare, id quod absque scandalo fieri vix poterit. Sed & sacrificuli extra conjugium in coacto cœlibatu viventes talibus interrogationibus carnis suæ pruritus excitant ac inflammant, cumque externo opere non possint, interiore cordis desiderio fornicantur. Disputat Bellarminus lib. de cleric. cap. XIX. rat. 5. Conjugium sacerdotum

dotum impedire efficaciam prædicationis, quomodo enim efficaciter (inquit) *exhortabitur viduas & virgines, qui liberis perpetuo dat operam?* Cui præter ἀντερώτησιν ex Chrysostomo hom. X. in 1 Tim. III. petitam, quomodo episcopus patresfamilias, uxores, liberos, servos sui admonere possit officii, qui in œconomia horum vitæ ordinum virtutes & vitia non vidit, neque in conjugio unquam vixit? reponimus hoc loco illud, qua fronte cœlibes sacrificuli talia a conjugatis exquirere jubeantur, quæ ad conjugii adyta spectant, nec ad aliarum quam conjugatarum personarum notitiam pertinent? Item quodnam apostoli vel veteris ecclesiæ doctores adducere possint exemplum, quod ejusmodi quæstiones in privata exomologesi confitentibus proposuerint? Vide loc. de pœnit. §. 108.

Quaeritur: An conjugatis liceat vovere perpetuam continentiam?

§. CCCCXLII. Quæritur hoc loco: *An conjugatis liceat ex mutuo consensu vovere perpetuam continentiam?* Pontificii adfirmant. Quamvis enim concedant, uxorem sine consensu viri non posse vovere perpetuam continentiam, & vice versa virum sine consensu uxoris itidem non posse tale votum emittere, cum neuter *habeat corporis sui potestatem*; 1 Cor. VII. 5. acriter tamen contendunt *ex mutuo consensu* conjuges id facere posse, unde Bellarminus libr. de monach. cap. XXXVII. vocat *errorem impudentissimum, si quis id negare velit.* Nos distinguimus 1.) inter *continentiam ad tempus* & *votum continentiæ perpetuæ.* Concedimus, posse conjuges ad tempus ex mutuo consensu abstinere, sed negamus ipsis suadendum vel consulendum, vel præcipiendum, ut votum perpetuæ continentiæ temere emittant. 2.) Distinguimus inter *perpetuam continentiam* & *votum perpetuæ continentiæ*, ac 3.) inter *exemplum quoddam speciale* expresso Dei verbo adprobatum, & *regulam generalem.* Concedimus, exemplum perpetuæ continentiæ proponi in Maria & Josepho, quibus Deus donum continentiæ ex speciali gratia dedit in ipso conjugali vinculo; sed negamus, certo aliquo voto eos sese obstrinxisse, vel regulam aliquam generalem ad imitationem in cæteris conjugibus proponi. Urgemus enim 1.) *expressum apostoli pronunciatum:* 1 Cor. VII. 5. *Nolite fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi, & iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Sicut non permittit apostolus conjugibus, ut se *invicem defraudent*, hoc est, corporis potestatem sibi invicem subtrahant, & a congressu matrimoniali abstineant, nisi *ex mutuo consensu*, ita quoque non concedit illud fieri, *nisi ad tempus.* Sed prius accipiunt pontificii, ut limitationem generalem, quæ adhuc hodie habeat locum. Ergo idem judicium sit de posteriore limitatione. Præterea ratio ab apostolo addita evidenter idem probat, *ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Qui ergo conjuges propter votum continentiæ separant, contra præceptum apostoli debito conjugali eos fraudant, & satanæ tentationibus eosdem exponunt. 11.) *Indissolubile matrimonii vinculum:* Matth. XIX. 6. 1 Cor. VII. 10. Chrysostomus hom. LXIII. in Matth. XIX. *Quemadmodum scelus est in duo dividere unam carnem, sic & mulierem a viro suo diripere iniquissimum.* Theophylactus in Matth. XIX. *Sicut impium est suam carnem dividere, ita & conjuges divellere.* At per votum perpetuæ continentiæ separantur conjuges, & solvitur quodammodo matrimonii vinculum. Excipit Bellarminus, *separationem fieri non quoad vinculum, sed tantum quoad thorum.* Resp. imo vero in cap. seq. Bellarminus probare conatur, *matrimonium ratum etiam quoad vinculum solvi per religionis professionem;* jam vero matri-

matrimonium ratum non differt a consummato essentiali aliqua differentia, cum copula carnalis ad usum, non ἕξιαν conjugii pertineat, ergo etiam consummatum matrimonium quoad vinculum solvitur per religionis professionem. Non potuit Bellarminus huic difficultati aliter occurrere, quam per nudam principii petitionem in §. Dices &c. *Quod*, inquit, *Deus dirimat matrimonia rata, & non dirimat etiam consummata per vocationem ad religionem, scimus ex ecclesiæ declaratione.* Præterea quando per votum continentiæ ita se separant conjuges, ut sub æternæ damnationis pœna promittant, se nolle iterum convenire, & consortio conjugali uti, ac ingrediuntur distincta monasteria, ibi non solum quoad thorum, sed etiam quoad reliqua officia, quæ ex lege divina sibi invicem debent, sese separant, & contra præceptum apostoli a se invicem χωρίζονται. Desertio æstimatur ex eo, quando alteruter conjugum ita discedit, *ut non habeat animum revertendi;* at jus canonicum conjugibus continentiam professis interdicit, *ne vel vir uxorem, vel uxor virum repetat*, c. veniens. c. constitutus. &c. dudum. de convers. conjugat. Quomodo igitur non discedunt illi, qui absque animo revertendi conjuges relinquunt? Quomodo non separant conjuges, qui tales post votum ad officia conjugalia reverti prohibeant & puniunt? Maritus & uxor ex legibus & institutione conjugii sunt *una caro;* Gen. II. 24. Matth. XIX. 5. Ephes. V. 31. at quomodo manent una caro, si voto solenni alteruter vel uterque se obstringat, quod velint a se invicem discedere, ab usu conjugii penitus per omnem vitam abstinere, officia ex lege conjugii debita sibi invicem non amplius præstare? Pertinent huc omnia veterum dicta, quibus conjunctionem maritalem *individuam vitæ consuetudinem* complecti adserunt. III.) *Consequens periculum.* Quamvis enim conjuges sibi persuadeant, in præsenti tempore continentiæ dono se probe instructos esse, tamen non possunt esse certi, quod perpetuo per omnem vitam ab ustionibus futuri sint liberi; nequaquam ergo debent tentare Deum discedendo a remedio contra ustiones divinitus sibi dato, ac conjugii usum solenniter abjurando, alias gravissimis & periculosissimis Diaboli tentationibus temere se exponunt. 1 Cor. VII. 17. *Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet.* v. 27. *Adligatus es uxori, noli quærere solutionem.* Sed in re manifesta pluribus opus non est.

§. CCCCXLIII. Bellarminus contrarium demonstrare nititur: I.) Ex *loco apostolico* 1 Cor. VII. 6. *Hoc dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Id referri debet ad illud, quod proxime præcedit*, revertimini in id ipsum; *id enim Paulus non libenter concedit, sed indulget propter incontinentiam illorum, ergo qui perpetuo continent ab uxore ex consensu rem gratissimam Paulo faciunt, tantum abest, ut ipse id prohibuerit.* Resp. sane quidam interpretes tum vetustiores tum recentiores referunt illud τοῦτο *ad proxime præcedens* πάλιν συνέρχεσθε; ut sit sensus: Quod monui, ne alius alium defraudet, & ut postquam ad tempus a vobis mutuo abstinueritis, rursus conveniatis; hoc dico & moneo tanquam concedens vobis remedium contra incontinentiam, non autem imperans vobis, ut inter vos consuescatis. Quæ interpretatio si vel maxime acceptetur, nihil tamen lucri causæ pontificiorum accedit, sic enim concludimus: Quam libertatem apostolus conjugibus non judicavit adimendam, ne propter incontinentiam a satana tentarentur, eam etiam ipsimet conjuges non debent sibi invicem adimere, propter eamdem scilicet rationem. At apostolus gravi consilio censuit, non debere adimi conjugibus libertatem iterum conveniendi, ne scilicet propter incontinen-

Antithesis Bellarmini.

tiam a ſatana tentarentur. Ergo. Ulterius: Eo modo conjuges a maritali congreſſu abſtineant, ut tamen remedio contra incontinentiam divinitus ſibi conceſſo nequaquam ſeſe penitus abdicent, alias enim ſatanæ tentationibus temere ſe exponunt. Sed ſi votum perpetuæ continentiæ emittant, remedio contra incontinentiam divinitus ſibi conceſſo temeraria quadam præſumtione ſeſe penitus abdicant, niſi ſpeciali quadam gratia de perpetua continentia certi ſint. Ergo. Neque eſt, quod verbum *indulgentiæ* in vulgata verſione urgeatur, quia in Græco eſt συγγνώμη, quæ vocula non ſimpliciter ſignificat indulgentiam & veniam illis rebus, quibus aliquid vitii ineſt, datam, ſed conceſſionem rei licitæ & bonæ, qua, ut res poſtulat, uti debemus, ſicut etiam philoſophus lib. VI. ethic. c. XI. συγγνώμην definit γνώμην κριτικὴν ὀρθὴν περὶ ἐπιεικεῦς. In quibusdam exemplaribus legitur κατὰ γνώμην, quam lectionem Henricus Stephanus propterea judicat non eſſe rejiciendam, quod eadem oppoſitio inter γνώμην καὶ ἐπιταγὴν exſtet v. 25. Verum prætermiſſa illa interpretatione præferimus eam, quæ relativum τᾶτο ad *totam orationem præcedentem* adcommodat, ut ſit ſenſus: Quidquid de cœlibatu & conjugio dixi hactenus, quod ſcilicet *bonum ſit homini, mulierem non tangere, & quod propter fornicationem debeat unusquisque habere uxorem ſuam*, id non accipi velim dictum κατ' ἐπιταγὴν, ſecundum generale aliquod præceptum, quod quemvis ſine ullo diſcrimine obliget, ſed κατὰ συγγνώμην, juxta ſententiam circumſtantiis horum temporum adcommodatam, ſicut etiam in arabica verſione redditur: *Dico conſilium.* Statim enim ἀιτιολογικῶς ſubjicit apoſtolus, θέλω γὰρ πάντας ἀνθρώπτς εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτὸν, ἀλλ' ἕκαστος ἰδιονχάρισμα ἔχει ἐκ θεᾶ, quo dicitur: non poteſt hic generalis quædam regula de conjugio vel cœlibatu præſcribi, ſed cuilibet ad donum a Deo ſibi datum & ad vocationem ſuam reſpiciendum; unde ipſe Hieronymus lib. I. adv. Jovin. ad nuptias retulit: *Miſſitamus adhuc*, inquit, *nuptias non vocare indulgentiam, ſed præceptum.* Quidam verba apoſtoli, *hoc dico ſecundum intelligentiam*, referunt ad illud, quod in præcedentibus dixerat: *Nolite fraudare vos invicem, niſi ex eo conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi & jejunio, &c.* Sic ergo erit ſenſus: Quod ſecubationis ad tempus inſtitutæ mentionem feci, id non accipiatur dictum *præceptive*, quaſi ſcilicet omnino hoc ſit neceſſarium; ſed *conſultive*, quod hoc mihi videatur commodum atque utile, quamvis de eo nullum exſtet Domini præceptum. Hanc interpretationem ſi ſequamur, denuo in fumum abit Bellarmini inſtantia: II.) Ex *patribus.* Baſilius in quæſt. fuſe explic. q. 12. Epiphanius hæreſ. LIX. Auguſtinus epiſt. 199. & 32. Gregorius lib. IX. epiſt. 39. Reſp. Bellarminus ipſe in ſequenti capite §. 5. Baſilio tribuit, quod d. l. *duo proferat, quæ inter ſe pugnare videantur, dum dicit, conjugatum ad monaſticen venientem debere interrogari, an conſenſum uxoris obtinuerit*, & poſtea addit, *ſi conjux repugnet ac reſiſtat, oportere audire Domini vocem: Qui amat uxorem plusquam me, non eſt me dignus;* ergo adprobat etiam votum invita parte altera a conjuge emiſſum, quod pontificiis non probatur. Epiphanius quosdam presbyteros & diaconos in quibusdam locis etiam liberos genuiſſe adſerit; ergo votum continentiæ non fuit ab omnibus ſacerdotibus in conjugio viventibus exactum. Auguſtinus votum ſive profeſſionem continentiæ in conjugibus laudat, ſed quod a ſe invicem penitus diſcedere, & officiis conjugalibus ſeſe penitus abdicare debeant, nuſquam addit, imo in epiſt. 199. ad Ediciam ſcribit: *Etſi carnali conſortio jam ex conſenſu vobis non miſcebamini, in cæteris tamen rebus conjugali obſequio viro tuo*

mu-

mulier ſervire debuiſti. III.) Ex *variis exemplis.* Reſp. illa ſunt diſſimilia, nec conſtituunt generalem regulam, quam absque vocatione & peculiari Dei gratia quilibet conjuges, modo velint, ſequi ſtatim poſſint. Qua gratia Joſephus & Maria a congreſſu maritali abſtinuerunt, eam absque vocatione alii conjuges temere ſibi promittere non debent. Caſſianus collat. XIV. cap. VII. poſtquam narraſſet, *laicum quemdam parentum vi & imperio compulſum uxorem duxiſſe, & eam ut ſororem habuiſſe;* ſubjungit, *multa recte ab aliis geſta magnam aliis imitantibus adtuliſſe perniciem.* Ergo in pietatis ſtudio non tam ad ſpecialia ſanctorum exempla quam ad præſcriptum verbi & cujusque vocationem reſpiciendum, id quod b. noſter Lutherus ex Joh. XXI. 22. in explicat. poſtill. eleganter colligit. Adde, quod plerique in iisdem ædibus vixerint, cum pontificii conjuges per votum ſeparatos in diverſa monaſteria detrudant, quod quidam ex illorum numero ad conjugium præter voluntatem fuerint compulſi, quod fuerint jam ætate provecti, quod conjugium ipſorum nondum fuerit conſummatum. Denique nulla neceſſitatis lege conſtringimur, ut hiſtoriis illis omnibus fidem habeamus. Gregorius Turonicus de gloria confeſſ. cap. XXXII. refert, *quòd cum ex duobus conjugibus, qui ſemper ex conſenſu caſte vixerant, altera mortua eſſet, alter in hæc verba proruperit: Gratias tibi ago omnipotens conditor, quod hanc puellam, ſicut eam tradidiſti impollutam, & ab omni voluptatis contagio puram, ita tibi reſtituo: Illa vero etiamſi mortua eſſet, ſubridens dixerit: Sile vir Dei, quia non eſt neceſſe proloqui noſtrum nemine interrogante ſecretum.* Quis huic fabellæ fidem habebit? Quidquid ſit, ſi vel maxime adferantur exempla talium conjugum, qui ex mutuo conſenſu perpetuam continentiam voverunt, ac pie & pudice ſub hac votiva continentia vitam tranſegerunt; tamen quod Bellarminus in ſeq. cap. reſpondet ad exempla illorum, qui invita uxore matrimonium ſolventes monaſteria ſunt ingreſſi, idem etiam iſtis exemplis obverti poteſt, videlicet eſſe illa facta ſanctorum admiranda non imitanda, ac credendum eſſe peculiari Spiritus ſancti admonitu id factum eſſe præter communem ordinem ac legem. IV.) Ex *ratione. Tota cauſa, cur non liceat viro profiteri continentiam, eſt, quia non habet poteſtatem ſui corporis, & nemo poteſt rem alienam donare invito domino. At iſta cauſa ceſſat, cum ex conſenſu fit votum.* Reſp. ut unus conjugum alteri, ita uterque per leges conjugii Deo obſtrictus eſt, alias etiam vinculum matrimonii diſſolvere ſuo arbitrio & diſſenſu mutuo poſſent. Conſenſus humanus non poteſt tollere ordinationem divinam. Cauſa, propter quam temerarium perpetuæ continentiæ votum conjugibus improbamus, hæc eſt, quod exponant ſe tentationibus ſatanæ & periculo incontinentiæ parum memores illius apoſtolici: *Revertimini in id ipſum, ne tentet vos ſatanas.*

§. CCCCXLIV. Congreſſus maritalis conſequens eſt *conceptio*, quæ vere eſt naturæ miraculum, nec inferius dignitate opificium prima primi hominis formatione ex limo terræ facta. Geneſ. IV. 1. *Adam cognovit uxorem ſuam, quæ concepit & peperit;* in quæ verba commentatus b. Lutherus ſcribit fol. 55. *Quod additur*, Hevam cognoviſſe, *ſignum eſt melioris naturæ, quam hodie eſt, non enim fuere tot irriti congreſſus, ſicut in hoc mundi ſenio, ſed ſemel cognita Eva ab Adamo ſuo ſtatim imprægnata.* Ut autem de conjugali congreſſu, ita quoque de fructu & conſequente ejusdem, videlicet de conceptione honorifice ac reverenter Spiritus ſanctus, qui eſt Spiritus caſtitatis & σωφροσύνης, loquitur, ut ad divinæ providentiæ, ſapientiæ, potentiæ ac beneficentiæ, in hoc

Conceptio, de qua

vere divino opere clarissime refulgentis, agnitionem & gratam ejusdem prædicationem nos deducat. Cumprimis vero *Jobus & regius psaltes* stupendum illud conceptionis, formationis ac nutritionis in utero miraculum adcuratius expendisse videntur, unde verbis admodum emphaticis, de eo loquuntur Jobus X. 8. inquit: *Manus tuæ plasmaverunt me, & disposuerunt me pariter per circuitum.* v. 9. *Memento, quod sicut lutum feceris me.* v. 10. *Memento, quod sicut lac me fudisti, & sicut caseum me coagulasti.* v. 11. *Pelle & carne vestivisti me, ossibus & nervis cooperuisti me.* v. 12. *Vitam & misericordiam fecisti mecum, & visitatio tua custodivit spiritum meum.* In his verbis adprime notandum, quod formationem fœtus *Dei manibus*, hoc est, divinæ potentiæ Jobus unice & in solidum transcribat, sicut & v. 3. se adpellaverat יְגִיעַ *laborem*, sive opus *volarum divinarum*, quia ut ex Theodoreto recte loquitur Lutherus tom. II. Germ. Jen. fol. 370. *Non nuptiæ dant liberos, sed, qui nuptiis præest, Deus*; unde etiam non effectum, sed *consequens* maritalis congressus diximus conceptionem, quia nisi Deus efficaci suo verbo & virtute generationis operi benedicat, nunquam maritale consortium sequitur conceptio, ut sterilium conjugiorum exempla testantur. Si conjuges veri ac soli essent liberorum parentes, nossent quomodo in utero illi formarentur, ac pro arbitrio suo in hoc opere cogerent, jam vero cum matre septem fratrum martyrum, 2 Maccab. VII. coguntur omnes fateri v. 22. οὐκ οἶδα ὅπως εἰς τὸ ἐμὸν ἐφάνητε κοιλίαν, οὐδὲ ἐγὼ τὸ πνεῦμα καὶ τὸν ζωὴν ὑμῖν ἐχαρισάμην, οὐ τὸν ἑκάστου συνεστήσατε μέλεσιν. v. 23. ὁ τοῦ κόσμου κτίστης ἔστιν, ὁ πλάσας ἀνθρώπων γένεσιν, καὶ πάντων εὑρὼν γένεσιν. Summus igitur & verus omnium hominum parens est Deus, qui mirabili & stupendo opere omnes in utero fingit, format, per cotyledones nutrit, ac spiritum & vitam unicuique impertit, in quo divinæ potentiæ opere describendo Jobus significantissimis utitur verbis. 1.) *Manus tuæ* (inquit) *plasmaverunt me.* In Hebræo est verbum עָצַב in *piel*, quod proprie significat *magno labore, arte & diligentia aliquid formare*, sicut imagines, quæ ad cultum proponuntur, ab artificibus magna industria ex ligno aut lapide effigiantur, unde vocantur עֲצַבִּים 2 Sam. V. 21. Psal. CXV. 4. Esaj. X. 11. Mich. I. 7. &c. Kimchi in lib. radd. exponit: *manus tuæ laborarunt & fatigarunt se in me formando*, quia עָצַב laborem & anxietatem significat. Gen. III. 17. Psalm. CXXVII. 2. Non quod Deus laboret, aut fatiget se in homine formando, *quia ut in ejus vacatione nulla est ignavia, desidia vel inertia, sic in ejus opere nullus labor, conatus, vel industria.* Augustinus lib. XII. de civ. Dei cap. XVII. sed hæc de Deo dicuntur ἀνθροποπαθῶς, ut summa ejus sapientia, qua in formatione hominis utitur, indicetur, quasi summa diligentia & cura in ea sit usus. Ibidem scribit Kimchi, Rabbi Aben Ezra hoc verbum ducere ab עַצְבִּים, quod in lingua Kedarena seu Ismaelitica significet *nervos*, q. d. *nervis & venis me compegerunt*, ac colligarunt absolutissima & pulcerrima compage, ut omnia membra sint inter se connexa, compacta ac pulcre conformata. Sed quia in v. 11. seq. de nervorum compage demum agit, ideo priorem explicationem præferimus. Mercerus in comm. h. l. monet, non apud Rabbi Aben-Ezra, sed apud Rabbi Mose Ben Nahman tale quid inveniri, quod in medio relinquimus. Chaldæus vertit צַיְּרוּנִי *figurarunt, delinearunt me, fecerunt me*, רָבוּם *velut typo*, ut Rabbi Salomon exponit. LXX. reddiderunt ἔπλασαν, *formarunt*, quo verbo utuntur pro יצר in primi hominis ex terra formatione, Gen. II. 7. ad quam etiam

I.) *Jobus, X. 8. & seqq.*

etiam manuum adpellatione Jobus nos deducit. Quemadmodum enim Deus primi hominis corpus e terra humore instar argillæ subacta (quæ proprie est, אדמה, unde etiam pluviæ ac madefactionis in præcedenti fit mentio) suis manibus formavit: sic adhuc hodie in utero materno corpus hominis effigiat, unde dicitur πλάττειν τὸν ὀφθαλμὸν, Psalm. XCIV. 9. τὸ πνεῦμα ἀνθρώπου, Zach. XII. 1. ac totum hominem Psalm. CXXXIX. 5. Esaj. XXVII. 11. XLIV. 2. XLIX. 5. &c. Pulcre Irenæus lib. II. adv. hæres. c. LXII. p. 163. *Unusquisque nostrum suum corpus per artem Dei sumit.* 2.) *Manus tuæ fecerunt me per circuitum.* In Hebræo est, עשׂה, quod non significat simpliciter facere, sed *adcurate facere, absolvere, aptare.* Sic Genes. II. 2. *perfecit Deus opus suum, quod fecerat;* ubi distinguitur inter ברא, quod est *ex nihilo creare,* & עשה *formare,* certo usui deputare, ad certos usus aptare. Esaj. XLIII. 7. distinguitur non solum a ברא, sed etiam a יצר, est enim ברא *ex nihilo creare,* יצר *rem in forma constituere,* עשה *perficere, disponere, ad usum aptare.* 1 Sam. XII. 6. *Dominus fecit Mosen & Aaronem,* hoc est, evexit, magnificavit eos. LXX. interpretes reddiderunt ἐποίησαν. Sensus igitur est: manus tuæ, o Domine, disposuerunt singula corporis mei membra ea proportione, quæ est pulcerrima & cuique ipsorum ad usus certos adcommodatissima, unde additur, *fecerunt me* יַחַד סָבִיב, *pariter, in circuitu,* vel per *circuitum,* propter accentum athnachtha præcedenti dictioni יַעַשְׂנִי suffixum. Quidam malunt referre ad sequens verbum, *& degluties me,* ut sit sensus: nunc simul undiquaque me dolore conficis, exhauris & absorbes; sed quia sequitur copulativa ו ideo rectius hæc vocabula cum præcedenti membro conjunguntur. Suppetunt enim etiam alia exempla, in quibus athnach non constituit incisum majus, sed tantum minus sive mediam distinctionem, unde ipsi Rabbini cum præcedentibus conjungunt, & hoc modo exponunt: Totum me, non dimidium, aut aliquam mei partem, sed quantus quantus sum, undiquaque me formasti, ut nihil in me sit tam exiguum, etiamsi ungues accipias, quod non sit magna cura & artificio elaboratum. Potest illud יחד סביב, quod Aquila & Theodotion reddiderunt ἅμα κύκλῳ, eo referri, quod vis πλαστικὴ membranis figura rotunda formatis primum γονὴν, deinde κύημα, mox ἔμβρυον, ac tandem παιδίον in circuitu involvit, ut Galenus lib. I. de sem. ex Hippocrate docet, quodque ut in libr. de locis in homine Hippocrates scribit, *spermaticarum omnium partium rudimenta & prima stamina simul & semel delineentur.* ἐμοὶ (inquit) δοκέει ἀρχὴ μὲν ἓν εἶδεϊ εἶναι τὸ σώματος, ἀλλὰ πάντα ὁμοίως ἀρχὴ καὶ πάντα τελευτή. *Mihi quidem principium corporis videtur nullum esse, sed omnia similiter principium & omnia finis.* Et in lib. I. de dieta: διακρίνεται τὰ μέλεα ἅμα πάντα καὶ αὔξεται, καὶ οὔτε πρότερον οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου, οὔτ' ὕστερον, τά δὲ μείζω φύσει πρότερα φαίνεται τῶν ἐλαττόνων, οὐδὲν πρότερα γινόμενα. *Delineantur partes simul omnes & augentur, nec prius aliæ aliis, nec posterius, sed majores natura priores adparent prioribus.* 3.) *Memento, quod feceris me* כַּחֹמֶר, *sicut lutum,* חמר significat massam ex terra & aqua permixtis factam, *limum scilicet, lutum & cæmentum.* LXX. interpretes reddiderunt: ὅτι πηλόν με ἔπλασας. Respicit ad primam primi hominis (ex quo reliqui orti sunt) formationem. Ut enim figulus ex argilla, id est, ex luto aqua macerato vas effingit, sic Deus ex limo terræ primum hominem formavit. Vallesius in libr. de sacr. philos. c. LV. monet, hanc primam hominis γένεσιν poetas symbolice descripsisse per connubium Pelei & Thetidos, id est, *luti* (πηλὸς enim lutum est) & *aquæ,* quorum nuptiis omnes deos interes-

terfuisse dicunt, præter discordiam, quia divina virtus aquam, terram & elementa reliqua mixtione in concordiam redegit in corporis humani formatione. Est, qui vocem אָבְנִים Exod. I. 16. contra communem & receptam sententiam (qua pro sella parturientis rotæ figulari non absimili accipitur) intelligit de *cardinibus ventris* materni, in quibus embryo formatur, *sicut vas testaceum in rota figuli* a radice בנה ædificavit, & ex quibus velut ostiis infans in lucem progreditur. 4.) *Nonne sicut lac me mulsisti, & sicut caseum me coagulasti.* LXX. interpretes ὥσπερ γάλα μὲ ἤμαλξας (aliis ἐτύρωσας) ἔπηξας δὲ με ἶσα τυρῷ. נָתַךְ significat, *fundere, liquefacere.* Targum reddidit: סִנְנְתָאוּתִי *percolasti me.* קָפָא *in hiphil* significat *coagulavit, congelavit, coegit, condensavit lac*, injiciendo aliquod coagulum. Targum vertit: קְרַשְׁתָּאוּתִי *coagulasti me* Depromta hæc sunt ex intimis physicæ ac medicæ doctrinæ penetralibus, qui enim de formatione hominis in utero scribunt, semen muliebre ratione albedinis & liquoris lacti simile accedente semine masculino calore ejus naturali postea sisti, concrescere & consolidari referunt, non secus ac caseus concrescit & consolidatur, ut vis πλαστικὴ membra omnia effigiare, ac paulatim conformare incipiat. Hac ipsa similitudine de lactis coagulo in describenda corporis humani in utero formatione utitur Aristoteles lib. I. de generat. animal. c. XX. οἷον ἐν τῇ τοῦ γάλακτος πήξει τὸ μὲν σῶμα τὸ γάλα ἐστίν, ὁ δὲ ὀπὸς ἢ πιτύα τὸ τὴν ἀρχὴν ἔχον, τὴν συνιστῶσαν, οὕτω τὸ ἀπὸ τοῦ ἄρρενος ἐν τῷ θήλει μεριζόμενον. *Velut in lactis coagulatione corpus quidem ipsum lac est, succus autem coagulum, quod principium habet coagulandi, ita quod a viro in muliere secernitur.* Ipsum ergo semen est veluti lac quoddam, cum quo convenit materia, conditionibus, generationis modo, & officinis, in quibus fiunt, & usu. Utrumque enim fit ex *sanguine maturatione quadam, alterum in testibus, alterum in uberibus, partibus substantiæ modo valde similibus suntque ambo succi albi & crassi; utitur vero natura altero ad generationem, altero ad recenter genitorum nutritionem, ut alimento scilicet parum variante ab ipso generationis principio.* Vallesius d. l. ipsa quoque embryonis generatio est coagulatio, ut casei ex lacte, unde tempora conformationis sic describuntur:

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terni,
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

5.) *Cute & carne vestivisti me.* לָבַשׁ significat *induit & ornavit*, quia vestis corpus ornat. LXX. interpretes: δέρμα καὶ κρέας ἐνέδυσάς με. Progreditur Jobus a coagulatione seminis ad cutis & carnis formationem; postquam enim partes spermaticas nobiliores provida natura per vim πλαστικὴν & spiritum semini insitum formavit, carne & cute, velut tegumento ac munimento quodam, eas vestit, ne externis periculis & læsionibus sint obnoxiæ, quin imo totum corpus nihil aliud est quam quædam animæ vestis. 6.) *Ossibus ac nervis cooperuisti me*, תְּשַׂכְּכֵנִי a radice שכך *texit, operuit, protexit*, in margine notatur legendum esse תְּסוֹכְכֵנִי, sed nulla adest mutationis necessitas, cum radix שכך etiam alibi occurrat: Exod. XXXIII. 22. LXX. interpretes reddiderunt συνείρας, (aliis συνέρραψας) *consuisti me.* Sed quia ossa potius fundamentum, nervi ligamentum, quam operimentum corpori præstant, ideo rectius deducitur a שׂוּךְ quod est *munire*, Job I. 10. Ossa enim ac nervi corpus fulciunt, roborant, & omnia ejus membra compage ad motum decentissima colligant. 7.) *Vitam & misericordiam seci-*

feciſti mecum. In Hebræo eſt חַיִּים *vitas*, quod poſſet referri ad fœtus animationem, qua juxta philoſophum primo vivit vita plantæ, poſtea animalis, ac tandem hominis, propter triplicem animæ facultatem vegetantem, ſentientem ac rationalem ſenſim ſeſe exſerentem; ſed cum *plurale* apud Hebræos *ſingulariter* accipiatur, ideo ſimpliciſſime ſic exponitur, quod Deus non in utero ſolum mirabiliter fœtui vitam conferat, ſed etiam eumdem ex utero non ſine miraculo extrahat, Pſalm. XXII. 10. in regionem viventium producat, & in vivis conſervet, Act. XVII. 25. Per חַסְדְּ, *beneficentiam*, intelligit omnia beneficia, quæ toto vitæ tempore Deus in hominem confert, ſuſtentationem, educationem, διατροφὰς καὶ σκεπάσματα, *victum & amictum*, 1 Tim. VI. 8. cumprimis vero ſpiritualia, informationem in lege Domini, condonationem peccatorum, inhabitationem & gubernationem Spiritus ſancti, promiſſionem vitæ æternæ. 8.) *Et viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum.* LXX. interpretes: ἡ ἐπισκοπή σου ἐφύλαξε μου τὸ πνεῦμα. פְּקֻדָּה ſignificat *viſitationem, inſpectionem, præfecturam*, quæ omnia hic locum habere poſſunt. Deus enim ſingulari cura ac vigilantia cuſtodit ſpiritum hominis, hoc eſt, vitam, cujus ſignum eſt reſpiratio, viſitat hominem *per matutina*, ſive quotidie, Job. VII. 18. ac inſtar vigilis præfecti per ſuam providentiam omnia quam diligentiſſime obſervat, neve vita hominis aliquid detrimenti capiat, benigniſſime præſervat, idque non ſolum eo tempore, quo homo adhuc utero concluſus tenetur, ſed per totum vitæ tempus, quamvis longe mirabilior ſit vita hominis in utero materno, unde ad eam præcipue hic locus referendus.

II.) *Pſaltes regius, Pſ. CXXXIX.* 14.

§. CCCCXLV. Non minore verborum ἐμφάσει ac pondere II.) propheta regius de conceptionis ac generationis opere diſſerit, Pſalm. CXXXIX. Poſtquam enim Dei providentiam circa *vitæ humanæ progreſſum* prædicaverat, ad ipſum *vitæ ingreſſum* retrogreditur, circa quem mirabilem Dei providentiam non minus agnoſcendam & prædicandam nobis proponit. In genere dicit v. 14. *Confitebor tibi*, ſive laudabo te, *eo quod terribilibus* (multis) *mirificatus ſum mirabilibus operibus tuis*, ut vertunt Pagninus & Arias; ſed LXX. interpretes & eos ſecutus Lutherus dilucidius ſic reddunt: *Confitebor tibi, quod mirabiliter mirificatus*, hoc eſt, formatus ſum נוֹרָאוֹת *terribilibus*, hoc eſt, terribiliter φοβερῶς, quia *ablativi* apud Hebræos uſurpantur pro *adverbiis*, ac terribiliter ponitur pro eo, quod eſt mirabiliter, quæ enim mirabilia ſunt, terrorem ac timorem incutere ſolent. נִפְלֵיתִי *mirificatus ſum*, hoc eſt, mirabiliter formatus. LXX. interpretes reddiderunt ἐθαυμαστώθης, ſed in Hebræo eſt prima perſona: *Mirabilia ſunt opera tua* (cumprimis illud formationis opus) *& anima mea hoc cognoſcit valde*, atque ex illa contemplatione ad laudem & gloriam nomini tuo dicendam adſurgit. Id ipſum ex naturæ lumine quodammodo etiam gentiles agnoverunt, inde Avicenna generationis & formationis opus vocat *ſummum naturæ miraculum.* Galenus in lib. an omnes particulæ ſimul fiant, *ſoli Deo & naturæ hoc opus cognitum eſſe* fatetur. Poſtea a *genere* progreditur David ad *ſpeciem*, ac contemplationem illam in tria tempora diſtinguit. *Primum* eſt *conformationis*, de quo ſubjungit v. 15. *Non fuit a te occultum corpus meum, quando a te factus fui in occulto, varie compactus ſum in imis terræ.* רָקַם proprie ſignificat *acu pinxit*, acu vel textura varios colores, ſicque varias figuras & picturas in aulæa & tapetia introduxit. Schindlerus in lex. Elegantiſſima igitur metaphora opus formationis, quo corporis compages ex variis membris & partibus, ex

venis ſcilicet, arteriis, nervis, membranis, ligamentis, oſſibus, carne, cute contexitur, operi phrygionum confertur. Textura enim illa mirifica humani corporis omnem phrygionum induſtriam longiſſime exſuperat. Juſtinus reddidit: *acu pictus.* Campenſis; *veluti tapetum e nervis & venis contextus ſum.* Pagninus: *variis membris decoratus ſum inſtar operis phrygionici.* LXX. interpretes verterunt, καὶ ἡ ὑπόστασίς μου, legerunt enim וְקֹמָתִי ob literarum ר״ן ſimilitudinem. Addit autem, ſe eſſe formatum & compactum *in occulto & in inferioribus terræ*, id eſt, in utero materno, in abditis maternæ alvi clauſtris, in loco magis abſcondito, quam eſt ullum terræ antrum. Metaphora ducta eſt vel a metallis, quæ in intimis terræ viſceribus generantur, vel a frugibus e terra naſcentibus, ſicut & Abraham *petræ* ac Sara *cavernæ* putei comparatur Eſaj. LI. 1. Phrygiones non oculorum ſolum, ſed etiam externo lumine ad artificia ſua prætexenda indigent, ſed Deus tam potens ac ſapiens artifex eſt, qui etiam in tenebricoſo uteri clauſtro mirabilem illam corporis texturam abſolvere poteſt. Ad illud conformationis tempus etiam hoc pertinet, quod v. 5. dicit: *Retro & ante formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam;* quod idem eſt, quod Jobus dicit, *manus tuæ fecerunt me in circuitu;* quidquid ſum, me totum, quantus quantus ſum, tu formaſti, interiora & exteriora, anteriora & poſteriora mea membra ſunt opus manuum tuarum, nec ſolum me in utero formaſti, ſed etiam per totum vitæ decurſum me conſervaſti, id enim interprete Lyrano per poſitionem vel ſuppoſitionem manus intelligitur. v. 13. *Tu poſſediſti renes meos, texiſti me in utero matris meæ;* quo dicitur, quomodo cogitationes, adfectus & actiones meæ notitiam tuam fugerent, cum renes, interiora illa viſcera in corpore deliteſcentia, poſſederis, ac ſedem illam adfectuum formaveris, meque in utero matris texeris, coriis & ſecundinis involvendo, & a variis caſibus benigne protegendo? *Secundum* tempus eſt *conglomerationis, ſive primæ conceptionis.* Quemadmodum enim Jobus in prædicando formationis opere progreditur συνθετικῶς, ut in præced. §. adparuit, ita pſalmiſta in ejusdem deſcriptione progreditur ἀναλυτικῶς, a gubernatione ſcilicet vitæ humanæ ad formationem hominis in utero, a formatione ad primam conceptionem. *Informe meum*, inquit, *viderunt oculi tui.* גָּלַם proprie ſignificat *glomeravit, conglomeravit, convolvit*, ſicut pallium convolvitur; 2 Reg. II. 8. inde גֹּלֶם *glomer, glomus*, quod per metaphoram adplicatur ad maſſam illam muliebris ac virilis ſeminis in prima conceptione conglomeratam & coagulatam, antequam vis πλαστικὴ ad membrorum effigiationem adſurgat. Targum reddidit גֻּשְׁמִי, *corpus meum.* LXX. τὸ ἀκατέργαστόν μου. Symmachus: ἀμόρφωτόν μου. Vulgata: *imperfectum meum.* Juſtinus & Hieronymus: *informe meum.* Pagninus: *embryonem meum.* Campenſis: *cum rude adhuc & informe eſſet ſemen, unde naſciturus eram;* quæ verſiones omnes eodem redeunt; ſenſus enim eſt, quod nec primum conceptionis noſtræ initium, quo ſemina in unam maſſam permiſceri & calore naturali coagulari incipiunt, Deo fuerit abſconditum. Huic phraſi apud Jobum reſpondet illud: *Nonne ſicut lac me fudiſti, & ſicut caſeum me coagulaſti.* *Tertio* adſcendit pſaltes ad ipſum æternitatis omne tempus antecedentis intuitum, ac Deum æternum de quolibet homine in utero formando decretum feciſſe, adeoque determinatum vitæ tempus cuique conſtituiſſe docet. *In libro tuo ſcripta omnia*, in libro ſcilicet æternæ tuæ præſcientiæ, *dies formati ſunt, cum ne unus quidem ex eis eſſet*, hoc eſt, interprete Jobo, XIV. 5. *definiti ſunt dies hominis* æter-

æterno Dei decreto, *numerus mensium ejus apud ipsum*, terminos ejus fecit Deus, *& non præteribit*; quo respiciens Lutherus vertit: *Es waren alle meine Tage auf dein Buch geschrieben, die noch werden sollten, und derselben keiner da war.* Justinus & Pagninus itidem ad formationem, quæ fit certis dierum intervallis, id referunt, *diebus multis membra formata sunt, nec fuit unum ex eis tibi incognitum*; sed prior explicatio textui magis congrua est. Tandem agnoscens, non posse Dei sapientiam in mirando formationis opere penitus perveſtigari & explicari, erumpit in exclamationem v. 17. *Quam pretiosæ mihi sunt cogitationes tuæ, quam invaluerunt summæ earum?* v. 18. *Si dinumerare eas velim, præ arena multiplicabuntur.* Hisce Jobi ac psalmographi dictis addendum aureolum illud Sap. VII. 2. ἐν κοιλίᾳ μητρὸς ἐγλύφῃ σὰρξ δεκαμηνιαίῳ χρόνῳ παγεὶς ἐν αἵματι ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς καὶ ἡδονῆς ὕπνῳ συνελθούσης.

§. CCCCXLVI. Cæterum isthæc contemplatio conceptionis, formationis & nativitatis, juxta Jobi ac psaltis regii manuductionem instituta in genere *omnes homines* permovere debet, ut de conjugio reverenter & honorifice non solum sentiant, sed etiam loquantur. Quæ enim major cogitari potest conjugii dignitas, quam quod summus ille γενεσιουργὸς eo tanquam medio uti voluit ad generis humani multiplicationem & propagationem, quodque mirabilia sua in hominis formatione peragit, parentibus quandoque id non cogitantibus, quinimo contrarium quandoque ex ἀσοφίᾳ desiderantibus? Ex conjugio omnes nati sumus, honorifice igitur de eo sentiamus, utpote *de seminario* non solum *familiæ* ac *politiæ*, sed ipsius etiam *ecclesiæ* ad mundi usque finem futuro. Quamvis vero Deus ex ineffabili bonitate fœcunditatis donum quandoque etiam in illos conferat, qui illicitis congressibus extra conjugium utuntur; tamen toto cœlo differt societas conjugum divinæ institutioni conformis, ac Deo grata & accepta a commixtione scortatorum, quam extreme detestatur & punit. In specie vero *pii conjuges* ex consideratione mirandi διαγράμματος in conceptione & formatione infantis clarissime relucentis discant: I.) *Opus generationis esse sancte tractandum*, ab onaniticis sceleribus cavendum, inque ipso conjugio castitatis, moderationis ac temperantiæ rationem habendam. Qui sæpius congrediuntur, eos rarius generare, physiologi certis argumentis & meretricum infœcundarum exemplo demonstrant. *Unusquisque quantum potest, formet se ad verecundiam, pudorem colat, castitatem conscientia & mente tueatur, nec tantum legibus publicis pareat, sed sit supra omnes leges, qui legem Dei sequitur*; ait Lactantius lib. VI. inst. c. XXIII. Nihil quidquam a Dei oculis absconditum, nec tenebræ apud ipsum quidquam occultant, *cum nox ipsi luceat, ut dies*, Psalm. CXXXIX. 12. II.) *Gravidis mulieribus esse parcendum*, ne vel præposteris & intempestivis congressibus, vel coactione ad graviores labores, vel provocatione ad iracundiam, multo minus verberibus & percussione opus Dei turbetur ac intervertatur. *Si quis templum Domini violaverit, perdet illum Deus*, inquit apostolus I Cor. III. 17. at quid aliud est embryo, quam templum aliquod a Deo ipso paratum & exstructum, in quo non in hac solum, sed etiam in futura vita habitare expetit, quotquot igitur hoc templum violant, Dei pœnas incurrunt. *Hominum genus, quod ex divina nascitur providentia, improbis & malitiosis machinationibus non interficiamus*; inquit Clemens Alexandrinus lib. II. pædag. cap. XII. qui data opera illud faciunt, merito omnem humanitatem exuisse judicantur. III.) *Beneficium* τεκνογονίας *grato corde agnoscendum*, fructum ventris piis precibus

Usus doctrinæ de conceptione & formatione.

bus Deo commendandum, & pro fructibus illis conjugii laudum sacrificia Deo offerenda esse. Gen. XXXIII. 5. dicit Jacobus de filiis suis ad fratrem Esavum: *Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo.* XLVIII. 9. dicit Josephus de filiis suis ad patrem Jacobum: *Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco.* Psam. CXXVII. 3. *Ecce hereditas Domini* (a Deo data ac donata) *sunt filii, merces fructus ventris.* v. 4. *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii juventutum.* v. 5. *Beatus vir, qui implevit pharetram suam ex illis, &c.* CXXVIII. 3. *Uxor tua sicut vitis fructificans in lateribus domus tuæ, filii tui sicut plantationes olearum in circuitu mensæ tuæ.* v. 4. *Ecce sic benedicetur vir timens Dominum.* 1 Tim. II. 15. *Salvabitur mulier διὰ τῆς τεκνογονίας*, &c. Liberi sunt suavissima conjugii germina, conjugalis amoris vincula, ac secuturæ posteritatis seminaria. Filii & filiæ dicuntur quasi φίλοι propter φιλίαν, quam inter conjuges conciliare & conservare debent, unde vocantur *pignora conjugii.* Iidem sunt posteritatis conservandæ ac generis propagandi instrumenta, σύνδεσμοι γονέων, ἀρχαὶ φιλίας, ὥσπερ ἱερῶν μεγάλων κοινωνήματα, ut loquitur Plutarchus in Erotic. Inde cum Abrahamus ἄτεκνος præclaras a Deo promissiones acciperet, tristis respondebat: Gen. XV. 2. *Domine Deus, quid dabis mihi, ego vadam absque liberis*, quo dicitur: quid corporales illæ promissiones mihi prosunt, cum in me uno genus meum terminetur?

Ut tristis sine sole dies, sine sidere nox est:
Sic sine prole domus, sic est sine compare lectus;

canit Major poeta. Contra vero οἱ ἄρσενες τέκνοι οἴκων, ut Euripides inquit, *sunt domus fundamenta & ornamenta.* Suidas ex Homero citat hos versiculos p. 258.

Ἀνδρὸς μὲν στέφανος παῖδες, πύργοι δὲ πόλης.
Ἵπποι δ' ἐν πεδίῳ κόσμος, νῆες δὲ θαλάσσης.

IV.) *Liberos*, cum sint bonum θεόδοτον, *per preces, per sacramentum baptismi, per piam ac fidelem institutionem esse Deo reddendos*, qua de re paulo post plenius, V.) *Sterilitatem*, utpote calamitatem divinitus immissam *patienter esse ferendam*, ac in divina voluntate humiliter adquiescendum, sive conjugium nostrum fertile esse velit, sive sterile & infœcundum. *Numquid pro Deo ego, qui prohibuit a te fructum ventris?* inquit Jacobus ad Rachelem conjugem stomachabundam, Gen. XXX. 2. Deus est, qui *ut concludendo concludit matricem sterilium*; XVI. 2. XX. 18. ita quoque vicissim pro suo beneplacito *sterilem efficit matrem filiorum lætantem*, Psalm. CXIII. 9. unde Isaacus pro *uxore sua* sterili Dominum deprecatur, Genes. XXV. 21. ac Deus dicitur *Rachelis recordatus*, quando sterilitatis opprobrium ab ea abstulit. XXX. 22.

§. CCCCXLVII. Dictum fuit hactenus de effectis conjugii in *abstracto* consideranti, restat ut descendamus ad effectus ejusdem in *concreto* spectati, qui complectuntur *officia conjugum.* Quamvis enim ea a quibusdam referantur ad matrimonii adjuncta, ad effecta tamen eadem propius accedunt; cum in actionibus ex lege & institutione hujus ordinis conjugibus necessario incumbentibus consistant, quo intuitu etiam ministrorum ecclesiæ & magistratus politici officia ad effectorum classem in præcedentibus articulis retulimus. Officia illa conjugum, vel sunt *utriusque communia*, vel *alterutrius propria.* A.) Communia officia revocari possunt ad tres classes. Quemadmodum enim apostolus Tit. II. 12.

Effecta conjugii in concreto.

A.) *Officia conjugum utrique parti communia.*

in

in genere ab omnibus Christianis requirit, ut recte se gerant *erga Deum, erga se ipsos & erga proximum*, quando eos jubet vivere εὐσεβῶς, σωφρόνως καὶ δικαίως, sic in specie ad conjugum officia utrique communia hoc adplicari potest, quod muneris sui partes exsequi teneantur ac possint recte se gerendo *erga Deum, erga se ipsos & erga proximum*, sive homines alios. I.) *Erga Deum* recte se gerunt, *mutua ad pietatem provocatione & exhortatione.* Conjugii a Deo instituti inter reliquos etiam hic finis est non postremus, ut sit *adjutorium*, Genes. II. 18. non solum in rebus humanis, sed etiam in divinis, ut superius fuit demonstratum. Cogitent igitur pii conjuges, ex ipsa primævæ institutionis lege sibi incumbere, ut in cultu & servitio Dei, in precibus & sancta erga Deum obedientia mutuum sibi præstent auxilium, quod fieri poterit hac ratione, si sanctis monitis & laudabili exemplo ad veram pietatem sese invicem cohortentur, si uno corde in una veræ fidei confessione Deum colant, uno ore ipsum invocent, preces suas conjungant, ac de re, quam a Deo impetrare cupiunt, pie consentiant, Matth. XVIII. 19. si scripturæ lectione & meditatione, totius familiæ ad pietatem & honestatem adsuefactione, ac quotidiana aliorum pietatis exercitiorum continuatione domesticam ecclesiam constituant. Rom. XVI. 5. 1 Cor. XVI. 19. Col. IV. 15. Philem. v. 2. De hoc piorum conjugum officio loquuntur hæc scripturæ dicta: 1 Cor. VII. 5. *Nolite fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi & jejunio.* Ergo cogitent pii conjuges orationi & jejunio quandoque esse vacandum, ac propterea a consuetudine conjugali ex mutuo consensu ad tempus abstineri posse. v. 16. *Unde scis mulier, si virum salvum facies, aut unde scis vir, si mulierem salvam facies?* Ergo conjuges omnia sua studia & actiones suas omnes eo dirigere debent, ut alter alterius salutem promoveat. 1 Petr. III. 1. *Mulieres subditæ sint viris suis, ut, & si qui non credunt, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant.* v. 2. *Considerantes in timore castam conversationem vestram.* Idem vice versa ad viros etiam adcommodari potest. Ergo conjuges ita conversentur invicem, ut fidei vel accendendæ vel augendæ curam sibi propositam esse demonstrent. Ac quod in genere ad omnes vere pios Spiritus sanctus dicit: Rom. XV. 2. *Unusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.* Hebr. X. 24. *Observemus alii alios, ut nos provocemus ad caritatem & bona opera*, κατανοῶμεν ἀλλήλους εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων, id recte in specie ad conjuges adplicatur, quod ad bonum in ædificationem sibi placere, & ad bona opera sese invicem provocare ac cohortari debeant. Exempla hujus officii proponuntur in Abrahamo & Sara, Genes. XII. 5. XVIII. 19. 1 Petri III. 6. in Isaaco & Rebecca, Genes. XXV. 22. in Tobia ac Sara, Tob. VIII. 4. in Zacharia & Elisabetha. Luc. I. 5. &c.

I.) *Erga Deum.*

§. CCCCXLVIII.

II.) *Erga se ipsos* recte se gerunt conjuges *debita fidei & amoris conjugalis conservatione.* Eph. V. 25. Col. III. 19. Tit. II. 4. Cum enim arctissima societate & indissolubili vinculo divinitus sint conjuncti, ideo fidem & amorem matrimonialem sibi invicem præstare, eumdemque illibatum conservare tenentur. Sed conjugalis ille amor multa omnino complectitur, profluunt enim ex hoc fonte: 1.) *Pacifica & tranquilla cohabitatio.* Ubi verus ac sincerus amor viget, ibi animorum unio viget, cum amor habeat vim uniendi. Ubi animorum unio viget, ibi est idem velle ac nolle, ubi idem velle ac nolle, ibi non potest non vigere pacata & tranquilla cohabitatio. 1 Cor. VII. 15.

II.) *Erga se ipsos.*

In pace vocavit nos Deus. 1 Tim. II. 8. *Volo viros levare sanctas manus sine ira.* 1 Petr. III. 7. *Viri cohabitent uxoribus secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, ne impediantur orationes vestræ;* hoc est, ideo inter conjuges debet vigere concordia, ne per iras & odia impediantur preces. Eusebius libr. III. de præp. evang. dilectionis hujus mutuæ inter conjuges in sacris Junonis apud Ægyptios tale symbolum fuisse memorat: *Qui Junoni sacrificabant, bilem in sacris non adhibebant, sed eam juxta aram defodiebant,* quia enim viri & mulieres, hoc est, conjuges conjunctam significant vitam, ea re ostendere voluerunt, absque ira, odio & amarulentia matrimonium esse oportere, ac loco iræ benevolentiam, loco odii amorem, loco amarulentiæ humanitatem vigere debere. Talis concordia suave & blandum efficit conjugium, discordia vero triste ac amarum. Prov. XV. 17. *Bonum est cibarium oleris, ubi est dilectio, quam bos saginatus, ubi est odium.* XVII. 1. *Melior est buccella sicca & tranquillitas in ea, quam domus plena victimis jurgii.*

Si dat oscula mensa minuscula pace quieta;
Ne pete grandia lautaque fercula lite repleta.

2.) *Bonorum & malorum communicatio.* Ubi verus ac sincerus amor viget, ibi quilibet alterius bona & mala sibi statuit communia, ex quo συγχαιρία ac συμπάθεια mutua consequitur. Clemens Alexandrinus libr. IV. stromat. ex Euripide adducit honestissimum cordatæ cujusdam mulieris responsum, *quæ dulce sibi esse dixit cum marito tristari.* In adversis igitur ac morbis alter conjugum non deserat alterum, sed auxilio, consilio & solatio ipsi adsit; in prosperis alter alterum suorum bonorum ac gaudiorum participem faciat. Quo pertinent dicta generalia, Rom. XII. 15. 1 Cor. XII. 26. cumprimis illud speciale: Eph. V. 28. *Viri debent diligere uxores, ut corpora sua.* Ergo inter conjuges bonorum & malorum debet esse communicatio, cum sint *una caro*, unum corpus. Exempla hujus societatis proponuntur in conjugibus Abrahæ, Isaaci, Jacobi, &c. quæ varias fortunæ vices cum suis maritis expertæ sunt: in Hipsicratea, Mithridatis uxore, quæ maritum in exsilium sponte comitata est. Huc referenda est *officiorum communicatio*, qua alter conjugum alteri inservit, omnia humanitatis & benevolentiæ officia ipsi præstat, pericula & incommoda alterius avertit, sicut *Michal* Davidis, 1 Sam. XIX. 11. & *Abigail* Nabalis vitæ conservandæ studet. XXV. 18. Sed & *in liberorum educatione, informatione & elocatione, in rei familiaris adquisitione & conservatione, inque œconomiæ administratione* officiorum inter conjuges vigere debet communicatio, ut superius in cap. VI. de forma matrimonii §. CCCCXXI. ostendimus. 3.) *Infirmitatum condonatio.* Ubi verus & sincerus viget amor, ibi alter alteri condonat nævos & infirmitates, Prov. X. 12. 1 Petr. IV. 8. *Caritas operit multitudinem peccatorum.* 1 Cor. XIII. 7. ἡ ἀγάπη πάντα στέγει, πάντα ὑπομένει. Parentum amor multa tolerat in liberis, nec ad vivum omnia exigit, ita quoque conjugalis amor ἐπιεικείαν illam in tolerandis alterius partis defectibus ac nævis secum adferre debet. Huc pertinent dicta generalia, Gal. VI. 2. Col. III. 13. ac specialia ad conjuges directa: Eccles. XXV. 2. *Deo & hominibus probantur conjuges* ἑαυτοῖς συμπεριφερόμενοι. 1 Petr. III. 7. *Viri mulieribus, ut infirmiori vasi, honorem impertiantur.* Ambrosius libr. VIII. in Luc. XVI. *Si alienos, multo magis uxorios debes tolerare & emendare mores.* Noverint se esse conjuges, ideo commune illud jugum paribus animis ferant, ac moribus invicem adsuescant, exprimentes

tes illud τροποφορεῖν Act. XIII. 18. Exemplum condonationis proponitur in *Adamo*, qui magna æquitate ignovit uxori, quod ab ea ad lapsum esset solicitatus, neque hoc nomine jurgia inter eos exstitisse leguntur. 4.) *Zelotypiæ fuga ac detestatio.* Verus & sincerus amor *non æmulatur*, 1 Cor. XIII. 4. *omnia sperat*, v. 7. *nihil mali suspicatur*; unde suspicio amoris & amicitiæ pestis recte adpellatur. Sirac. IX. 1. *Ne zeles mulierem sinus tui, neque ostendas in te disciplinam malam.* Absit igitur a conjugibus insana ac stolida illa zelotypia, qua alter alterum sine causa fidei conjugalis non servatæ suspectum habet, qui zelotypiæ affectus est pestilentissimum amoris conjugalis deleterium, vitam conjugum reddit acerbam & injucundam, ac societatem conjugalem maximopere perturbat. 5.) *Conjugalis benevolentiæ præstatio.* Verus amor conjugalis non animorum tantum, sed etiam corporum conjunctionem efficit, cum juxta primordialis institutionis leges conjuges fiant una caro. 1 Cor. VII. 3. *Uxori vir debitam benevolentiam reddat, similiter autem & uxor viro.* v. 4. *Uxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir: similiter & vir proprium corpus non habet in sua potestate, sed mulier.* Non potest igitur alter conjugum invito altero continentiam vovere, a consuetudine conjugali abstinere, & hac ratione peccandi occasionem alteri subministrare, sed debent sibi invicem quamdam corporum servitutem. 6.) *Conjugalis fidei observatio.* Maritus & uxor sunt *una caro*; Genes. II. 24. Matth. XIX. 6. sunt arctissimæ societatis & amoris vinculo conjuncti, ergo alter alteri fidem sinceram & illibatam præstet. Nec debet vel alteruter, vel uterque conjugum de matrimonii dissolutione cogitare, aut corporis sui potestatem alteri facere, quin potius uterque cavere debet, ne in cordis domicilium amorem alterius admittat. Lactantius lib. VI. cap. XXIII. circa finem: *Dissociari corpus & distrahi Deus noluit. Præterea non tantum adulterium esse vitandum*, (præcepit) *sed etiam cogitationem, ne quis adspiciat alienam, & animo concupiscat, adulteram enim fieri mentem, si vel imaginem voluptatis sibi ipsa depinxerit.* Exempla fidei conjugalis proponit Valerius Maximus libr. IV. memor. cap. VI. in *Penelope* Ulyssis, & *Portia* Bruti uxore, &c. Ex sacris literis illustriora habentur. *Sara Abrahæ & Rebecca Isaaci* pro maritorum salute non dubitant casti pudoris decus periculo exponere. *Michal* Davidica commento satis callido maritum tyrannidi patriæ subtrahit. 1 Sam. XIX.

§. CCCCXLIX. III.) *Erga alios* recte se gerunt conjuges sancta vitæ conversatione, si nulli hominum domesticis dissidiis, fœderis conjugalis violatione vel aliis flagitiis scandalum præbeant; sed potius omnibus pietatis, castitatis, concordiæ & tranquillitatis exemplo præluceant, si beneficentiam erga pauperes exerceant, & boni nominis gloriam pia & honesta conversatione sibi comparent, quo pertinent dicta generalia: Matth. V. 16. *Luceat lux vestra.* Rom. XIV. 13. *Ne ponatis fratri offendiculum aut scandalum*; ac speciale illud apostoli: 1 Petri III. 1. *Mulieres subditæ sint viris, ut, & qui non credunt verbo, lucrifiant.* v. 2. *Considerantes castam conversationem vestram*; quod ad conjuges in genere adplicari potest, ideo scilicet ipsos pietati, castitati ac honestati debere studere, ut alii ipsorum exemplo ædificentur. Chrysostomus homil. XX. in epist. ad Ephes. in principio: *Si conjuges sint in concordia, & recte aluntur filii, modestique sunt famuli, & ordinem non deserunt, & bono eorum odore fruuntur vicini amicique & cognati; si autem contra, evertuntur & confunduntur omnia.* Ut autem omnes vere pii non solum a malo ipso, sed etiam *ab omni specie mali* abstinere debent, III.) *Erga alios.*

1 Thessal.

1 Theſſal. V. 22. ita quoque conjuges ſibi illud dictum ſtatuant, ac proinde caveant, ne nimis familiari cum extraneis converſatione, vel diuturniori, ac non neceſſaria a ſe invicem ſeparatione ſiniſtris ſuſpicionibus ac rumoribus occaſionem præbeant, aut maculam aliquam infamiæ ſibi adſpergant. Proverb. V. 20. *Ut quid delectaris cum extranea, & amplexaris ſinum alienæ?* Sirac. IX. 12. *Cum conjugata muliere, ne ſedeas omnino, & ne converſeris cum ea in vino.* 1 Cor. VII. 5. *Convenite viciſſim in unum, ne tentet vos ſatanas.*

B.) *Officia alterutrius conjugis propria.*

§. CCCCL. B) Officia alterutrius conjugis propria ſunt, vel *mariti erga uxorem*, vel *uxoris erga maritum.*

I.) *Mariti erga uxorem.*

I.) Marito competit: 1.) *uxoris protectio.* Quemadmodum enim caput in eminentia conſtitutum de reliquorum membrorum tutela ac defenſione ſolicitum eſt: ſic marito tanquam capiti incumbit tueri uxorem, ejusque defenſorem agere. Eph. V. 23. *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt eccleſiæ, & ipſe eſt Salvator corporis*; hoc eſt, ut Chriſtus tanquam caput eccleſiæ corpus ſuum myſticum defendit ac protegit, ſic maritus tanquam caput uxoris eamdem tueatur ac defendat. Hinc maritus dicitur *expandere alam veſtium ſuarum ſuper uxorem*; Ruth. III. 9. hoc eſt, in ſuam fidem ac clientelam eam recipere, tutelam ac patrocinium eidem præſtare. Quidam huc referunt verba Abimelechi ad Saram Abrahæ uxorem: Geneſ. XX. 16. *Ipſe maritus tuus erit tibi* כְּסוּת עֵינַיִם, *operimentum oculorum.* Targum: *operimentum gloriæ*; id eſt, ipſe defendet famam & gloriam tuam contra calumniatores, quod intacta a me diſceſſeris. Ariſtoteles in œconom. libr. I. c. III. citat Pythagoræ ſententiam, *quod maritus debeat uxori beneficentiam & tutelam, quia ſponſa ei ad aram, ut ſupplex commendatur.* Ovidius epiſt. VIII.

. . . . . *Nec turpe marito eſt,*
Aſpera pro charo bella tuliſſe thoro.

Exempla hujus protectionis nobis proponuntur in *Jacobo*, qui reverſus ex Meſopotamia, cum fratrem Eſavum ſibi occurrere intelligeret, ſumma diligentia meditatur, & curat ea, quæ ad defenſionem imbellis ſexus facere poſſint, Geneſ. XXXII. 13. & in *Davide*, qui cum parva manu proficiſcitur ad abductas ab hoſte uxores & familiam liberandam. 1 Sam. XXX. 10.

2.) *Nutritio ac neceſſariorum proviſio.* Ut caput proſpicit membris reliquis non ſolum de tutela & defenſione, ſed etiam de victus, amictus ac aliorum neceſſariorum ſubminiſtratione: ſic maritus uxori ſuæ tanquam proprio corpori de neceſſariis proſpicere tenetur. Deſcendit hoc ex antiquiſſima Dei lege, qua marito dictum fuit: Gen. III. 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, ut ſcilicet tibi ac familiæ victus ſuppetat. Exod. XXI. 10. *Si pater aliam acceperit filio uxorem præter ſervam, alimentum ejus, operimentum ejus & cohabitationem ejus non diminuet*; hoc eſt, uxor prius ducta non propterea debet viliori loco haberi ob humilem ſtatus conditionem, ſed quoad officia uxori a marito debita, *victum* ſcilicet, *veſtitum & debitum conjugale* nihil illi ſubtrahatur. Sic Chaldaica paraphraſis & Hebræorum magiſtri in præcept. negativ. cap. LXXXI. textum hunc exponunt, idque haud abſurde. In Hebræo tria ſunt vocabula. *a.*) שְׁאֵר, quod ſignificat non tantum carnem, ſed etiam *cibum*, *victum*, *alimentum*, quo caro animalis cujusque ſuſtentatur, unde Targum h. l. reddidit מְזוֹנָהּ *alimentum ejus.* LXX. interpretes: τὰ δέοντα *neceſſaria.* *b.*) כְּסוּת *veſtitus*, *operimentum*, Deut. XXII. 12. a radice כָּסָה *operuit*, *veſtivit.* *c.*) עוֹנָה, *cohabitatio*, qua voce congreſſus maritalis σεμνῶς deſcribitur. Rabbini ſic explicant:

לבא

לבא עליה בדרך כל הארץ *ut ingrediatur ad eam juxta viam universæ carnis*, ex Gen. XIX. 31. unde dicunt: *Tria uxori suæ debet maritus* שְׁאֵר כְּסוּת וְעוֹנָה, *alimentum, vestem & concubitum.* In jure canonico c. Omnino. dist. 31. *Presbyter conjugatus duo priora uxori præstare dicitur, sed a posteriore prohibetur.* Eph. V. 28. *Viri diligere debent uxores, sicut corpora sua, qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit.* v. 29. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed* ἐκτρέφει καὶ θάλπει αὐτὴν, *nutrit ac fovet eam.* 1 Tim. V. 8. *Qui domui suæ* (uxori & liberis) *non prospicit, fidem negavit, & est infideli deterior.* Secundum quorumdam locorum statuta maritus est *legitimus tutor* vel curator uxoris, secus autem de jure civili. 3.) *Amica & blanda conversatio.* Maritus cogitet, primam mulierem non ex capite, nec ex pedibus, sed ex latere, & quidem ex costa cordi vicina formatam esse. Quamvis ergo uxori dominium in virum non competat, tamen non debet tractari ut serva, sed ut collateralis & socia, non ut scabellum pedum, sed ut lateris, imo cordis quædam portio, ut ex Gen. II. 21. recte colligit Thomas part. I. q. 92. art. 3. Gen. XXVI. 8. *Isaacus jocatur cum uxore sua.* In Hebræo est צחק *risit*, a quo verbo Isaacus nomen sortitus est. Pulcre Chrysostomus homil. XX. in epistola ad Ephes. pag. 1163. ἀργὴ δευτέρα ἔστιν ἡ γυνὴ, μήτε αὐτὴ τὴν ἰσοτιμίαν ἀπαιτείτω, ὑπὸ γὰρ τὴν κεφαλὴν ἐστι, μήτε ἐκεῖνος ὡς ὑποτεταγμένης καταφρονείτω, σῶμα γὰρ ἐστι, κἂν κατοφρονῇ τοῦ σώματος ἡ κεφαλὴ, καὶ αὐτὴ προσαπολεῖται. Æquum igitur est, ut maritus non tyrannicum & severum, sed blandum & familiarem in uxorem exerceat dominatum. Col. III. 19. *Viri diligite uxores, & nolite* πικραίνεσθαι, *amarulentos vos præbere erga eas.* Eccles. IV. 35. *Noli esse sicut leo in domo tua*, ut familiæ gubernationem ipsi non minus, quam sibi concreditam & hoc respectu in partem dominii eam receptam esse cogitet, ut juxta scientiam ipsi tanquam *infirmiori vasi* cohabitet, quæ ἐπιείκεια in specie a maritis requiritur, 1 Petr. III. 8. propter deformitatem, sterilitatem, valetudinis adversitatem, &c. ipsam non odio habeat, sed potius eo nomine sese adflictantem consolatione erigat, exemplo Elcanæ 1 Sam. I. 8. Homerus Iliad. I. *Qui bonus est & prudens, is & diligit & magnifacit propriam conjugem.* Neque tamen amica illa conversatio degenerare debet in servile studium obsequendi mulieri etiam in illis, in quibus modum debitum excedit, sicut Clemens Alexandrinus libr. II. pædagog. cap. X. monet, *in luxu vestium & ciborum non esse indulgendum muliebribus desideriis & cupiditatibus.* Graviter enim peccarunt Adamus, Gen. III. 6. Salomon, 1 Reg. XI. 3. Achabus, 1 Reg. XXI. 25. & alii complures, qui ab uxoribus illecti ac persuasi a norma legis divinæ discesserunt. Accedat ergo 4.) *Moderata correctio.* Cum enim marito dominium in uxorem competat, ideo etiam ipsi incumbit, aberrantem leniter ac prudenter corrigere, eamque non contumeliosis & injuriosis verbis, multo minus verberibus aut scutica, sed blandis verbis & benevolentia emendare; exemplum illius moderationis proponitur in Jacobo, Gen XXX. 2. Qua ratione anima regit & corrigit corpus sibi subjectum, ea ratione maritus regat ac corrigat uxorem, quæ est caro & corpus ipsius. Ephes. V. 28. Atqui anima non ita regit corpus, ut flagris illud coerceat & adfligat, si Baaliticos flagriones naturæ hostes excipias; ergo etiam maritus in correctione uxoris ad flagra & verbera non descendat. *Famulum quidem*, inquit Chrysostomus d. l. *poterit quispiam metu adligare, imo vero ne illum quidem, fortasse enim resiliet & abibit; vitæ autem sociam, liberorum matrem, & quæ est causa & occasio omnis lætitiæ, non oportet metu &*

& minis ligare, ſed dilectione & adfectione. Quanam enim voluptate fruetur maritus cum uxore habitans tanquam cum ancilla, & non tanquam cum libera. Ad hæc quatuor capita facile referri poſſunt etiam reliqua mariti erga uxorem officia, quæ ab aliis enumerantur. Juxta ſcribas Hebræorum ſeptem ſunt mariti officia: 1.) *ut uxorem ægrotam curet*, 2.) *ut redimat captivam*, 3.) *ut ſepeliat mortuam*, 4.) *ut ſuſtentetur ex facultatibus ejus*, 5.) *ut habitet in domo ejus, quamdiu eſt vidua*, 6.) *ut ejus filiæ ſuſtententur ex bonis ejus, donec deſponſentur*, 7.) *ut filii ejus ſint heredes.*

II.) *Uxoris erga maritum.*

§. CCCCLI. II.) *Uxoris propria* officia hæc ſunt. 1.) *ὑποταγὴ, erga virum ſubjectio*, ut maritum agnoſcat ſuum caput ac dominum, eique non ſolum amorem & adjumentum, ſed etiam honorem, timorem, reverentiam & obſequium præſtet. Unde ὑπανδρος a Spiritu ſancto vocatur Rom. VII. 2. Ad hanc ſubjectionem permovere eam debet:

1.) *Subjectio.*

a.) Divina juſſio. Neque enim ab *Aha/veri mandato*, Eſth. I. 20. dependet illa ſubjectio, ſed exſtat longe antiquius, auguſtius & firmius de ea præceptum. Gen. III. 16. *Ipſe dominabitur tibi.* Unde Paulus Col. III. 18. *mulieres viris ſubditas eſſe* jubet *in Domino*, ſive propter Dominum, qui ſcilicet id conſtituit ac præcepit, quæ verba expendens Chryſoſtomus homil. XX. in epiſt. ad Epheſ. ſcribit: *Si is, qui his externis civilibus magiſtratibus reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, multo magis uxor, quæ marito non ſubjicitur. Sic Deus voluit ab initio.* Cogitent ergo piæ mulieres, ſe obſequium illud *non hominibus, ſed Deo* præſtare, quia Deus ſic ordinavit & inſtituit; ac viciſſim ſe non in viros tantum, ſed in ipſum Deum peccare, ſi debitam illam obedientiam & ſubjectionem maritis denegent. *b.) Prima mulieris formatio.* Hanc rationem urget apoſtolus 1 Cor. XI. 7. *Vir non debet velare caput, quoniam imago & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt.* v. 8. *Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro.* v. 9. *Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.* v. 10. *Ideo debet mulier poteſtatem*, hoc eſt, velamen in ſignum ſubjectionis, *habere ſupra caput ſuum.* Et 1 Tim. II. 11. *Mulieri non permitto dominari in virum.* v. 12. *Adam enim primus formatus eſt, deinde Eva.* Apoſtolus concludit hoc modo: Quia mulier non prima, ſed poſt virum demum condita, quia *mulier ex viro*, non autem *vir ex muliere* formatus, quia mulier *propter virum*, non autem vir *propter mulierem* eſt creatus, ideo æquum eſt, ut mulier viro ſit ſubjecta. *c.) Primævæ transgreſſionis occaſio.* Hæc ratio proponitur 1 Tim. II. 13. *Mulieri non permitto dominari, quia Adam non eſt ſeductus*, ſcilicet primus & immediate, *mulier autem per ſerpentem*, prima & immediate, *ſeducta in prævaricatione fuit.* Argumentum apoſtoli tale eſt: Quia dominium mulieris in virum peſſimum habuit eventum, ideo non amplius illud ipſi erit concedendum. Pœna ſpontaneæ transgreſſionis ac primævæ ſeductionis ſit humiliatio ſubjectionis; quæ prima olim fuit in ſeductione, debet eſſe poſtrema & inferior in dominatione. *d.) Apoſtolica ordinatio.* 1 Cor. XIV. 34. *Mulieribus non permittitur in Eccleſia loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit.* Eph. V. 22. *Mulieres viris ſubditæ ſint, ſicut Domino.* Col. III. 18. *Subditæ ſint in Domino.* 1 Tim. II. 11. *Non permitto mulieri dominari.* Tit. II. 5. *Adoleſcentulæ viris ſuis debent eſſe ſubditæ.* 1 Petr. III. 1. *Mulieres ſubditæ ſint viris.* Epheſ. V. 33. *Uxor maritum ſuum timeat.* *e.) Conjugii conditio.* Quamvis ratione juris ac poteſtatis mutuæ in corpus alterius ſit inter conjuges quædam æqualitas, 1 Cor. VII. 4. tamen viro dignitatis ac dominatus præ-

prærogativa ex ipsa conjugii natura convenit. 1 Cor. XI. 3. *Caput mulieris vir est.* Quod si ergo uxor in virum sibi arroget dominium, turbatur conjugii natura & ἐυταξία a Deo instituta. *f.) Christi & ecclesiæ præfiguratio.* Eph. V. 23. *Vir caput est mulieris, sicut Christus ecclesiæ.* v. 24. *Sed sicut ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus,* honestis scilicet & justis mandatis, quæ non pugnant cum lege divina, omnium reliquorum mandatorum norma ac regula. *g.) Sanctarum mulierum imitatio.* Hanc rationem inculcat Petrus 1 epist. III. 5. *Mulieres viris suis sint subjectæ, sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo propriis viris subditæ fuerunt.* v. 6. *Sicut Sara obedivit Abrahæ dominum eum vocans, cujus estis filiæ benefacientes & non pertimescentes ullam turbationem.* Exempla hujus subjectionis obedientiæ ac reverentiæ proponuntur non solum in *Sara* uxore Abrahæ, Genes. XVIII. 12. sed etiam in *Rebecca*, quæ Isaacum sponsum videns e camelo descendit, & ex ingenuo pudore peplo sese operit, ut subjectionem suam erga maritum testetur, Gen. XXIV. 65. in *Rachele & Lea*, uxoribus Jacobi, quæ sine ulla tergiversatione relictis paternis laribus maritum sequuntur, Gen. XXXI. 15. &c. *h.) Maritorum infidelium ad christianam religionem invitatio.* Hanc rationem itidem inculcat Petrus 1 epist. III. 1. *Mulieres subditæ sint viris suis, ut, & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant* v. 2. *Considerantes in timore castam conversationem vestram.* In Græco est κερδηθήσωνται metaphora ducta a servis, qui in pecunia ab hero sibi concredita negotiantur, Matth. XXV. 14. Luc. XIX. 13. Cogitent ergo piæ fœminæ, sibi tanquam *coheredibus gratiæ* thesauros divinorum charismatum & virtutum esse hoc fine datos, ut ipsæ quoque illis negotientur ac lucrentur, id est, ut sedulam navent operam, quo pia & sancta vitæ conversatione multos, & sic etiam maritos suos Christo lucrifaciant. Quod vero apostolus addit, tales maritos *sine verbo* Christo lucrifieri posse, id non est intelligendum de *simplici & absoluta verbi a conversionis mediis exclusione*, sed tantum de *prima illa*, qua quis ad fidem perducitur, *occasione.* Quando enim mariti infideles sanctam mulierum christianarum conversationem vident, honestius de religione christiana sentire, a blasphemiis in eam projectis abstinere, & ad verbi auditum invitari incipiunt, quæ est prima ad conversionem janua, cujus rei evidens exemplum in Monica, Augustini matre, viro ethnico nupta proponitur. Quod autem de maritis gentilibus apostolus adserit, idem ad maritos impios, morosos, flagitiosos, &c. adcommodari potest, quod uxores subjectionis suæ promtitudine & piis obsequiis ad saniorem mentem eos reducere possint.

§. CCCCLII. 2.) Σεμνότης, *vitæ & morum honesta gubernatio.* Uxores enim cumprimis decet, pudoris, castitatis, verecundiæ, taciturnitatis, adeoque omnis honestatis diligentem curam habere, ne maritos suos garrulitate, procacitate, morositate, studio contradicendi, libidine rixandi, luxu, fastu, aliisve ejusmodi vitiis offendant. Tit. II. 4. *Anus prudentiam doceant adolescentulas,* ut sint φίλανδροι, φιλότεκνοι, v. 5. σώφρονες, ἁγναὶ, ἀγαθαὶ. 1 Petr. III. 3. *Ornatus mulierum optimus est non extrinsecus in nodis capillorum & circumpositio auro vel palliorum amictu;* v. 4. *Sed occultus ille cordis homo in incorruptione lenis ac quieti spiritus, qui est coram Deo pretiosus.* v. 5. *Ita enim olim & sanctæ illæ mulieres, quæ sperabant in Deum, ornabant sese;* ex quo loco apostolico petitum aureolum illud Tertulliani, quo librum suum de cultu fœminarum concludit p. 169. „Prodite vos jam medicamentis

2.) *Vitae & morum honesta gubernatio.*

„ & ornamentis exſtructæ apoſtolorum, ſu„ mentes de ſimplicitate candorem, de pu„ dicitia ruborem, depictæ oculos verecun„ dia & ſpiritus taciturnitate, inſerentes in „ aures ſermonem Dei, adnectentes cervi„ cibus jugum Chriſti, caput maritis ſub„ jicite, & ſatis ornatæ eritis. Manus la„ nis occupate, pedes domi figite, & plus „ quam in auro placebunt. Veſtite vos ſe„ rico probitatis, byſſino ſanctitatis, pur„ pura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum „ habebitis amatorem. *Sirac. XXVI.* 16. „ Gratia mulieris delectabit virum ejus, & „ oſſa illius impinguabit ſcientia illius. „ Lutherus nervoſe reddidit: *Ein freundlich Weib erfreuet ihren Mann, und wenn ſie vernünftig mit ihm umgeht, erfriſcht ſie ihm ſein Herz.* v. 17. *Donum Domini mulier taciturna & prudens & non eſt commutatio recte inſtitutæ animæ.* v. 18. *Gratia ſuper gratiam mulier pudorata & fidelis.* XXXVI. 25. *Si eſt in lingua mulieris πραΰτης, non eſt vir illius ſecundum filios hominum.* Contra vero *continuans ſtillicidium mulieris contentiones*, id eſt, ſicut ſtillicidium lapidem, ſic rixoſa mulier cor viri exedit. Prov. XIX. 13. XXVII. 15. *Melius eſt habitare in terra deſerta, quam cum muliere rixoſa & iracunda.* Prov. XXI. 9. & 19. XXV. 24. Eccleſ. XXV. 23. 3.) Οἰκουρία, *ſedula & induſtria œconomiæ adminiſtratio.* Convenit piæ & honeſtæ uxori, non in plateis divagari; (meretrici enim hoc tribuitur a rege ſapiente, *quod ſit inquieta, cujus pedes non manent in domo, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos.* Prov. VII. 11. & 12. IX. 13. ac ſcortum aliquot locis in Targumim adpellatur נפקת ברא *exiens foras.* Vid. Eliam in Tisbi.) ſed curam domus habere, rem familiarem mariti ſudore partam conſervare, œconomiam adminiſtrare, &c. Prov. XXXI. juxta ordinem literarum alphabeticum virtutes honeſtæ conjugis deſcribuntur, inter quas etiam hoc refertur, quod *quærat lanam & linum & operetur manibus ſuis, quod ſurgat adhuc nocte & det cibum familiæ ſuæ & ſtatutum puellis*, v. 13. & 15. quod *ſpeculetur vias domus ſuæ, & panem pigritiæ non edat*, v. 27. &c. 1 Tim. V. 14. *Volo juniores nubere*, τεκνογονεῖν, οἰκοδεσποτεῖν. Tit. II. 5. *Mulieres adoleſcentulæ ſint* ὀικουροι. Clemens Alexandrinus libr. III. pædag. ταμιεῖον ἀρετῆς ἀνδρεία γύνη, ἥτις σῖτα ὀικουρὰ ἐκ ἔφαγεν. Appelles pingebat *Venerem* ſtantem in concha teſtudinis domunculam ſuam ſecum portantis, unde *domiporta* a poëtis dicitur, ut innueret, mulierem domi ſe debere continere, & rem familiarem induſtria ſua conſervare & augere. Apud veteres illæ matronæ laudabantur, quæ pedem domo raro efferrent, quas Græci vocabant οἰκουρὰς & οἰκουρικὰς. Latini *caſarias.* Dionyſius lib. LVI. hiſtor. Rom. ἄριστον γύνη σώφρων, οἰκουρῶν, οἰκοιόμῳ, παιδοτρόφῳ.

3.) *Sedula oeconomiae adminiſtratio.*

§. CCCCLIII. Hæc dicta ſint de conjugum officiis, quomodo ſcilicet erga ſe invicem adfecti eſſe debeant; ad quæ ſumma cura ac ſtudio peragenda utrumque ipſorum exhortari debet 1.) *Dei præcipientis auctoritas.* Is enim in verbo ſuo haſce vitæ regulas conjugibus præſcripſit, qui conjugium primus inſtituit, ac rationem factorum ab unoquovis exiget, obedientibus præmia, inobedientibus ſupplicia irrogaturus. 2.) *Conjugii dignitas.* Sanctus & venerabilis eſt conjugii ordo propter divinam inſtitutionem; Pſal. CXI. 3. quotquot igitur eum diſſidiis, aliisve flagitiis deturbant, in Deum ipſum, conjugii auctorem, ſunt injurii, ac faciunt, ut nomen Dei ejusque ſancta ordinatio blaſphementur. Eſaj. LII. 5. Ezech. XXXVI. 23. Rom. II. 24. 3.) *Conſequens ſuavitas.* Quod ſi enim conjuges juxta hunc canonem inceſſerint, *pax ſuper illos & miſericordia*, Galat. VI. 16. experientur conjugium ſuave & gratum. *Es wird ihnen die Ehe ſanft thun*, ut Matthæus loqui

loqui solet. 4.) *Multiplex utilitas.* Pars pietatis non postrema est diligens exsecutio eorum, quæ cuique officii ratione peragenda incumbunt. *At pietas habet promissionem præsentis & futuræ vitæ*, 1 Tim. IV. 8. Ergo certi esse possunt pii conjuges, quod Deus temporalibus & æternis præmiis ipsorum concordiam, amorem & fidem conjugalem sit remuneraturus, si ex vera in Christum fide & ex corde per Spiritum sanctum renovato tales virtutes profluant; ac quod de concordia fratrum prædicat psaltes: Psal. CXXXIII. 3. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem & vitam usque in seculum*; idem etiam de conjugum concordia optimo jure prædicari potest. Sap. XXV. 1. 2. 5.) *Poenarum immorigeros manentium gravitas.* Deus, ut est misericors & benignus in promissione & obedientiæ remuneratione, sic justus ac severus est in comminatione & inobedientiæ castigatione. Caveant ergo conjuges, ne legum matrimonialium contemtu & officii sui neglectu Deum, ordinis hujus auctorem & conservatorem, offendant, conscientiam suam vulnerent, precibus impedimentum objiciant, ac pœnas temporales & æternas sibi accersant. Ubi viget amor & concordia, ibi Deus habitat gratiosa sua præsentia; ubi vigent lites & rixæ, ibi est regnum & domicilium satanæ. Quomodo autem erga liberos & servos conjuges sese gerere debeant, ejus doctrinæ explicatio ad alium pertinet locum.

CAPVT IX.

DE ADJVNCTIS CONJVGII.

§. CCCCLIV.

Subjectum conjugii.

Expositis conjugii effectis descendendum videbatur ad conjugii *subjectum*, quod sunt personæ ad matrimonium habiles & aptæ; ubi duo proponuntur canones: 1.) Quod nulli ad conjugium habiles, in quocunque sint vitæ statu, sive ecclesiastico sive politico, humanis constitutionibus ab eodem sint arcendi. 2.) Quod conjugium denegandum illis, qui non sunt ad id habiles & apti, ut frigidis, castratis, impuberibus, &c. Prioris canonis porismata sunt: *a.*) Quod ministris ecclesiæ non sit matrimonio interdicendum. *b.)* Quod nec illis conjugium prohiberi debeat, qui continentiæ dono divinitus sunt instructi. Suaderi quidem & consuli illis potest, ut dono divinitus sibi concesso ad nominis divini gloriam & ecclesiæ salutem utantur, imperari tamen nulla ratione potest, ut ex 1 Cor. VII. 25. evidenter colligitur. *c.*) Quod conjugium quibusdam tantum liberum, (qui scilicet ad illud habiles conditi, interim continentiæ dono sunt instructi) quibusdam vero insuper necessarium, qui scilicet ad conjugium apti sunt, & interiores ustiones sentiunt. Proinde nec cœlibatus nec conjugii universalis ac simplex necessitas omnes omnino homines obligans propugnari potest vel debet. Posterioris canonis porisma est, quod inter eos, qui ad matrimonium inhabiles sunt, ab initio statim conjugium fuerit nullum, ac proinde invicem separandi, id est, pro non conjunctis declarandi. Sed cum de hisce canonibus eorumque porismatis partim jam ante in superioribus fuerit actum in tract. scilicet de ministerio cap. VII. sect. poster. §. 330. & in hoc tract. cap. V. de conjugii materia. §. 235. partim in sequentibus in quæstione scilicet de *coelibatu* & de *causis divortii* latius tractandum sit, ideo recta progredimur ad conjugii adjuncta.

Adjuncta conjugii.

§. CCCCLV. *Adjuncta conjugii* docendi causa constituimus duplicia. Quædam

sunt conjugii *inchoati*, quædam vero *consummati*. I.) Conjugii inchoati ac nondum consummati adjuncta sunt *ritus illi* sacri, solennes ac publici, qui more omnium gentium in ejusdem consummatione adhibentur. Quamvis enim consensus matrimonialis ad individuam illam vitæ societatem inducendam etiam absque externis illis & solennibus ritibus satis efficax sit, sapiens tamen antiquitas causis permota gravissimis matrimoniali isti consensui & conjugii consummationi certos, eosque sacros, solennes & publicos ritus adhiberi voluit. Solus matrimonialis consensus (inquit Cypræus de sponsalib. cap. V. §. n. 31. 8.) matrimonium quidem constituit, sed apud omnes gentes obtinuit, & adhuc obtinet, consensum illum non verbis tantum, sed rebus ipsis & factis palam declarandum & exprimendum esse, ut de eo certo constaret, & si opus sit, doceri ac probari posset, eum interpositum fuisse. Causæ illorum rituum sunt vel *ecclesiasticæ* vel *politicæ*. Ecclesiasticæ revocari possunt ad hæc capita: 1.) *Primæ conjugalis copulationis forma*. Inter primos homines, Adamum & Evam, non sine sacris & solennibus ritibus celebratæ sunt nuptiæ, Deus ipse Adamo suam sponsam adduxit, eam ut filiam suam elocavit & legem matrimonialem sanxit, quin & novis nuptis benedixit, Gen. I. 28. II. 22. & 24. sicque *parentis, paranymphi & sacerdotis* officio in illis nuptiis perfunctus est; ex quo primarum nuptiarum exemplo procul dubio ecclesiastica novorum conjugum consecratio & benedictio originem traxit. 2.) *Generalis regula apostolica*. 1 Cor. XIV. 40. πάντα κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως, *Omnia in ecclesia decenter & ordine fieri debent*. Conjugium non est tantum res humana & civilis ad generis humani propagationem & politiarum conservationem instituta, sed etiam res divina & spiritualis a Deo ipso immediate, & quidem ante lapsum inter sanctos homines in paradiso instituta ad ecclesiæ propagationem & promovendam cujusque salutem, ut & ad præfigurandam Christi & ecclesiæ conjunctionem; ergo non tantum politicis, sed etiam sacris & ecclesiasticis ritibus copulatio novorum conjugum ac matrimonii consummatio peragi debet. 3.) *Dignitas conjugii augusta*. Conjugium non est opus tenebrarum, ut gamomastiges hæretici, Marcionitæ scilicet, Encratitæ atque alii hujus furfuris & sulphuris homines statuerunt, sed sancta Dei ordinatio; ergo non in tenebris nec clanculum, sed in facie ecclesiæ & in publico hominum conspectu solennibus ritibus est celebrandum. Huc pertinet decretum concilii Arelatensis c. VI. quod habetur c. Nullum. 30. q. 5. *Sine publicis nuptiis nemo nubere, vel uxorem ducere præsumat*; & illud Hormisdæ: c. Nullus caus. & quæst. iisdem: *Nullus fidelis, cujuscunque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed publice nubat in Domino*. 4.) *Utilitas eximia*, quæ ad novos conjuges ex solenni illa rituum sacrorum observatione redundat. Deus piis precibus ecclesiæ invocatus benedictionem suam novis conjugibus largitur, corda ipsorum sinceri amoris vinculo conglutinat & conscientias eorum confirmat, quod divinitus sint conjuncti. *Politicæ* causæ sunt vel *publicæ* vel *privatæ*. *Publicæ* communis societatis ac totius reipublicæ salutem spectant; interest enim reipublicæ scire, quæ & quales personæ matrimonio copulentur, ne civitas otiosis, desidiosis, inutilibus ac flagitiosis hominibus repleatur, utque contentionibus & rixis, quæ ex clandestinis matrimonii promissionibus oriri possunt, occasio præcidatur, unde in quibusdam rebuspublicis laudabili more receptum, ut ipsæ quoque desponsationes magistratui significentur, ac tabulis publicis inferantur. *Privatæ* honorem & famam novorum conjugum concernunt, quos conjugii consummatio publicis & solennibus ritibus

I.) *Inchoati.*

in-

instituta a suspicione liberat, ne scortatorum vel concubinariorum more cohabitare putentur. Adde, quod contractus clanculum facti inducant præsumtionem fraudis, & arguant animum dolosum c. *Quod latenter de R. I.* c. ult. §. *si quis* v. *de clandest. desponsi.* Atqui a conjugio ut bonæ fidei contractu omnem doli suspicionem quam longissime amotam esse convenit.

Ritus nuptiarum apud Romanos.

§. CCCCLVI. *Ritus* in conjugii consummatione adhiberi soliti sic distingui possunt, quod quidam extra *ecclesiæ pomoeria* apud gentiles, quidam vero in *ecclesia* fuerint ac sint usitati. Ritus gentilium sunt vel *Romanorum* vel *aliarum gentium.* Ritus apud Romanos in nuptiis usitatos diligenter ex Romanis scriptoribus collegerunt Carolus Sigonius de antiq. jure Rom. libr. I. cap. IX. Barnabas Brissonius de ritu nupt. Andreas Tiraquellus de legibus connub. Scaliger lib. III. de re poetic. cap. CI. Connanus lib. VIII. comm. c. III. Petrus Faber libr. II. semestr. cap. XXIII. Antonius Guibertus in lib. de sponsalib. Parthenius in notis ad Catullum in carmine de nuptiis Pelei & Thetidos. Molradius de matrim. pag. 31. & Johannes Rosinus in antiq. Rom. lib. V. cap. XXXVII. Potiores ritus hi erant. Primo nuptiæ non nisi *captatis auguriis* fiebant. Cicero lib. I. de divin. Valer. Maximus lib. II. c. I. Deinde ipsa nova nupta *canis senum crinibus* ornata, coma *hastæ cuspide* discriminata, Plutarchus in qq. Rom. q. 87. *corona* redimita, Tertullianus de coron. milit. *recta tunica & pura toga* induta, Plinius lib. VIII. cap. XLVIII. *corollam* de verbena, floribusque ac herbis a se lectis textam sub amiculo ferens, Festus lib. III. *cingulo ex lana ovis* facto cincta, Arnobius libr. III. adversf. gent. *flammeo* caput velata, Tertullianus lib. de vel. virgin. *e sinu matris* vi simulata rapta, Apulejus libr. IV. de asin. aur. in domum viri tanquam in futurum domicilium ducebatur. (Hanc deductionem *in domum* antecedebat deductio *in hortos* mariti die tertio, antequam nuptiæ fierent l. Seja 66. ff. de donat. inter vir & uxor. sequebatur deductio *in cubiculum* a paranymphis facta l. cui fuerit 15. ff. de conditionibus & demonstrationibus.) Ducebatur autem vesperi a *prætextatis pueris patrimis & matrimis* (id est, patrem & matrem adhuc habentibus) tribus, quorum unus facem præferebat *ex spina alba*, reliqui duo nubentem tenebant. Plutarchus in qq. Rom. q. 2. Deductam *colus comta cum fuso & stamine* comitabatur. Plinius libr. VIII. cap. XLVIII. Præter hæc utensilia mulieris, & quæ in ejus usu ac ministerio erant, per puerum impuberem, *Camillum* dictum, in vase operto, quod *cumerum* vocabatur, gestari consueverant. Varro lib. VI. de ling. lat. Hoc comitatu ad mariti ædes accedebant, quarum fores *floribus & frondibus* ornari consueverant. Præ foribus interrogatæ nubentes quænam essent, *Cajas* se esse respondebant. *Vbi tu Cajus ego Caja.* Plutarchus in qq. Rom. q. 30. (ferunt enim Cajam Cæciliam, Tarquinii Prisci regis uxorem, optimam lanificam fuisse, & ideo institutum esse, ut nova nupta ante januam mariti interrogata quænam esset, se Cajam esse responderet) Postes januæ *lana tangi* a nubentibus, *adipeque ungi & oblini* consueverant, unde uxores quasi unxores dictæ. Peracta unctione nova nupta *limen januæ transilibat*, cavendo, ne illud contingeret. Ingredienti dabantur *claves*, statuebatur in *pelle lanata*, *aquam & ignem accipiebat.* d. l. Seja. ff. de donat. inter vir. & uxor.

Sumebat tritum niveo cum lacte papaver,
. . Et exceptis mella liquata favis.

Ovi-

Ovidius in Fastis lib. IV. *Tura & aromata cremabantur.* Postmodum a novo marito sponsæ & ejus comitibus dabatur *coena*, quæ vocabatur *nuptialis* sive *genialis*, in quam paulo majores sumtus quam in alia convivia facere, legibus permissum erat, adclamabatur: *Feliciter!* Suetonius in Domitiano c. XIII. invocabatur *Thalassio*, spergebantur *nuces*, occinebantur *Fescennini*, ac nova nupta primum in *lectum genialem*, a generandis liberis sic dictum, & rosis contectum, postea etiam a fœminis pronubis in *mariti lectum*, collocabatur, vesperi adcinebatur *epithalamium* κατακοιμητικὸν, mane vero διεγερτικὸν. Postridie nuptiarum apud novum maritum rursum cœnabatur, & quasi redintegraretur potatio, eum diem *repotia* adpellabant. Novæ nuptæ munera a parentibus, cognatis & propinquis mittebantur, solenni itidem ritu. Præcedebat enim puer *candida toga facem gestans ardentem*, quem sequebatur longa series adportantium aurum, pelves, smegmata, lecticas, pectines, lectos, alabastros, sandalia, scrinia, unguentaria, interdum & dotem ipsam. Erasmus in chil. IV. cent. II. proverb. 81. Nova conjunx libertatem auspicata uxoriam in domo mariti rem divinam faciebat. Macrobius lib. I. Saturn. cap. XV. De his atque aliis Romanorum ritibus qui plura scire desiderat, auctores modo citatos, cumprimis Plutarchum & S. Pompejum Festum adeat, ac sitim Romanæ antiquitatis cognoscendæ etiam avidissimam abunde explere poterit. Rævardus jurisconsultus libr. IV. variorum cap. XVI. uxorem justam tribus modis in manum viri convenire consuevisse adserit: *usu*, *farre*, *aut coëmtione.* Usu matrimonium fieri dicebatur, cum tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conveniebat, & cum viro ita consuescebat, ut cum justo marito, adeo ut si usus ille intra annum non interrumperetur, pro *usu capta* jam haberetur, quam legitimi matrimonii rationem antiquissimam fuisse, & a raptu Sabinarum initium sumsisse ibidem ostendit. Farre sive *confarreatione* matrimonium conficiebatur, si eodem farre conjuges vescerentur, quo etiam victimas respergebant. *Farre* [inquit Ulpianus] *convenitur in manum certis verbis & testibus decem præsentibus & solenni sacrificio* [per pontifices] *peracto, in quo panis quoque ferreus adhibetur.* Coëmtio certis solennitatibus peragebatur & sese in coëmendo invicem interrogabant. Vir ita: *an sibi materfamilias esse vellet?* illa respondebat; *velle!* Item mulier interrogabat: *An vir sibi paterfamilias esse vellet?* ille respondebat; *velle!* itaque mulier in viri conveniebat manum.

Rituum illorum significationes.

§. CCCCLVII. Prætermissis variis horum rituum *significationibus*, quas vel veteres adnotarunt, vel recentiores scriptores excogitarunt, eas duntaxat recensebimus, quæ *moralem* ac *matrimonialem* quamdam admonitionem exhibent. *Auspicia & sacrificia* nuptiis interponebantur, ut significaretur, conjugium esse rem sacram, ac proinde non nisi invocato Dei auxilio ineundum, unde tot numina nuptiis præficiebant, *Iovem adultum, deum Iugatinum, Domiducum, Domitium, Iunonem pronubam, Unxiam ac Cinxiam, Manturnam, Venerem, Suadelam ac Dianam sive Lucinam.* In ipsum geniale cubiculum inferebantur simulacra deorum, *deæ Virginensis*, *Premiæ*, *Pertundæ*, *dei subjugi &c.* ut memorat & irridet Augustinus libr. VI. de civit. Dei c. IX. & lib. VII. cap. XXIV. Vide Ludovicum Vivem in comm. lib. IV. Augustini cap. XXI. In falsorum deorum multitudine introducenda fœdissime aberrabant; interim in anticipata illa notione, quod in conjugio contrahendo Dei opem implorare oporteat, a veritatis tramite minime omnium discedebant. Ornabantur novæ nuptæ *canis senum crinibus*, qui erat virginum Vestalium ornatus, quarum casti-

castitatem viris suis nubentes hoc pacto spondebant, docente Festo. *Hasta*, quæ in corpore gladiatoris occisi stetisset, caput nubentis comebatur, ut quemadmodum illa fuerat conjuncta cum corpore gladiatoris, sic illa in posterum cum viro „ se futuram significaret, vel quod imperio „ mariti se subjectam fore innueret, quia „ hasta summa arborum & imperii est, quas rationes tradit Festus. Plutarchus in qq. Rom. q. 87. tradit alias, quod moneantur „ nuptæ, quia bellicosis junguntur maritis, „ debere eas ornatu uti simplici, & a luxu „ ac mollitie alieno, aut per ambages innuatur *solo ferro conjugium discissum iri.* Cingulum, quo sponsa cingebatur, ex *lana ovis* factum erat, ut sicut illa in glomis sublata, conjuncta inter se est, sic vir „ suus secum vinctus cinctusque esset. *Velo* caput sponsæ obnuptum erat in signum pudoris ac subjectionis erga maritum Velum illud dicebatur *flammeum*, a Flaminica, id est, Flaminis uxore, ut de indissolubilitate conjugalis vinculi novæ nuptæ admonerentur, quia Flamini non erat permissum cum uxore divortium. *Colus cum fuso & flamine* nubentem sequebatur, ut lanificii officium & domesticas operas sibi in posterum tractandas esse admoneretur. Verbis illis solennibus: *Ubi tu Cajus, ego Caja;* significabatur, uxorem cum viro eodem uti jure, omnia habere communia, pariterque in familia imperare, quo dicitur: novella uxor, ut tu dominus domus & paterfamilias, ita ego domina domus ac materfamilias. Ingredienti novi mariti ædes dabantur *claves*, ut rerum omnium domesticarum, quæ clavibus concludi solent, curam ac custodiam, totam denique domum ac rei familiaris administrationem ac dispensationem ipsi committi significaretur, arg. l. Clavibus 74. ff. de contrahenda emtione. *Aquæ & ignis contactum* Plutarchus in qq. Rom. q. 1. sic explicat: „ Cur nubentem adingere aquam & ignem jubeant „ Virum quod horum inter se elementa & „ principia, hæc fœmina, ille mas sit, atque ille motus exordium infundat, hæc „ subjecti & materiæ vim? an quia aqua „ purgat & ignis expiat? debet autem „ munda & sancta, quæ nupta est, perse futuram significaret, vel quod imperio „ manere. An quoniam sicut ignis sine „ humo exsuccus & aridus est, sterilis autem & exilis sine igne aqua, perinde „ mas imbecillis & fœmina seorsim, sed „ amborum congressus præstat vitæ contubernium, quod non deserendum, sed „ in consortium veniendum omnis fortunæ, etiam si nihil boni inter se, nisi „ ignem & aquam collaturi sint?„ Lactantius lib. II. instit. cap. XXXVI. „ A veteribus institutum est, ut sacramento „ aquæ & ignis nuptiarum fœdera sancirentur, quod fœtus animantium calore „ & humore reparentur & ad vitam animentur.„ Sine igne nullæ fieri possunt generationes, aqua requiritur, ut ignis habeat pabulum, significatum igitur fuit, sine maris & fœminæ conjunctione nullam de augendis familiis spem superesse. Quidam ex Varrone lib. IV. de ling. Lat. *aquæ & ignis in limine contactum* eo referunt, quod fœdere nuptiarum tanquam inexplicabili vinculo & mutuo nexu sese copulatos fore, hac ceremonia professi fuerint. Hæc enim elementa sunt prima naturæ, quibus vita victusque communis constat, & quibus, qui extorres ab hominum cœtu futuri sunt, legibus interdici consuevit. Eodem farre sive pane & aqua vescebantur, quo testatum faciebant, se in mutuam consuetudinem, cohabitationem & victum, etiamsi pane & aqua vivendum esset, consentire. Nuces spargebat sponsus, ut se puerilibus ludis renunciare, & juvenilia cuncta ludicra relinquere, eo indicio testaretur.

Ritus apud alias gentes.

§. CCCCLVIII. Apud *Græcos*, qui matrimonio jungebantur, manus dextras conjungebant, sicque fidem illibatam sibi invi-

invicem promittebant, ut colligitur ex Xenophonte libr. IV. rer. Græcar. in principio. Matres nubentium *faces* in nuptiis filiarum tenebant, quod dicebatur δαδοχεῖν. Euripides in Phœnic. Sponsa locabatur media *in nuptiali curru* cum sponso, & necessario adfini juxta comitante ad ædes mariti deducebatur, axem hujus currus pro foribus incendebant, ut significarent, illam ibi perpetuo mansuram, neque ulla tempestate inde recessuram. Pollux libr. III. onomast. cap. III. Puer *spineis frondibus & glande querna* obsitus canistrum panibus onustum deferebat, ac sponsæ præcedens passim clamitabat: *Effugi malum, inveni bonum;* ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, quasi post frugales mores re & honoribus auctior sit. Demosthenes in orat. pro Ctesiphonte. Erasmus chil. III. cent. I. cap. II. *Currum Veneris* trahebant turtures & columbæ, ut significaretur amandum esse conjugium propter fœcunditatem, & conjuges de mutuo amore, qui in turturibus & columbis est insignis, admonerentur. Mortuo enim turture uno alter non bibit ex pura aqua, nec sedet super frondibus virentibus. Nova nupta cum novo marito edebat *carduos & tribulos*, ut de mutua societate in ærumnis tolerandis monerentur. Apud *Boeotios & Locrenses* matrimonium non habebatur ratum, nisi sponsus & sponsa more solenni antea libassent. Plutarchus in Aristide. Apud *Athenienses* nulla dabatur nuptui, nisi prius Dianæ sacra obiisset, Libanius in orat. de Dianæ laudibus. Apud *Macedones* panem gladio divisum sponsum & sponsam gustare solenne fuit. Q. Curtius libr. VIII. de matrimonio Alexandri & Roxanes differens; ubi addit, *eos qui hunc morem condiderunt, parco ac parabili* victu ostendere voluisse jungentibus opes, quantulo contenti esse deberent. Apud *Galatas* ex eodem poculo vir & uxor bibebant. Plutarchus in lib. de claris mulier. ut individua vitæ & victus societas ipsis commendaretur. Apud alios populos usitatum fuit, ut nova nupta ac sponsus unum pariter subirent jugum, quo adludit Dido apud Virgilium lib. IV. Æneid.

Ne cui me vinclo vellem sociare jugali;

in quem locum sic commentatur Servius: *Propter jugum, quod imponebatur matrimonio conjungendis, inde etiam Juno jugalis dicta, quasi æquissimo jure & concordibus animis invicem necterentur, societasque & communio vitæ inter ipsos inita foret. Persæ & Assyrii* accepta invicemque data dextra matrimonii fœdus pangebant, cum apud eos nihil fide sit antiquius. Arrianus de gestis Alexandr. lib. III. Apud *Persas* convivia nuptialia, præsertim regum & magnatum, solenniter ac opipare instructa fuisse colligitur ex Esth. II. 18. *Ahasverus jussit convivium præparari valde magnificum cunctis principibus & servis suis pro conjunctione & nuptiis Esther.* Apud *Hetruscos* in conjunctione nuptiali viri sublimes porcam immolabant, quasi diis testibus illud bene cessurum & futurum inviolabile. Varro lib. II. rei rustic. cap. IV. Apud *Germanos veteres* sponsus complacitæ mulieri, quam ducere animo destinaverat, dotem dabat, qua exhibita frenatum equum & boves, scutum, gladium & arma tanquam pignus uxori mittebat. Cornelius Tacitus libr. de moribus Germanorum. In *Boeotia* sponsam obtectam asparago coronabant. Plutarchus in præcept. connub. cap. II. ubi etiam rationem hujus ritus exponit: *Ut asparagus* [inquit] *suavem ex asperrima spina fructum fundit, sic nova nupta primam asperitatem difficultatemque suam non defugienti nec indignanti marito, urbanam jucundamque vitæ societatem præstabit.* Apud *Rhodios* nova nupta per præconem in mariti domum advocabatur, & eo proclamante in thalamum admittebatur. Plutarchus in problem. cap. CXL. Plures aliarum gentium ritus collegerunt Alexander ab Alexandria lib. I. genial. dier.

dier. cap. XXIV. & libr. II. cap. V. Tiraquellus in l. connub. 7. Cœlius Rhodiginius libr. XV. antiq. lection. cap. XV.

Ritus in ecclesia Israelitica.

§. CCCCLIX. In *ecclesia Israelitica* vet. testamenti qui fuerint nuptiarum ritus, ex scripturis quodammodo colligi potest. 1.) *Confecrationem sacerdotalem*, exemplo primi conjugii in paradiso celebrati, in nuptiis adhibitam fuisse, admodum verisimile est, & colligitur ex Psal. CXXVIII. 1. ubi in genere primum dicitur: *Beatus vir, qui timet Dominum, qui ambulat in viis ejus*, postea per apostrophen ad novum maritum directam dicitur: *Labores manuum tuarum manducabis, uxor tua sicut vitis fructifera in lateribus domus tuæ &c.* quem psalmum in novorum conjugum solenni copulatione & consecratione a sacerdote recitatum fuisse probabiliter statuitur; refertur enim inter *psalmos graduum*, qui ex eo sic dicti a quibusdam judicantur, quod sacerdotes in loco eminentiori stantes eos decantarint, & pro conditione præsentis status & auditorum quosdam ex illis elegerint. Verbi gratia: calumniis ac perfidia oppresso proposuerunt Psal. CXX. in insigni periculo constituto Psalm. CXXI. nuptias celebraturo Psal. CXXVIII. &c. 2.) *Manuum porrectione mutua* consensum matrimonialem sponsi & sponsæ fuisse declaratum, colligitur ex nuptiis Tobiæ & Saræ: Tob. VII. 15. *Raguel, parens sponsæ, accipiens manum filiæ suæ Saræ tradidit eam Tobiæ uxorem, & dixit: Ecce secundum legem Mosis curam habe illius, & duc ad patrem tuum.* 3.) *Nuptialis convivii celebrationem* antiquissimam esse, colligitur ex Genes. XXIV. 54. ubi Eleazar Isaaci paranymphus ac proneta cum suis comitibus in ædibus novæ sponsæ cum parentibus & cognatis ejus *comedisse ac bibisse*, id est, hilare convivium celebrasse legitur. Gen. XXIX. 22. Laban in nuptiis Jacobi generi *congregat omnes viros illius loci, & instruit eis convivium.* Ex Jud. XIV. 17. colligitur convivium nuptiale durasse per *integrum septiduum*, [quot dies etiam luctui solebant tribui Genes. L. 11.] ac proposita in eo fuisse arguta ænigmata,*) sponso insuper socios lætitiæ & velut adparitores fuisse additos, quosdam scilicet בחורים electos ex adolescentibus Tob. VIII. 20. *Raguel Tobiæ parat nuptias per dies quatuordecim*, ad quas Gabelus cognatus invitatur. In vulgata versione v. 22. dicitur, quod *duas pingues vaccas & quatuor arietes occidi jusserit, & parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisque amicis.* IX. 12. additur, quod *cum timore Domini nuptiale convivium celebraverint.* Joh. II. 1. Christus cum matre virgine & discipulis interest nuptiis in *Cana Galilæa* institutis, ac vinum convivis jam saturatis donat, ut sit hilaritatis materia. Fuisse etiam morem convivia solennia in nuptiis adparandi populo Israëlitico usitatum, colligitur ex parabolis Salvatoris Matth. XXII. 2. *Simile est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* v. 3. *Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias.* v. 4. *Instruit eos hoc mandato: Dicite invitatis, ecce prandium meum paratum, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata.* Luc. XIV. 8. *Cum invitatus fueris ad nuptias, vade & recumbe in novissimo loco.* In Apocalypsi itidem adluditur ad gaudia & convivia nuptialia XIX. 7. *Gaudeamus & exsultemus & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni.* v. 9. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* In nuptialibus illis conviviis

*) Gen. XXIX. 27. dicit Laban ad generum Jacobum: *Exple cum hac* (Lea) *hebdomadem*, id est, septiduum nuptiarum.

viviis hoſpites invitatos nitidioribus & honoratioribus veſtibus fuiſſe uſos, colligitur ex parabola Chriſti Matth. XXII. 11. ubi taxatur, qui deſtitutus erat *veſte nuptiali*. 4.) *Sponſæ exornationem* in populo Dei uſitatam fuiſſe, colligitur *tum* ex hiſtorica commemoratione Gen. XXIV. 53. ubi Eleazarus Iſaaci proxeneta donat Rebeccæ *veſtes*, quibus ſponſo ſuo ſe ornet. Jerem. II. 32. *Num obliviſcetur ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ;* in Hebræo: ornatus ſui? *tum* ex parabolica ſpiritualis conjugii deſcriptione. Pſal. XLV. 10. *Adſtat ſponſa a dextris tuis in auro Ophir.* v. 15. *De capſulis aureis eſt veſtitus ejus, in acupictis adducitur ad regem.* Cant. IV. 1. *Quam pulchra es amica mea!* v. 9. *Rapuiſti cor meum in uno oculorum tuorum & in uno torque colli tui.* Eſaj. LXI. 10. *Operuit me indumento juſtitiæ quaſi ſponſam ornatam in monilibus ſuis.* Ezech. XVI. 10. *Veſtivi te diſcoloribus, & calceavi te hyacintho, & cinxi byſſo, & operui te ſerico.* v. 11. *Et ornavi te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis & torquem circa collum tuum.* v. 12. *Et dedi tibi monile in facie tua, circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.* v. 13. *Et ornata es auro & argento, & veſtita es byſſo & ſerico & acupictis veſtibus.* Eph. V. 27. *Ut exhiberet ſibi eccleſiam ἔνδοξον, non habentem maculam &c.* Apoc. XIX. 7. *Venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit ſe.* v. 8. *Et datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido.* XXI. 2. *Vidi ſanctam civitatem, Hieruſalem novam, a Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Nec ſolum ſponſam, ſed etiam *ſponſum ipſum* in die nuptiarum coronam geſtaſſe, colligitur ex Eſaj. LXI. 10. *Tanquam ſponſum induere fecit* פְּאֵר, *coronam*, ut adparet ex v. 3. Cant. III. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius & in die lætitiæ cordis ejus.* 5.) *Sponſi obviationem* ſive in occurſum ſponſæ adventantis proceſſionem probat hiſtoria 1 Maccab. IX. 39. *Sponſus exivit & amici ejus & fratres ejus in occurſum ſponſæ & comitum ejus cum tympanis & muſicis & armis multis.* [quamvis ibi de filiis Ambri non de Iſraelitis ſit ſermo] Gen. XXIV. 63. ex ſingulari Dei inſtinctu Iſaacus egreditur *in agrum ad meditandum*, cum ſponſa Rebecca ipſi adducitur. Ex parabola Chriſti Matth. XXV. 1. colligi poteſt, moris fuiſſe, ut ſponſus veſpertino tempore comitatus adoleſcentibus [qui dicebantur *amici ſponſi*] accederet ſponſæ ſuæ domum ad nuptias eam evocaturus, ac tum e domo ſponſæ virgines quædam adſidentes ſponſæ [quæ vocabantur *amicæ ſponſæ*] ſponſa ipſa domi reſidente & ſponſi adventum præſtolante, prodirent ſponſæ obviam deducturæ illum cum lampadibus in domum ſponſæ & nuptialibus gaudiis cum eo perfruituræ. 6.) *Fauſtam adprecationem* in nuptiis fuiſſe ſolitam, colligitur ex Gen. XXIV. 60. precantur parentes, fratres & cognati proſpera Rebeccæ dicentes: *Soror noſtra es, creſcas in mille millia, & ſemen tuum poſſideat portas inimicorum tuorum.* Ruth. IV. 11. ſeniores urbis Bethleëmiticæ conjugio Boozi & Ruthæ fauſta precantur: *Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam ſicut Rachel & Leam, quæ ædificaverunt domum Iſrael.* Tob. VII. 15. Raguel parens ſponſæ filiam ſuam Saram Tobiæ adducens inquit: *Deus Abraham, Deus Iſaac & Deus Jacob vobiſcum ſit, & ipſe conjungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis* IX. 9. Gabelus Tobiæ hiſce benedicit verbis: *Benedicat te Deus Iſrael.* v. 10. *Et dicatur benedictio ſuper uxorem tuam & ſuper parentes veſtros.* v. 11. *Et videatis filios veſtros & filios filiorum veſtrorum, usque in tertiam & quartam generationem, & ſit ſemen veſtrum benedictum a Deo Iſrael, qui regnat in ſecula*

la ſeculorum. v. 12. *Et omnes convivæ nuptiales dixerunt, Amen.* 7.) *Pactorum nuptialium conſignationem* oſtendit Tobiæ hiſtoria. Tob. VII. 15. *Accepta charta fecerunt conſcriptionem conjugii.* In Græco eſt: λαβὼν βιβλίον ἔγραψε συγγραφὴν, καὶ ἐσφραγίσατο. In nuptialibus illis tabulis *dotem* fuiſſe expreſſam, colligitur ex Gen. XXXIV. 12. *Augete dotem & munera poſtulate.* Exod. XXII. 16. *Si ſeduxerit quis virginem nec dum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem.* Quin & apud Iſraelitas non minus quam apud Romanos *coëmtione* nuptias fuiſſe confectas, ita ut maritus data pecunia tum uxori tum parentibus ejus ab eis illam ſibi uxorem, & viciſſim uxor dato pretio maritum ſibi coemerit, non obſcure colligitur ex 2 Sam. III. 14. Oſeæ III. 2. quo etiam quidam referunt dictum Ziporæ uxoris Moſis Exod. IV. 25. *Sponſus ſanguinum tu mihi es*, id eſt, niſi ego ſanguinem filii mei in eo circumcidendo effudiſſem, de vita tua actum fuiſſet. Te igitur mihi denuo ſponſum adquiſivi & coemi non dote pecuniaria, ſed profuſione ſanguinis filii mei. 8.) Denique *deductionem in domum* & cubiculum ſponſi ſolennitate quadam peragi ſolitam, ex ſacra hiſtoria itidem colligi poteſt. Geneſ. XXIV. 67. *Introduxit Iſaac ſponſam Rebeccam in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & fuit ei in uxorem.* Deductionem in cubiculum noctu fuiſſe factam, adparet ex Geneſ. XXIX. 23. ubi Laban beneficio noctis uſus Leam pro Rachele in cubiculum ſponſi introducit. Tob. VIII. 1. *Poſtquam coenaverant, introduxerunt Tobiam ad ſponſam.* Referunt Paulus Fagius in adnotat. ad paraph. Chald. Deuter. XXII. & Schindlerus in lexico in voce בחל ex M. Nachmanno, quod „ante thalamum nu„ptialem, quem vocant חופה, adſtiterint „duo ſodales, quos adpellant שושבינין, „ſocios & amicos, qui præeuntes diligen„ter explorarint cubiculum, in quod ſpon„ſus & ſponſa introducendi erant, ne quid „quod ad judicium virginitatis pertineret, „inſidiarum alter alteri imponeret, totam„que noctem adſtantes ſummo cum gaudio „animique hilaritate ceu cuſtodes regis & „reginæ egerint. Illorum erat, egredien„tibus ſponſo & ſponſa protinus irrumpere, „omnia denuo explorare & agnita priora „lintea, in quibus concubuerant, matri „tradiderunt, quæ illa adſervabat.„ Colligunt illud ex Deut. XXII. 15. & „Joan„nem Baptiſtam ad morem illum nuptia„lem adluſiſſe„ exiſtimant, quando inquit Joh. III. 29. „Qui habet ſponſam, ſpon„ſus eſt, amicus autem ſponſi, qui ſtat & „audit eum, gaudio gaudet propter vocem „ſponſi.„

Ritus Judæorum modernorum.

§. CCCCLX. *Judæi hodierni* varios ac diverſos in diverſis provinciis obſervant ritus, quorum aliquos hic enumerabimus. Quamvis enim non amplius ſint Dei *populus;* Oſeæ II. 2. tamen deſcendunt ex illis majoribus, cum quibus Deus fœdus olim iniit, ac veriſimile eſt, quosdam illorum rituum, quos adhuc obſervant, ex Iſraeliticæ eccleſiæ in veteri teſtamento conſuetudine originem trahere. Thalmud in Keduſchin f. 2. dicit tribus modis uxorem a viro duci: 1.) *ſubarrhatione*, quando in fidem matrimonii aliquid ex mobilibus ipſi donat; 2.) *ſcriptione*, quando literas ipſi tradit, in quibus hoc habetur: *Eris mea uxor;* 3.) *cohabitatione*, quando cum ea conſuescens dicit: *Deſpondeo te mihi juxta ordinationem Moſis & Iſraelis.* Nuptiales ritus potiores hi ſunt. 1.) *Lotio.* Sponſa proximo ante nuptias die a mulierculis ad balneum aquæ frigidæ feſtiva ſolennitate cum cantico & tripudio deducitur, ſeque totam aquæ immergere cogitur. 2.) *Mutua donatio.* Sponſus mittit ſponſæ baltheum nuptialem aureis umbilicis ac fibulis ornatum, is vero, quem ſponſa mit-

tit ſponſo, argenteis intertextus eſt. Offerunt etiam ſibi invicem annulos pronubos. 3.) *Inſtrumenti nuptialis conſcriptio.* Elias in Thisbi refert, Judæos duplicia inſtrumenta conſcribere, alterum vocatur שְׁטַר אֵרוּסִין, *inſtrumentum ſponſaliorum*, quod in ſponſalibus conſtituitur, alterum vero שְׁטַר נִשּׂוּאִין, *inſtrumentum traditionis ſive acceptionis*, quod in ipſis nuptiis confici ſolet, in quo continetur, quod uxor marito ſit tradita & ab eo accepta, quodque maritus ſeſe obligaverit ad tria illa, quæ juxta legem moſaicam uxori a marito debere, ſuperius diximus. Hujus nuptialis inſtrumenti ſcripturam adeo neceſſariam ſtatuunt, ut ſi mulier nupta ſit illa non interveniente, concubinæ vel pellicis, non autem uxoris loco ſit habenda. 4.) *Sponſæ exornatio.* Ea ſummo ſtudio perficitur a mulierculis, quæ tortis crinibus ac plegmaſi ſponſam expoliunt, faciem pudoris & verecundiæ ergo obvelant, & nihil quidquam prætermittunt, quod ad ſponſæ ornatum promovendum eamdemque lætificandam facere poſſit. 5.) *Solennis ad copulationis & benedictionis locum deductio.* Sponſus a viris ac juvenibus, ſponſa a matronis & puellis cum inſtrumentis muſicis deducitur ad locum benedictionis, ubi quatuor pueri velum quatuor perticis adnexum in ſublimi erectum tenent, חוּפָּה ab illis dictum, ſub quo ſolennis copulatio & benedictio peragitur. Sponſa tribus vicibus novum maritum circuit, ad quod peſſime adcommodant dictum propheticum Jer. XXXI. 22. *Mulier circumdabit virum.* 6.) *Fauſta adclamatio.* Quando ſponſus adventat, adclamant omnes בָּרוּךְ הַבָּא, *benedictus, qui venit;* ex Pſalm. CXVIII. 26. Peracta etiam conſecratione & copulatione triticum in novos conjuges ſpargunt repetentes primævam benedictionem Gen. I. 28. פְּרוּ וּרְבוּ: *Creſcite & multiplicate vos.* 7.) *Ipſa conſecratio.* Sponſa ad dextrum latus ſponſi collocatur, quo adcommodant illud pſalmographi Pſalm. XLV. 10. *Uxor adſtitit a dextris*, ac faciem ad meridiem convertere jubetur, ſuperſtitioſe enim ſtatuunt, ad πολυτεκνίαν illud facere. Rabbi copulationis ritum peracturus extremitatem cilicii, quod ſponſus collo circumdatum geſtat, *talles* ab ipſis vocatum, ſponſæ capiti imponit, quem ritum deducunt ex Ruth. III. 9. Ezech. XVI. 8. poſtea accipit vitrum vino plenum, recitat בִּרְכַּת אֵרוּסִין *benedictionem deſponſatorum*, in qua Deo gratias agit, quod hæ perſonæ ſint ſibi invicem deſponſatæ, & ſponſæ ac ſponſo ex eo vinum deguſtandum præbet. Mox annulum aureum a ſponſo acceptum teſtibus ad ſe adſcitis oſtendit, & explorato eorum de auri ſinceritate judicio ſponſæ digito auriculari proximo eum inſerit, ac publice *tabulas nuptiales* prælegit. Exinde denuo vitrum vino plenum ſibi adferri jubet, ac recitat בִּרְכַּת־נִשּׂוּאִין, *benedictionem conjugatorum*, in qua Deo gratias agit, quod hæ perſonæ matrimonio ſint copulatæ, ac utrique novorum conjugum ex eo vino propinat, ſponſus autem prius vitrum deſponſationis in terram projicit, inque memoriam deſtructi templi Hieroſolymitani confringit. Eadem de cauſa in quibusdam locis *cinerem* capiti ſponſi inſpergunt, ac ſponſus *nigro panno* inſtar lugentium caput involutum habet. 8.) *Convivii nuptialis celebratio*, quod ipſi vocant אֵרֶס: in eo ſponſus clara voce prolixam orationem prius decantat, poſtea gallina cocta cum ovo adfertur, quam certatim omnes dilacerant, tandem ſequitur ipſum ſolenne convivium, quod plerumque *per dies octo* protrahitur. Sub finem ſolennitatis convivalis peculiares choreas inſtituunt, quas vocant מְצָוָה in honorem præcepti divini de nuptiis &c. Vide Buxdorffium in ſynag. Judaic. cap. XXXVIII. Chriſt. Gerſonem libr. I. de Jud. Thalm. cap. XX. Anton. Margaritam in lib. de Jud. ritibus &c.

Ritus in ecclesia primitiva.

§. CCCCLXI. Ex historia ecclesiæ christianæ primitivæ in nov. test colliguntur hi ritus. 1.) *Coram ecclesiæ ministro præsentatio.* Concilium Carthag. IV. can. XIII. & habetur c. Sponsus 30. q. 5. *Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus vel paranymphis offerantur in ecclesia sacerdoti.* Finis hujus præsentationis fuit non solum denunciatio novi matrimonii ecclesiæ facta, sed etiam exploratio de fidei articulis, an uterque conjugum fidem christianam amplectatur, quales in ea fecerit progressus &c. 2.) *Trina denunciatio.* Concilium Lateranense II. can. LI. & habetur c. Cum inhibitio x. de clandest. desponsat. „Specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia „generaliter prorogando, statuimus, ut „cum matrimonia fuerint contrahenda, in „ecclesiis per presbyteros publice propo„natur competenti termino præfinito, ut „intra illum, qui voluerit & valuerit, legi„timum impedimentum opponat, & ipsi „presbyteri nihilominus investigent, utrum „aliquod impedimentum obsistat. Cum „autem adparuerit probabilis conjectura „contra copulam contrahendam, contra„ctus interdicatur expresse, donec quid „fieri debet super eo, manifestis constite„rit documentis.„ Finis hujus denunciationis fuit duplex, *primo* ut dispiceretur, an impedimentum aliquod matrimonii ex propinquitate, ex ligamine aliorum sponsaliorum &c. personis hisce intercederet; perinde ut referente Socrate libr. V. histor. eccles. cap. V. olim usitatum, *nomina vocandorum ad ministerium ecclesiasticum per trinundinum*, hoc est, per tres solennes conventus ecclesiasticos publice promulgari ac populum moneri, ut si quid quispiam contra ordinandum haberet proferendum, illud in medium adferret: *deinde* ut ecclesiæ precibus novi conjuges commendarentur. 3.) *Sponsi & sponsæ decoratio.* Eam apud Christianos usitatam fuisse colligitur ex Ambrosii lib. de instit. virg. cap. XVII. pro virgine deprecatione, & ad nuptiales ritus allusione. *Hæc [inquit] famula tua Christe tuis adsistit altaribus non rutilanti cæsarie flavum deferens crinem flammeo nuptiali dicatum &c.* Item ex ejusdem sermon. IX. ubi Agnetem de Christo sponso suo sic loquentem introducit: *Annulo fidei suæ subarrhavit me, ornavit me inæstimabili dextrochenio, dextram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Induit me cyclade auro texta & monilibus ornavit me.* Nicephorus libr. XVIII. histor. eccles. cap. VIII. Mauritii imperatoris & Constantinæ nuptias describens, inter cætera sic loquitur: *Adparatui nuptiarum affuere vera in Deum pietas & imperatoria majestas satellitio Mauritium ejusdemque conjugem decentissime stipantes & dona eis quam honorificentissime offerentes, illa namque canicie veneranda decentibusque rugis patris atque matris nuptias sanctificantium fratrumque venustorum conjugalem adparatum exornantium vicem præstitit. Hæc autem ex auro contextam vestem purpura & Indicis margaritis distinctam nec non coronas auro multo & lapillis pellucidis resplendentes præbuit.* Sabellicus libr. I. Enneadis 9. memorat, *moris fuisse apud Venetos, ut virgines, quæ nuper essent matrimonio locatæ, exquisitissimo cultu ornatuque pretiosissimo apostoli ædem sancto die invisérent, ut spectaculo essent universo civium coetui.* 4.) *Lampadum ac facularum accensio.* Hesychius libr. IV. in Levitic. lampadum in nuptiis usitatarum meminit Nicephorus d. l. *In nuptiis Mauritii imperatoris omnes, qui dignitates magistratusque gerebant, splendide coronati faces nuptiales accendebant, conventumque sponsalitium hymnis ac carminibus celebrabant.* 5.) *Coronæ impositio.* Sponsus

sus & sponsa in solenni ad templum deductione coronas gestabant in signum pudicitiæ inviolate hactenus conservatæ, & victoriæ ex concupiscentiis carnis debellandis reportatæ. Chrysostomus in Genes. *Quid sibi vult corona? ut ostendant, conjuges se usque ad id tempus victores fuisse cupiditatum.* Sacerdotem solitum fuisse sponso coronam contexere & imponere, colligitur ex Metaphraste in vita Tarasii tom. V. apud Paulum diaconum libr. XVIII. rerum Romanarum. Sergius episcopus Heraclio imperatori & Eudociæ nuptiales coronas imponit. 6.) *Ecclesiastica consecratio & sacerdotalis benedictio.* Platina in vita Soteris p. 23. a Sotere, qui circa annum Christi 174. Romanæ ecclesiæ præfuit, fuisse institutum memorat, *ne legitima haberetur uxor, nisi cui sacerdos ex instituto benedixisset.* Sed ritus benedictionis sacerdotalis est antiquior. Euaristus enim, qui circa annum Christi 97. Romanum egit episcopum, in epistola ad Afric. episc. tom. I. concil. p. 106. & in cap. Aliter 30. quæst. 5. sic loquitur: *Aliter legitimum, ut a patribus accepimus & a sanctis apostolis, eorumque successoribus traditum invenimus, non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam foeminam dominationem habere videntur, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a parentibus aut propinquioribus sponsetur, &c. & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus a sacerdote benedicatur &c. & solenniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant.* Tertullianus libro II. ad uxorem cap. IX. *Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renunciant, pater rato habet?* Contra vero in libro de pudicit. cap. IV. *Occultæ conjunctiones, [inquit] id est, non prius apud ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitentur.* Ambrosius libr. IX. epist. ep. 70. non longe a princ. *Conjugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oportet.* Damasus recitat decretum Sylvestri: *Unusquisque clericus sit unius uxoris vir, quæ tamen a sacerdote sit benedicta.* Nicephorus libr. XIV. histor. eccles. cap. LV. refert Synesii Cyrenensis episcopi responsum: *Mihi & Deus ipse & leges ipsaque sacra Theophili manus uxorem dedit. Quapropter omnibus prædico, testatumque esse volo, me illam prorsus non deserturum.* Concilium Carthag. IV. can. XIII. & habetur c. Sponsus dist. 23. *Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus vel a paranymphis offerantur, qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.* Constitutiones imperatorias Leonis philosophi & Alexii Comneni adduximus superius cap. VI. §. 409. Aponius libr. I. in Cant. *Nuptiæ a sacerdotibus Christi benedicuntur, & sine macula thorus lege divina pudicorum conjugum a Salomone laudatur.* Nicolaus ad consulta Bulgar. & habetur c. Nostrates 30. quæst. 5. „Sponsus & sponsa primum in eccle„siam Domini cum oblationibus, quas of„ferre debent Deo, per sacerdotis manum „statuantur, sicque demum benedictionem „& velamen cœleste suscipiunt.„ Apud Zonaram tom. III. quidam sacerdos ἱερο-τελεστὴν γαμικὴν Constantini & Zoes imperatricis peragit, quam patriarcha *ob tertias nuptias* detrectabat. Alexander III. in concilio Lateranensi cap. VII. prohibuit, *pro benedictione illa a novis nuptis quidquam exigere.* 7.) *Annuli traditio.* In solenni illa benedictione sponsum sponsæ ac vice versa sponsam sponso annulum datæ conjugalis fidei testem tradidisse, colligitur ex Tertulliano libr. de cultu fœminarum, ubi *annuli pronubi* mentionem fecit. Isidorus libr. II. offic. cap. XIX. & habetur c. Fœminæ 30. q. 5. „Quod in pri„mis nuptiis annulus a sponso sponsæ datur,

„tur, fit vel propter mutuæ dilectionis si-
„gnum, vel propter id magis, ut eodem
„pignore corda eorum jungantur, unde
„& quarto annulus digito inseritur, ideo
„quia in eo vena quædam, ut fertur, san-
„guinis ad cor usque perveniat.„ 8.) *Ve-
latio.* Ambrosius libr. I. de Abrah. c. IX.
sponsas velo fuisse tectas Rebeccæ exemplo
probat. „Nec illud [*inquit*] otiosum,
„quod Rebecca cognito Isaaco caput suum
„obnubere cœpit, docens verecundiam in
„nuptiis præire debere, inde enim & nu-
„ptiæ dictæ, quod pudoris gratia se puel-
„læ obnuberent. *Isidorus d. l.* Fœminæ,
„dum maritantur, ideo velantur, ut se
„noverint semper maritis suis subditas esse
„& humiles. *Item*, quod nubentes post
„benedictionem vitta invicem quasi uno
„vinculo copulantur, videlicet ideo fit,
„ne compagem conjugalis unitatis dirum-
„pant. Ac eadem vitta candido purpureo-
„que colore permiscetur, candor quippe
„est ad munditiem vitæ, purpura ad san-
„guinis posteritatem adhibetur, ut hoc si-
„gno & continentia & lex continendi ab
„utrisque ad tempus admoneantur, & post
„hoc reddendum debitum non negetur.„
9.) *Obviatio.* Sponsæ peregre adventanti
cum magna pompa & splendido comitatu
obviam processisse sponsum, colligitur ex
Paulo diacono libr. XXII. rer. Roman. ubi
commemorat, „proceres Constantinopoli-
„tanos solenni pompa occurrisse Irenæ A-
„thenis venienti, ut Constantino principi,
„Constantini iconomachi filio, matrimo-
„nio copularetur.„ 10.) *Dotatio.* Eam
antiquissimi patres in sponsa requirunt.
Euaristus d. l. *Aliter legitimum non fit
matrimonium, nisi uxor a parentibus aut
propinquioribus sponsetur, & legibus do-
tetur.* Hieronymus in epist. ad Oceanum,
uxorem a concubina hoc nomine discerni
dicit, *quod uxori tabulis opus sit & jure
dotali, quæ concubinæ minime habuerint.*
Augustinus libr. XII. de Genes. ad literam
cap. XLI. de nuptiis primorum parentum
differens ceremoniarum nuptialium suo
tempore usitatarum mentionem facit. „Ni-
„si forte [*inquit*] sponsa a patre erat tra-
„denda, & exspectanda votorum solenni-
„tas & convivii celebritas, & dotis æstima-
„tio & conscriptio tabularum. *Nicolaus
„ad consult. Bulg. c. Nostrates* 30. *quæst.*
„5. Postquam arrhis sponsam sibi sponsus
„per digitum fidei annulo insignitum de-
„sponderit, dotemque utrique placitam
„sponsus ejus scripto pactum hoc conti-
„nente coram invitatis ab utraque parte
„tradiderit, aut mox aut apto tempore
„ambo ad nuptialia fœdera perducuntur.
„*Leo c. Qualis ibidem:* Qualis debeat esse
„uxor, quæ habenda est secundum legem
„virgo casta, & desponsata in virginitate,
„& dotata legitime, & a parentibus tra-
„dita sponsa, & a paranymphis accipien-
„da, & ita secundum legem & evange-
„lium publicis nuptiis in conjugium liqui-
„de sumenda. *Concilium Arelatense cap.
„VI. & habetur c. Nullum ibidem:* Nul-
„lum sine dote fiat conjugium, juxta pos-
„sibilitatem fiat dos. *Innocentius dicit,*
„dotem hanc conferri, ut vir matrimonii
„onera facilius ferat.„ 11.) *Nuptialis
convivii instructio.* Ejus meminit Diony-
sius Alexandrinus apud Eusebium libr. VI.
histor. eccles. cap. XXXIX. Chrysostomus
homil. XII. in Coloss. IV. graviter taxat
morem „invitandi meretrices ad convivia
„nuptialia; *& addit:* Licet aliis exhilara-
„re nuptias, utpote lautis mensis & copio-
„sis vestimentis. Hæc non amputo, ne
„videar esse valde agrestis. Omnia tamen
„oportet esse plena temperantia ac mode-
„stia, gravitate & honestate.„ Idem ho-
mil. XLII. in acta apostolorum refert, quod
*ad hospites in conviviis nuptialibus exhi-
larandos adhibuerint cymbala, tibias &
cantica.* Gregorius Turonius libr. IV.
cap. XLVI. describit nuptias Sigeberti, Fran-
ciæ regis, *sumtuosis epulis & magna cum
lætitia* celebratas. Remigius in Psalm.
XLV. refert, *scholasticos carmen fuisse*

cantare solitos in nuptiis in laudem sponsi & sponsæ. Aponius libr. I. in cant. itidem meminit illorum, *qui in nuptiis dulci modulatione sponsi potentiam & sponsæ pulcritudinem laudaverint.* Mauritii imperatoris nuptiæ hymnis ac carminibus celebrantur apud Nicephorum d. l. Hector Boëtius libr. XIII. histor. Scot. describens magnificentissimas Alexandri, Scotorum regis, cum Margarita, Angli regis, filia, celebratas. „Non deerat [*inquit*] quid„quam, quod lætitiam aut gaudium ani„mis excitare posset, quicunque musices „aut psallendi aut alicujus instrumenti, „quod exhilarationem animo adferret, pe„riti erant, eo aut vocati aut ultro con„currerant. Plena erat regia saltantium, „canentium, psallentiumque turba.„ Immoderatos tamen luxus in nuptialibus conviviis patres sæpius taxant.

Ritus in nostris ecclesiis usitati.

§. CCCCLXII. Ex his facile adparet, quid de ritibus *hodiernis moribus ac temporibus* in nostra ecclesia usitatis statuendum. Revocari illi possunt ad duo generalia capita, ad *sacerdotalem* scilicet *novorum conjugum confecrationem*, & *solennem convivii nuptialis celebrationem.* Prius est ecclesiasticum, posterius politicum, quo ipso manifeste innuitur, conjugium in ecclesia christiana non habendum esse pro contractu mere politico, sed pro fœdere divino ac re sacra & ecclesiastica. Sacerdotalis novorum conjugum confecratio est ritus ecclesiasticus, quo sponsus & sponsa antegressis sponsalibus & trina denunciatione præcedente comitantibus parentibus, cognatis, vicinis & aliis honestis personis ad templum solenniter deducuntur, ac explorato prius matrimoniali utriusque partis consensu, datis invicem dextris [alicubi etiam annulis] ab ecclesiæ ministro *in nomine Patris, Filii ac Spiritus sancti copulantur*, de divina conjugii institutione

Sacerdotalis novorum conjugum confecratio.

ejusdemque finibus, de officio utrique in posterum incumbente, de cruce conjugio addita & consolatione cruci opponenda admonentur, ac piis precibus & benedictione ecclesiastica, addito χειροθεσίας ritu, Deo commendantur. Hæc ceremonia merito retinetur: 1.) propter ipsius *Dei exemplum;* Gen. I. 27. II. 22. 2.) propter *apostolicum præceptum* tam *generale*, quod omnia in ecclesia fieri debeant κατὰ τάξιν καὶ εὐχημόνως, 1 Cor. XIV. 40. quod *omne, quidquam facimus in verbo aut opere, in nomine Christi Jesu faciendum ita, ut gratias agamus Deo per ipsum*, Col. III. 17. *per verbum Dei ac preces omnis creatura Dei sit sanctificanda*, 1 Tim. IV. 5. quod quæcunque sunt εὐφημα καὶ ἁγνὰ, sectari debeamus; Phil. IV. 8. quam *speciale*, quod nubendum sit *in Domino*, 1 Cor. VII. 39. & quod γάμος nobis debeat esse τίμιος, Hebr. XIII. 4. 3.) *Ob novorum conjugum documentum*, ut moneantur de dignitate illius ordinis, cui nomen dant, ac de officiis juxta normam verbi utrique parti debitis. 4.) Ob *eorumdem commodum*, ut hac ratione matrimonium ipsorum coram facie Dei, angelorum & ecclesiæ confirmetur, ipsique per preces Deo consecrentur, & divinam benedictionem in conjugio suo sperare possint. 5.) Ob *antiquissimum hujus ecclesiasticæ benedictionis institutum.* Ostendit enim historia ecclesiæ omnium temporum, quod verbo ac precibus matrimonium sanctificari perpetuo usu fuerit receptum. Ecclesia teste, merito contrahitur illud matrimonium, ex quo futura ecclesiæ membra sperantur. 6.) Propter *ipsorum gentilium suffragium.* Gentiles ex lumine naturæ quodammodo agnoverunt, conjugium non esse institutum mere humanum sed divinum, unde ritibus sacris illud initiandum esse censuerunt. Plato lib. V. de legibus nuptiarum *inaugurationem fieri* voluit *per sacerdotes, adhibitis precibus & sacrificiis.* Libr. V. de republ. *Festa*

sta quædam erant legibus designanda, in quibus sponsus & sponsa conveniant, sacra fiant & hymni a poetis nostris nuptiis celebrandis convenientes. Valerius Maximus lib. II. memorab. cap. I. *Nuptiis etiamnum auspicia interponuntur, qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpantur.*

§. CCCCLXIII. In constitutione ecclesiastica electoris Augusti sub titulo de articulis generalibus capite XIII. fol. 329. salutariter præcipitur: 1.) Quod ecclesiæ minister, a quo trinundina denunciatio & copulatio novorum conjugum requiritur, ab ipsis desponsatis personis ac earum parentibus, tutoribus, cognatis &c. adcurate prius inquirere debeat, an desponsatio facta sit cum consensu parentum vel tutorum, an alterutra pars aliorum sponsaliorum ligamine sit devincta, an prohibito quodam consanguinitatis vel adfinitatis gradu se contingant, an in publico ecclesiæ conventu sacra eucharistia usi fuerint, denique si adhuc juniores sint, an catechesin ac fundamenta doctrinæ christianæ recte didicerint? absque quorum cognitione nec denunciatio nec copulatio cuiquam conferenda. 2.) Quod conjugium ipsorum tribus distinctis vicibus non solum in eo loco, in quo sponsus & sponsa degunt, sed sed etiam in eo, in quo vel uterque vel alteruter ipsorum natus & educatus est, ecclesiæ e suggestu denunciandum, ejusdemque precibus commendandum. Item quod testimonium proclamationis a pastore illius loci, ex quo sponsus vel sponsa peregre adveniunt, requirendum sit. 3.) Quod copulatio novorum conjugum nequaquam in privatis ædibus aut sub dio, sed in templo coram facie ecclesiæ & in conventu agnatorum sit peragenda; ubi tamen casus necessitatis recte excipitur. 4.) Quod nullus ex ecclesiæ ministris peregrinas personas ad diœcesin vel paræciam suam minime pertinentes copulare debeat. Hisce in ecclesiastica constitutione illustrissimi principis Johannis Casimiri, Saxoniæ ducis &c. recte additum fuit: 5.) Quod quilibet parochus peculiarem librum habere debeat, in quo conjugum a se copulatorum nomina ac diem & locum contracti matrimonii describat, eumdemque successori suo relinquat. Idem statutum fuit in concilio Tridentino sess. XXIV. cap. I. Idem etiam observatur in ecclesiis Tigurinis, ut constat ex scripto Lavateri de ritib. eccles. Tigur. cap. XVI. p. 118.

§. CCCCLXIV. *Convivii nuptialis celebratio* est ritus politicus, quo peracta ecclesiastica benedictione cognati, vicini & amici solenni convivio a novis conjugibus vel ipsorum parentibus excipiuntur, cui deductio sponsæ in domum sponsi conjungi consuevit, per quam sponsa in possionem quasi mariti traditur, ut cohabitatio conjugalis & omnium rerum communio inter ipsos consequatur. Festivitas illa convivii nuptialis merito observatur: 1.) Propter *ritus hujus antiquitatem*, quæ ex veteris & novi testamenti scriptura jam ante fuit demonstrata. 2.) Propter *conjugii dignitatem*, quæ requirit, ne conjunctiones sint occultæ & clandestinæ. 3.) Propter *publicam honestatem*. 4.) Ob *perpetuam omnium gentium consuetudinem*. *Lycurgus* in phitidiis voluit cœnare sponsum cum sponsa, ne sine solennitate ingrederetur nupta thalamum mariti. Plutarchus in Lycurg. Apud *Athenienses* lege imperabantur symposia nuptiarum, tum deorum nuptialium invocandorum, tum testimonii causa. Athenæus lib. V. *His de causis*, ait Demosthenes in orat. in Oenotor. *& nuptias celebramus, & maxime necessarios invitamus, quod non levis res agatur, sed vita fororum & filiarum alienæ fidei committitur, quæ ut in tuto collocetur, summa cura providemus.* Sed meminerint convivæ nuptiales illius, quod Tob. VII. 17.

Convivii nuptialis celebratio.

& VIII. 20. de Tobiæ nuptiis dicitur, *epulatos fuisse hospites in timore Domini*, & de convivio Ahasveri Esth. I. 8. quod *nemo ad bibendum fuerit coactus*. Unde in constitutione ecclesiastica electoris Augusti l. d. severe præcipitur, ne ante ingressum templi compotationes instituantur, neve superflui sumtus in nuptiis fiant, ne impudicæ choreæ instituantur &c. Vere enim adfirmare possumus, non Deo, sed diabolo celebrari nuptias in luxu immoderato ac Sybaritico, in fastu Persico, in crapula beluina, cum ludis impuris, verbis obscœnis & turpi lascivia institutas, quæ causa etiam non postrema est, quod conjugium multis infelix & infaustum contingit; neque enim honestum sortiri possunt exitum, quæ a tam fœdo principio capiunt exordium, neque divinam benedictionem conjuges possunt experiri, quam piis precibus implorare prætermiserunt. Henricus III. imperator in nuptiis suis Ingelheimii celebratis prohibuit, *ne tibicinibus, mimis & scurris, quorum ingens caterva confluxerat, cibi, vestes, pecunia aut alia darentur munera, sed ciborum reliquias pauperibus dare jussit.* Centuriæ Magdeburgenses XI. cap. VI. p. 294.

Ritus in pontificia ecclesia recepti.

§. CCCCLXV. Ritus in *pontificia ecclesia* usitatos enumerat Bellarminus libr. de matrimon. sacram. c. XXXIII. hoc ordine: 1.) *Benedicuntur novi sponsi in ecclesia a sacerdote;* 2.) *offertur pro eis oblatio eucharistiæ;* 3.) *velamine obnubuntur;* 4.) *vitta partim candida, partim purpurea simul junguntur;* 5.) *annulo a sacerdote benedicto sponsus sponsam donat;* 6.) *variis precibus conjugium recens contractum Domino commendatur;* 7.) *cohortatione sacerdotali monentur officii, ut in matrimonio honeste se gerant.* Hos ritus omnes & singulos necessario servandos esse statuunt, unde concilium Trident. sess. XXIV. canon. 11. sic detonat: *Si quis benedictiones & alias ceremonias, quibus ecclesia in nuptiis utitur, damnaverit, anathema sit.* Bellarminus pro adstruenda horum rituum necessitate duo argumenta profert. Prius desumtum ex *natura sacramenti. Commune est* [inquit] *omnibus sacramentis, ut præter essentialem ceremoniam a Deo institutam, in qua sacramenti essentia consistit, adhibeantur etiam aliqui alii ritus ex antiquo ecclesiæ more vel instituto, quo majori cum pietate ac devotione sacramentum percipiatur. At conjugium est sacramentum. Ergo etiam tales ritus in eo necessarii.* Posterius ex *auctoritate veteris ecclesiæ.* Exstat de his ritibus primo testimonium *Nicolai* papæ, qui sedit anno 700. & habetur c. Nostrates 30. q. 5. Deinde testimonium *Isidori* lib. II. de div. off. cap. XIX. qui floruit ante annos plusquam nongentos. Ad hæc *Siricius papa* in epist. I. cap. IV. & *Innocentius I.* papa in epist. II. cap. VI. benedictionis sacerdotalis, quæ nubentibus dari solet, meminerunt. Ejusdem etiam mentionem faciunt *patres concilii Carthaginensis* IV. quorum unus fuit *Augustinus* cap. XIII. *Ambrosius* in epist. 70. meminit non solum benedictionis, sed & velaminis. Denique *Tertullianus*, his omnibus antiquior, libr. II. ad uxorem, meminit oblationis, qua matrimonium in ecclesia confirmatur.

§. CCCCLXVI. Nobis nequaquam improbatur, certis quibusdam ritibus utilem admonitionem continentibus, sacerdotalem novorum conjugum benedictionem in ecclesia peragi; sed hæc in pontificiis circa hanc quæstionem taxamus: 1.) Quod ritus illos omnes & singulos, quos ecclesia Romana observat, ac servandos præcipit, non quidem ad sacramenti essentiam, sed tamen propter ecclesiæ institutionem *simpliciter necessarios* esse statuunt, ac vinculo anathematis eos innectere audent, qui vel unum ex his ritibus prætermittendum esse vel prætermitti posse censent. Id enim pugnat cum perfectione scripturæ sacræ,

cræ, quæ est unica necessario ut credendorum sic & faciendorum norma; Deut. IV. 2. XII. 32. &c. pugnat cum dignitate libertatis christianæ a Christo tam caro precio nobis partæ; 1 Cor. VII. 23. Gal. V. 1. pugnat cum officio pastorum ecclesiæ, qui non debent fidei dominari; 2 Cor. I. 24. 1 Petri V. 3. pugnat cum natura rituum ecclesiasticorum, qui pro ratione circumstantiarum, personarum scilicet ac temporum, mutari possunt, tum veterum abrogatione, tum novorum institutione. 1 Cor. XI. 34. 2.) Quod rituum illorum observationem non tantum sub *opinione* necessitatis, sed etiam *cujusdam cultus* divini ecclesiæ obtrudunt. Hæret in animis hominum sub papatus jugo pressorum inveterata illa opinio, quod grande sit sacrilegium, si quidpiam ex illis ritibus omittatur; contra vero annulis ac fasciis illis nuptialibus a sacerdote benedictis nescio, quam peculiarem sanctitatem & efficaciam citra omne verbi divini suffragium adscribunt. 3.) Quod *ritus plurimum dissimiles conjungunt*, ac unam eamdemque eorum omnium rationem statuunt. Benedicendos esse in ecclesia novos sponsos, ac piis precibus ipsorum conjugium Deo esse commendandum, quin & sacerdotali cohortatione de officio suo admonendos esse, facile concedimus, nec magnopere refragamur, quo minus velamen, vitta, annulus &c. adhibeantur; sed de oblatione eucharistiæ, id est, de sacrificio *missatico* pro novis conjugibus offerendo, de *annulo ac vitta certis preculis a sacerdote benedicendis*, *de aqua lustrali* novis conjugibus & lecto geniali adspergenda altum ubique non in scripturis tantum, sed etiam in pia antiquitate silentium. Quod enim adtinet oblationem illam, cujus Tertullianus meminit, ea toto genere a sacrificio missatico, primis illis ecclesiæ temporibus penitus ignoto, differt, nihil ergo aliud ejus nomine intelligitur, quam illud sacrum, ad quod sponsus & sponsa convenibant, quo peracto sacerdos eos piis precibus coram tota ecclesia Domino commendabat, ut b. Rhenanus [quem Thomas Molitorius in epistol. ad Dorpium *satis digne laudari posse* negat] in commentariis ejus loci explicat. pag. 612. Junius in notis pag. 124. exponit de ea oblatione, qua se novi conjuges offerunt & sistunt in ecclesia consensum suum testantes, & communibus ecclesiæ precibus benedici postulantes. 4.) Quod rituum illorum necessitatem urgent ex *falsa hypothesi*, qua matrimonium esse sacramentum vere & proprie dictum statuunt, ac proinde fine eo hosce ritus adhibendos censent, ut majori cum pietate ac devotione illud sacramentum percipiatur. Atqui ostendimus superius, in classe sacramentorum nov. testam. proprie dictorum matrimonio locum dari minime posse. 5.) Quod ex paucis, iisdemque incertis, Siricii, Innocentii, Nicolai &c. testimoniis de tota puriore antiquitate judicium fieri volunt, cum constet, quosdam ex pontificiis ritibus non primis illis apostolorum ætati proximis & purioribus, sed sequentibus & corruptioribus ecclesiæ temporibus, ex Judaica & gentili κακοζηλίᾳ introductos esse. 6.) Quod ex *rituum antiquitate eorumdem necessitatem concludant*, cum numerus annorum non possit nec debeat mutare naturam rituum ecclesiasticorum, ut necessarii esse incipiant, qui prius per se liberi erant. *Veritati*, inquit Tertullianus lib. de præscript. cap. I. in principio; *nemo præscribere potest*, *non spatium temporum*, *non patrocinia personarum*, *non privilegium regionum &c.* Interim lubentes concedimus, tum in usurpatione, tum abrogatione rituum, qui non adversantur Dei verbo, sed sunt sua natura adiaphori, rationem habendam esse scandali Rom. XIV. 13. 7.) Denique quod, ut ex una parte in urgendis hisce ritibus sunt *nimis rigidi*, ita ex parte altera in utilibus quibusdam ritibus omittendis *nimis sint remissi*. Sic patres Tridentini con-

cilii seſſ. XXIV. cap. I. de reformat. matrimonii recte ſtatuunt, *ante matrimonium trinas denunciationes in eccleſia fieri debere, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur;* ſed quid ſibi vult vitioſa illa adpendix ibidem addita; *niſi ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio ſancta ſynodus relinquit?* Certe non debebat omiſſio ritus tam ſalutaris atque utilis, quo plurimis ſcandalis & contentionibus obviam iri poteſt, privato parochorum arbitrio relinqui libera, quos accepta pecunia denunciationes illas intermittere experientiæ teſtimonio conſtat. Sic Bellarminus hoc loco recte diſputat, *novos ſponſos in eccleſia benedicendos eſſe;* ſed quid ſibi vult monachalis illa diſputatio, quam cap. IX. proponit, quod *ſecundæ nuptiæ* [a viduo ſcilicet vel vidua inſtitutæ] *non debeant benedici, propterea, quod benedictio in primis nuptiis data non perierit, nec iterum benedici debeant, qui ſemel benedicti fuerunt.* Quaſi vero non ſit novum conjugium, quod viduus cum virgine, vel vidua cum adoleſcente, vel viduus cum vidua contrahunt, ac proinde nova etiam benedictione merito ſanctificandum cenſeri debeat, qua de re plura diximus ſuperius cap. V. membr. I. §. 193.

Quæritur I.) An certo anni tempore nuptiæ prohibendæ.

§. CCCCLXVII. Quæritur hoc loco: I.) *An certo anni tempore nuptiales feſtivitates prohiberi poſſint ac debeant?* Obſervatio certi temporis in adparandis nuptiis duplex eſt, alia *ſuperſtitioſa ac damnabilis;* alia *legitima ac probabilis.* Superſtitioſam ac damnabilem voco eam, quæ ex gentilium ſuperſtitione originem trahit. Apud *Romanos* menſis Majus nuptiis infauſtus & inauſpicatus judicabatur, teſte Plutarcho in quæſtionibus Roman. quæſt. 86. ex quo illud tritum vulgi ſermone proverbium fuit ortum: *Menſe Majo nubunt malæ.* Ovidius lib. V. Faſtor.

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora, quæ nupſit, nec diuturna fuit.
Hac quoque de cauſa, ſi te proverbia tangunt,
Menſe malas Majo nubere vulgus ait.

Rationes Plutarchus d. l. & alii adferunt eas, 1.) quia hic menſis medius eſt inter Aprilem & Junium, quibus convenientius eſt nubere, quod hic Junoni, ille Veneri ſacer eſt, deabus ſcilicet, quæ nuptiis præſunt. 2.) Propter funeſta piacula, quibus eo menſe Romani utebantur, effigies hominum de ponte in Tiberim dejicientes. 3.) Quod Majus a majoribus natu ſit dictus, & grandior ætas minus conveniat nuptiis. 4.) Quod eo menſe Remus fuiſſet interfectus, ex quo parum fauſtus & felix cenſebatur. Miraris rationum harum futilitatem? at magis mirari convenit pontificiorum ſtuporem ac cœcitatem, apud quos multorum animis ſuperſtitioſa illa opinio adhuc infidet, quod infauſtæ & infelices ſint nuptiæ, quæ menſe Majo celebrantur, ut refert Thadæus Piſo Soaccius, pontificius ſcriptor, in tractat. de ſponſ. & matrimon. part. II. in cap. *Quales apud antiquos olim fuerint nuptiarum ritus* pag. 137. edit. Colon. ubi ex multorum ore ſeſe illud audiviſſe addit. Sed redimus ad Romanos veteres, quibus recentiores in multis adplaudunt, apud eos Calendæ, Nonæ & Idus *religioſæ erant*, hoc eſt, devitandæ, ut inquit Macrobius libro I. Saturn. cap. XV. eo quod Idus & Calendæ dies feriati eſſent, & poſtriduani dies Calendarum, Nonarum, Iduum ex æquo atri, quibus idcirco nova nupta nec libertatem auſpicari uxoriam, neque rem divinam facere potuiſſet, ut poſtridie nuptiarum tum fieri oportebat. S. Pompejus Feſtus in verbo *Nonarum.* Contra vero diebus feſtis viduæ nubebant, non virgines,

nes, ut Plutarchus in problem. testatur, nam ob raptas die festo virgines bellum cum Sabinis erat exortum, quin & diebus festis omnia jucunda ac hilaritatis plena esse debent, sed cum virgines in matrimonium dantur, dolent, sicut e diverso viduæ lætantur. Parentalibus, quæ mense Februario celebrabantur, propter infaustos & omninosos ejusmodi dies conjugium vitandum esse, Ovidius libr. II. Fastorum præcipit, ubi etiam *Saliorum diebus festus* a nuptiis abstinendum esse indicat. Contra conjugio aptissimum id tempus esse existimabant, quod *Idus Junias sequebatur*, ut ex lib. VI. Fastor. intelligitur. Nos ethnicæ ac superstitiosæ illi mensium ac dierum observationi opponimus mandatum divinum, Deut. XVIII. 10. *Non sit observator inter vos horarum & dierum*; & illud apostolicum Gal. IV. 10. *Dies observatis & menses & tempora & annos*; v. 11. *Timeo, ne frustra laboraverim in vobis.* Itemque illud alterum: Coloss. II. 16. *Nemo vos judicet in parte diei aut neomeniæ &c.* Conjunge c. Non licet. c. Si quis. c. Non observetis. 26. q. 7. ubi superstitiosa illa calendarum observatio severe prohibetur, & qui eam tuentur, ad sui damnationem magis quam ad salutem tendere dicuntur.

§. CCCCLXVIII. *Legitimam* ac probabilem certi temporis in nuptiis celebrandis observationem voco eam, quæ ex ecclesiasticæ vel politica constitutione utilem ac salutarem finem spectante originem trahit, vel physica quadam ratione nititur. Sic in veteri ecclesia bono consilio statutum fuit, ne in festis solennioribus natalitiorum, paschatis & pentecostes aut proximis diebus ante illa festa pompæ nuptiarum celebrarentur, ne conviviis nuptialibus turbaretur atque impediretur præparatio ad dignam eucharistiæ perceptionem, quæ [ut constat ex concilii Agathensis can. XVIII.] in festis illis toti populo erat communis. Concilium Laodic. anno 368. vel ut alii volunt anno 364. habitum can. LII. & habetur c. Non oportet 33. q. 4. *Non oportet in quadragesima aut nuptias vel quælibet natalitia celebrare.* Ex concilio Verdensi in sexto seculo sub Theodorico in Hispaniis celebrato Gratianus talem producit canonem cap. Non oportet caus. & quæst. iisdem: *Non oportet a septuagesima usque in octavam paschæ, & tribus hebdomadibus ante festivitatem Johannis baptistæ, & ab adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare, quod si factum fuerit, separentur.* Nicolaus ad consulta Bulgarorum respondit, ut habetur c. Nec uxorem caus. & quæst. iisdem: *Nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse ullo modo arbitror.* In concilio Salegunstadiensi anno 1023. celebrato capite III. exstat talis constitutio: *De legitimis conjugiis ita visum est, quod nullus Christianus uxorem ducere debeat ab adventu Domini usque ad octavam epiphaniæ, & a septuagesima usque in octavam paschæ, nec in diebus quatuordecim ante festum Johannis baptistæ, neque in jejuniorum diebus, sive in omnium solennium dierum præcedentibus noctibus.* Clemens III. edicto suo prohibuit, *ne consecrationis gratia novi conjuges templum inviserent a septuagesima usque ad pascha, a dominica rogationum usque ad octavam pentecostes, ab adventu Domini usque ad octavam epiphaniæ.* Conjunge c. Capellanus 4. extr. de Feriis. Concilium Tridentinum prohibitionem illam temperavit, ad duo duntaxat tempora eam redigendo, nam sess. XXIV. cap. X. de reform. matrimon. *Solummodo ab adventu Domini usque ad diem epiphaniæ, & a feria quarta cinerum usque in octavum paschatis antiquas solennium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari præcipit, sed aliis temporibus nuptias celebrari* permittit. Causam hujus restrictionis Bellarminus libr. de matrimon. capite XXXI. reddit eam,

eam, quod *adhuc quidem vigeat consuetudo in tota ecclesia communicandi in natali Domini, adeo ut rari sint, qui id non faciant, quodque lege ecclesiastica omnes Christiani in paschate ad communionem accedere teneantur, sed in pentecoste rarior hodie sit communio.*

§. CCCCLXIX. Nobis ecclesiasticæ illæ constitutiones absolute & simpliciter non improbantur; sed si ab illis ferantur, penes quos est potestas ecclesiasticæ νομοθεσίας, ac si absque superstitione & opinione necessitatis, fine utili, ut scilicet homines ad devotam festorum solemniorum celebrationem magis præparentur, in ecclesia observentur, eas non solum toleramus, sed etiam commendamus. Sic enim præcipit constitutio ecclesiastica electoris Augusti, quæ in ecclesiis Saxonicis observatur in cap. de articulis generalibus p. 331. *Ut juxta mandatum & ordinationem divinam sabbatum sanctificetur, nec ab auditu verbi homines abstrahantur, nuptiæ non diebus dominicis aut festis, sed profestis institui ac celebrari debent, quod si necessitas quædam requirat, ut dominicis aut festivis diebus instituantur, non tamen ante preces vespertinas & examen catecheticum illud fieri debet.* Et postea: *Quamvis christiana libertas dierum discrimen ignoret, tamen, cum dominicæ adventus ac quadragesimale tempus concionibus poenitentialibus ac passionalibus destinatum sit, atque omnia suum habeant καιρὸν, ideo nuptias eo tempore celebrari prohibemus &c.* Non igitur facimus cum Calvino & ipsius adsecIis, qui hanc ecclesiasticam ἐυταξίαν e medio tollunt, & quovis anni tempore nuptias celebrari concedunt. Calvinus lib. IV. instit. cap. XIX. §. 39. *inter leges, quibus pontifices tyrannidem suam firmarunt, partim in Deum manifeste impias, partim in homines iniquissimas*, etiam hanc recenset: *Ne a septuagesima ad octavas paschæ, tribus hebdomadibus ante natalem Joannis, ab adventu ad epiphaniam nuptiæ celebrentur.* Sohnius tom. I. operum disputat. de matrimonio thes. 78. *Nuptiæ quovis anni tempore celebrari possunt.* Thes. 99. *Errant igitur pontifices, qui in quadragesima nuptias prohibent.* Innocentius Gentilletus in apol. pro Christ. Gallis capite IX. p. 149. *Apostolus prohibitionem matrimonii vocat doctrinam dæmoniorum, unde facile perspicere est, qui verius & melius fundamento verbo Dei nitantur, an evangelici an Romani catholici &c. qui nuptias laicis tempore Quadragesimæ, Adventuum & quatuor temporum celebrari non patiuntur.* Atqui distinguenda erat bona & utilis constitutio ecclesiastica a lege papali & tyrannica, prior erat retinenda, posterior taxanda ac repudianda. 1.) Quod ab auctoritate papæ in solidum dependeat. 2.) Quod sub opinione necessitatis & cultus ecclesiæ obtrudatur. 3.) Quod ecclesiasticum illud statutum retineatur causa ejusdem finali præcipua [quæ est præparatio ad dignam eucharistiæ in illis solennioribus festis participationem] penitus fere omissa. Nam in papatu semel tantum in anno, videlicet in festo paschatis ad communionem accedere jubentur. Bellarminus Chemnitio ad hoc respondet, quod *adhuc vigeat in ecclesia consuetudo communicandi in natali Domini, quodque non sola communio sit causa illius decreti, sed celebritas principalium festorum, ad quæ ecclesia per jejunia & orationes filios suos præparare satagit.* Interim negare nequit, *in pentecoste rariorem vel potius nullam esse communionem;* agnoscat igitur, in papali ecclesia a consuetudine primitivæ ecclesiæ hac in parte discessum esse, id quod unice probatum esse voluit Chemnitius. Præterea si non sola communio, sed etiam celebritas festorum principalium est causa illius decreti, cur de festo adscensionis, quod est *felix clausula totius itinerarii Christi*, de festo conceptionis, quod *est omnium festo-*

festorum metropolis, nihil tale statuitur? Et cur ipse Bellarminus disputat, *concilium Tridentinum in festo pentecostes nuptias fieri permisisse, propterea quod rarior eo tempore sit communio?* 4.) Quod progressu temporis adsui cœperit opinio, quasi sanctitas illorum temporum non posset ferre cohabitationem conjugalem. Bellarminus hoc ἀποτόμως negat; sed expendantur ea, quæ paulo superius de cohabitatione conjugali ex pontificiis scriptoribus, adeoque ex ipso Bellarmino produximus, ac nemo amplius dubitabit, simpliciorum animis opinionem istam inhærere.

§. CCCCLXX. Quæritur II.) *An presbyteri nuptialibus conviviis interesse debeant?* Occasionem quæstionis exhibent quorumdam conciliorum decreta & Romanæ ecclesiæ praxis, in qua personæ religiosæ, ut vocant, a nuptialibus conviviis abstinent. Concilium Agathense cap. XXXIX. & habetur c. Presbyteri dist. 34. *Presbyteri, diaconi, subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia modo non est, etiam aliarum nuptiarum evitent convivia, nec his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur, ne auditus & obtuitus sacris ministeriis deputati turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.* Antisiodorense concilium septimo post Christum natum seculo celebratum can. XXIV. *Non licet abbati nec monacho ad nuptias ambulare.* Synodus Aquisgranensis sub Ludovico pio nono post Christum natum seculo habita can. LXXXIII. *Non oportet sacerdotes aut clericos quibuscunque spectaculis in scenis aut in nuptiis interesse, sed antequam thymelici ingrediantur, exsurgere eos convenit & inde discedere.* Sane probari nequit, si ecclesiæ ministri spectaculis ludicris, mimicis gesticulationibus, amatoriis cantionibus ac hujusmodi aliis vanitatibus sive nuptiarum sive alio tempore interfint ac delectentur, sed a conviviis nuptialibus propterea non erant penitus arcendi, id enim pugnat 1.) cum conjugii dignitate, quæ talibus prohibitionibus oblique labefactatur: 2.) cum exemplo sanctorum patriarcharum, apostolorum ac virorum Dei, qui nuptiis interesse non reformidarunt: 3.) cum ipsius Christi facto, qui voce cœlestis Patris Messias declaratus, postquam officium suum jam inchoaverat, non dedignatus est nuptias præsentia sua honorare. Johan. II. 1. ubi Syrus γάμον vertit per מִשְׁתְּתָא *convivium*: 4.) cum verbis Christi Luc. XIV. 8. ubi indefinite dicit: *Cum invitatus fueris ad nuptias, vade.* 5.) Cum commodo ex præsentia presbyterorum sperando, ejus enim conspectum reliqui convivæ nuptiales reveriti ab omnibus, quæ Christianos dedecent, eo magis abstinebunt.

II.) *An presbyteri nuptialibus conviviis interesse debeant.*

§. CCCCLXXI. Quæritur III.) *An choreæ in nuptialibus conviviis ferendæ?* Primitivæ ecclesiæ doctores contra choreas, quæ nuptialium conviviorum solent esse adpendices, admodum duras sententias proferunt. Chrysostomus homil. LVI. in Genesin, *diabolicas eas* vocat, & *diabolum una saltare* dicit homil. XLIX. in Matth. XIV. μιᾶτὸν πορνικῆς ὀρχήσεως, *libidinosæ saltationis pretium factum esse caput Johannis baptistæ* adserit. *O convivium diabolicum* [inquit] *o Satanæ spectaculum, o iniquum tripudium & mercedem tripudii multo iniquiorem. Audiatis hæc virgines, imo etiam nuptæ, quæ in aliorum nuptiis saltare ac tripudiare & communem fœminarum sexum deturpare non veremini &c.* Ambrosius lib. III. de virginibus tom. 1. pag. 87. *Ibi intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes delitiarum est extrema saltatio. Ab hac virgines Dei procul esse desidero. Ne-*

III.) *An choreae in nuptialibus conviviis ferendae.*

mo enim, ut dixit quidam secularium doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit. Quod si juxta sapientiam secularem saltationis aut temulentia auctor est, aut dementia, quid divinarum scripturarum cautum putamus exemplis, cum Johannes, prænuncius Christi, saltatricis opinione jugulatus exemplo sit, plus nocuisse saltationis illecebram, quam sacrilegi furoris amentiam? Quid ibi verecundiæ esse potest, ubi saltatur, strepitur, concrepatur? &c. Quid dicitis vos sanctæ fœminæ? videtis, quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis. Saltet, sed adulteræ filia. Quæ vero pudica, quæ casta est, filias suas religionem doceat, non saltationem. Augustinus in conc. I. Psalm. XXXII. melius esse dicit, *tota die sabbati fodere, quam saltare.* In Laodiceno & Verdensi conciliis statutum, quod *non oporteat Christianos euntes ad nuptias plaudere vel saltare, sed venerabiliter cœnare vel prandere, sicut christianos decet.* Confer c. Presbyteri. distinct. 34. c. Si quis 26. quæst. 7. Ex recentioribus multi scriptores choreas detestantur. Jacobus de voragine dicit, *choreas magnam injuriam Deo fecisse, eo quod carissimum ipsius prophetam, Johannem baptistam, occiderint.* Discipulus de tempore adlegat dictum Augustini: *Quilibet saltus in chorea est saltus in profundum inferni*, cum quo congruit illud Guillermi in evang. domin. septuag. *Omnis motus petulantiæ saltus est in profundum cloacæ.* Guilielmus Lugdunensis choream sic definit, quod sit *circulus, cujus centrum est diabolus, a quo omnes virgines seu mulieres ducantur in sinistra manu in signum malitiæ.* Fridericus III. imperator referente Ænea Sylvio solebat dicere, *se malle febricitare quam saltare.* Alphonsus, Siciliæ rex, Gallos ex eo *leves* judicabat, *quod choreis plurimum indulgerent.* Julius Cæsar Scaliger dixisse fertur, *se non vidisse majores ineptias in orbe, quam saltationes.* Ludovicus Vives in libro de institut. fœmin. christ. *maximopere utile esse* judicat, *ut virgo ad saltationes non adsuefiat.* Ibidem memorat, *peregrinos aliquando in Germaniam venisse, & ex longinquo vidisse incompositis motibus saltantes, ita ut musicam non audirent, qui judicarunt, peculiari quodam furoris genere illos saltatores correptos, ideoque propius accedere metuerunt.* Calviniani plerique omnes penitus repudiant & damnant choreas, ut constat ex Calvino in Matth. XIV. [ubi eas vocat *lasciviæ meretriciæ notas*] Petro Martyre in libro Judic. XXI. Aretio part. II. problem. 169. Gualthero in Marci VI. Augustino Marloradio in Matth. XIV. Szegedino in tabul. pagin. 438. Johanne a Munster in tractat. German. de choreis &c. Argumenta petunt 1.) ex *causa efficiente.* Christiani a gentilium sive superstitione sive petulantia saltationes didicerunt. Superstitio est, quia gentiles pedibus circa aras ad numeros tripudiando, hymnos canendo, cymbala quatiendo & choros ducendo numen sese placare judicabant. Petulantia est, quia in otio nulla de causa, sed ex mera lascivia animos relaxabant. In sacris literis nullum invenitur exemplum saltationis illius, quam *sociam* vocant, in qua mixtim viri cum mulieribus, & mulieres cum viris saltant, ergo ex populo Dei non potest originem ducere. Saltationes illæ nascuntur ex vino, compotationibus & lascivia, sunt indicium animi furibundi & in libidinem concitati. At quæ ex tali oriuntur principio, probari minime debent. 2.) *A materia.* In choreis apud nos usitatis non soli viri seorsim, ac solæ fœminæ seorsim saltant, quales choreæ, *solitariæ* dictæ, in populo Dei usitatæ fuerunt, ut colligitur ex historia sacra, Exod. XV. 20. 1 Sam. XVIII. 7. 2 Sam. VI. 14. Matth. XI. 17. XIV. 6. Luc. VII. 32. & de Syris Christianis memoratur, quod in templis suis can-

tu

tu & saltatione Deum celebrent, quas *religiosas & sacras* choreas dixerit, sed mixtim confuso sexu mulieribus combinati saltant. 3.) A *forma*. Choreæ nostrates fiunt gestibus & motibus incompositis, rusticis, ad levitatem compositis, nullum observant ordinem, nullam decentiam. 4.) A *fine*. Choreæ instituuntur fine non bono, non ad Dei gloriam, ut Mariæ sororis Mosis, Davidis & aliorum sanctorum, sed ut carnis libidini obsequium & fomentum præstetur, ut concupiscentiæ fervore vini accensæ indulgeatur. 5.) Ab *effectis*. Choreæ obsunt bonis moribus, quia tam saltantes quam spectantes proniores ad libidinem dimittunt, castas puellas & matronas dissoluiores reddunt, verecundiam sermonis & gestuum labefactant, cogitationes pravas animis instillant &c. Eædem obsunt tranquillitati publicæ, quia ex illis non solum stupra & adulteria, sed etiam jurgia & cædes atque alia, quibus publica tranquillitas violatur, oriri experientiæ testimonio comprobatur. Populus Dei ingenti cæde saltat ad mortem Exodi XXXII. 6. Herodias caput baptistæ saltando abscindit; Matth. XIV. 6. *Sie tanzet dem heiligen Johanni den Kopf abe.* 6.) Ab *adjunctis*. Choreis multæ non solum ineptiæ & levitates, sed etiam temulentia, commessationes & compotationes utplurimum sunt conjunctæ. Ut enim *sine Cerere & Baccho friget Venus*, ita sine vino non incalescunt animi ad choreas. 7.) A *similibus*. In ipsa natura proponuntur exempla infelicem saltationis exitum præfigurantia. Ælianus libro I. variar. histor. cap. XXXIX. de *pastinacis piscibus* refert, quod *cantu & saltationibus a piscatoribus decepti capiantur*. Idem de *thryssis* in Ægypto commemorat libro VI. cap. XXXII. quod *in lacu Mareotico eodem artificio* adliciantur: pari omnino ratione infernalis piscator saltationum illecebris multos pisces congregat, & in massam perditionis illicit.

§. CCCCLXXII. Atque hæc contra choreas *inhonestas, lascivas, impudicas, ex malo principio ortas & fine non bono institutas* recte dicuntur, quales plurimas esse negari nequit, ac proinde optandum foret, a Christianis eas non tantopere amari ac frequentari; interim tamen *absolute ac simpliciter* tanquam *toto genere vitiosæ* & illicitæ damnari neutiquam possunt, qua de re sic scribit Lutherus in postil. eccles. domin. II. post. epiphan. *Quod peccata & vitia in choreis committantur, non ipsis choreis adsc. ibendum, perinde ut cibo & potui Epicurcismus inde proveniens acceptus referri nequit, si cuncta honeste peragantur, una cum reliquis convivis nuptialibus saltare poteris. Fides & caritas saltando non excutiuntur, ac infantes sine ullo probro vel castitatis periculo saltant.* Confer ejusdem comment. German. in Genesin tom. IV. Jenens. German. fol. 133. Brentius in Matth. XIV. pag. 528. *Quamvis multum mali ex choreis oriatur, & habeant non admodum obscura pericula, tamen per se non sunt impiæ, & ab honestis honeste fieri possunt.* Idem statuit Osiander in Marci VI. Forsterus in disput. catechet. decad. II. ex decal. probl. 10. Meisnerus part. I. phil. sobr. sect. 2. c. 4. quæst. 2. & alii ex nostris complures. Quinimo ex ipsis Calvinianis Danæus lib. II. ethic. christ. fol. 222. scribit: *Non omnis saltatio damnata est, ut docet ac disputat Martyr, sed saltatio ea, quæ est chorea, & quæ fit libidinis augendæ proritandæque gratia.* Rationibus nituntur hujusmodi: 1.) ex *dicto ecclesiastæ*. III. 4. *Tempus lugendi & tempus saltandi.* At si tempus quoddam saltandi datur, non sine discrimine omnes choreæ erunt prohibitæ. Excipiunt, μετωνυμικῶς *signi nomine exprimi signatum.* Resp. in verbis præcedentibus jamdum expressum erat signatum, risus scilicet & gaudium, cujus effectus ac signum consuevit esse saltatio,

ac fletus sive tristitia, cujus effectus ac signum solet esse lamentatio, ideo Ecclesiastes a signato ad signum progredi, & utrumque conjungere censendus est. In Hebræo est רקד quod proprie significavit *præ lætitia exiliit*, ac usurpatur de *arietibus subsultantibus*, Psalm. CXIV. 4. de *vitulis lascivientibus*. XXIX. 6. Targum reddidit: Tempus est לְטַפְּוָא בְּהִלּוּלָא *saltandi ac tripudiandi in nuptiis.* 2.) Ab *exemplis piorum.* Saltavit *David*, 2 Sam. VI. 14. choreas egit *Miriam*, Exod. XV. 20. & *mulieres Israeliticæ* occiso Goliatho 1 Sam. XVIII. 7. Pueri in historia evangelica adclamant sodalibus suis: *Cecinimus vobis, & non saltastis*, Matth. XI. 17. Excipiunt, *choreas hasce fuisse & religiosas & solitarias.* Resp. non abnuimus de Miriamis & Davidis saltatione, sed mulierum Israeliticarum chorea fuit politica, signum scilicet publicæ lætitiæ ob victoriam ex hoste reportatam, puerorum fuit ludicra; ex quibus id posse colligi, quod choreas ducere non sit actio per se & sua natura vitiosa, nobis sufficit, alias enim earum usus legitimus in lætitia spirituali ac civili esse non potuisset. Nec mutatur statim chorea ex licita in illicitam, si

Matres atque viri, pueri innuptæque puellæ

conjunctim saltent, nisi alia accedant vitia, quia ut conversatio virorum cum mulieribus & juvenum cum puellis per se & sua natura non est damnabilis, ita nec saltatio. Ac b. Lutherus d. l. haud immerito urget exemplum puellorum, qui vel soli vel cum puellulis absque probro & periculo saltant. 3.) A *natura adiaphororum.* Saltatio, si in se consideretur præcisis vitiosis adjunctis & effectis, est res adiaphora, in scripturis sacris nec prohibita nec præcepta, est portio quædam civilis conversationis & lætitiæ in nuptialibus conviviis demonstrari solitæ, ergo non potest nec debet simpliciter improbari; sed ex causarum præsertim efficientis & finalis statu de ea judicium debet fieri, juxta regulam: *Actiones æstimandæ sunt ex intentione & fine.* 4.) Ex *effecto.* Choreæ & corpori & animo utilitatem præstant, si sint decentes ac moderatæ, illius sanitatem tuentur ob moderatam membrorum agitationem, huic vero honestam recreationem præstant. Eædem sæpius sunt prima ad conjugium contrahendum occasio, cum per eam juvenes & virgines sibi invicem innotescant, mores utrinque explorentur, & conjugalis amoris primordia jaciantur; quare cum conjugium sit ex numero licitorum, choreæ utpote honestum ad illius conciliationem medium non poterunt simpliciter repudiari.

§. CCCCLXXIII. Respectus tamen in choreis habendus est 1.) *personarum.* Cum honestis matronis choreas agere honestum, cum impudicis scortis probrosum. 2.) *Ætatis. Lætitia juvenem, frons decet tristis senem*, inquit Seneca, quod convenit cum dicterio regis sapientis Ecclesiast. XI. 9. *Lætare juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ.* Juvenili igitur potius quam senili ætati saltationes conveniunt. Apud Comicum senex turpe sibi ducit *restim inter virgines saltando ductitare.* 3.) *Status.* Qui in publicis officiis, ecclesiasticis præsertim, constituti, eos decet gravitas, cum qua ejusmodi circumcursitationes ac circumagitationes parum convenire videntur. Augustinus graviter invehitur in corruptos clericorum ætatis suæ mores, *qui se choreis immiscebant.* In concil. Agathensi can. XXXIX. *choreæ presbyteris sunt interdictæ.* Philippus Macedo cum bene potus saltaret, & captivis suas memorias exprobraret, Demades orator graviter eum reprehendit dicens: *Quid agis, o rex? cum fortuna Agamemnonis personam tibi imposuerit, non pudet te factis Thersiten exprimere.* Albertus imperator a saltationibus abhorruit, *venationem exercitationem virilem, saltationem vero muliebrem esse* dicens.

dicens. 4.) *Temporis.* Nocturnas choreas prohibet constitutio ecclesiastica electoris Augusti in artic. general. cap. XVIII. f. 343. neque id immerito, quia

Nox & amor vinumque nihil moderabile suadent.

A cœna bene pastum & potum ad inquietiores saltationes prosilire, valetudini noxam adfert non mediocrem. *Nescis tu*, inquit Erycius Puteanus in lib. conviv. sermon. fol. 51. *aulam* [sive ollam] *ad focum adpositam fervere non posse, nec edulium concoqui, si crebro & intempestive movetur?* Diebus dominicis ac feriatis choreas agere jam olim pii imperatores prohibuerunt. Leo & Anthemius l. dies festos 11. C. de feriis. *Dies festos majestati altissimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari &c. Nec tamen hujus religiosi diei* [dominici] *otia relaxantes obscœnis quemquam patimur voluptatibus detineri, nihil eodem die sibi vindicet scena theatralis aut circense certamen &c.* Refert Cranzius, cum olim turba hominum apud Trajectum in ponte saltaret & sacra interea negligeret, ponte mox rupto circiter hominum 200. in flumine periisse. Jobus Fincelius in libro de miracul. memorat, in Magdeburgensi diœcesi fulmine vindicatam fuisse illius pastoris proterviam, qui in ipso pentecostes sacro rusticis choragum sese præbuerat. 5.) *Loci.* Choreas in locis publicis, non in occultis angulis & in præsentia honestarum personarum institui jubet ecclesiastica constitutio dict. loc. 6.) *Finis.* Choreæ non instituantur, ut sint libidinis fomentum & incitamentum, sed delectationis & conversationis honestæ instrumentum ac corporis exercitamentum. 7.) Denique *modi.* Constitutio ecclesiastica d. l. in choreis prohibet inhonestas circumgyrationes & omnes gestus impudicos ac lascivos, adeoque quidquid speciem mali & scandalum exhibere potest. Concludimus hanc de choreis quæstionem egregia illa Mediolanensis episcopi dissertatione lib. VI. in Lucam VII. circa medium: *Docuit nos scriptura saltare sapienter dicente Domino ad Ezechielem* cap. XXI. *Plaude manu & percute pede. Neque enim histrionicos fluxu corporis motus Deus morum censor exigeret, aut indecoros strepitus viris plaususque fœmineos imperaret, ut tantum prophetam deduceret ad ludibria scenicorum & mollia fœminarum &c. Non congruunt resurrectionis revelata mysteria & opprobria saltationis exacta. Est honesta quædam saltatio, qua tripudiat animus, & bonis corpus operibus relevatur, quando in salicibus organa nostra suspendimus. Jubetur ergo propheta plaudere manu & percutere pede, jubetur psallere, quia sponsi nuptias jam videbat, in quibus desponsatur ecclesia, Christus adamatur. Et bonæ nuptiæ, quando verbo anima, spiritui caro nubit &c.* Quemadmodum igitur apostolus ab ebrietate corporali ad spiritualem nos revocat; Ephes. IV. 18. ita a saltatione illa corporali ad spiritualem exultationem a virgine Deipara Luc. I. 27. nos revocari statuamus.

§. CCCCLXXIV. Quæritur IV.) *An minister ecclesiæ evangelicæ a canonico pontificio rogatus eidem uxorem ad occultum matrimonium per benedictionem ecclesiasticam copulare bona conscientia possit?* Quæstio hæc a pastore quodam in Francovia mihi fuit proposita, cum Heldburgi pastoris & superintendentis officio fungerer, cui in hanc respondi sententiam: Distinguendum esse inter *pontificios infirmos*, de quibus bona spes conversionis elucet, quod progressu temporis ad nostræ ecclesiæ consortium sint redituri; & inter *præfractos veritatis adversarios*, qui contra scientiam & conscientiam doctrinam evangelii detestantur ac persequuntur. Illis

IV.) *An minister ecclesiae evangelicae pontificio canonico uxorem ad occultum matrimonium copulare debeat.*

per copulationem conjugis occultam inferviri posse, ne in turpi concubinatu & perpetuis scortationibus viventes æterno sese exitio involvant; eosdem vero graviter eadem opera admonendos, ut animæ & conscientiæ suæ rationem habentes e Romana Babylone exeant, nec pingues præbendas & divites canonicatuum proventus pluris faciant, quam veritatis confessionem & animarum suarum salutem, quo medio quosdam ad saniorem mentem reductos fuisse constat. His vero nequaquam copulandos esse conjuges, ne in contemtu evangelicæ doctrinæ confirmentur, neve ex peccato suo lucrum capiant, & sanctam Dei ordinationem, conjugium scilicet, fœdi concubinatus prætextu apud suos prægravent.

§. CCCCLXXV. Quæritur V.) *An peccent sponsus & sponsa, si ante benedictionem ecclesiasticam & publicam copulationem cohabitatione carnali adsuescant?* Quidam præfracte negant; sed rectius statuitur, tales peccare contra legem ecclesiasticam salutari consilio introductam, contra publicam honestatem & bonos mores, contra laudatissima piorum conjugum exempla, id quod breviter demonstramus, 1.) ex *prima primi conjugii conciliatione.* Adamus nequaquam beluino impetu sponsam suam rapuit, sed eam sibi adductam ex Dei manibus accepit, Genes. II. 22. in quo certam normam & regulam conjugii pie inchoandi sibi præscriptam esse sponsus cogitet, ac ex manibus ministri, utpote legati Dei & œconomi domus divinæ, sponsam suam exspectet, certo statuens, ipsum Deum per ministrum adhuc pios conjuges invicem conjungere, & ipsorum conjugio benedicere. 2.) Ex *ecclesiasticæ legis promulgatione.* Quicunque ecclesiasticas leges citra necessitatis casum proterve violant, peccato obnoxios sese reddunt. At qui ante benedictionem sacerdotalem furtivis congressibus utuntur, ecclesiasticam legem violant. Salutari enim consilio statutum, ut consummatio matrimonii per benedictionem sacerdotalem coram facie ecclesiæ capiat exordium, quo pertinent causæ gravissimæ, propter quas hæc constitutio introducta est, & adhuc hodie observatur. 3.) Ex *sponsaliorum & matrimonii distinctione.* Aliud est sponsalia contrahere, aliud matrimonium inire; sponsalia enim sunt duntaxat promissio matrimonii, proinde sponsus non habeat sponsam ut conjugem sibi jamdum traditam, sed ut conjugem promissam, & ut Arnobius loquitur, *stipulatam* ac *pactam.* Huc referendæ sunt causæ superius enumeratæ, propter quas sponsalia matrimonii consummationi præmittuntur, ac temporis aliquod interstitium utrisque interjicitur. 4.) Ex *absurdorum consecutione.* Si desponsatis personis permissum censetur, ut carnali cohabitatione consuescant, violatur conjugii dignitas, labefactatur publica honestas, frena laxantur insanæ libidini, confirmatur eorum petulantia, qui ecclesiam ludibrio habent, dum curant matrimonium suum tanquam futurum ecclesiæ denunciari, quod ipsi per copulam jam ante consummarunt, dum petunt se per manum & os ministri tanquam ipsius Dei copulari, & matrimonio suo benedici, quod jampridem ipsi copularunt, dum coronas & serta virginitatis illibatæ & victoriæ ex libidinum impetu reportatæ signa gestant, quæ cum sponso jam ante consueverunt. Porisma hujus adsertionis est, quod *ecclesiastica pœnitentia, sive publica deprecatio recte illis imponatur, qui contra ecclesiam hoc modo deliquerunt atque aliis scandalum præbuerunt.* *)

V.) An peccent sponsus & sponsa, si ante benedictionem ecclesiasticam cohabitent.

§. CCCCLXXVI.

*) Georgius quidem Beatus jurisconsultus in sententiis definitivis Saxon. de matrimonialib. p. 51. ac 134. duas consistorialium Witebergensium ponit sententias, qui-

§. CCCCLXXVI. Quæ in contrarium adferuntur, facilem habent explicationem. 1.) *Qui sponsalia contraxerunt, coram Deo sunt veri conjuges etiam ante publicam sacerdotis copulationem & benedictionem.* Resp. ostendimus superius, alium consensum esse *sponsalitium*, alium vero *matrimonialem*, ac proinde distinguendum esse inter conjugium *promissum* sive inchoatum & *contractum* sive consummatum. Non per sponsalia, sed per ipsum conjugii contractum sponsa fit uxor, ut suo loco plenius fuit demonstratum. Ac si vel maxime intercedat consensus matrimonialis tacitus vel expressus ante copulam, nihilo tamen minus lex ecclesiastica violatur, & scandalum aliis præbetur. 2.) *Qui sponsalia contraxerunt, si carnaliter consuescant, nec scortantur, nec adulterium committunt. Ergo non possunt dici transgressores sexti præcepti.* Resp. argumentum hoc probat, eos non peccare πρώτως, directe & immediate contra legem aliquam divinam; interim manet illud, quod peccent contra legem ecclesiasticam, contra honestatem publicam, contra τάξιν καὶ εὐχημοσύνην salutari consilio introductam, proinde etiam δευτέρως, consequenter & indirecte contra legem divinam peccant. 3.) *Non sunt habendi pro spuriis, qui liberi suscepti sunt ex sponsa ante publicam & solennem benedictionem.* Resp. non negamus, esse aliquod discrimen inter scortationem & commixtionem sponsorum ante nuptias, ac proinde etiam inter spurios & eos, qui ex sponsa ante nuptias suscepti sunt; interim negari etiam nequit, commixtione illa ecclesiasticam legem violari, conjugii dignitatem labefactari, & ecclesiæ multis modis illudi. Illegitimi igitur sunt tales liberi non ratione essentialis cujusdam requisiti ad matrimonium necessarii, sed ratione accidentis cujusdam in foro externo necessario requisiti, unde præcoces vulgari dicterio adpellari & a sodalitiis opificum excludi consueverunt. 4.) *Sponsus nemini injuriam facit, sed sponsam sibi traditam cognoscendo utitur suo jure.* Resp. imo vero non in uxorem sed in sponsam eam sibi traditam esse cogitet, nec plenum jus maritale vel potestatem corporis in eam obtinere potest, quæ nondum est ab ipso Deo per ecclesiæ ministrum in uxorem ipsi data. Quamvis habeat jus ad rem, non tamen jus in re; ac licet sponsæ non faceret injuriam, [de quo tamen merito dubitatur, cum sponsa nondum debeat sponso maritalem χάριν, eumque honesta ipsius fama isthac commixtione graviter lædatur] injuria tamen adficit ecclesiam, cujus constitutiones proterve transgreditur; liberos, quorum ortui maculæ & labis aliquid adspergitur, & omnes ecclesiæ ac politiæ illius, in qua vivit, cives, quibus scandalum præbet, ac juventutis indomitæ petulantiam confirmat. Jus Saxonicum libr. I. art. 36. *Si maritata mulier ante definita tempora maturius prolem genuerit, proles hujusmodi in jure suo increpari potest.* 5.) *Copulatio publica est res mere adiaphora, in verbo Dei nec præcepta nec prohibita, ejus ergo neglectus per concubitum præmaturum non trahit secum peccatum.* Resp. imo vero benedictio sacerdotalis est tale quoddam adiaphorum, cujus genus descendit ex primæva

quibus rei hujus criminis ab omni pœna liberi pronunciantur. In ecclesia Rostochiensi tales ad ministerium vocantur, & facta prius de levitate commissa objurgatione in honorem subsecuti matrimonii pœna ecclesiastica ipsis remittitur. Hanc moderationem videtur etiam probare b. Lutherus tom. VI. Witeberg. pag. 276. *Soll ches heimliches Beyschlaffen auf das Verlöbniß kan nicht für eine Hurerey gerechnet werden, denn es geschicht im Namen und Meynung der Ehe, welches Hertz und Meynung oder Namen die Hurerey nicht hat, darum ein grosser Unterscheid ist zwischen der Hurerey und heimlichen Beyschlaffen auf das Verlöbniß.* GERHARDVS.

va conjugii institutione, & ad ἐυταξίαν καὶ ἐυχημοσύνην ecclesiasticam necessario requiritur, species vero ex lege ecclesiastica originem trahit, ac proinde ejus prætermissio est ecclesiasticæ legis violatio. Ut ergo etiam alii, qui ordinem ecclesiasticum & leges honestas in aliis rebus nefarie violant, pœnæ legibus adjectæ redduntur obnoxii: sic ad bonum ordinem, disciplinam & honestatem publicam conservandam ac dignitatem conjugii adserendam recte animadvertitur in eos, qui ante publicas nuptias cum sponsis suis consueverunt; ubi tamen monendi sunt ecclesiæ ministri, ut in pœnitentia sive deprecatione ecclesiastica talibus sponsis imponenda cautos & moderatos sese præbeant, & auditoribus suis peccati hujus qualitatem recte exponant, quod scilicet non quidem pro scortatione haberi debeat, sed contra honestas ecclesiæ leges cum scandalo publico sit commissum. Menzerus de conjug. pagin. 171. Tarnovius libr. II. de matrim. capit. XXXIV. quæst. 4.

§. CCCCLXXVII. Quæritur VI.) *An ad publicam pœnitentiam ab ecclesiæ ministro cogi possint ac debeant, quibus mense sexto, septimo vel octavo ex novo conjugio nascuntur liberi?* Rigidiores quidam presbyteri medicorum fundamentorum parum gnari id adfirmant, sed qui rem penitius expendunt, in negantem sententiam abeunt. De *septimestri partu* minor est dubitatio. Quamvis enim ex veteribus Eutyphro Cnidius referente Censorino de die natal. eum monstrosum judicarit, & Romani antiquiores hujusmodi partus tanquam monstrosas raritates non receperint, ut ex Varrone refert Gellius lib. III. noct. Attic. c. XVI. quin & abortum dici rationabiliter a Terentio septimestrem partum Donatus in Hecyra act. 3. scen. 5. notet; tamen Hippocratis in libr. de part. sept. auctoritas, qui partum septimestrem vitalem ac legitimum statuit, legibus civilibus recepta omnem dubitationem merito præscindit. Paulus l. septimo mense. ff. de statu homin. *Septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis, & ideo credendum est, eum qui ex justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse.* Neque vero necessarium judicandum, menses septem compleri integros, sed sufficit etiam mensis septimi initium, ut colligitur ex l. Intestato 3. final. ff. de suis & legitimis heredit. De *octimestri partu* major difficultas est. Hippocrates in libro de princip. ὀκτάμηνον γενόμενον οὐδὲν ζωὸν πώποτε· *Octavo mense editus nullus unquam vivit*, quod repetit libro de part. octimestr. Sed in Ægypto, ubi fœtifer Nilus, & in Hispania ob pariendi facilitatem & cœli ac soli clementiam octimestres aliquos nasci vitales, multi auctores probati tradiderunt. Quamvis vero regulariter octimestres partus non sint vitales, non tamen ob id pro illegitimis habendi sunt, cum partus etiam legitimus non possit esse vitalis, quam sententiam ut mitiorem plurimi ex eruditis sequuntur, quos recenset Tiraquellus in l. Si unquam. n. 305. C. de revocand. donat. De *sextimestri* partu omnium maxime dubitatur. Cum enim Ulpianus dict. leg. intestato, *centesimum octuagesimum secundum diem*, qui in initium septimi mensis incidit, *primum legitimi partus tempus* statuat, ex eo Felinus, Tiraquellus & alii jurisconsulti immote colligere laborant, puerum sexto mense natum non esse pro legitimo habendum. Idem confirmari potest testimonio Aristotelis libro VII. historiar. animal. capite IV. Plinii lib. VII. natur. histor. capite III. Hippocratis libr. de aliment. & part. septim. Sed contra hanc communiter ab omnibus receptam sententiam disputat Horatius Augenius libro I. de partu capite XVI. & seqq. cui adsensum præbet Albericus Gentilis lib. de tempore

VI.) *An ad poenitentiam publicam adigendi, quibus mense sexto ex novo conjugio nascuntur liberi.*

nascen-

nascendi. Distinguunt mensem sextum in *principium*, *medium* & *finem*, cuilibet parti adtribuunt dies decem, ac in ultimis decem diebus legitimum & vitalem nasci partum statuunt, rationibus nixi sequentibus: 1.) Puer, qui post conformationem duplo tempore sensibili movetur motu, ac triplo in lucem editur, justo tempore natus dicitur. At qui sexto mense fere exacto nascitur, duplo post formationem tempore moveri, & triplo in lucem edi potest, quia Galenus ipse dicit, *anticipare posse unum diem formationis tempus*, quod si statuamus unum vel duos vel tres dies, partus erit sex mensium. 2.) Aristoteles *cunctis fere animantibus constitutum esse a natura certum pariendi tempus & statos gestationis dies, uni autem homini varia fœtationis & partus tempora laxiore ac liberiore lege concessa esse*, testatum reliquit. Apud quosdam Hispaniæ populos etiam *quinquemestres* partus vitales edi, refert Ferdinandus Mena, cui adsensum præbet Vallesius ejusdem discipulus in comment. Epidem. Cum ergo in hoc toto naturæ mysterio nihil constans ac perpetuum sit, ac medici & philosophi in suis decisionibus sibi contradicant, olim enim partus ante nonum vel post decimum mensem non probabatur, mox frequenti adsensu etiam septimestris exceptus; ideo castitas conjugum in hisce casibus temere non est in suspicionem vocanda. 3.) Facultas generandi & concipiendi aliquando duobus aut tribus annis anticipat. Ergo eadem facultas in formatione fœtus & partu diebus quindecim anticipare potest. Anticipationis causæ possunt esse variæ, utpote seminum robur, uteri angustia, alimenti defectus, quodque uterus nondum adsuevit gestare fœtus &c. Infantes quandoque cum dentibus nasci, Solinus, Plutarchus & Avicenna testantur, quod si in formandis dentibus vis πλαστικὴ tempus consuetum anticipare potest, quidni etiam in formandis reliquis membris? Potest generari a sene infans septimestris, quidni etiam diebus quatuordecim tempus generationis præveniri posset a juvene? 4.) Tempus partus ultra constitutum a medicis terminum differtur, ut paulo post demonstrabitur. Ergo etiam anticipare potest. Si adsunt causæ, quæ fœtum morantur, quidni etiam quæ accelerent? Fingamus mulierem viraginem, ac puellam quæ citius in utero formari solet, ab ea editam quis dubitabit, legitimum esse partum etiam in sexto mense? *Resiluit in uterum Saguntinus infans*, inquit Plinius lib. VII. c. III. quod *portentum fuit insequentis publicæ calamitatis*; quidni ergo, ait Speronius in dialogis, publicæ lætitiæ præsignificandæ ergo citius exilire possit? 5.) Exempla partus sextimestris adferuntur ab Avicenna libro III. medicin. tractat. II. fen. 21. cap. I. Augenius dicto loc. capit. 20. quatuor a se observata esse memorat. Quæ cum ita sint, caveant ecclesiæ ministri, ne in hisce nimis morosi ac rigorosi sint, sed si constanter novi conjuges negent, a se quidquam hic peccatum esse, conscientias turbare, & dissidiis occasionem præbere desinant.

§. CCCCLXXVIII. Ex iisdem rationibus facile intelligitur, non esse ad publicam pœnitentiam cogendam viduam, quæ post mariti mortem in principio undecimi mensis fœtum edit. Ulpianus quidem in d. l. Intestato. §. 11. *Post decem menses mortis natum ad legitimam hereditatem admittendum esse negat*; ac Leotychidas regni successione privatus fuit, quod mater post decem menses a viri absentia eum ediderat, ut Plutarchus in Agesilao memorat. Hippocrates etiam in libr. de natur. pueri *decimum mensem terminum gestationis longissimum* statuere videtur. Ἐν δέκα μησὶ, inquit, γίνεται ταῦτα τὸ μακρότατον, *in decem mensibus, quod longissimum est, nascitur fœtus.* Sed idem ipse Hippocrates in libro de part. octimestr. etiam undecimum mensem agnovit, quam sententiarum varietatem quidam hoc modo con-

conciliant, quod undecim menses completos mulierem gestare posse neget, primis autem undecimi mensis diebus contingere posse partum statuat, quæ conciliatio probatur ex ipsis verbis Hippocratis lib. de part. octimest. circa finem: *Cum ultra plenilunium mulier concipit, necesse est, eum conceptum undecimum mensem attingere ac adprehendere, quo ad ultimum circuitum perveniat.* Amatus Lusitanus cent. I. curat. 27. mentionem facit consanguineæ cujusdam suæ, quæ cum exacte tempus conceptionis observasset, post decem menses & undecimi tres exactos dies puerum peperit, ubi adducit locum Plinii libr. VII. cap. V. quod *homo usque ad initia undecimi nascatur mensis.* Forestus libr. XXVIII. observationum cap. LXII. idem probare conatur ex Sap. VII. 2. *decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis.* In Græco est δεκαμηνιαίῳ χρόνῳ, sed illud accipiendum est non de decem mensibus completis, verum adhuc currentibus, uti etiam illud Maronis:

Matri longa decem tulerant fastidia menses.

2 Maccab. VII. 28. *In utero te portavi menses novem.* Ante Amatum Lusitanum & Forestum Levinus Lemnius lib. de occult. naturæ miraculis & ante Lemnium Aristoteles & Gellius exempla earum, quæ *undecimo mense* pepererunt, adnotarunt, ut ostendunt Tiraquellus l. Si unquam. C. de revocand. donat. Alciatus de præsumtion. part. I. præsumt. 40. Albericus Gentilis in lib. de temp. nasc. ex jure Justiniano *posthumum undecimo mense ad hereditatem admitti posse* negat, *ex opere tamen naturæ admitti* concedit. *Quia*, inquit, *de opere naturæ hic agitur, quæ legibus hominum obligata non est, sepositio eo, quod leges jurisconsultorum censent, notandum, quod Hippocrates, Aristoteles, Varro & alii eum admittant, & Adrianus imperator causa cognita ita decrevit* teste Gellio. Beustius de matrimonio part. II. c. XXXVI. p. 183. per consistoriales Witebergenses in casu fœminæ alicujus, quæ ante & post obitum mariti honeste vixerat, & fœnellam pepererat, undecimo post obitum mariti mense, partum eum legitimum esse pronunciatum memorat. Quare cum in dubio mitior sententia sit acceptanda, *inque obscuris, quod minimum lædit, sequendum sit;* ecclesiæ minister non debet rigide exigere deprecationem publicam a vidua, quæ undecimo post mariti obitum mense infantem edit; præsertim si constet, eam ante & post obitum mariti honeste vixisse, si puellam in lucem edat, si constanter adfirmet, & jurata fide adstruere velit, ex marito, non ex scortatore prolem illam susceptam esse, si magistratus politicus ab hereditatis successione posthumum illum minime excludat &c.

§. CCCCLXXIX. Diximus hactenus de adjunctis conjugii inchoati. *Consummati* conjugii adjuncta a quibusdam statuuntur *conjugum officia*, sed ea superius ad effecta retulimus. Alia igitur conjugii adjuncta quærenda erunt. Ea vero duplicis generis animadvertuntur. Quædam sunt *læta & jucunda*, utpote *status hujus dignitas atque utilitas*, [de qua in προλεγομένοις hujus loci dictum fuit] *ac conversationis inter conjuges suavitas*, [de qua in causa finali conjugii, quæ in fideli ac mutuo adjutorio consistit, itidem actum fuit,] item, *immunitas illa novorum conjugum*, qua in politia Judaica primo matrimonii anno a profectione in militiam & aliis publicis negotiis fuere liberi. Deut. XXIV. 5. [Jurisconsulti inter nuptiarum adjuncta numerant *dotem*, quæ ad onera matrimonii facilius sustinenda marito ab uxore obtingit, tot. titul. ff. & cod. de jur. dot. *donationem propter nuptias*, quam feudistæ vocant *dotalitium*, l. final. cod. de donat. ante nupt. *pacta dotalia* tot. tit. ff. & cod. de pact. dotal.

Adjuncta conjugii consummati.

Sed

Sed hæc posteriora adjunctis conjugii inchoati forte rectius accensentur.] Quædam sunt *tristia & amara*. Ad quam classem pertinent: I.) *ærumnæ ac molestiæ*, quas Deus in pœnam peccati post lapsum primis conjugibus & eorum in hoc statu successoribus imposuit, marito quidem laboris sudores, uxori vero gestationis ac partus dolores. Genes. III. 17. dixit Deus Adamo: *Quia paruisti voci uxoris tuæ, & comedisti ex arbore, de qua præcepi tibi dicendo: Non comedes ex ea; maledicta terra propter te, in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* v. 18. *Spinam & tribulum germinabit tibi, & comedes herbam agri.* v. 19. *In sudore vultus tui vescēris pane, donec revertaris in terram &c.* In his Jehovæ verbis quatuor pœnarum genera viro infliguntur. *Primum* est *terræ maledictio*, quæ duo agriculturæ incommoda complectitur, *bonarum frugum sterilitatem & noxiarum herbarum fertilitatem*, de qua poeta canit:

I.) *Ærumnæ ac molestiæ.*

Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium & steriles dominantur avenæ.

Alterum est *diætæ ac victus mutatio.* Ante lapsum vescebatur homo paradisi fructibus longe nobilissimis, sapidissimis & salubberrimis, jam vero jubetur herba agri extra paradisum esse contentus. Unicum paradisi pomum plus virium homini contulisset, ac majori cum suavitate ejus esus conjunctus fuisset, quam hodie omnium assorum, elixorum ac saccharatorum. *Tertium* est *laboris impositio.* Ante lapsum operatus quidem fuisset primus parens, coluisset & custodivisset hortum paradisiacum; Genes. II. 15. sed absque molestia & sudore, summa cum voluptate & jucunditate, jam post lapsum sudor narium & calli manuum laborem hominis comitantur. *Quartum* est *mortis denunciatio.* Laboris idem statuitur terminus, qui & vitæ, imo in illo ipso momento Adamus mori cœpit, quia morti addictus & adjudicatus fuit, quod Chrysostomus declarat exemplo *malefici*, in quem mortis sententia lata est, & in carcere postea longo tempore conclusus detinetur. Lutherus huc adcommodat similitudinem *hominis peste infecti, &c.* Atque hæ sunt ærumnæ marito divinitus impositæ; uxori jam ante denunciatum fuerat v. 16. *Multiplicando multiplicabo dolorem tuum & conceptum tuum, cum dolore paries liberos, & ad virum desiderium tuum, & ipse dominabitur in te.* Tria pœnarum genera uxori imponuntur: 1.) *Corporis cruciatus & infirmitates*, præsertim tempore gestationis fœtus, quod conceptionem excipit. Quamvis enim uterque sexus post lapsum morbis & infirmitatibus obnoxius sit, tamen ex medicorum & experientiæ testimonio constat, gravioribus ac difficilioribus morbis fœminas esse subjectas, quam viros. Quamvis etiam partem aliquam istarum infirmitatum etiam fœminæ cœlibes ac steriles experiantur, ut sunt molestiæ mensium &c. tamen conceptionis ac gestationis tempore infirmitates ac dolores illi multiplicantur, unde notanter dicit Dominus: *Multiplicando multiplicabo dolorem & conceptum tuum.* הרון significat & *continuam & discretam quantitatem;* intelliguntur igitur & multæ & magnæ molestiæ, quibus gravidæ sunt subjectæ, ac nomine *conceptus* sive conceptionis intelligitur totum illud tempus, quod inter primam calefactionem, ut loquitur psaltes Psalm. LI. 7. & infantis ex utero materno eluctationem interjacet, quo fœtus in utero gestatur, quod variis ac diversis morbis & molestiis est obnoxium; statim enim oriuntur capitis dolores acerrimi, vertigo, nausea, fastidium cibi ac potus, *ἀνορεξία*, crebræ & difficiles vomitiones, dentium dolores, tormina ventris, pica, per quam tales cibi adpetuntur, a quibus alias natura abhorret, hæc est viva

& realis explicatio illorum verborum: *Multiplicando multiplicabo dolorem tuum & conceptum tuum;* hoc est, statim post conceptionem fœtus conceptio & origo dolorum sequetur. 2.) *Partus difficultates.* In statu integritatis absque molestia & circa omne vitæ periculum fœminæ sobolem edidissent; hodie vero summis cum cruciatibus & præsentissimo vitæ discrimine illud conjunctum est. *Matres nostras vipereo more laceramus*, inquit Bernhardus, ac tantum non moribunda & exanimis mater infantem edit. Sic ergo conceptionem peccati labe infectam sequitur laboriosa gestatio & dolorosa nativitas. *Mulier cum turpitudine concipit*, ait b. Lutherus, *cum dolore enititur, cum ærumnis sobolem educat.* Si absque maledictione foret, opus generationis esset honestissimum, partus facilimus, sobolis educatio esset summa voluptas; sed post lapsum omnia sunt immutata. Inde quoties scriptura angustias gravissimas describit, cum doloribus parturientium easdem comparat 2 Reg. XIX. 3. Psal. XLVIII. 7. Esaj. XIII. 8. XXI. 3. XLII. 14. Jerem. IV. 31. VI. 24. XIII. 21. XXII. 23. XXX. 6. XLVIII. 41. XLIX. 22. L. 43. Oseæ XIII. 13. Mich. IV. 9. Marc. XIII. 17. Bernhardus tractat. de passion. Domin. cap. XXX. col. 1635. In scripturis doloris hujus testimonium frequenter invenimus, quia cum magnitudinem alicujus doloris volumus exprimere, ipsum mulieri parturienti comparare solemus. Ac notum est illud Hecubæ apud Euripidem, *malle se decies in acie stare, quam semel parere.* Ratio nostra ex se & suis principiis non potest invenire, qui fiat, quod arbor fructus suos sponte proferat, qui matureſcentes sine molestia decidunt, quod bruta in partu dolores quidem sentiunt, sed non tales ac tantos, quales & quantos homo experitur, Moses vero causam nobis adperuit. 3.) *Subjectionis erga maritum adversitates. Ad virum desiderium tuum, & ipse dominabitur tibi;* id est, nec cum viro satis commode vivere poteris; subjecta eris ei, quem misere seduxisti, & quia tibi & creaturis recte imperare nesciviſti, jam discas regi ac subjici. Ante lapsum quædam ἐξοχὴ prærogativa & eminentia viro præ muliere fuisset concessa, sed ea nihil molestiæ aut difficultatis conjunctum habuisset, quia neque maritus quidquam importune vel iracunde fecisset, neque uxor in ulla re sese refractariam exhibuisset, sed post lapsum illa harmonia & εὐταξία est disrupta, ac mulieris erga virum subjectio est ipsi molesta, acerba & adversa.

§. CCCCLXXX. II.) *Calamitates ac miseriæ*, quæ conjugibus in hac vita obveniunt ferme innumeræ. Nomine enim sudoris marito, & doloris conjugi impositi συνεκδοχικῶς comprehenduntur omnes molestiæ & miseriæ, quæ vitam conjugalem comitari consueverunt, de quibus in genere pronunciat apostolus 1 Cor. VII. 28. θλῖψιν τῇ σαρκὶ, *tribulationem carnis*, sive in carne *habebunt hujusmodi.* Quamvis enim ad conditionem illorum temporum apostolus potissimum respiciat, in quibus propter crebras & quotidianas ecclesiæ persecutiones conjugatis adversitates duplicabantur, dum in exilium propter fidei confessionem cum uxore & liberis expellebantur, tamen aphorismus ille apostolicus generaliter accipi potest de miseriis & adversis, quæ huic vitæ statui & ordini adhærent. Eorum insignis pictura proponitur in historia nuptiarum Cananæarum Joh. II. 3. primo enim statim nuptiarum die defectus vini animadvertitur; sic ergo non in progressu demum conjugii, sed in primo ejus ingressu crux domestica conjuges comitatur, ac hospes ille etiam non invitatus comparet, ac toto conjugii tempore cum ipsis commoratur, adeoque omnes ædium angulos occupat. Cæterum ut tria sunt bonorum genera, *animi* scilicet, *corporis & fortunæ:* ita quoque mala & adversa, II.) *Calamitates ac miseriæ.*

versa, quæ piis conjugibus obtingunt, ad tres classes revocari possunt; 1.) quædam enim *corporibus* ipsorum obveniunt, ut morbi, sterilitas, διχοτομία per mortem præmaturam, &c. 2.) Quædam *animis* adhærent, ut vitia morum, importunitas, morositas &c. 3.) Quædam *fortunis* accidunt, ut paupertas & inopia. Præter hæc mala etiam *in liberis* multa ac varia coguntur experiri infortunia, qualia sunt, liberorum morbi ac funera, molestiæ educationis, τῶν τέκνων δυσχία, ἀπείθεια, ἀπαιδευσία καὶ ἀναγωγία, de qua graviter pronunciat Siracides XVI. 4. κρεῖσσον ἀποθανεῖν ἄτεκνον, ἢ ἔχειν τέκνα ἀσεβῆ. Sed & in *servis ac domesticis* parata est conjugibus adversitatum materia, si sint infidi, immorigeri, desides, ac refractarii &c. Gregorius Nyssænus lib. de virg. πολύτροπόν ἐστι καὶ ποικίλον τῶν ἐν τῷ γάμῳ κακῶν ἡ χορηγία. Nazianzenus in carm. sacris. νύμφιον εἶτα νέκυς θάλαμον τόφον ἄμμιγα τερπνοῖς. Item: ἄρτι κόρη, μετέπειτα δὲ χήρη. Et: δεσμὸς γάμος, ἐυτεκνίη δὲ φρονεῖς ἀναγκαίη δυσεκνίητε νόσος &c.

§. CCCCLXXXI. III.) *Satanæ insidiæ*, quibus hoc sanctum vitæ genus infestatur. Cum enim satanas sit hostis Dei & omnium divinarum ordinationum, ideo etiam huic conjugali ordini vehementer est infensus, ut ex Jobi & Tobiæ historia cumprimis adparet. Jobum adfligit satanas in *fortunis* per incendia & hostiles irruptiones, in *liberis* per repentinum ædium collapsum & liberorum oppressionem, in *conjuge*, quæ non erat mariti consolatrix, sed diaboli adjutrix, in *cognatis & amicis*, qui erant consolatores onerosi, Job. I. & II. In historia Tobiæ III. 8. fit mentio cujusdam dæmonii, quod septem viros Saræ occiderat, antequam cum ea congrederentur, cui tribuitur nomen ἀσμοδαίος. Nusquam illud nomen alibi in scripturis canonicis vel apocryphis vet. test. occurrit; dubium ergo nullum, quin ex Judæorum fabulis profectum sit, qui *aschmadai* Syra voce adpellant principem dæmoniorum a radice שָׁמַד, quæ Chaldæis significat: 1.) *devastavit, perdidit, destruxit*: 2.) *fidem abnegavit, apostata factus est*; unde Judæi Christi discipulos loco תַּלְמִידִים vocant תְּשַׁמְּדִים *apostatas*. Utraque significatio congruit huic nomini, quia diabolus vere est ἀπολλύων, & abaddon destructor ordinis divini, Apoc. IX. 11. & auctor omnis ἀποστασίας. Huic satanæ odio & insidiis, quibus conjugalem statum infestat, & naturæ humanæ corruptioni acceptum ferendum, quod inter conjuges sæpius oriuntur lites, contentiones & jurgia, quibus domesticæ pacis vinculum disrumpitur, & conjugalis conversationis suavitas amara redditur, quales contentiones quandoque etiam inter pios conjuges existunt, qui tamen hasce satanæ insidias agnoscunt, furori ejus resistunt, & in gratiam iterum redeunt. Exempla proponuntur in *Abrahamo & Sara*, Gen. XVI. 5. XXI. 11. in *Jacobo & Rachele*, Genes. XXX. 2. in *Jobo* uxoris sannas audire coacto, Job. II. 9. in *Davide*, quem Michol deridet, cum spiritualem suam lætitiam externo corporis gestu testatam redderet, 2 Sam. VI. 20. Socratis Xantippe proverbio nobilitata est ob effrenem rixandi libidinem &c.

III.) *Satanae insidiae.*

§. CCCCLXXXII. Cæterum ærumnis illis, quibus conjugalis status obnoxius est, præter generales christianæ consolationis fontes, ex quibus in omnibus adversis solatii aqua haurienda est, quatuor cumprimis capita pii conjuges opponere debent: 1.) *Status conjugalis eminentiam.* Cum enim ordo conjugalis a Deo ipso sit institutus, ac multis modis honoratus, ideo quidquid in eo piis obtingit adversi, æqua mente ferre possunt & debent. *Sanctificatur omnis Dei creatura per verbum & orationem*,

Consolationes aerumnis conjugalibus opponendae.

1 Tim. IV. 5. quare cum in conjugio adsit Dei verbum, institutio scilicet hujus ordinis vere divina, ex eo certi esse possunt pii conjuges, quod vivant in statu sancto ac Deo placente, ex quo sponte consequitur, crucem illam, cui obnoxii esse coguntur, non esse irati Dei flagellum, sed paternæ castigationis virgam. 2.) *Gratiosam Christi præsentiam.* Quemadmodum enim Christus nuptiis in Cana Galilæa institutis interfuit, defectum vini sustulit, & ex aqua vinum optimum paravit: ita adhuc hodie piis precibus invitatus sua gratia suoque auxilio conjugibus præsens est, ærumnas mitigat & aquam tribulationis convertit in vinum lætitiæ, & consolationis:

Sponse voca Christum, non est sine munere Christus;
Ille merum tarde, dat tamen ille merum.

Quod si quandoque auxilium differtur, cogitent pii conjuges, Christum adhuc hodie ipsis dicere: *Nondum venit hora mea.* 3.) *Divinæ benedictionis efficaciam.* Benedictio, quæ conjugio in prima institutione a Deo est addita, per lapsum non est penitus sublata, sed per eam ærumnæ, quæ propter peccatum accesserunt, mitigantur atque immutantur. Sudor est pars illarum ærumnarum, quæ conjugibus propter peccatum sunt impositæ, interim psaltes regius testatur, eum piis conjugibus, qui crucem divinitus impositam patienter ferunt, & ex vera in Christum fide Deo humiliter se subjiciunt, verti in benedictionem; Psalm. CXXVIII. 2. sic & fœminis dolores partus pœnæ loco sunt impositi, de piis tamen & vere in Christum credentibus uxoribus apostolus pronunciat 1 Tim. II. 15. quod *salventur διὰ τῆς τεκνογονίας*, hoc est, *ἐν τῇ τεκνογονίᾳ*, quod generatio illa liberorum non impediat salutem, sed si ex fide dolores partus patienter sustineantur, sint opus Deo gratum & acceptum. 4.) *Significationem conjugii suavissimam.* Ostendimus superius, in conjugio proponi dulcissimam imaginem amoris & unionis inter Christum & ecclesiam; proinde conjuges in omnibus adversis sese hac consolatione erigere possunt, quod in se ipsis circumferant speculum ac pignus arcanæ inter Christum & ecclesiam copulæ. Quemadmodum igitur ecclesia & quævis fidelis anima in cruce hanc consolationem firmiter amplectitur, quod Christus cœlestis sponsus ex omnibus ærumnis eam tandem sit liberaturus, ac ad cœlestium nuptiarum gaudia introducturus: ita quoque conjuges efficacissimum illud consolationis fundamentum, finalem scilicet liberationem & futuram gloriam certa fiducia amplecti possunt.

Consolationes pro parturientibus.

§. CCCCLXXXIII. Quia vero mulierculæ in partus angustiis constitutæ gravissimis quandoque tentationibus torquentur, ideo ministri ecclesiæ observent fundamenta consolationum, quæ ipsis proponenda sunt, utpote 1.) *Dei ordinationem.* Non sine singulari Dei providentia mulierculis hæc obtingunt, quia Deus Evæ dolores illos imposuit. Quod ergo *de laborе manuum* dicit Sir. VII. 16. *ne oderis ἐπίπονον ἐργασίαν καὶ γεωργίαν ὑπὸ ὑψίστου ἐκτισμένην*, idem etiam ad *dolores partus* adcommodari potest. 2.) *Certam vocationem.* Cogitent piæ fœminæ, hoc pertinere ad muneris conjugalis, ad quod divinitus vocati sunt, partes. Militi gloriosum est in acie stantem mori: sic coram Deo & hominibus gloriosum est piis fœminis, si in hoc vocationis opere moriantur. 3.) *Piorum cum Deo reconciliationem.* Christus æternas peccatorum nostrorum pœnas sustulit, nosque cum Deo per sanguinem suum reconciliavit; quæcunque igitur temporales calamitates & molestiæ, inter quas etiam dolores partus sunt, piis fœminis obtingunt, non sunt signa irati Dei, sed paternæ castigationes, quibus caro coercetur, & salus nostra promovetur.

4.) *Dei*

4.) *Dei promissionem.* Non solum in genere promisit Deus omnibus in cruce constitutis, quod cum ipsis velit esse in tribulatione, Psalm. XCI. 15. sed etiam in specie suam præsentiam & auxilium fœminis in partu laborantibus pollicitus est. Psalm. XXII. 10. *Tu eductor meus ab utero* v. 11. *Super te projectus sum ex matrice.* Si esset absque illo præsentissimo Dei auxilio, nullus infans vivus ac sanus in lucem ederetur. 5.) *Operis hujus conditionem.* Cogitent piæ fœminæ, quantum Dei beneficium sit generis humani propagatio, quam salutare ac necessarium sit illud opus, quod Deus per ipsas perficit. Joh. XVI. 21. *Mulier cum parit, tristitiam habet, cum autem peperit puerum, non amplius meminit angustiæ propter gaudium, quod homo natus est in mundum.* Hieronymus imprudenter dixit, *nuptiæ replent terram, virginitas paradisum*, quod postea monachi sub papatu conjugio odiose opposuerunt; sed de piorum conjugio rectius dicitur, quod & terras & paradisum impleat, quia liberi in timore Dei educati, sunt plantulæ paradisi, sunt organa salutaria ecclesiæ & reipublicæ, sunt *sagittæ in manu potentis.* Psalm. CXXVII. 5. 6.) *Exemplorum collationem.* Rachel erat pia & sancta matrona, interim partus doloribus succumbit ac moritur, Gen. XXXV. 18. hoc exemplum respiciant honestæ matronæ, quibus dolores illi mortem minantur atque inferunt. Cumprimis vero Christum respiciant, qui in cruce in summis animi & corporis angustiis mortuus est, cum nos ad vitam æternam regeneraturus salutem nostram operetur.

CONSPECTVS
LOCORVM,
CAPITVM, SECTIONVM, ET RELIQVORVM CONTENTORVM
IN TOMO HOC XV. OCCVRRENTIVM.

Locvs XXVI.
DE CONJVGIO.

PROOEMIVM.

Declaratur
Ratio ordinis. §. I.
Convenientia & differentia regiminis politici & œconomici. §. II. III. cujus fundamentum est *conjugium.* §. IV.
Doctrinæ de conjugio *commendatio* §. V. ejusdemque in ecclesia *perfectio.* §. VI. & *tradendæ necessitas.* §. VII.

TRACTATIONIS DE CONJVGIO PARS I.

CAPVT I.

De Onomatologia conjugii.

Explicatur
I.) *Etymologia.* §. VIII.
II.) *Homonymia.* §. IX.
III.) *Synonymia.* §. X. cui adduntur conjugii *periphrases & encomia.* §. XI.

CAP. II.

Caput II.

An sit conjugium?

I.) *Quod sit* conjuglum, probatur. §. XII. II.) *Quaestio* excutitur: An Conjugium *sit ineundum.* §. XIII.

Cap. III.

Quid sit conjugium?

Quaeritur, an conjugium *sit sacramentum?* Hujus *quaestionis status, usuque* declarato, §. XIV. XV.

I.) *Sententiae nostrae negativae firmamenta* proponuntur, desumta
- 1.) Ex defectu requisitorum sacramenti essentialium. §. XVI.
  - α.) elementi externi. §. XVII.
  - β.) divini mandati, *elemento additi.* §. XVIII.
  - γ.) institutionis *novo testamento propriae.* §. XIX. licet matrimonium nec in v. t. fuerit sacramentum. §. XX.
  - δ.) gratiæ sacramentalis, nec promissæ. §. XXI. nec adplicatæ. §. XXII.
- 2.) Ex defectu mandati divini *universalis.* §. XXIII.
- 3.) Ex sacramentorum natura & efficientia. §. XXIV.
- 4.) Ex multiplici *pontificiorum* ἀντιλογίᾳ, de conjugii cum aliis sacramentis pugnantia, efficientia & ignominia. §. XXV--XXIX.
- 5.) Ex patrum & conciliorum silentio. §. XXX.
- 6.) Ex quorundam adversariorum suffragio. §. XXXI.

II.) Confelluntur *contraria pontificiorum argumenta*, deducta
- 1.) Ex *scripturae dictis*, quæ dicant, matrimonium esse
  - α.) a Deo institutum. §. XXXII.
  - β.) sacræ rei symbolum. §. XXXIII. XXXIV.
  - γ.) promissæque gratiæ sigillum. §. XXXV.
- 2.) Ex *patrum testimoniis.* §. XXXVI.
- 3.) Ex *rationum momentis.* §. XXXVII. quo referunt
  - α.) matrimonii insolubilitatem. §. XXXVIII.
  - β.) matrimonii finem. §. XXXVIII.
  - γ.) legem cærimoniarum. §. XXXIX.
  - δ.) consensum ecclesiæ. §. XL.

Cap. IV.

De causa efficiente conjugii.

SECTIO I.

De causa efficiente principali & remota.

I.) *Deum* conjugii *auctorem esse*, probatur
- 1.) ex conjugii *institutione divina*, in qua notanda
  - α.) *Deliberatio* de muliere condenda. §. XLI. ubi triplex conjugii instituendi causa exprimitur. §. XLII.
  - β.) Decreti divini *exsecutio.* §. XLIII-XLVII.
- 2.) ex conjugii *confirmatione.* §. XLVIII.
- 3.) ex ejusdem *in n. t. instauratione.* ib.
- 4.) ex ordinis hujus *conservatione.* ib.

II.) Inde *porismata* quædam derivantur. §. XLIX.

III.) Ostenditur *usus* doctrinæ de causa efficiente conjugii
- 1.) *theoreticus*, isque didascalicus. §. L. & elencticus. §. LI. LII.
- 2.) *practicus.* §. LIII.

SECTIO II.

De causa efficiente conjugii instrumentali & propinqua.

Efficit quippe conjugium, *consensus legitimus, plenus & justus*, tum partium contrahentium, tum eorum, in quorum potestate sunt contrahentes. §. LIV.

ARTI-

ARTICVLVS I.

De consensus contrahentium & parentum necessitate.

A.) *Contrahentium* consensum *necessarium esse*, demonstratur, §. LV. eundemque *causam* conjugii *efficientem* jure adpellari, adseritur. §. LVI.

B.) Agitur de *necessitate consensus, a parentibus* requisiti.

I.) Formato *quaestionis statu* §. LVII. LVIII. proferuntur, simulque a *Bellarmini* exceptionibus vindicantur, *argumenta nostrae sententiae adfirmantis*, petita
1.) ex *jure divino*. §. LIX-LXIII.
2.) ex jure *naturali*. §. LXIV. LXV.
3.) ex jure *civili*. §. LXVI. LXVII.
4.) ex jure *canonico*. §. LXVIII.-LXX.
5.) ex *adversariorum* ἀντιλογίᾳ. §. LXXI.
6.) ex *testimonio patrum*. §. LXXII.
* de quibus, *Editore* in nota monente, consulendus *Binghamus*.
7.) ex *suffragio adversariorum*. §. LXXIII.
8.) ex *deductione ad absurdum*. §. LXXIV.

II.) Declaratur *pontificiorum antithesis*, §. LXXV. LXXVI. cujus fulcra quaetunt
1.) in *scripturae exemplis*. §. LXXVII.
2.) in *jure canonico*. §. LXXVIII. LXXIX.
3.) in *variis rationibus*. LXXX-LXXXII.

III.) Diluuntur *objectiones*, contra nostram sententiam productae tum a *pontificiis*, §. LXXXIII. tum *ab aliis*. §. LXXXIV. LXXXV.

C.) Subnectuntur *quaestiones de parentum consensu*.
1.) An *matris* etiam consensus sit necessarius? §. LXXXVI.
2.) Utrum *patris* an *matris* consensus sit *praeferendus*? §. LXXXVII.
3.) An requiratur consensus parentum *expressus*? §. LXXXVIII.
4.) An parentes *dissensus sui causam declarare* teneantur? §. LXXXIX.
5.) Quid agendum, si parentes consensum *denegent*? §. XC.
6.) An *patris flagitiosi* consensus sit necessarius? §. XCI.
7.) An *ratihabitio subsequens* locum habeat? §. XCII.
8.) An in nuptiis liberorum *majorennium* consensus parentum requiratur? §. XCIII.
9.) An *tutoris* consensus sit necessarius? §. XCIV.
10.) Utrum *matris*, an *tutorum* consensus *praeferendus*? §. XCV.
11.) An *cognatorum* consensus sit necessarius? §. XCVI.
12.) An *avi* consensus sit necessarius? §. XCVII.
13.) An *generalis* parentum consensus sufficiat. §. XCVIII.
14.) An quibusdam in casibus *deficiens* parentum consensus *a judice suppleri* possit? §. XCIX.

ARTICVLVS II.

De consensus ad matrimonium requisiti qualitate.

Ad *consensum legitimum* requiritur *judicii integritas, & voluntatis libertas*. §. C. CI.

Pugnat igitur cum consensu
I.) *Error*. §. CII.
1.) nominis. §. CIII.
2.) personae. §. CIV.
3.) qualitatis. §. CV.
α. circa bona fortunae. §. CV.
β. circa generis nobilitatem. §. CVI.
γ. circa vitae statum. §. CVII.
δ.) circa bona animi. §. CVIII. CIX.
ε.) circa virginitatem. §. CIX. ubi
a.) docetur, quod & quibus in casibus liceat vel non liceat *remediare vitiatam ab alio*. §. CIX-CXIII.
* De aequanimitate *Josephi* erga *Mariam* ipsi desponsatam in nota aliquid adjicit *Editor*.
b.) *probationem virginitatis Mosaicam*, de qua *Editor* in nota *Seldenum* citat, adhuc obtinere *negatur*. §. CXIV. CXV.

II.) *Dolus*. §. CXVI.
III.) *Ebrietas*. §. CXVII.
IV.) *Fatuitas*.
V.) *Furor*. CXVIII.
VI.) *Metus & coactio*. §. CXIX. quo pertinet *raptus*. §. CXX.

Subjiciuntur *quaestiones* de *qualitatibus hujus consensus*.
1.) An, qui *simulate* consensit, sit *cogendus*? §. CXXI.
2.) An *muti & surdi* consentire possint? §. CXXII.
3.) An *expressus* contrahentium consensus requiratur? §. CXXIII.

SECTIO III.

De causa matrimonii antecedente ac disponente, hoc est, De Sponsalibus.

A.) Notatur *distinctio* consensus in *sponsalitium & nuptialem.* §. CXXIV.

B.) Explicatur *sponsaliorum*

I.) *Nomenclatura.* §. CXXV. CXXVI.

* De ratione spondendi *veterum* observationem addit *Editor.*

II.) *Causa efficiens*, consensus. §. CXXVII.

III.) *Materia*, personae contrahentes. §. CXXVIII.

IV.) *Forma*, modus, quo contrahuntur. §. CXXIX.

V.) *Distinctiones* sponsaliorum, ex *forma* petitae.

1.) Inter sponsalia de *futuro & de praesenti.* §. CXXX.

* *Auctores* hujus distinctionis commemorat nota *Editoris.*

2.) Inter sponsalia *pura & conditionata.* §. CXXXI. CXXXII. De *conditionatis* proponuntur *quaestiones.*

α.) An conditiones *impossibiles* pro *non adjectis* habendae? §. CXXXIII.

β.) An conditio: *ducam te, si invenero virginem*, turpis sit. §. CXXXIV.

γ.) An sponsalia *sub modo* contracta differant a *conditionalibus*? § CXXXV.

δ.) An sint conditionata, quae *certum tempus* praescribunt? §. CXXXVI.

ε.) An sponsalia *poenalia* pro ratis habenda? §. CXXXVII.

* *Jurisconsultorum* de hoc argumento sententiam in largis notis commonstrat *Editor.*

ζ.) Utrum sponsalia *pura*, an *conditionata*, patris consensu firmata, *praeferenda* sint? §. CXXXVIII.

η.) An liceat *pendente* conditione *alia* sponsalia contrahere? §. CXXXIX.

ϑ.) An conditio, si *dederis centum aureos*, pro non adjecta habenda? §. CXL.

ι.) An sit licita conditio, ne *corpore consuescant*? §. CXLI.

3.) Inter sponsalia *publica & clandestina.* §. CXLII. - CXLIV.

* *Editor* in nota scriptores de hocce argumento exhibet.

Quaestiones quaedam subjunguntur. §. CXLV. CXLVI.

α.) *Quot testes* in sponsalibus *publicis* requirantur. §. CXLV.

β.) An audiendus, qui *clam* se contraxisse *fatetur*? ib.

γ.) An *neganti* clandestina sponsalia, deferendum *juramentum*?

δ.) An sponsalia *clandestina per copulam consummata*, perpetuo sint rata? §. CXLVI.

ε.) An ob clandestina sponsalia pater *stupratam* filiam stupratori *elocare* teneatur?

ζ.) An sponsalia *clandestina per copulam carnalem consummata*, praeferenda publicis?

η.) Utrum ex publicis *priora*, an *posteriora* praeferenda?

ϑ.) Qua *poena* adficiendus, qui *bina* sponsalia contraxerit?

4.) Inter sponsalia *jurata & injurata*: quo loco excutitur *quaestio*, an *jurata* liberorum sponsalia jure *patriae potestatis dissolvi* possint? §. CXLVII. -- CXLIX.

5.) Contracta *inter absentes vel praesentes.* §. CL.

VI.) *Finis.* Conjugii dignitas, honestas, necessitas. §. CLI.

VII.) *Effectus.* 1.) ratione *contrahentium.* §. CLII. ubi *quaeritur*,

α.) An *recusantes* sponsaliorum consummationem, sint *cogendi*? §. CLIII.

β.) Qua *poena* coërcendus, qui *temere* a sponsalibus *recedit*? §. CLIV.

2.) ratione *cognatorum.* §. CLV.

VIII.) *Adjuncta.* 1.) arrhae. §. CLVI. 2.) munera. §. CLVII. 3.) instrumenta dotalia. 4.) ritus. 5.) convivia. §. CLVIII.

IX.) *Contrarium* sponsaliorum, sc. repudium. §. CLIX. ubi de *dissolutione* sponsaliorum, ejusque *causis & conditionibus*, agitur §. CLX. -- CLXVII.

Denique ostenditur *differentia sponsaliorum a matrimonio.* §. CLXVIII. CLXIX.

CAPUT V.

De causa materiali conjugii.

Materia conjugii sunt *personae contrahentes.* §. CLXX.

Facultas contrahendi pendet a *legibus divinis & humanis.* §. CLXXI.

Hinc nascitur tractatio *de impedimentis* matrimonii, quae considerantur

1.) juxta *canonistas*, §. CLXXI - CLXXIII.

2.) juxta interpretes *juris civilis.* §. CLXXIV.

MEM-

MEMBRVM I.

De numero personarum contrahentium, ubi de polygamia tractatur.

Personae contrahentes debent esse *tantum duae*, mas scilicet unus, & fœmina una. §. CLXXV.

Cum hoc conjugum numero pugnat *polygamia*. §. CLXXVI.

Successiva conjugia speciem *polygamiae* esse, *negatur*. §. CLXXVII.

ARTICVLVS I.

De polygamia successiva.

I.) *Secundas nuptias licitas* esse, demonstratur
1.) a conjugii institutione. §. CLXXVIII.
2.) a Christi instructione. §. CLXXIX.
3.) ab apostolica sanctione.
α.) 1 Cor. VII. 9. §. CLXXX.
β.) 1 Cor. VII. 39. §. CLXXXI.
γ.) 1 Tim. V. 14. §. CLXXXII.
4.) ex apostolica comparatione. §. CLXXXIII.
5.) ab interdicti conjugalis ratione. CLXXXIV.
6.) ab iteratarum nuptiarum conditione. §. CLXXXV.
7.) a paritate cum primis nuptiis. §. CLXXXVI.
8.) ab exemplis probatis. §. CLXXXVII.
9.) ex patrum testimoniis. §. CLXXXVIII.

II.) In medio ponitur *antithesis*
1.) *Gentilium*. §. CLXXXIX.
* quos ex rationibus *politicis* obicem posuisse secundis nuptiis, nota *Editoris* docet.
2.) *Haereticorum*.
α.) *Montanistarum*.
β.) *Novatianorum*.
*) *Editor* in notis monet, *Montanistas* & *Novatianos* non tam inter *haereticos*, quam potius *schismaticos* referendos esse, & quid iidem de *nuptiis secundis* statuerint, declarat.
γ.) *Syrianorum*, sec. XII.
δ.) *Moscovitarum*. §. CXC.
* Nuptias secundas non *ecclesiasticorum* saltim, sed & *aliorum*, a *Graecis* jam olim fuisse improbatas, ostendit *Editor*.
3.) Quorundam *patrum*. §. CXCI.
* De his *Editor* auctores citat, & *Augustini* inprimis sententiam de *iteratis nuptiis* ex libro ejus *de bono viduitatis* illustrat.
4.) Quorumdam *conciliorum*. §. CXCII.
5.) Denique *pontificiorum*. §. CXCIII.

III.) Adferuntur *argumenta contraria Montanistarum*, petita
1.) ex *scripturae* dictis.
α.) vet. test. Gen. II. 24. Lev. XXI. 14. XXII. 12. §. CXCIV.
β.) novi test. Matth. V. 32. X. 16. XVII. 3. XIX. 6. Joh. II. 2. IV. 18. 1 Cor. VII. 27. Eph. I. 10. 1 Tim. III. 2. 1 Tim. V. 12. §. CXCV.
2.) ex variis *exemplis*. §. CXCVI.
3.) ex *rationibus*. §. CXCVII.
α.) a divina voluntate.
β.) ab incommodis consequentibus.
γ.) ex secundarum nuptiarum conditione.
δ.) concludendo a minori ad majus.

IV.) Explicantur duæ *quaestiones*.
1.) An viduis *intra annum luctus* liceat ad secunda vota transire? §. CXCVIII-CC.
2.) An *probandum testamentum*, quo uxor a secundis nuptiis arcetur? §. CCI.

ARTICVLVS II.

De polygamia simultanea.

I.) Præmittitur *quaestio*, an *Lutherus polygamiam simultaneam* adprobaverit? Reprehensionibus *Bellarmini* aliorumque. §. CCII.
* de quibus etiam *Editor* in nota dicit, respondetur tum in *genere*. §. CCIII. tum in *specie*, ita, ut negetur, *Lutherum absolute* comprobasse polygamiam. §. CIV.

II.) Ostenditur, *contra defensores polygamiae*, *Anabaptistas*, *Turcas*, *Ochinum*,
* *Editor* notas adjicit literarias, simulque de iis, qui post *Ochinum*, polygamiam defendendam sibi sumserunt, *Lyfero*, *Begero*, *Willenbergio* copiose differit, scripta eorum ad rem pertinentia, nec non ea, quæ ipsis opposita sunt, commemorat, denique ad illustrandam *polygamiæ historiam* quædam subjungit.
probaturque, *polygamiam in novo* præsertim *testamento esse illicitam*, ex sequentibus rationibus:

1.) ex conjugii institutione. §. CCVI. CCVII.
2.) ex primævæ institutionis repetitione. §. CCVIII.
3.) ex Christi & apostolorum institutione. §. CCIX. quo pertinent maxime dicta Matth. V. 32. XIX. 9. §. CCX. Rom. VII. 2. 1 Cor. VII. 10. 39. §. CCXI. 1 Cor. VII. 2. §. CCXII. 1 Cor. VII. 4. §. CCXIII. 1 Tim. III. 2. §. CCXIV.
4.) ex jure naturali. §. CCXV.
5.) ex finibus matrimonii. §. CCXVI.
6.) ex incommodorum consecutione. §. CCVII.
7.) ex polygamiæ origine. §. CCXVIII.
8.) ex primitivæ ecclesiæ usu. §. CCXIX.
9.) ex legum imperialium sanctione. §. CCXX.

III.) *Secus sentientium.* §. CCXXI. argumenta *pro polygamia simultanea* adducuntur, petita
1.) ab exemplo *Patriarcharum*, §. CCXXII. de quibus notantur
α.) sententia *Bellarmini.* §. CCXXII.
β.) rationes eorum ex *nostris*, qui *dispensationem divinam* intercessisse statuunt. §. CCXXIII.
γ.) rationes eorum, qui dispensationem *negant.* §. CCXXIV.
δ.) *epicrisis auctoris.* Hæc eo redit, ex patrum *in v. t.* polygamia nihil effici pro polygamia *in n. t.* insuper rem nondum satis planam esse, & *tolerantiae* divinæ potius, quam dispensationi tribuendam. §. CCXXV.
2.) ex 1 Cor. VII. §. CCXXV.
3.) ex Gal. IV. 24.
4.) a fine conjugii.
5.) a commodis polygamiæ.

Sub fine *quaeritur*, an conversis ex *Turcarum* religione permittenda *uxorum pluralitas*? §. CCXXVI.

MEMBRVM II.

De requisitis & qualitatibus nubendorum.

Personae matrimonio jungendæ considerantur vel *absolute*, id est, seorsim & per se, vel *relate*, i. e. in mutuo ad se invicem respectu. Hinc *qualitates nubendorum* dividuntur in *absolutas* & *relatas*. §. CCXXVII.

ARTICVLVS I.

De absolutis nubendorum qualitatibus.

Qualitates *absolutae*, ad conjugium rite ineundum requisitæ, sunt

I.) *Animi*: sc. integritas judicii §. CCXXVIII. Hoc respectu *impediunt matrimonium*
α.) Fatuitas ac furor.
β.) Votum continentiæ, ex sententia duntaxat *pontificiorum*. §. CCXXIX.
Protestantes, quoad obligationem hujus voti, distinguendum esse statuunt inter eos, qui pollent dono continentiæ, vel eodem destituti sunt.
γ.) Infidelitas ac hæresis, quæ a quibusdam, licet non satis accurate, huc refertur. §. CCXXX.

II.) *Corporis.* §. CCXXX. Quo loco *quaeritur*:
1.) Unde *pubertas* æstimanda? §. CCXXXI.
2.) Quænam *aetas* conjugio maxime idonea? §. CCXXXII.
3.) An probanda *senum* conjugia? §. CCXXXIII.
4.) An *pumilis* & *nanis* matrimonium concedendum? §. CCXXXIV.
5.) An *eunuchis* & *spadonibus*? §. CCXXXV.
6.) An *leprosis*, *epilepticis*, similique malo adfectis? §. CCXXXVI.

III.) *Status exterioris.* §. CCXXXVII.

ARTICVLVS II.

De relatis nubendorum qualitatibus.

Qualitatibus nubendorum *relate* consideratis, *duo* matrimonii *impedimenta* constitui possunt, *nimia* scilicet *propinquitas*, & *nimia disparitas*. §. CCXXXVIII.

PARS I.

De Gradibus prohibitis.

Propinquitatis variæ *divisiones* exhibentur. §. CCXXXIX. Est nimirum propinquitas quæ est a.) vel ex *matrimonio*, affinitas,
vel *honesta*, eaque α.) *naturalis*, quæ consistit in consanguinitate, β.) *voluntaria*, b.) vel *ex alio genere*,
ecclesiastica, vel spiritualis.
politica, s. legalis.
vel *inhonesta*, ex scortatione vel adulterio.

Initium

Initium tractationis sumitur a *propinquitate naturali*, quæ continetur *consanguinitate*, eique accedente *adfinitate*. §. CCXL.

Ad impedimentum matrimonii, quod ex *propinquitate naturali* existit, rite pernoscendum, faciunt

1.) *Graduum supputatio*. §. CCXLI. Heic
1.) Exponuntur definitiones & divisiones
α.) *graduum*. §. CCXLI.
β.) *linearum*. §. CCXLII.
γ.) *adfinitatis*. §. CCXLIII. CCXLIV.
2.) Enumerantur adpellationes
α.) *consanguineorum*
a.) in linea *recta*
(1.) adscendentium. §. CCXLV.
(2.) descendentium. §. CCXLVI.
b.) in linea *collaterali*
(1.) æquali. §. CCXLVII.
(2.) inæquali. §. CCXLVIII.
β.) *adfinium*. §. CCXLIX.
3.) Traditur ipsa computatio *graduum*
α.) *consanguinitatis*, eaque
a.) secundum *jus civile*. §. CCL.
Hujus *regula* est: Quot sunt generationes, tot sunt gradus.
b.) secundum *jus canonicum*. §. CCLI.
Hujus *regula* est: Quot sunt personæ, tot sunt gradus, una demta.
β.) *adfinitatis*. §. CCLII.
4.) Dispicitur, utrum supputatio *civilis*, an *canonica* sit *praeferenda?* §. CCLIII.
* *Editor* de *Hotomanni J. C.* scripto, *adversus computationem graduum* ab *Alexandro* II. confirmatam, quædam adnotat.
Observato *fundamento canonicae* supputationis, quod scilicet in ea id maxime spectetur, *quantum persona utraque distet a communi stipite*, §. CCLIV. proferuntur solvunturque argumenta, illi opposita. §. CCLV. CCLVI.

II.) *Graduum prohibitio*, §. CCLVII. quæ nititur jure vel divino, vel humano, eoque sive canonico, sive civili, quod est vel provinciale, vel municipale.

SECTIO I.

De Gradibus prohibitis in Jure divino.

I.) Traduntur *prohibitionis* in *jure divino* re*gulae*.
1.) Regula *generalis* ex Lev. XVIII. 6. §. CCLVIII.
*) de cujus interpretatione apud *Judaeos doctores* usitata dicit *Editor*.
2.) Regulæ *speciales*, a generali illa pendentes. §. CCLIX.
α.) in gradibus *consanguinitatis*. §. CCLX.
(1.) de matre. §. CCLXI.
(2.) de sorore ex utroque parente. §. CCLXII.
(3.) de sorore ex altero tantum parente. §. CCLXIII.
(4. 5.) de nepote ex filio, & ex filia. §. CCLXIV.
(6. 7.) de sorore patris, & matris. §. CCLXV.
(8.) de sororis filia. §. CCLXVI.
β.) in gradibus *adfinitatis*.
(1.) de uxore parentis. §. CCLXVII. CCLXVIII.
(2.) de uxore patrui. §. CCLXIX.
(3.) de uxore filii. §. CCLXX.
(4.) de uxore fratris. §. CCLXXI.
(5.) de uxore matris. §. CCLXXII.
(6.) de filia uxoris. §. CCLXXIII.
(7. 8.) de filia privigni, & privignæ.
(9.) de sorore uxoris. §. CCLXXIV.

II.) Ostenditur prohibitionum istarum *latitudo*, qua
1.) *Non tantum personas* expresse nominatas, *sed & gradus* complectuntur.
α.) Hoc *demonstratur* & *defenditur*. §. CLXXV-CLXXVII.
β.) Proponuntur *regulae*, quibus prohibitiones graduum investigari possunt. §. CCLXXVIII-CCLXXXIX.
2.) Prohibitiones *Mosaicae* non ad *Judaeos* tantum in v. t. *sed & ad n. t.* imo *ad omnes homines* pertinent. §. CCXC.
ubi α.) adseritur, falso *nostrates* dissensionis in hac quæstione accusari a *Bellarmino*. §. CCXCI-CCXCIII.
β.) Producuntur *sententiae nostrae* fundamenta, petita
(1.) ex generali legum *Mosaicarum* obligatione. §. CCXCIV.
(2.) ex legum istarum cum moralibus connexione. §. CCXCV.
(3.) ex pœnæ adjectæ conditione. §. CCXCVI.
(4.) ex adjecta clausula *Mosaica*. §. CCXCVII.
(5.) ex prophetica harum legum explicatione. §. CCXCVIII.
(6.) ex earundem in n. t. confirmatione. §. CCXCIX. CCC.
(7.) ex legum illarum in cordibus inscriptione, quam probant,
a.) leges

a.) leges *imperatorum*. §. CCCI.
b.) leges *gentium*. §. CCCII. CCCIII.
c.) analogia a brutis desumta. §. CCCIV.
(8.) ex patrum testimoniis. §. CCCV.
(9.) ex adversariorum confessione. §. CCCVI.
γ.) Expenditur contraria *pontificiorum* sententia, qua declarata §. CCCVII. statuque quæstionis rite formato §. CCCVIII. sub examen vocantur argumenta *Bellarmini*, ducta
(1.) ex pœnarum diversitate. §. CCCIX.
(2.) ex contrariorum exemplorum varietate. §. CCCX-CCCXVII.
(3.) ex prohibitionis disparitate. §. CCCXVIII.
(4.) ex divina sanctione, *de ducenda fratris*. Deut. XXV. §. CCCXIX--CCCXXI.
δ.) Coronidis loco explicatur *quaestio*: *Cur* Deus certos cognationis gradus prohibuerit? §. CCCXXII.
Hujus prohibitionis afferuntur rationes
a.) *principales*, duæ:
(1.) verecundia, proximis consanguineis debita §. CCCXXII.
(2.) caritatis in societate humana dilatandæ studium. §. CCCXXIII.
b.) *minus principales*. §. CCCXXIV.

SECTIO II.

De gradibus prohibitis in Jure civili.

Exhibentur *regulae juris civilis*
I.) De *consanguinitate*
1.) In linea recta §. CCCXXV.
2.) In linea collaterali. §. CCCXXVI.
II.) De *adfinitate*
1.) In linea recta. §. CCCXXVII.
2.) In linea collaterali. §. CCCXXVIII. CCCXXIX.

SECTIO III.

De Gradibus prohibitis in Jure canonico.

I.) Generatim dicitur *de prohibitione juris canonici*. §. CCCXXX.
1.) ex *conciliis*. §. CCCXXXI. CCCXXXII.
2.) ex *pontificum decretis*. CCCXXXIII.
II.) *Regulae* traduntur de prohibitione juris canonici
1.) Quoad *consanguinitatem*, in linea recta & collaterali. §. CCCXXXV.
2.) Quoad *adfinitatem*. §. CCCXXXVI.
III.) Ostenditur, prohibitiones illas multis modis *vitiosas* esse, ratione
1.) causæ *efficientis*. §. CCCXXXVII.
2.) causæ *materialis*. §. CCCXXXVIII.
3.) causæ *formalis*.
4.) causæ *finalis*. §. CCCXXXIX.
IV.) Denique subjungitur aliquid 1.) de legibus *Graecorum*. §. CCCXL. 2.) de *patrum* circa gradus prohibitos sententiis. §. CCCXLI. §. CCCXLII.

SECTIO IV.

De Gradibus prohibitis in Jure municipali.

A.) De prohibitione juris *municipalis*
I.) Recenfentur *leges vetustae* Germanorum. §. CCCXLIII. & *Saxonicae*. §. CCCXLIV.
II.) *Ratio* prohibitionum municipalium ostenditur. §. CCCXLV.
III.) Declaratur discrimen prohibitionis *divinae* & *humanae*. §. CCCXLVI.
B.) Proponuntur *quaestiones* de gradibus prohibitis.
I.) An quis defunctæ *uxoris sororem* ducere possit? §. CCCXLVII-CCCL.
II.) An viduus defunctæ *uxoris sorores filiam* ducere possit? §. CCCLI. CCCLII.
III.) An *privignus vitrici* sui *viduam* ducere possit? §. CCCLIII.
IV.) An *vitricus viduam* defuncti sui *privigni* ducere possit? §. CCCLIV.
V.) An duorum *fratrum liberi* conjungi possint? §. CCCLV.
VI.) An *viduus* ducere possit *viduam fratris defunctae uxoris*? §. CCCLVI.
VII.) An *privignus & privigna* matrimonio jungi possint? §. CCCLVII.
VIII.) An *pater* & *filius duas sorores* possint ducere? CCCLVIII.
IX.) An ex *sponsalibus* oriatur adfinitas, matrimonium *impediens*? §. CCCLIX--CCCLXIII.
C.) Transitus sit ad cetera propinquitatis *honestae*, ejusque *voluntariae* genera, ad quæ refertur
I.) Cognatio *spiritualis*, seu *ecclesiastica*, eaque
1.) *communis*, inter Christianos omnes vere pios.
Hanc matrimonio non obstare docetur §. CCCLXIV.
2.) *specialis*, inter susceptos ex baptismo, & susceptores. §. CCCLXV.

Ex

Ex ista *nequaquam* nasci impedimentum matrimonii contrahendi, contra *pontificios* adseritur.

Destituitur enim *prohibitio pontificia*, §. *CCCLXV.* & *CCCLXVI.* enarrata,

α.) Scripturæ auctoritate. §. *CCCLXVII. CCCLXVIII.*

β.) Rationum pondere & æquitate. §. *CCCLXIX.*

γ.) Suffragio piæ antiquitatis. §. *CCCLXX.*

δ.) Præterea laborat absurdo. §. *CCCLXXI. CCCLXXII.*

ε.) Et multiplici rationum firmitate evertitur §. *CCCLXXIII.*

II.) Cognatio *legalis* sive *civilis*, quæ derivatur ex *adoptione*.

1.) Hæc, qualis & quotuplex sit, ostenditur. §. *CCCLXXIV. CCCLXXV.*

2.) Exhibentur rationes *dubitandi*, an matrimonium impediat, imo dirimat. §. *CCCLXXVI.*

3.) Additur aliquid de *cognatis speciebus* propinquitatis legalis. §. *CCCLXXXVII.*

D.) Agitur de propinquitate *inhonesta*, orta ex scortatione vel adulterio.

Circa hanc speciem duo *quaeruntur*:

1.) An ex *scortatione* contrahatur adfinitas matrimonium impediens? §. *CCCLXXVIII - CCCLXXX.*

2.) An quis *ducere possit* eam, quam per *adulterium* prius polluit? §. *CCCLXXXI - CCCLXXXV.*

De impedimentis matrimonii *ex aliis crimibus*. §. *CCCLXXXVI.*

PARS II.

De disparitate matrimonium impediente.

Disparitas ista statuitur *triplex*

I.) *Religionis* & *cultus*. §. *CCCLXXXVII.*

1. Quoad matrimonium *contrahendum*, in religione diversa impedimentum, non absolutum quidem, at grave omnino, positum esse, docetur §. *CCCLXXXVIII.*

2.) Quoad matrimonium *contractum*, cultus diversitas non est impedimentum *dirimens*. §. *CCCLXXXIX.*

Hoc, *Bellarmino*, in summa rei, non in argumentis suffragante, defenditur contra *canonistas*. §. *CCCXC - CCCXCIII.*

3.) Contra *Bellarminum* negatur, matrimonium fidelis cum infideli irritum esse ex more populi Christiani §. *CCCXCIV.*

4.) Nec tale matrimonium a *pontificis* demum venia pendere, adseritur. §. *CCCXCV. CCCXCVI.*

II.) *Ætatis*. §. *CCCXCVII.*

Præmissis certis distinctionibus, improbandum esse conjugium *juvenis* maxime, *cum vetula*, demonstratur

1.) ex finibus conjugii.

2.) ex incommodis consequentibus. §. *CCCXCVIII.*

III.) *Status* & vitæ conditionis. §. *CCCXCIX.*

CAPVT VI.

De causa formali conjugii.

A.) *Forma* conjugii est, non ipse consensus, sed ex consensu orta *conjunctio* unius maris & unius fœminæ in carnem unam, eaque *legitima* & *indissolubilis*. §. *CCCC.* quo satis distinguitur a conjunctionibus *fornicariis*. §. *CCCCI.*

B.) Ex hac conjugii forma deducuntur *porismata*, quæ concernunt

I.) Conjugium *contractum*.

1.) de arctissima conjugum societate. §. *CCCCII.*

2.) de nova ex conjugio orta propinquitate. §. *CCCCIII.*

3.) de conjugii indissolubilitate. §. *CCCCIV.*

4.) de mutua in corpus utriusque conjugis potestate §. *CCCCV.*

5.) de amoris inter conjuges perpetuitate. §. *CCCCVI.*

6.) de rerum communitate. §. *CCCCVII.*

II.) Conjugium *contrahendum*: de circumspectionis in c. contrahendo summa necessitate. §. *CCCCVIII.*

C.) Enodantur *quaestiones*:

I.) An *consecratio ecclesiastica* pertineat ad conjugii *formam*? §. *CCCCIX.*

Allatis adsertionis adfirmativæ & negativæ rationibus, §. *CCCCX. CCCCXI.* decidituir, c. e. *necessariam* esse, non quidem *absolute*, simpliciter, & ex speciali præcepto divino, sed ex *humana constitutione*, intuituque *publicae honestatis* & *utilitatis*. §. *CCCCXII.*

II.) An *copula conjugalis* pertineat ad matrimonii *essentiam*? §. *CCCCXIII. CCCCXIV.*

Caput VII.

De causa finali conjugii.

Præmissis variis ejus enumerationibus, §. CCCCXV. CCCCXVI.

Indicatur *finis* conjugii

A.) *Generalis*, Dei gloria. §. CCCCXVII.

B.) *Specialis*,

I.) *Proprius*, qui cum conjugio cœpit, isque

1.) *principalis*: §. CCCCXVIII.

α.) sobolis procreatio. §. CCCCXIX. CCCCXX.

β.) familiaris societas, ac mutuum auxilium. §. CCCCXXI. CCCCXXII.

2.) *minus principalis*, amoris inter Christum & ecclesiam præfiguratio. §. CCCCXXIII. CCCCXXIV.

II.) *Accessorius*, vitatio scortationis, & libidinis remedium. §. CCCCXXV.

Errores de fine conjugii notantur. §. CCCCXXVI.

Cap. VIII.

De effectis conjugii.

Effectus conjugii, quorum summa a quibusdam poni solet in *communicatione juris divini & humani*, §. CCCCXXVII. CCCCXXVIII. spectantur

A.) *In abstracto*. §. CCCCXXIX. quo pertinet communicatio animi, corporum & externorum. §. CCCCXXX.

I.) Speciatim heic observatur *de copula conjugali*, in qua conjugii *usus* subsistit. §. CCCCXXXI.

1.) eam in se non esse *peccatum*. §. CCCCXXXII-CCCCXXXVI.

2.) pios conjuges *moderari* debere conjugii usum. §. CCCCXXXVII--CCCCXXXIX.

α.) *Peculiaria* hac de re præcepta revocantur ad quatuor capita, quæ sunt

(1.) *tempus congressus* maritalis. §. CCCCXXXIX.

(2. 3. 4.) *locus*, *modus* & *finis*. §. CCCCXL.

β.) *Cautelae* adduntur. §. CCCCXI.

II.) Subjicitur *quaestio*: An conjugatis liceat vovere *perpetuam continentiam*? §. CCCCXLII. CCCCXLIII.

III.) *Consequens* congressus maritalis est *conceptio*.

α.) Hujus mirabilia considerantur, ex Job. X. 8. & Ps. CXXXIX. 14. §. CCCCXLIV. CCCCXLV.

β.) Declaratur usus piæ contemplationis super hominis formationem. §. CCCCXLVI.

B.) *In concreto*. Hoc respectu pertinent ad effectus conjugii, *officia conjugum*, eaque

I.) *Utrique parti communia*. §. CCCCXLVII-CCCCXLIX.

II.) *Alterutrius* conjugis *propria*.

α.) mariti erga uxorem. §. CCCCL.

β.) uxoris erga maritum. §. CCCCLI. CCCCLII.

Incitamenta officiorum istorum proponuntur. §. CCCCLIII.

Subjectum conjugii sunt personae, ad matrimonium habiles & aptæ. §. CCCCLIV.

Adjuncta conjugii duplicis generis sunt:

I.) Conjugii *inchoati*, ritus sacri solennes & publici.

1.) In *causas* illorum rituum inquiritur. §. CCCCLV.

2.) Recensentur *ritus*, apud varias gentes usitati.

α.) Ritus *gentilium*:

(1.) Romanorum, §. CCCCLVI. CCCCLVII.

(2.) Aliarum gentium. §. CCCCLVIII.

β.) Ritus, usitati in *ecclesia*

(1.) *Israëlitica* veteri, CCCCLIX. & modernorum Judæorum. §. CCCCLX.

(2.) *Christiana*, eaque

a.) *primitiva*. §. CCCCLXI.

b.) *nostra hodierna*, ubi valet

aa.) Sacerdotalis novorum conjugum confecratio. §. CCCCLXIII.

bb.) solennis convivii nuptialis celebratio. §. CCCCLXIV.

c.) *pontificia*. §. CCCCLXV. CCCCLXVI.

Quaeritur hoc loco:

1.) An *certo* anni *tempore* nuptiæ prohibendæ? §. CCCCLXVII-CCCCLXIX.

2.) An *presbyteri* nuptialibus conviviis interesse debeant? §. CCCCLXX.

3.) An *choreae* in nuptialibus conviviis ferendæ? §. CCCCLXXI-CCCCLXXIII.

4.) An minister ecclesiæ *evangelicae pontificio* canonico uxorem ad occultum matrimonium copulare debeat? §. CCCCLXXIV.

5.) An peccent sponsus & sponsa, si *ante benedictionem* ecclesiasticam cohabitent? §. CCCCLXXV. CCCCLXXVII.

6.) An ad *poenitentiam publicam* adigendi, quibus *mense sexto* ex novo conjugio nascuntur liberi? §. CCCCLXXVIII.

II.) Conjugii *consummati* adjuncta sunt

1.) ex parte læta. §. CCCCLXXIX.

2.) ex parte amara & tristia. §. CCCCLXXIX-CCCCLXXXI.

His opponuntur fundamenta consolationis. §. CCCCLXXXII. CCCCLXXXIII.

Jg 1830
(15/16)

ULB Halle
002 610 825

W 18

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM JENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS QVINTVS

DENVO EDIDIT

VARIISQVE OBSERVATIONIBVS

ADAVXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.



TVBINGÆ
SVMTIBVS IO. GEORGII COTTAE
MDCCLXXVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841186-p0507-9